DALLÆUS
DE DIONIS
AREOPAGIT
&C.

IGNATIO
ANTIOCH
1666

B
667
.D44 D3
1666 C

K.E

THE JOHNS HOPKINS UNIVERSITY · BALTIMORE · 1876

VERITAS VOS LIBERABIT

THE LIBRARY

£2

Jean Daillé

IOANNIS DALLÆI
DE SCRIPTIS,
QVÆ SVB
DIONYSII AREOPAGITÆ
ET
IGNATII ANTIOCHENI
NOMINIBVS CIRCVMFERVNTVR,
LIBRI DVO

QVIBVS DEMONSTRATVR ILLA SVBDITITIA eſſe, diu poſt Martyrum, quibus falſo tribuuntur, obitum ficta; idemque de illis judicandum quæ de operibus Chriſti Cardinalibus inter Cypriani monumenta habentur.

Adjecta eſt brevis commonefactio, de RVFFINIANA ORIGENICORVM *aliquot* Operum *Interpretatione.*



GENEVÆ.

Sumptibus Ioannis Antonii & Samuelis De Tournes.

M. DC. LXVI.

B667
.D44 D3
1666C

CLARISSIMO VIRO,
Reverendo in Domino FRATRI

SAMVELI BOCHARTO,

IOANNES DALLÆVS

S. P. D.

CVM ad inveſtigandam traditionis Apoſtolicæ veritatem plurimum conducat ſpuriis & ſuppoſititiis libris purgari omnes antiquitatis Eccleſiaſticæ partes; tum nulli, vt mihi quidem videtur, vtilius hæc opera impenditur, quàm primæ, quæ ab Apoſtolorum temporibus ad quarti ſæculi initia fluxit. Nam cum ea pars ipſius Chriſtianiſmi origines contineat, vnde tota Servatoris diſciplina ad nos propagata eſt; quis neget, vel inde inprimis petendum eſſe, quid illi primi Verbi miniſtri docuerint, conditiſque a ſe Eccleſiis tradiderint, vel huic noſtro ſtudio nihil magis officere, quam his puriſſimis fidei fontibus quorumdam maleferiatorum hominum fraude immiſſos & immixtos ævi recentioris rivos, multa ſecũ turbida, multa aliena, & poſt Apoſtolos exorta

trahentes? Eo factum eſt, Clarissime Bocharte, vt mihi quoque in illa parte illuſtranda aliquid operæ ac laboris collocandum putarem. Ac Sibyllina quidem carmina, & priſcis vrbis ad Siricium Epiſcopis affictas impudentia an ſtultitia majore incertum a Lucumone neſcio quo epiſtolas Blondellus noſter ὁ μακαρίτης pro ſtupēda illa, qua pollebat eruditionis Eccleſiaſticæ copia ita accuratè excuſſit, ita omnia novitatis & impoſturæ argumenta patefecit, vt omnibus & noſtrarum, & alterarum partium hominibus, æquis quidem & candidis aſſentiendi neceſſitatem, pervicacibus vero & φιλομύθοις diſſentiēdi pudorem injecerit. Itaque, quod proximum fuit, Conſtitutiones & Canones, quibus Apoſtolorum nomen falſo præſcriptum eſt, invaſi, & vtrumque opus longe quam titulus indicat, recentius eſſe in ea diſputatione demonſtravi, quæ dudum apud Batavos edita eſt. Nunc aliud ad te volumen affero, quod nuper de iis ſcripſimus, quæ Dionyſio Areopagitæ, & Ignatio Antiocheno, vtrique Apoſtolorum diſcipulo, vulgo tribuuntur; quæque nos non paucis, neque inertibus ut ſpero argumentis docuimus ſanctiſſimis illis ac merito venerandis nominibus præter verum ac fas ſubdita jampridem fuiſſe. Sed & ex Cypriani antiquiſſimi ac florentiſſimi Scriptoris germanis libris expunximus duodecim de Cardinalibus Chriſti operibus capita, quibus inerudita Monachi alicujus manus glorioſiſſimum Martyris nomen præfixerat. Poſtremo denique de Ruffinia-

nis

nis Origenicarum aliquot lucubrationum interpretationibus nonnihil obſervavimus, quo lectores caveant, ne adulterina pro ſinceris, notha pro genuinis, novitia pro antiquis, nequiſſimi interpretis arte capti habeant. Tibi autem FRATER IN CHRISTO OBSERVANDISSIME totam hanc diſputationem noſtram inſcribere placuit, quod nemo mea ſententia vivit, qui de re tota vel ſubtilius cognoſcere, vel ęquius ac rectius, quam tu, judicare poſſit. Neque ignota loquor. Nam & tuus ille tanto totius litterati orbis plauſu merito exceptus Phaleg, & hæc recentiſſima Camænarum tuarum de Biblicis animalibus fœtura, doctum Deus bonę & laborioſum opus! quos non docuit, quæ ſunt ad litterariam cauſam, qualis hæc noſtra eſt, dijudicandam neceſſaria, ea in te vno non modo reperiri, ſed etiam abundare omnia, acerrimum mentis acumen, miram ingenii fœlicitatem, inuſitatum animi candorem, prodigioſam rerum ac linguarum pæne omnium cognitionem? Nihil tam eſt abditum ac remotum, quod non erueris; nihil tam obſcurum, quod non illuſtraris. Tu Auſtri & Orientis arcana ſcrinia vetera, nova, hiſtorica, philoſophica omnia reſeraſti. Tu gentium omnium, etiam antiquiſſimarum, origines, loca, civitates, colonias, inſulas, maria; tu animantium naturas, ingenia, nomenclaturas aperuiſti; & quod ego ſupra omnem laudem cenſeo, tu immenſas illas eruditionis tuæ opes tantis

 vigi-

vigiliis, atque laboribus comparatas, ad unius Dei gloriam, & ad Scripturarum divinarum decus atque honorem contuliſti; quarum Majeſtati quicquid uſpiam vel extat, vel latet exoticarum litterarum, etiam (quod quis non miretur?) fabularum, ſervire ac ancillari coegiſti. Ad hanc conſilii de hoc noſtro opuſculo tibi inſcribendo mei rationem acceſſit vetus & fida, quę mihi pæne a puero tecum eſt, amicitia, multus inter nos vſus, & ſacrum denique ejuſdem in Eccleſia collegii vinculum. Sed neque diſſimulabo fuiſſe mihi hujus in te officii aliam inſuper, eamque propriam cauſſam; quos nos olim ad hoc, quicquid id eſt, opuſculi meditandum impulerit Vir utriuſque noſtrûm quamdiu vixit, amiciſſimus; tuus vero etiam Patruelis Frater MATTHÆVS BOCHARTVS, qui præter cętera pietatis ac virtutis ornamenta, quantum doctrina, & Chriſtianæ præſertim antiquitatis cognitione præſtiterit, & quo iudicio, qua ſolertia, ac dexteritate in rebus divinis explicandis atque confirmandis valuerit, teſtantur cum cæteræ ejus ſuperſtites lucubrationes, tum maxime inſignis illa, accurata, & reconditę eruditionis plena de ſacrificio diſputatio paucis ante ejus obitum annis edita. Is autem cum aliquando a me per epiſtolam quæſiviſſet, quid de noviſſima Ignatianorum editione ſentirem, atque ego ſignificaſſem quid videretur, & rationes meæ ſententiæ indicaſſem, ille vrgere cœpit ut totam hanc cauſſam luculentius explicatam litteris mandarem,

darem, publicique juris facerem. Parui, & Dionyſianã, quoniam videbantur ejuſdem propemodum ingenii, hac data occaſione reffellenda putavi; ſed cum editionem multa quæ inciderunt, diu remorata eſſent, Dominus interim ſervum illum ſuum ad meliora evocatum, hinc acerba quidem & pręmatura, ſed tamen beata in Chriſto morte a nobis divulſum in cœleſtem patriam tranſtulit. Quod ergo ejus rogatu, conſilio, ac admonitione & ſuſcepi & abſolvi opus, id tibi, qui τȣ̃ μακαρίτȣ conſanguineus, ejuſdemq; gentis ac nominis es, deberi reputavi. Tu ergo mi VENERANDE BOCHARTE hoc a me munuſculum, amici quidem hominis memorię ſacrum, noſtri vero in te amoris, gratique pro tuis in me meritis animi certum ac ſincerum pignus habe, & nos quod facis, tui obſervantiſſimos, amare perge. Ego Deum opt. max. precor, vt tibi longam ac vegetam ſenectutem, placidaque otia indulgeat, quo præclara illa, quę domi inchoata habes, opera perficere, nova moliri ac elucubrare, Chriſto ſervire, Eccleſiam ornare diutiſſime poſſis. *Vale.*

Dat. *Lutet. Pariſ.* Kal. Nov. a. D. 1665.

ELENCHVS OPERIS
& ſingularum ejus PARTIVM
DE LIBRIS DIONYSIO
AREOPAGITÆ, & IGNATIO Antiocheno Suppoſitis Adverſus Latinos.

LIBER PRIMVS.

DE IIS QVÆ DIONYSII AREOPAGITÆ Nomine circumferuntur.

CAPVT I. *Quis fuerit Dionyſius, & quæ ab eo ſcripta dicantur opera. Ea falsò Areopagitæ Dionyſio tribui hinc primum in genere demonſtratum; quod ſi qua hujuſmodi vere ab Areopagita ſcripta eſſent ea trecentis a Domino in terris nato annis celeberrima futura erant; cum toto illo tempore noſtris planè penituſque ignota, indicta, & innominata fuerint, quæ nunc eo nomine vulgata habentur.* Pagina 1

II. *Superior demonſtratio ſigillatim conſtituitur. Ac oſtenditur Areopagitica ignota fuiſſe quinque primorum Seculorum Chriſtianis; ex eo quod nulla fiat eorum mentio, neque ab iis, qui Dionyſium laudant, ut Ariſtides, Dionyſius Corinthius; neque ab iis qui in Act.* 17. 34. *Scribunt, ut Chryſoſtomus, & Auguſtinus; neque ab iis, qui Hæreſes in Areopagiticis exploſas, refellunt, ut Irenæus, Tertullianus, Cyprianus adverſus Gnoſticos, Patripaſſianos, Novatianos & Anonymus apud Euſebium auctor aduerſus Artemonem ſcribentes.* 6

III. *Idem inde probatur, quod Areopagiticum de Angelorum in novem ordines diſtinctione, & accurata ſingulorum expoſitione dogma totis quinque prioribus Chriſtianiſmi ſæculis planè ignotum fuerit; ut ex Irenæo, Auguſtino, Cyrillo Hieroſolymitano, Cæſario, & ex Dion. Petavii confeſſione oſtenditur; idque inde etiam confirmatur, quod memorabilis quædam Areopagitici ſcriptoris ad Iſai.* 6. 6. 7. *gloſſa vete-*

ribus

ribus illius memoriæ omnibus ignota & indicta fuit; ut Baſilio, Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Theodoreto. 12

IV. *III. Idem inde docetur, quod quatuor quaſdam valde inſignes de Heliopolitana Eclipſeos Dominicæ obſeruatione, de Hierotheo, de conventu ad Videndum Mariæ corpus Apoſtolico, deque oblata Carpo Viſione, Areopagiticas hiſtorias, nemo Veterum ad a. D. 500. memoraſſe reperitur. Imò quædam cum ſecunda illa Heliopolitana obſeruatione pugnantia legi, & apud Origenem, & apud ipſum Hieronymum. Idem inde colligi, quod Areopagiticam de Ioannis ex Patmo reditu prædictionem neque Euſebius, neque quiſquam vetuſtiſſimorum memoraverit.* 16

V. *IV. Idem inde probatur, quod noſtris quarti, quintique ſeculi propriè hominibus ignota fuerint Areopagitica, quorum ſcilicet auctoritas, quæ ad hanc rem clara eſt ac perſpicua, neque ab Athanaſio Arrianis, neque Aërianis ab Epiphanio, neque Pelagianis ab Auguſtino, neque Neſtorianis, a Cyrillo Alexandrino, & Caſſiano, neque Eutychiſtis a Leone, Theodoreto, Gelaſio, & Vigilio, uſpiam objecta reperitur. V. Idem ex eo demonſtratur quod ad conſtituendum legitimum atque Eccleſiaſticum Scripturarum divinarum canonem, Euſebius luculentiſſima in eam rem Areopagiticorum Librorum teſtimonia nunquam adhibuit vel vſurpavit.* 20

VI. *VI. Idem inde demonſtratur, quod Areopagitica neque Euſebius in Hiſtoria, neque Hieronymus, neque Gennadius in Catalogo Scriptorum Chriſtianorum memorant. Refelluntur Adverſariorum exceptiones.* 25

VII. *VII. Argumentum ex Hypatii, & Catholicorum eiuſdem memoriæ teſtimonio deſumptum: qui a. D. 532. obiecta ſibi a Severianis hæreticis quædam Dionyſianorum loca rejecerunt; libros, unde deſcripta erant Areopagitæ eſſe negantes. Hunc eſſe primum ex omni antiquitate locum, in quo Areopagitica memorentur; Sed ab hæreticis prolata & aſſerta, a Catholicis exploſa, & refutata. Hypatii auctoritate confirmatur ſuperior omnis noſtra aduerſus Areopagitica diſputatio.* 31

VIII. *Refellitur prior Adverſariorum ad ſuperiorem demonſtrationem cavillatio fruſtra pugnantium Areopagitica Veteribus ante a. D. 500. nota fuiſſe. Eorum librorum, quos in eam rem laudant, au-*

ctores non eſſe Athanaſium, Chryſoſtomum, Origenem, ſed homines iſtis multò recentiores; quod & ex rebus ipſis; & ex Adverſariorum quorumdam confeſſione demonſtratur. Dionyſium verò Rhetorem, quem in Areopagitica ſcripſiſſe tradunt, non antiquum illum eſſe de tertio ſæculo Epiſcopum, ſed alium neſcio quem multò juniorem, neque Cyrilli verè fuiſſe, ſed Cyrillo ab Acephalis ſubdita ea opera, in quibus Areopagitica citata fuiſſe narrat Liberatus: Aulicum diſputatorem fruſtra ex Nicephoro Calliſti contendere Iuvenali Veteri Hieroſolymorum Epiſcopo cognita fuiſſe Areopagitica. Bellarminus fatetur ea Veteribus ad 6. Sæculum ignota fuiſſe. 34

IX. *Refellitur altera, quæ Bellarmini eſt ad ſuperiorem contra Areopagitica diſputationem exceptio, cavillatnis Areopagitica ad ſextum uſque Sæculum latuiſſe alicubi; ſexto demùm Sæculo reperta eſſe. Figmenti huius vanitas & abſurditas oſtenditur. Fieri non potuiſſe, ut Areopagitica, ſi verè Dionyſii eſſent, laterent, imò apparere ea breui, poſtquam ſcripta erant, edita quoque fuiſſe.* 47

X. *Refellitur tertium Adverſariorum effugium, quod ex Halloixii, fingentis Areopagitica extitiſſe olim, ante a. D 500. & quibuſdam nota fuiſſe; ſed conſulto diſſimulata, neque memorata uſpiam; tum quod ſic auctor juſſerat, tum quod illo ſæculo noſtri non alias ferè, quam divinas Scripturas citarent; tum quod Areopagitica difficilia ſint, & à vulgi captu remota.* 58

XI. *Quæritur de tempore, quo verus Dionyſius paſſus ſit. Sub Domitiano paſſum eſſe oſtenditur; primo ex prima, eaque vetuſtiſſima traditione; non modo à Sirmondo & Launoyo prolata, ſed etiam ab omnibus Vetuſtiſſimis Areopagiticorum vel Adverſariis, vel etiam fautoribus, etiam ab ipſo Maximo probata. Refellitur Halloixii commentum ad illius traditionis vim eleuandam excogitatum, ex ea evertitur Recentiorum Areopagiticorum ſomnium de Dionyſio ſub Hadriano paſſo.* 66

XII. *Recentiorum de Dionyſii ſub Hadriano paſſione error, inde ſecundò refellitur, quod ex eo Dionyſium centenario majorem paſſum eſſe ſequeretur; quod falſum eſſe ex omnium, & Martyrologiorum, & aliorum Veterum Scriptorum conſtanti ea de re ſilentio arguitur.* 76

XIII. *Tertio non eſſe paſſum ſub Hadriano Dionyſium, inde demon-*

demonſtratur ; quod anno Hadriani ſexto Quadratum conſtet Athenienſem Epiſcopatum jam ab aliquo tempore tenuiſſe, & ante hunc eandem Eccleſiam rexiſſe Dionyſii ſucceſſorem, Quadrati deceſſorem Publium ; ſub Publio autem, & Quadrati initiis tam multa geſta ibidem occurrere, ut neceſſe ſit, Publium etiam ante Hadriani principatum, martyrium feciſſe. 80

XIV. *Refelluntur Areopagiticorum pro Dionyſiana ſub Hadriano paſſione teſtimonia.* 1. *Ariſtidis, quod non modo incertum, ſed etiam liquido falſum, & Ariſtidi affictum fuiſſe oſtenditur.* 2. *Adonis* 3. *Bedæ.* 4. *Martyrologii Rom. a Roſvveido editi.* 5. *Dextri. Omnium vanitas & futilitas demonſtratur.* 88

XV. *Dionyſium ex Vetuſtiori traditione ſub Domitiano paſſum eſſe ; primo ex ipſa rerum ac temporum ſerie demonſtratur. Secundo confirmatur teſtimonio, tum eorum qui jam olim Areopagitica, vt notha & apocrypha rejecerunt ; tum eorum etiam ipſorum, qui illa pro veris genuiniſque defenderunt, Maximi, Methodii, Simeonis Metaphraſtæ, Menæorum & Anthologii Græcæ gentis, & Synaxagii cujuſdam lepidiſſimi, in quo Dionyſius & Athenis crematus primum, & poſtea Pariſiis idem capite truncatus dicitur. Latinorum eadem de re teſtimonia ; ſcriptoris de Dagoberti rebus anonymi, Hiduini, Paſchaſii, Ratberti, Hincmari, Vincentii Bellovacenſis, Alberti Stadenſis, Matthæi Vveſtmonaſterienſis, Teſtimoniorum tum à nobis, tum ab Areopagiticis allatorum brevis inter ſe comparatio ; qua illorum quam horum potiorem eſſe fidem demonſtratur.* 95

XVI. *Repetitur, & pertexitur inſtituta adverſus Areopagiticos libros diſputatio, & ex iis quæ proximè de Dionyſii ſub Domitiano paſſione demonſtrata ſunt, educitur. VIII. Argumentum inde ſumptum, quod librorum ſcriptor, Novi Teſtamenti canonem conſignatum, & Ioannis Euangelium ſcivit, & memoravit ; quod vtrumque à Ioanne Apoſtolo poſt Domitiani, adeoque & Dionyſii mortem, peractum & editum fuiſſe conſtat.* 101

XVII. *Argumentum IX. Areopagiticorum ſcriptorem alium a Dionyſio fuiſſe inde demonſtrans quod Epiſtolam Ignatii ad Romanos, anno Trajani undecimo datam, citet, id eſt annis poſt Dionyſii ſub Domitiano mortem pluribus quam decem. Imò cum illa quæ Ignatii nomen præfert Epiſtola, notha ſit, neque certè tertii, ut videtur,*

ſæculi extrema confičta fuerit , hinc liquere Areopagiticum Scriptorem haud ferè paucioribus , quàm ducentis, poſt Dionyſium annis , ſua ſcripſiſſe. Halloixii impudens , etiam Vaſque judice, effugium Ignatiana iſta apud Areopagiticum delentis , refellitur, ac pro ſuo merito traducitur. Pag. 105

XVIII. *Argumentum IX. inde ductum , quod ſcriptor Timotheo pleraque ſua opera veluti Viventi, inſcribit , quem Epiſtolæ illæ Ignatianæ , quas ipſe citat , teſtantur mortuum fuiſſe , quo tempore ſcriptæ ſunt. Maximi effugia præcluduntur; Item Baronii & Bivarii ; alium hunc Timotheum à Paulino fuiſſe vaticinantium , ſomnia jam ab ipſo Halloixio confutata , cujus aliquot eam in rem argumenta referuntur. Aliud ipſius tandem Halloixii figmentum diſcutitur.* 110

XIX. *Argumentum X. Quod ſcriptor Timotheum* παῖδα puerum *vel* filium *vocet ; Stulte & ſupra modum abſurde ; quod non erat facturus Areopagita , Refelluntur Halloixii cavillationes , ſe in hac diſputatione contumelioſe in Timotheum gerentis; cujus virtus & pietas ab iſtius calumnia purgatur & aſſeritur.* 116

XX. *Argumentum XI. & XII. inde ductum, quod ſcriptor perperam & indecore finxerit Timotheum à Dionyſio , & eſt (vt volunt Adverſarii) Archiepiſcopum ab Epiſcopo , veteranum a tirone moneri , & anxie juberi , ne ſacra apud profanos efferat ; item ne profanorum contemptu , & irriſionibus moveatur : XIII. Argumentum, quod pari laboret ineptia , quod nobiliſſimus Dei ſervus Titus apud Scriptorem inducitur petens , vt ſibi vetuſtiori Pauli diſcipulo Dionyſius recentior exponat quis ſit in Scripturis* Dei *ſomnus XIV. Quod ſcriptor abſurde fingit Dionyſium Ioanni in Patmo exulanti ea elogia tribuere , quæ poſt illud tantum exilium meruit , & quod illum vnum alloquens plurali numero compellet. Argumentum XV. Quodque ſcriptor de Apoſtolorum & aliorum ad viſendum B. Mariæ corpus conventu narrat , ea quoque* κακόπλαστα *videantur. XVI. Quod ſcriptor abſurde fingit quandam Clementis Philoſophi* ῥῆσιν *a Dionyſio laudari , ante mortuo quam Clemens illa , quæ laudat , ſcripſiſſet.* 129

XXI. *Argumentum XVII. Quod ſcriptor fingit Areopagitam eos , quibus erat initiatus , infantilis baptiſmi ritum ,* ab anti-

qua

qua traditione *accepiſſe;abſurde cum recens eſſet adhuc Chriſtianiſmi traditio. Argumentum XVIII. Quod ſcriptor,quo vixit, ac ſcripſit tempore antiquatum iam fuiſſe Paganiſmum , & ejus de ſolis divinitate, reſurrectioniſque abſurditate errores deſiiſſe apertiſſime ſignificat , quod ab Areopagitæ ævo alienum , non alii quam quarto,quintoque Chriſtianiſmi ſæculo convenit. Refellitur impudens Areopagiticorum gloſſa ad hæc ſcriptoris loca,* antiquitatem *pro ſtultis etiam recentibus,& συγχρόνοις ineptè interpretantium.* Pag. 135

XXII. *Argumentum XIX. Quod ſcriptor arcani, diſciplinam in ſacramentorum & adminiſtratione, & expoſitione diligentiſſime & ſervari præcipit, & ipſe ſervat; quam tamen conſtat, etiam Albaſpineo confitente, non ante quartum ſæculum apud Chriſtianos obtinuiſſe. Argumentum XX. Ex ſolemni publicæ pœnitentiæ ritu ductum, apud Scriptorem quidem manifeſto, Apoſtolicis vero & ſecutis ad ſecundum Sæculum adultum , temporibus apud Chriſtianos inuſitato. Argumentum XXI. A Baptiſmi ritibus,quos omnes accurate ſcriptor exſequitur, qui qualeſque quarto & quinto ſæculo fuerunt, pleroſque & Apoſtolis, & Iuſtino, & Tertulliano vt apparet, ignotos, vt fontem baptiſmalem, effuſionem unguenti in aquas,baptizandi ex oleo toto corpore unctionem candidam veſtem,* &c. *Argumentum XXII. Quod ſcriptor ſuo ſæculo ſervatum docet, vt parvuli baptizandi de fide interrogarentur , aliis pro iis reſpondentibus;quod Auguſtini quidem ævo ſolenne, Apoſtolorum temporibus inauditum.* 140

XXIII. *Argumentum XXIII. ab unguenti* μύρου *conſervatione ductum, a ſcriptore accuratiſſime deſcripta, Apoſtolicis & proximis temporibus apud noſtros ignota. Argumentum XXIV. Quod ſcriptor ad Euchariſtiæ & unguenti ſacri confeſſionem incenſum, & ſuffitum adhibet, Chriſtianis ad a. D.* 300. *ignotum. Argumentum XXV. ab altaris, & quidem ex Chriſmate, conſecratione ductum quam ſcriptor quidem, ut Areopagitæ Sæculo ſolemnem, deſcribit; Breviarium vero Romanum a Sylveſtro P. R. poſt a D.* 300. *primum inſtitutum affirmat. Argumentum XXVI. Quod altaria ſacra ſcriptor apud ſuos in uſu fuiſſe teſtatur; apud Chriſtianos primis tribus ſæculis nulla. Argumentum XXVII. Quod templa proprie dicta apud Chriſtianos ſcriptoris extent, quæ apud Vetuſtiſſimos trium primorum ſæculorum Chriſtianos nondum ulla erant.* 145

XXIV. *Argumentum XXVIII. Quod ſcriptor Monachos, ignotum primis a. D. 300. Chriſtianis genus, fuſe memoret, & eorum conſecrationem accuratè deſcribat. Exploditur ac refellitur craſſum, & impudens Halloixii commentum ſui ſcriptoris de Monachis dicta ad neſcio quos diverſi ab omnibus aliis ſequentium ſæculorum Monachis aſcetas torquentis. Cæteris omnibus Chriſtianis ignotos, huic uni Ieſuitæ notos, & ex ipſius cerebro nunc primum exortos.* 147

XXV. *Argumentum XXIX. inde ductum, quod ſcriptor Euchariſtiam, etiam parvulis recens natis, baptiſmo tinctis, tradit & communicat; quod ab Apoſtolorum dogmate alienum, nec niſi poſt eos uſitatum fuiſſe reperitur. Argumentum XXX. Quod ſcriptor novum, & ab ipſis Latinis exploſum, mortuos Fideles ex oleo inungendi, ritum pro verè antiquo & Apoſtolico obtrudat.* 151

XXVI. *Argumentum XXXI. Quòd ſcriptor quædam vel aperte falſa, vel certe mendacii valde ſuſpecta tradat, ut quod Dionyſium facit prædicere ſe Ioannem exilio Patmenſi ſolutum viſurum eſſe liberum. Ille vero fallitur Apoſtolus enim ſub Nerva ſolutus eſt; Dionyſius ſub Domitiano jam paſſus erat. Argumentum XXXII. Quod ſcripta multa mirabilia de quodam Hierotheo, veluti de Divino & viro, & ſcriptore, & apud Chriſtianos longè celeberrimo prædicet; Cæteris tamen omnibus ignoto.* Hunc non alium fuiſſe videri, quam ipſum qui eum celebrat, ſcriptorem. Quo conſilio ſcriptor heroëm hunc ſuum finxerit. 152

XXVII. *Argumentum XXXIII. Quod ſcriptor quædam, velut a Iuſto, & Bartholomæo, ſcripta, laudat quæ falſa fictaque videntur Argumentum XXXIV. Quod Hierarchiam ſuam cæleſtem idem affirmet ſe a Paulo accepiſſe; quod falſum eſſe liquido demonſtratur.* 157

XXVIII. *Argumentum XXXV. Quod ſcriptor Areopagiticorum tradat Apoſtolos* Monachi & Therapeutæ *nomen tribuiſſe aſcetis. Id vero liquido falſum eſſe oſtenditur. Argumentum XXXVI. Quod ſcriptor ſuæ ex Chriſmate unctione* μύρου τελετῆς *nomen ab Apoſtolis impoſitum fuiſſe ſcribat; quod vehementer falſum eſſe apparet, & demonſtratur. Argumentum XXXVII. Inde ductum quod ſcriptor Zachariam, Baptiſtæ Patrem, Iudæorum Pontificem ſive (ut loquitur) Hierarcham fuiſſe putaverit.* 161

XXIX.

XXIX. *De Areopagitici* λέξει *Argumentum XXXVIII. Quod Iacobum* ἀδελφόθεον, *& Davidem* θεοπάτορα, *nominibus Apoſtolico quidem ævo ignotis, poſt Epheſinam vero Synodum in uſum receptis vocarit. Argumentum XXXIX. Quod ſcriptor Filii œconomiam planè ex Synodi Chalcedonenſis definitione expreſſit, eoque ſe poſt eam vixiſſe arguit.* 166

XXX. *Dionyſiani ſermonis idea a Caſaubono notata. Argumentum XL. Quod ſcriptor anxie refugit nomina, non modò apud Apoſtolos, ſed etiam apud Eccleſiam ſequentium Sæculorum uſitata. Quod* baptiſterium, *vel* fons *dicitur, id ille* matrem adoptionis *dicit. Qui cæteris ſunt Epiſcopi, ii huic ſunt* Hierarchæ. *Sic etiam* Hiereas, *ſacrificos, pro presbyteris:* Therapeutas *pro* Monachis *dicit.* Hierarchas *etiam pro* Pontificibus *Veteris Teſtamenti;* Theologos, & Hypophetas, & entheos noſtros initiatores *pro Apoſtolis, & Prophetis;* ſacrum & Hagiographum codicem, *pro ſcriptura,* Epopſiam *pro* Apocalypſi, *&c. quod cum puerile & ineptum ſit, & ad ſolam oſtentationem ſaciat Dionyſio Apoſtolorum diſcipulo, & Epiſcopo, indignum videri.* 168

XXXI. *Argumentum XLI. A totius Areopagiticæ orationis forma ductum; vocibus, compoſitionibus & figuris tragicis, & dithyrambicis conſtante, longis & involutis periodis antithetis, & homæoteleutis, & cæteris affectatis generis ornamentis ſcatente, & plane ad pompam efficta. Hanc vero ideam ne ab ipſis quidem de ſæculo magiſtris probatam; ab Apoſtolica vero ſimplicitate & gravitate ita eſſe alienam, ut ſanctiſſimum Martyrem eam eſſe conſectatum plane ſit incredibile. Caſtigatur Halloixii temeritas Areopagiticam orationem Paulinæ abſurdiſſime comparantis; & refellitur hujus ideæ adductum ab eo, velut ex Auguſtino, exemplum.* 174

XXXII. *Refellitur inerudita Halloixii pro ſuo Dionyſio objectio, a quo Gregorium Nazianzenum & Clementem Alexandrinum quædam ſublegiſſe vult, quæ illum ab his eſſe paratum & probabilius* & *verius eſt. Aliorum Areopagiticum a Nazianzeno quodam loco intelligi hariolantium objectio ab ipſo Halloixio confutata. Concluſio diſputationis ſuperioris, veriſſime de libris Areopagiticis judicaſſe Hypatium a. D. 532.* 182

XXXIII. *Quæ Catholicorum fuerit poſt a. D. 532. de libris Areopagiticis opinio. Sententiam de iis Hypatii ad a. D. 553. ex Liberato patet conſtitiſſe, ſed & ad ſæculum ſeptimum manſiſſe. Ejus ſæculi initio nonnullos Catholicos Areopagitica pro veris ſuſcepiſſe, & Gregorio probatur; qui rem ipſe in medio reliquit. Eodem mox Sæculo Leontium Bizantinum, Anaſtaſium Sinaïtam, & Maximum Monachum Areopagitica aperte cognoviſſe; hunc poſtremum etiam Scholiis illuſtraſſe. Fuiſſe tamen etiam iiſdem temporibus, qui Areopagitica exploderent, idque ex ipſo Maximo oſtenditur: Hos tres ſæculo ſeptimo poſt Gregorium vixiſſe adverſus Latinos de duobus primis aliud tradentes aſſeritur, & probatur. Maximi pro Areopagiticis inanis objectio diſcutitur; eiuſdemque ad ea tuenda error de Ignatii martyrio immanis.* Pag. 185

XXXIV. *Errorem de Areopagiticorum veritate Leontii, Anaſtaſii, & Maximi præſertim auctoritate firmatum longe lateque apud Græcos ſeptimo, octavo, & nono ſæculo manaſſe. Sed neque tum defuiſſe, qui Areopagitica repudiarent; id demonſtratur ex iis quæ a Photio traduntur de cuiuſdam Presbyteri, nomine Theodori, libro ea de re ſcripto. Photium ipſum videri Areopagitica aſpernatum; Diluuntur quæ Halloixius contra objecit. Sophronium Hieroſol. Epiſcopum ſeptimo ſæculo Areopagitica pro veris habuiſſe.* 191

XXXV. *Ad Latinos ſerius perveniſſe Areopagitica. Gregorio, & Agathoni Epiſcopis Rom. ſeptimo ſæculo, Bedæ octavo, de fama tantum nota fuiſſe videri. Ea Græca poſt a. D. 757. Paulum P. R. ad Pipinum Regem miſiſſe; eadem apud nos Latine eſſe interpretatum Ioannem Erigenam circa a. D. 866. Vnde refellitur obiter Halloixii ſomnium eos Libros in Gallia ab Areopagita ſcriptos, & expoſitos fuiſſe fabulantis.* 197

XXXVI. *Sæculo demum XV. detectum Maximi, & aliorum de Areopagiticis errorem; veramque de hinc emerſiſſe Hypatii de iis ſententiam. Virorum doctorum, qui inde ad nos apud ipſos Latinos floruerunt; teſtimonia; Laurentii Vallæ, Theodori Gazæ, Antonii Faventini, Gulielmi Grocini (cujus obiter ex Eraſmo aſſeritur adverſus Halloixium auctoritas) Eraſmi (cujus inſignis in eam*

rem

rem locus a Biblomaſtigibus Hiſpanis eraſus repræſentatur) Beati Rhenani, Roffenſis, Cajetani Cardinalis, Coelii Rhodigini, Georg. Caſſandri, ipſius Bellarmini; Gabrielis Albaſpinei, Iacobi Sirmondi, Dionyſ. Petavii, Ioan. Launoy, Anton. Mornaci, Nicolaï Fabri, & Antonii Godelli, ex quibus primo caſtigatur Bellarmini inverecundia negantis doctos Catholicos dubitare de Areopagiticorum veritate, & conficitur argumentum pro noſtra ſententia XLII. & ultimum. 199

XXXVII. *Refellitur ineptiſſima Halloixii argumentatio, ſua & ſuorum a mille annis majorum de Areopagiticorum veritate, opinione & credulitate, ita præſcriptum eſſe, ut nemo nunc niſi vel imprudens, vel impudens rem in dubium revocare poſſit.* 208

XXXVIII. *Solvitur alia quædam Halloixii objectio; inde petita, quod ſcriptorem, virum ut apparet, pium, gravem, ac ſanctum, incredibile ſit hanc mundo impoſturam facere voluiſſe. 1. Ieſuiticis non videri flagitium eſſe hujuſmodi impoſturam facere; 2. Quod in his ſcriptis omnia pietatis plena ſint, eo non effici, ut vere planeque ex Chriſti diſciplina pius ſcriptor fuerit. Etiam olim apud noſtros maturè fuiſſe id genus impoſtores.* 215

XXXIX. *Solvitur Leſſii objectio; cur ſcriptori ſua illa opera, in alterius potius quam in ſuum nomen tranſſcribere libuerit, ex quibus ei magnam laudem & gloriam ſperare licebat?* 220

LIBER SECVNDVS.

DE IGNATII EPISTOLIS.

CAPVT I. *Duas fuiſſe Ignatii editiones; priorem ſex; poſteriorem duodecim; imo & quindecim epiſtolis conſtantem. Quæſtio de iis duplex : I^a An utraque ejuſdem auctoris? II^a An utraque, an ſaltem prior Ignatii? De quæſtionibus tres ſententiæ; duæ extremæ; tertia media. Baronii de Ignatianis vanitas, omnia probantis, & incorrupta eſſe jactantis. De iiſdem, modeſtiora aliorum Latinorum judicia, Nancelii, Mæſtrai, Bellarmini, Halloixii, maximè vero Petavii.* 225

II. *Reverend. Vſſerii de poſteriori Ignatianorum editione judicium eam alterius eſſe, & auctoris, & temporis, quam priorem, cujus duo exemplaria, unum Latinum ab Vſſerio, alterum Græcum a Voſſio ex veteribus Libris edita, vera & antiquiſſima videri. Vſſeriani judicii argumenta;* I. *Quod Epiſtolæ ſex poſterioris editionis, neque ab Euſebio, neque ab Hieronymo memoratæ ſint;* II. *Quod à nullo veterum, ante ſextum ſæculum, laudatæ reperiantur; imo & ab his laudata quædam ex ſex prioribus, in vulgatis noſtris Ignatianis vel deſiderentur, vel planè aliter habeantur.* III. *Quod qui primi, vel ſex poſteriores Epiſtolas, vel priorum aſſumenta laudarunt, omnes poſt quintum ſæculum exactum vixerint.* IV. *Eadem confirmat, Ignatianorum vetuſtiſſimus Codex Latinus Vſſerii, Græcus Voſſii.* V. *Idem inde colligi quod ſex poſteriores Epiſtolæ, & ſex priorum auctaria multa ex Conſtitutionibus Pſeud Apoſtolicis deſumpta habeant. Recenſentur loca utriuſque operis, gemina* XXV. *Ex quorum pleriſque patet utrumque opus novum eſſe & poſt quartum ſæculum perſcriptum.* Pag. 231

III. *Etiam ſecutis poſt a.* D. 600. *ſæculis duas extitiſſe Ignatianorum Syllogas; unam, quales noſtræ vulgatæ ſunt, deteriorem; alteram, in qua novæ quidem Epiſtolæ ſex prioribus adjectæ eſſent, ipſe vero ſex priores ſinceræ, & aſſumentis interpolatoris libere haberentur; ac hujuſmodi fuiſſe Syllogen illam Græcam Latinamque ab Vſſerio & Voſſio editam. Sed poſtremis temporibus non aliam Vulgo extitiſſe Ignatianorum Syllogen, quam prioris generis, cujus rei duplex affertur ratio. De quatuor poſtremis Epiſtolis Ignatii ad Mariam Virginem, & ad Ioannem, & Mariæ ad Ignatium. Eas à paucis Latinis pro veris noſci, à pleriſque contemni, fictaſque cenſeri.* 237

IV. *Sex priores Epiſtolas, ſinceras, & ex Codice Florentino Græce, & ex Anglicano Latine deſcriptas Vſſerium, & Rivetum,* &c. *vere Ignatii auctoris eſſe cenſere; Salmaſium, & Blondellum ipſas quoque poſt Ignatii mortem fictas putare æque ac ſex reliquas, tametſi diu ante has; omnia adeo Ignatiana falſa, ſpuriaque eſſe. Huic ſententiæ falsò invidiam conflari, veluti nova ſit. Octo jam ante nos ſæculis Ignatiana ad Apocrypha ablegaſſe Nicephorum P. CP. & Anaſtaſium Bibliothecar. Rom. quorum cenſura a. D. Hammondi exceptionibus, & gloſſis; item à Reverend. Vſſerii ſolutione liberatur. Qui*

Libri

Libri Veteribus apocryphi, & cur & quo ſenſu ita dicti. Vnde ducitur I. adverſus Ignatiana argumentum. Pag. 240

V. *Perperam a. D. Hammondo ex his diſputationibus explodi argumenta ab Auctorum de re propoſita ſilentio ducta. Argumentum adverſus Ignatiana II. Quod Ignatiana omnibus Chriſtianis ad a. D. 300. ignota fuerint; Ac I. quidem Irenæo quod ex ejus opere adverſus hæreſes patet, in quo cum eorum errores oppugnet, qui ſunt in Ignatianis notati & confutati, quidam etiam nominati, Ignatiana tamen nuſquam vel nominat, vel etiam innominata citat, aut refert, aliorum vel nomina edere vel dicta referre ſolitus ſe vetuſtiorum, imo ne eo quidem loco ea memorat, in qua hæreſes, Clementis & Polycarpi teſtimonio confutat, quo Ignatiana longe futura erant validiora.* 253

VI. *Ignatiana Irenæo ignota fuiſſe, etiam patere inde, quod ea Florino nullus objecerit, & quod eorum in cauſſa de Paſchate non meminerit; quo fit, ut etiam Aſianis & cæteris ignota fuiſſe neceſſe ſit. Denique Irenæum de anno quo Chriſtus eſt paſſus, ea ſenſiſſe, quæ recta cum Ignatianis pugnant.* 270

VII. 2°. *Ignatiana vetuſtiſſimis ad a. D. 190. & 264. Alexandrinis, & Ægyptiis;* 3°. *Etiam ad hunc diem Æthiopibus, ignota fuiſſe, ut &* 4°. *olim Ionenſibus apud Bedam Scotis, &* 5°. *Baioariis in Germania; quod hi omnes inſtituta quædam habuerint cum iis; quæ Ignatiana de Epiſcopis, & Presbyteris ſanciunt ac definiunt, planè penituſque pugnantia. Imo &* 6°. *ipſi Hieronymo aut ignota, aut ſpreta fuiſſe videri hæc quæ hodie extant Ignatiana, idemque* 7°. *De Epiphanio judicandum videri.* 272

VIII. 8°. *Ignota Tertulliano fuiſſe Ignatiana demonſtratur quinque argumentis.* 277

IX. *Ignatiana* 9°. *ignota fuiſſe, Cajo* (10°.) *Clementi Alexandrino;* 11°. *Origeni.* 12°. *Iulio Africano.* 13°. *Lactantio.* 14°. *Dionyſio Alexandrino* 15°. *Ipſi quoque Hieronymo, & reliquis ejuſdem ſæculi Chriſtianis. Secundi argumenti collectio &* ἀνακεφαλαίωσις. 280

X. *Argumentum adverſus Ignatiana III. Quod in iis Baſilides nominatim memoretur, annis 27 poſt Ignatii mortem exortus. Diſcutiuntur Baronii præſtigiæ; & verum Baſilidis tempus ex vetuſtiſ-*

ſimis ſcriptoribus aſſeritur. Argumentum IV. Quod Theodotum ſcriptor Epiſtolarum nominet, & ejus hæreſin confutet, annis poſt martyris mortem pæne centum exortam. Expenduntur & refelluntur Vſſerii, & Hammondi ad quendam Hieronymi locum exceptiones. 285

XI. *Argumentum V, VI, & VII. Quod Epiſtolæ Saturnini, Patripaſſionorum, & Theodoti hæreſes, omnes poſt Martyris paſſionem exortas, apertiſſime memorent, & refutent; idque ipſum Epiſtolarum interpolatorem vidiſſe, ſed non correxiſſe; imo peccatum auxiſſe.* 291

XII. *Argumentum adverſus Ignatiana VIII. Quod Epiſtolæ; Valentini* λόγον *a Sige proceſſiſſe fingentis, delirium diu poſt Ignatii mortem, editum & ſparſum, diſertis verbis memorant & refutant. Refelluntur duo Ignatianorum effugia; I. Hammondi & Vſſerii alios ante Valentinum hæreticos* λόγυ *a Sige proceſſionem finxiſſe, nullo teſte, vel auctore, ex ſola cauſæ deſperatione affirmantium. II. Petavii, Epiſtolæ verba non de Sige Æone, ſed de ſimpliciter dicto ſilentio nequicquam interpretantis. Exploditur tertium quorumdam effugium Valentini deliria ante Martyris mortem innotuiſſe comminiſcentium.* 293

XIII. *Argumentum IX. Quod ſcriptor Clementem (qui ante Ignatii martyrium paſſus erat) Anacleto, quo tempore ipſe Epiſtolas ſcribebat, ſucceſſiſſe dicat. Argumentum X. Quod idem qui primis temporibus Nicolaïtæ dicebantur ipſe Pſeudo-Nicolaïtas dicat, qui uſus videtur a Clemente Alexandr. poſt a. D. 192. ortus. XI. Argumentum. Quod ſcriptor Cæſares ſui ævi Chriſtianos fuiſſe duobus locis ſupponat XII. Argumentum Quod angelis ad ſalutem, fidem in Chriſti ſanguinem neceſſariam eſſe ſtatuat; quod Origenicum eſſe videtur. XIII. Argumentum. Quod eo ævo vixerit, quo Romanis ignotum erat, qui eſſent* Leopardi *in militia Romana. Argumentum XIV, XV, XVI. Inde ducta, quod ſcriptor Copiatas, & inferiores ordines, & Virginum Monaſteria, & Quadrageſimæ jejunia memoret, res multis poſt Martyrem temporibus inſtitutas. Argumentum XVII. Quod ſcriptor publice pœnitentes admittat, & poſt ſatisfactionem reconciliet Eccleſiæ, quod tempore Martyris nondum obtinebat. Argumentum. XVIII. Quod ſcriptor B. Mariam adhuc in terris vixiſſe fingat, quo tempore Martyr Antiochiæ Epiſcopus erat. Argumentum XIX. Quod*

ſcriptor

ſcriptor Oneſimum Epheſi Epiſcopum ſedere & vivere fabuletur, quo tempore Martyr paſſus eſt; quod communi Veterum traditioni repugnat. Baronii & Vſſerii effugia præcluduntur. Pag. 309

XIV. *Argum. adverſus Ignatiana XX. Quod ſcriptor Epiſcopos ſupra Reges & Imperatores efferat, contra Pauli, & antiquiſſimæ ad tertium ſæculum Eccleſiæ fidem. Argumentum XXI. Quod idem ſine Epiſcopo & Presbyteris ullam conſtare poſſe Eccleſiam negat; quod & a Vetuſtiſſimorum Chriſtianorum placitis, & a recentium Hierarchicorum dogmate alienum eſt. Argumentum. XXII. Quod ſcriptor de diebus vel Feſtis, vel eſurialibus leges fert cum Apoſtolicis decretis apertiſſimè pugnantes. Argumentum XXIII. Quod idem pœnas in ſuarum ſtraminearum legum Violatores decernit ab Apoſtolica, imo & ab omni Chriſtiana lenitate abhorrentes. Argumentum. XXIV. Quod ſcriptor graviſſima pœna eos afficit, qui Paſcha eo modo, ac ritu celebrarent quo id & ipſum Ignatium, & Polycarpum, & omnes Syros, atque Aſianos primis temporibus celebraſſe conſtat. Halloixii impudens ad Ignatianam Legem gloſſa refellitur.* 317

XV. *Argumentum XXV. Quod quam ſcriptor præcipit, feſtorum obſervationem, ea non modo ab Apoſtolorum, ſed etiam ab Eccleſiæ ſecundi ſæculi, quo ineunte paſſus eſt Martyr, moribus ac diſciplina abhorrere videatur. Argumentum XXVI. Quod Sabbati veluti feſti, præcepta a ſcriptore celebratio, ea & a vetuſtiſſimorum Chriſtianorum, & ab ipſius impoſtoris, qui primas Epiſtolas Martyri ſubdidit, ſententia aliena ſit. Hammondi lapſus. Argumentum XXVII. Quod quæ ſcriptor de certis Statiſque diebus præcipit, quibus vel jejunare vel prandere in perpetuum neceſſe ſit; ea ab Eccleſiæ ad a. D. 200. antiquiſſimæ inſtitutis aliena ſint. Argumentum XXVIII. Quod ſcriptor ullo (niſi uno Paſchali) ſabbato jejunantes Iudæis aggregat, id & ſtultum & frivolum, & ab omni vetuſtiſſimæ Eccleſiæ & ab ipſis Latinorum novis ſatis eſſe plane penituſque alienum. Latinorum variæ, ſed vaniſſimæ de hac Pſeudo-Ignatii lege exceptiones diſcutiuntur ac refelluntur.* 325

XVI. *Argumentum XXIX. Quod ſcriptor dicat æternum Dei verbum eſſe divinæ efficaciæ eſſentiam genitam. Argumentum XXX. Quod idem præter diſerta Pauli verba neget Chriſtum eſſe* τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεόν. *Argumentum XXXI. Quod Filium infra Patris* ὑπεροχὴν *abji-*

ciat. Argumentum XXXII. Quod idem ſcribat Dominum eſſe, Filium ſecundum voluntatem & potentiam Patris. Argumentum XXXIII. Quod Filium idem ſcribat eſſe natura Pontificem. Argumentum XXXIV. Quod idem Chriſto animam humanam eripere videatur; quæ omnia Arianiſmum ſapiunt. 335

XVII. *Argumentum XXXV. Quod ſcriptor apocryphis utatur; veluti veris ac certis; & quidem ſic interdum, ut fallere voluiſſe videatur. Quæ ad eum purgandum de Papiæ exemplo attulit Reverend. Vſſerius, ea dilucide refelluntur. Argumentum XXXVI. Inde ductum, quod ſcriptor quandam Salomonis ſententiam corrigit, & ſenſum ei contrarium ipſe conſtituit, & quod idem quædam Pauli verba ad alia præter Auctoris mentem detorquet; quæ ab ea reverentia, quæ Scripturis divinis debetur, aliena eſſe videntur.* 338

XVIII. *Argumentum XXXVI. Quod ſcriptor Epiſtolarum non pauca apud Romanos effutiat à martyris gravitate, atque modeſtia aliena, cujus generis tria quædam maximè inſignia notantur. 1. Quod preces, ſi quæ ab iis ad Deum pro ſua liberatione fiant, & officia ſiqua apud homines ad eandem rem adhibeantur, damnet, velut quædam in ſe & in Deum peccata. 2. Quod ſe beſtias ad ſe laniandum vel blanditiis provocaturum, vel etiam vi coacturum profiteatur. 3. Quod ſe totum à beſtiis ſe conſumi optet, ut nihil ſui ſuperſit; cujus voti ineptam ac jocularem rationem addit. Quin & iſtum videri ſenſiſſe, ſe niſi martyrium faceret, ſervari à Chriſto plane non potuiſſe.* 342

XIX. *Argumentum adverſus Ignatiana XXXVII. Quod ſcriptor dicat Apoſtolos præcepiſſe Epiſcopum eſſe venerandum ſicut Chriſtum. Argumentum XXXVIII. Quod idem Paulum ſcribat Epheſiorum in omni Epiſtola mentionem facere. Confutantur Reverendiſſimi Vſſerii & doctiſſimi Hammondi gloſſæ & correctiones. Argumentum XXXIX. Quod idem Abedaddam capite apud ſcripturas truncatum, ex Conſtitutionibus Pſeudo-Apoſtolicis mutuatus ſit. Quæ omnia apertiſſime falſa ſunt, vero Ignatio plane indigna.* 350

XX. *Argumentum XL. Quod ſcriptor Paulum præter apertiſſima de ſe ipſius teſtimonia, conjugatum fuiſſe affirmet; id eum ad ſingularitatis & archaïſmi ſimulationẽ ex Clemente Alexandrino ſumpſiſſe videri. Refellitur Latinorum irritus conatus, Pauli nomen præter omnium codicum (niſi quos ipſi vitiaverunt) fidem, ex Ignatianis*

expun-

expungentium. Baronii & aliorum peſſima in hac cauſa fides, & calumniæ deteguntur. Pag. 353

XXI. *Argumentum adverſus Ignatiana XLI. Quod ſcriptor Chriſtum a ſe poſt reſurrectionem in carne viſum affirmet. Quod de Ignatio falſum eſſe liquet ex Chryſoſtomo diſerte id negante. Argumentum XLII, XLIII, XLIV. Quod idem Salomonem judicaſſe de mulieribus anno ætatis* 12. *Ioſiam anno ætatis* 8. *idola excidiſſe; ſtellam quæ Magis præïvit, lumen ſuum extendiſſe ſuper vel ſupra omnia,* &c. *Chriſtum item poſt reſurrectionem bibiſſe affirmet; quæ partim liquido falſa, partim dubia & incerta, non adeo ab Epiſcopo & Martyre Ignatio aſſeveranda.* 360

XXII. *Argumentum adverſus Ignatiana XLV. Quod ſcriptor affirmet quoſdam ſui ævi hæreticos Euchariſtia abſtinuiſſe; id de Ignatiano ævo parum eſſe veriſimile, idque videri ſenſiſſe interpolatorem, ideoque tum hunc locum ex ſua editione eraſiſſe. Argumentum XLVI. Quod ſcriptor rem ab omni veri ſpecie plane abhorrentem dicat, nimirum in Romanorum poteſtate atque arbitrio ſitum fuiſſe Ignatium paſſione, ad quam erat damnatus, liberare.* 366

XXIII. *Argumentum XLVII, XLVIII. Quod ſcriptor Vxores vetat ſuos viros proprio nomine appellare; item quod ad Ioannem ſcribat multas Mulieres cupere B. Virginis ubera tractare, quod utrumque Martyris vel gravitate, vel pudore parum dignum videtur. Argumentum XLIX. Quod idem hæreticorum nomina, tametſi nulla ſe editurum profeſſus, non pauca tamen edit; quod Martyris conſtantiam & veracitatem minimè decebat. Id vero interpolatoris eſſe crimen. Argumentum L. Quod ſcriptor ſe ad Epheſios libellum iterum ſcripturum pollicetur; quod Martyris rebus ac temporibus non convenit, eoque fuit ab interpolatore ex Epiſtola prudenter reſectum.* 370

XXIV. *Argumentum adverſus Ignatianâ LI. Quod ſcriptor ſe quædam de Angelis ſcribere poſſe glorietur, adeo ſublimia, ut Trallianos ſtrangulatura ſint. Reverendiſſimi Vſſerii gloſſæ* παρερμηνείας *refelluntur. Argumentum LII. Quod ſcriptor Martyris nomen vivens ſibi aſſumat. Argumentum LIII, LIV. Quod & Polycarpum, & Ioannem Apoſtolum minus quam decebat, honorifice in Epiſtolis ad eos ſcriptis habuit; quæ omnia a Martyris modeſtia, atque humilitate*

aliena eſſe videntur. 372

XXV. *De ſcriptoris dictione, & tum de ſingulis nominibus, tum de orationis ex iis contextæ idea. Argumentum adverſus Ignatiana LV. Quod diverſiſſima Epiſtolarum, non modo aliarum ab aliis, ſed interdum etiam ſingularum a ſe ipſis oratio, diverſos fuiſſe earum auctores apertiſſime arguit. Argumentum LVI. A præfixo omnibus Epiſtolis Theophori cognomento, quod fictitium & a fabella ortum contra Reverendiſſimi Uſſerii exceptionem oſtenditur. Argumentum LVII. Quod ſcriptor contra Apoſtolorum & Apoſtolicorum Virorum conſuetudinem* ἱερέα *pro presbytero,* ἀρχιερέα *pro Epiſcopo dicit. Refellitur doctiſſimi Hammondi duplex vitiligatio. Eundem Papam dixiſſe pro Epiſcopo, quod vetus eſſe & ab ipſis Tertulliani temporibus uſitatum demonſtratur. An ante Tertullianum uſitatum fuerit, incertum eſſe.* 377

XXVI. *Argumentum LVIII. idque palmarium; Quod ſcriptor præter Apoſtolorum, & Eccleſiaſticorum ad a. D. 200. ſcriptorum conſuetudinem Epiſcopum & Presbyterum, illum de primi, hunc de ſecundi gradus ſacerdote ſemper ac conſtanter, nunquam aliter dicat; quod arguit hominem diu poſt ſecundum Chriſtianiſmi ſæculum vixiſſe. Hammondi effugium præcluditur.* 386

XXVII. *Argumentum adverſus Ignatiana LIX. Quod ſcriptor vocabulum* αἱρετιώτης *uſurpet; ejus vocabulorum formæ, quæ diu poſt Martyris ævum inventa eſt. Argumentum LX, LXI, LXII. Quod ſcriptor ad pompam nominibus vel nove, vel poëtice compoſitis affatim utatur. Hammondi ſolutiones refelluntur. Quod nomina & verba, vel novo, vel poëtico ſenſu uſurpet. Quod vocabula mirifice inter ſe nectat & componat; unde ſenſus exiſtunt obſcuriſſimi. Fides caro Chriſti. Charitas, ſanguis Chriſti. Carnalis & ſpiritualis, reſurgere in vinculis, Spiritum Sanctum funi comparat, crucem machinæ. B. Mariam vocat ſacratiſſimum monſtrum. Smyrnæos ſalutat in Chriſti carne & ſanguine, &c. Ea omnia pueriliter putideque affectata videri; & a Martyris ad paſſionem ſeſe comparantis ſtatu & animo aliena.* 405

XXVIII. *Argumentum adverſus Ignatiana LXIII. Quod in iis manifeſta ſit ſcriptoris* κακοζηλία *quaſdam Pauli voces & phraſes cupide ad hoc affectantis, & crebro uſurpantis, ut homo Apoſtolicus videtur.*

videatur. Id in verbo ὀναίμην *obſervatum, ſemel a Paulo a ſcriptore ſexcenties vſurpato. Item in* ἀντίψυχος *&* ἀντίψυχον *ex Pauli* ἰσόψυχος *ductis.* Pag. 410

XXIX. *Argumentum LXIV. Ab altero cacozeliæ genere dictum, quo ſcriptor Pauli ſenſus, ſed plærumque putide æmulatur. Vt, quod Paulus alicubi dixit ſe minimum eſſe Sanctorum, id iſte pene in omnibus poſuit Epiſtolis. Item, quod Apoſtolus ait ſe quædam* ἄῤῥητα *audiviſſe; quod idem dicit ſe Corinthiis lac, non eſcam dare; & veniam ironice ab iiſdem poſcit, quod iis peperciſſet; ea ſcriptorem cupide quoque uſurpaſſe,* συγγνωμονεῖν. 413

XXX. *Argumentum LXV. Quod ſcriptor ſuis Epiſtolis inſcriptiones præfixerit mirificas, Lacinioſas, inconditas, prodigioſæ longitudinis, præter omnium antiquiſſimorum Sanctorum uſum, ut Clementis, Polycarpi, Smyrnæenſium, Lugdunenſium, Cypriani, Cornelii, Firmiliani, &c. tametſi id quoque pravo Pauli imitandi ſtudio feciſſe videatur. Inde quoque profectum eſſe, quod duo quædam quæ ab Ignatio dicta aliunde didicerat, ſuis Epiſtolis inſerverit; & Viduas Dei altare Polycarpi exemplo dixerit. Omnia ad Archaïſmum & Ignatianiſmum ſimilandum comparata.* 415

XXXI. *Argumentum adverſus Ignatiana LXVI. Idque ultimum. Quod ſcriptor eadem omnibus Epiſtolis, & quidem interdum iiſdem, perpetuo* βαττολογεῖ; *neque fere quicquam ſemel dicat. Quod a ſanctiſſimi Martyris ſapientia & gravitate alienum videtur.* 421

XXXII. *Solvuntur argumenta diſſentientium. Solvitur Argumentum pro Ignatianis I. a Polycarpi teſtimonio petitum. Oſtenditur verba allata, & Polycarpo ſubdita atque afficta eſſe, neque ſi vere Polycarpi eſſent, Ignatiana iſta, quæ hodie circumferuntur, quicquam juvare. Refelluntur ſigillatim quatuor doctiſſimi Hammondi ex iis conſectaria.* 425

XXXIII. *Solvitur Argumentum pro Ignatianis II. ex quibuſdam Irenæi verbis, perperam & invalidè ad Ignatianas Epiſtolas detortis ductum. Reverendiſſimi Vſſerii de hujus teſtimonii infirmitate confeſſio.* 433

XXXIV. *Solvitur Argumentum pro Ignatianis III. ex duobus Origenis locis objectum. Demonſtratur libros, e quibus uterque locus laudatur, eſſe incerti auctoris, Latini potius, quam Græci, eoque*

nequaquam Origenis. Pagina 438

XXXV. *Solvitur Argumentum pro Ignatianis VI. Ab Euſebii auctoritate petitum. Oſtenditur ejus teſtimonium utpote hominis ducentis annis Ignatio recentioris nullam vim habere. Tum ejus opinionem & iis niti, quæ apertiſſime falſa ſunt, & per principia alibi ab ipſo poſita, evidentiſſime refelli, atque everti. Ex Euſebianis pendere Hieronymi de Ignatianis dicta. Athanaſium vero & Theodoretum, & cæteros qui Ignatianis contra Hæreticos uſi ſunt; eorum veritatem ſuppoſuiſſe, veluti ab Euſebio conſtitutam in eam non ultra inquiſiviſſe, adeoque fruſtra eos nobis objectari. Sæpe citari libros eorum qui vulgo auctores putantur nomine, etiam ab iis, qui eos Apocryphos putant. Salmaſium & Blondellum ea de re a doctiſſimo Hammondo immerito eſſe pulſatos. Chryſoſtomum Ignatiana, quod oratione in Ignatium panegyrica tacet, eo ipſo ſatis aperte ea abdicare.* 441

XXXVI. *Licere a Patrum judicio diſcedere quoties ii a veris diſcedunt. Diſſentientes falſo ſibi Patrum omnium conſenſum hac in cauſa vindicare. Eorumdem dictum quod* argumentotum Dialecticorum myrias contra unius viri boni teſtimonium prævalere non poſſit, *expenditur, & refellitur. Cur hoc quod mirificum eſt, & in ſpeciem abſurdum, poſuerint? Nimirum quod ſibi conſcii ſint ſuam hanc omnem cauſam uno Polycarpi teſtimonio niti, ſed eo & incerto & ambiguo.* 447

XXXVII. *Occurritur invidiæ, qua nos immerentes obruere ſtudet doctiſſimus Hammondus, Veluti Patres omnes floccifaciamus, quod paucorum ex iis de Ignatianis judicia veris deprehenſis poſt habeamus. Id & licere nunc, & ſemper licuiſſe, abſque ulla eorum quibus vera anteferimus, injuria.* 456

XXXVIII. *Concluſio totius diſputationis; verum eſſe Nicephori de Ignatianis judicium. Quo tempore utraque Ignatianorum Sylloge prodierit; & quo conſilio ab impoſtoribus procuſa ac procurata ſit.* 460

XXXIX. *Cenſura libri de Cardinalibus operibus Chriſti, qui vulgo Cypriani nomine circumfertur. Variis argumentis demonſtratur librum primo quidem non eſſe Cypriani; ſecundo vero eſſe nongentis poſt Cypriani mortem annis ſcriptum in noſtra Gallia ab Arnaldo Bonæ-vallis Abbate, Bernardi diſcipulo, & Hadriano P. R. IV. inſcriptum*

ptum. Pagina 466

XL. *De Libris Origenis Latine a Ruffino Aquilienſi interpretatis. Ruffinum Latine vertiſſe Origenis libros* περὶ ἀρχῶν, *& expoſitionis in Epiſtolam ad Rom. libros decem. Eundem quoque (non autem Hieronymum) interpretatum eſſe ejuſdem Origenis Homilias in Geneſim, in Exodum, in Leviticum, in Numeros, in Deuteronomium, in Ioſuam, & in Iudices, quæ nunc Latine tantùm extant. Ruffinum eſſe peſſimæ fidei interpretem ex Euſebiana ejus verſione apparere. In illis autem Origenicis plurima paſſim immutaſſe, nonnulla detrahentem, quædam adjicientem, ſingula ad Latini lectoris guſtum temperantem proba ur primo ex ejus proprio de his ſuis verſionibus teſtimonio. D. Petavii de eodem judicium.* 474

XLI. *Iuſtiſſima Eraſmi ad hanc Ruffinianæ interpretationis rationem indignatio. II. Argumentum, Ruffini in Origenicis interpretandis flagitia convincuntur ex quorumdam locorum, quæ Græce ut ab Auctore ſcripta ſunt, in Philocalia habentur, cum Ruffiniana interpretatione. Ioann. Tarini in aliquot ejus loca animadverſiones id ipſum confirmant. Loci Græci ex hom. in Ioſ. 20. cum Ruffinianis parallelìſmus.* 479

XLII. *Argumentum Ruffinianæ in Origenicis fidei III. inde ductum quod plurima in iis immiſcuerit, quæ ab auctoris. 1. traditione. 2. eruditione. 3. more. 4. lenitate ac verecundia. 5. ævo. 6. linguæ evidenter aliena ſunt.* 487

XLIII. *Concluſio; Ex iis, quæ in Ruffinianis leguntur certo non colligi Origenis ſenſum, non ideo tamen abjicienda Ruffiniana; ſed in iis quæ Ruffini ſunt ab Origenis ſecernenda. Quî id fieri poſſit.* 493

XLIV. *Superior de diſcernendi, Ruffinianis ab Origenicis regula duobus exemplis illuſtratur; priori de Quadrageſima, altero de Sanctorum invocatione quæ a Ruffino Origenicis inſerta utraque eſt.* 496

INDEX
AVCTORVM, RERVM, ET VERBORVM.

A.

Abeddadan, quis & unde ſumptus 353.
Abrahæ Eckellenſis error. 42.
Ἀδελφόθεος, vox nova. 166.
Ado 72. 90.
Aërius 22. 276.
Agatho P. R. 197.
Ἀγγελικῇ ἐποθεσίᾳ 373.
Ἅγιος, etymon ridiculum. 489.
Αἱρεσιώτης hæreticus, nove ductum. 404.
Albaſpineus 142. 204. 315. 334.
Albertinus. 109. 110. 134. 156. 188.
Albertus Stadenſis. 99.
Altaria non fuerunt ab initio Chriſtianiſmi. 146. 147. 490.
Alvares, itinerarium Æthiopicum. 274.
Ambroſius 165. commentarii in Paulum, qui ab ann. 800. ejus nomine circumferuntur, non ſunt tamen ipſius 209.
Anaſtaſius { Nicænus. 327.
Sinaïta 41. 187. ejus ætas. 187.
Bibliothecarius. 34. 56. 68. 165. 189. 244. 380. }
Angelorum hierarchia. 12. non eſt a Paulo. 159.
Annius Viterbienſis, Beroſum falſum edidit. 223.
Antoninus. 100.
M. Antonius 121.
Apocryphi libri, qui & unde dicantur. 244. 245. 246.
Apollonius. 328.

Apoſto-

Apoſtolorum { Canones. 324, 421.
Conſtitutiones. 163. 234. 235. *&c.* 315. 327. 353. }
Argumentum negans valet. 47. 48. 257. 254.
Ariſtides, Athen. ejus de Dionyſio verba, adulterata. 88. 89.
Ant. Arnaldus. 469.
Arnobius. 147.
Arnoldus Carnotenſis. 469. Ejus opera. 470. Elocutio. 470. 471. Is auctor libri de Cardin. operib. Chriſti. 469. ad 474.
Arruntius. 411.
Artemon hæreticus. 9.
ἀρχαῖος 136.
ἄρχειν de Epiſcopatu 408.
ἀρχιερεὺς pro Epiſcopo, novum. 384.
Athanaſius 184. 232. 265. 321. 322. 323. 445. Non ſunt ejus Quæſtiones ad Antiochum. 35. 36.
Athenagoras Athenienſis. 146.
Athenæus. 140.
Auguſtinus. 7. 13. 14. 48. 145. 305. 328. 449. Falſo ei tribuitur ſingularis Soliloquiorum liber. 180.

B.

Balſamon. 282.
Baptiſmi cærimoniæ, novæ in Chriſtianiſmo. 143. 144. 145.
Baronius 48. 67. 77. 78. 80. 103. 107. 113. 165. 168. 187. 188. 189. 209. 210. 220. 239. 245. 283. 310. Refellitur 28. 29. 35. 36. 39. 40. 41. 43. 97. 113. 134. 153. 285. 291. 292. 314. 316. 331. 358. 359. immaniter fallitur de Dionyſianis. 196. Item de Ignatianis. 314.
Barradius Ieſuita. 280.
Bartholomæi ῥῆσις fictitia. 157.
Baſilidis hæreſiarchæ ævum. 285. 288.
Beda. 7. 72. 91. 197. 276. 391. 448.
Bellarminus. 2. 21. 23. 26. 35. 45. 91. 181. 209. 239. 253. 265. 333. 366. 452. Refellitur. 47. 48. ad 58. & 187. 188. ſibi ipſi contradicit. 203. peſſime de Dionyſianis, 206. 207. neque fœlicius de Igna-

de Ignatianis judicat. 229.
Beza. 359.
Billius. 182.
Binius. 333.
Bivarius. 77. 116. 117.
Blondellus. 36. 241. 296. 445. 450.
Ioannes-maria Braſichell. 239.
Breviarium Romanum. 420.
Buxtorfius, filius. 166.

C.

Cæſarius, Græcus ſcriptor. 14
Cajetanus. 39. 186. 202.
Callimachus. 1486.
Calvinus. 242. 359.
Lud. Cappellus. 118. 132.
Cardinalis, vocabulum. 466.
Carolus Magnus. 209.
Caſaubonus. 119. 165. 169. 171. 208.
Caſſander. 203. 209.
Caſſianus. 448.
Caſſiodorus. 475. 476.
Chriſtoph. a Caſtro. 240. 356.
Chalcidius in Timæum Plat. 365.
Chamerius. 359.
Chaumont. 46.
Cherubim etymon. 165.
Chiliaſtæ. 11.
χρηματολαίλαπες. 406.
Chriſtus quo ætatis anno ſit mortuus. 282. qua diei hora reſurrexerit. 282. 283. Chriſtum anima carere blaſphemia eſt Arrianorum, 337.
Chronicon Alexandrinum. 433.
Chryſoſtomus. 7. 147. 165. 322. 361. 390. 404. 420. 446. Epiſtolas tacet in laudatione Ignatii panegyrica. 446. Ei falſo tribuitur

buitur homilia de Pſeudo-prophetis. 36. 37. 38.

Cicero. 121.

Clemens
- Romanus. 418. ejus tempora. 309.
- ejus epiſtola ad Corinthios. 5. 8. 394. 437. reperta & edita. 57.
- altera ejus epiſtola, notha. 444.
- Alexandrinus. 5. 121. 134. 165. 183. 281. 285. 289. 311. 325. 396.

Clemens a Pſeudo-Dionyſio laudatus, quis fuerit. 133. 134.

Coccius. 1108.

Cocus, de libris Patrum ſinceris & nothis. 242.

Collatio Catholicorum cum Severianis. 31.

Compoſitiones verborum mirificæ. 174. 176.

Concilia.
- Laodicenum. 324.
- Calchedonenſe. 149. 167.
- Trullanum. 149. 251. 334.
- Nicænum 2^m. p. 187.
- CP. vniverſale. 5. p. 196.
- CP. vniverſale. 6. 197.
- Florentinum. 152.
- Tridentinum. 151.
- Lateranenſe ſub Martino P. R. 189.
- Pariſienſe ſub Ludovico Pio. 209.

Copiatæ, qui ſint. 313. 314.

Copus, 103.

Corderius in Dionyſ. 151.

Cornelius P. R. 150. 419. Falſo ei tribuitur epiſtola quæ ejus prima dicitur. 500.

Cyprianus. 9. 163. 419. non eſt ejus liber de Cardinalibus operibus Chriſti 466. ad 469. Sed Arnoldi Carnotenſis. 469. & ſeqq.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 13.

D.

Dagoberti geſta. 98.

Decimarum lex ſtat adhuc judice Ruffino. 489.

Delrio. 35.
Dextri Chronicon ſuppoſititium opus. 93. 94.
Dionyſius { Halicarnaſſeus. 179. Corinthius. 1.7.80.81.256. falſo dicitur commentarios ſcripſiſſe in Areopagitica. 40.41. Pariſienſis, Areopagita recentior. 87. }
Dionyſius Areopagita, quo anno natus 76. paſſus ſub Domitiano. 66. 67. ad 89. non ſub Hadriano. 88. ad 95. quo ætatis anno 76. 77. bis mortuus ex Græcorum fabulis. 98. Affićta ei opera. 2. 3. ignota Irenæo. 8. 9. 12. Tertulliano. 9. 10. Dionyſio Alexandrino. 11. 26. Origeni. 13. 17. 18. Auguſtino. 13. 18. 23. Athanaſio & Nicænæ Synodi defenſoribus. 32. 25. Epiphanio. 23. Cyrillo Hieroſolymitano. 13. Syris veteribus. 15. Euſebio. 17. 19. 25. 26. 27. Cyrillo Alexandrino. 24. 33. Theodoreto. 24. Leoni, Caſſiano, Gelaſio, Vigilio Afro. ibid. Gennadio. 25. 26. omnibus antiquis. 32. 34. non occultata ab Arianis. 64. 65. neque Iuvenali Hieroſolymitano nota. 46. ab hæreticis a. D. 532. primum objećta. pag. 31. a Catholicis rejećta. ibid. etiam hodie a multis Latinis. 199. 200. ea mendacii convincuntur. 101. Pſeudo-Dionyſii in iis fingendis conſilium. 223. 224. orationis, qua uſus eſt, idea. 177. 179.
Docetæ, hęretici non videntur Euchariſtiam abdicaſſe. 368.

E.

Eccleſia, etiam ſine Epiſcopo cenſetur. 318.
Epiphanius. 22. 276. 288. 289. 300. 331.
Epiſcopi & Presbyteri nomina olim promiſcue ad tertium uſque ſæculum habita. 388. 398. Epiſcopi tertio ſæculo adulto a prima ſimplicitate deflećtere cœperunt. 462.
Epiſcopatus in Eccleſia non eſt plane neceſſarius. 273. 274. 275. 318.
Ἐποψία de Apocalypſi dierum. 172.
Eraſmus. 200. 479. ejus locus ab Expurgatoribus Hiſpanis era-

nis eraſus. 201.
Eſſeni Philonis Iudæi, non Chriſtiani. 448.
Eſtius. 119. 390.
Euchariſtia infantibus tinctis ſtatim data olim. 151. non videtur ab hæreticis abdicata. 368.
Euſebius Cæſarienſis. 1. 7. 11. 25. 26. 41. 48. 57. 61. 81. 83. 102. 103. 133. 149. 158. 231. 256. 289. 338. 339. 341. 367. 376. 425. 435. 441. 462. Lapſus eſt Eſſenos Chriſtianos putans. 448.
Eutychius, Alexandrinus Epiſcopus. 273.
Expurgatores librorum Hiſpani. 201. 216.

F.

Fabulæ, etiam gratis fictæ. 222. 223.
Mich. Le Faucheur. 167.
Faventinus. 200.
Feſta, res nova in Chriſtianiſmo. 319. 325. 490.
Filius Dei male *eſſentia genita* dicitur. 335. male negatur Deus ſuper omnia. 335. non eſt natura Pontifex. 336.
Firmilianus. 285. 397.
Fons baptiſmalis. 170.

G.

Gagnæus. 390.
Theodor. Gaza. 200.
Gelaſius P.R. 158. 245. 265.
Gellius. 119.
Gennadius Maſſil. 30. 476.
Glycas. 132.
Gnoſtici nulli fuerunt Apoſtolorum temporibus. 433. ante Valentinum, qui? 301. 302.
Goar. 243.
Godellus. 205.
Godignus. 274.
Græcorum Anthologium & Menæa. 379.

Gregorius { Nazianzenus. 182. 183. Nyſſenus. 282. 327. Turonenſis. 87. 91. Romanus P. R. { I. 186. 197. 218. III. 276. }

Gul. Grocinus. 200.

Grotius. 361. refellitur. 362.

H.

Hadriani, P. R. 4. hiſtoria. 470.

Hæretici Cyrillo Alex. libros ſupponunt. 45.

Halloixius. 27. 37. 40. 77. 91. 114. 120. 159. varia ejus commenta, refelluntur. 58. 59. ad 65. 71. 182. & 103. 104. 106. 148. 208. 209. 213. Refellitur ejus gloſſa 322. judicium de Ignatio. 229. ſomnium de expilatis a Clemente Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno Areopagiticis. 182. delirium de Paulinæ & Auguſtinianæ dictionis cum Areopagitica conformitate. 180. & in S. Timotheum calumnia. 125. 126. & ſeqq. & in Grocinum petulantia. 200. Is audax in mutandis auctorum ſcriptis. 416. magnus Origenis defenſor. 108. 115. 116. qua fide vitam Dionyſii ſcripſerit. 219. eſt omnino φιλόμυθος ibid.

Hammondus. 242. 244. 247. 249. 253. 272. 290. 297. 299. 308. 327. 346. 365. 383. 389. 391. 392. 393. 394. 397. 398. 406. 425 433. 446. paulo iniquior Salmaſio & Blondello. 448. refellitur. 352. 456. magnus Pſeud-Ignatianorum admirator ac defenſor. 436. 440.

Hermas. 397. Apocryphus. 248. 457. nihilominus citatus jam olim a Patribus. 279.

Heſychius Grammaticus. 139.

Hierarcha, pro Epiſcopo, novum. 170.

Ἱερεὺς pro presbytero, novum. 171. 383. itidem ἱερωσύνη pro presbyteratu. 385.

Hieronymus. 19. 22. 27. 29. 30. 41. 74. 81. 83. 84. 86. 92. 102. 103. 148. 218. 273. 276. 282. 283. 289. 338. 390. 420. Ejus non eſt,

eſt, ſed Ruffini Præfatio in commentarium Origenis in epiſtolam ad Rom. 475.
Hierotheus, heros in Areopagiticis fictus, nihil aliud quam ipſe Pſeudo-Dionyſius. 152. 153. 154. 155.
Hilduinus. 98.
Hincmarus. 99. 199. 209. 456.
Hippolytus. 80.
Holſtenius. 93.
Honorius Auguſtodunenſis. 232.
Hypatius Epheſinus Epiſcopus Areopagitica damnavit. 31. 32. 184. 197.
Ὑποφήτης pro Propheta, frigidum. 172.
Hypoſtaſis vocabulum. 22.

I.

Thom. Iameſius. 469.
Iejunia ſtata, ut 4æ & 6æ feriæ, nulla fuerunt in Eccleſia Apoſtolica. 328.
Ieſuitę diſcipulos inſtituunt ad fabulas belliſſime agendas. 215. Eorum Epiſtolæ Æthiopicæ. 215.
Ignatius Chriſtum in carne non vidit. 361. 379. Theophori cognomen jam dudum mortuus, nactus eſt; vivens, non geſſit. 379. Cur Græci eum ita vocaverint. ibid. Præclaræ ejus voces cum eſſet beſtiis objiciendus. 420. 435.
Ignatii Acta. 382. 435.
Ignatio affictæ epiſtolæ quæ & quot ſint. 226. valde laudatæ a Baronio. 227. 228. variis doctorum judiciis vexatæ. 227. 228. duæ eorum editiones. 2a corruptiſſima, & Conſtitutionum Apoſtolicarum gemina. 231. 232. ad 237. prior, noviſſime reperta antiquior & melior. 233. 234. Ejus tempus & conſilium. 460. 461. editionis ſecundæ tempus item & conſilium. 464. Vtraque editio notha, non verus veri Ignatii fœtus. 240. 241. Epiſtolæ jam nono ſæculo a Nicephoro CP. Epiſcopo damnatæ. 243. & ſeqq. ſecundi ſæculi Patribus ignotæ. 257. ut Irenæo. 258. ad 269.

270. ut Romanis & Aſianis tum de Paſchate contendentibus 270. Alexandrinis item & Ægyptiis & Æthiopibus, & Ionenſibus Scotis, & Baioariis Germanis. 272. 273. & ſeqq. ad 276. ut Epiphanio. 276. 277. Tertulliano. 277. 278. & cæteris illius ævi Catholicis. 278. 279. 280. Caio. 280. 281. Clementi Alexan. 281 Origeni, Lactantio &c. 281. ad 285. Auctorem epiſtolæ ad Philadelph. ſcripſiſſe in ea Paulum fuiſſe conjugatum, neque vitiatum eſſe locum. 355. 356. 358.
Innocentius P. R. I. p. 330.
Interpretationes veterum ſcriptorum a junioribus mala fide factæ, periculoſæ. 477. Nihil certi ex iis poſſe colligi de auctorum fide. 493. 494.
Ioannes Darenſis Ep. 42.
Ioſephus. 165.
Irenæus. 8. 12. 61. 103. 113. 144. 299. 301. 303. 311. 395. 434.
Iſidorus Peluſiota. 147.
Iudaïzantes tolerati in Eccleſia primitiva. 320.
Patric. Iunius. 57.
Iuſtinus. 144. 325. 326.
Iuſto affictum a Pſeudo-Dionyſio ſcriptum. 157.

L.

Lactantius. 282.
Latinorum in veterum libros immanis licentia. 107.
Ioan. Launoy. 33. 67. 87. 91. 97. 205. 255.
Kilian. Leibus. 312.
λειτυργὸς pro diacono. 171.
Leontius Byzantinus. 187.
Leopardi, militum ordo. 313.
Leſſius. 214. 220.
Liberatus Archidiaconus. 43. 185.
Librorum veri, qui veteres diu latuerant, auctores aliquando a poſteris inventi. 456.

Lindanus.

Lindanus. 474.
Lombardus. 313.
Lucretius. 63.

M.

Mæſtræus. 229. 239. 357. 311. 361. 380.
Magdeburgenſes Centuriatores. 242.
Maldonatus. 165. 209. 283. apud B. Mariam Virginem Hieroſolymitanus Apoſtolorum conventus fabuloſus. 131. Mortis B. Mariæ tempus. 315. 316.
Ioan. Mariana. 218.
Martyrologium Romanum vetus. 79. inſignis in eo error. 93. novum Baron. 78. 85. 97.
Matthæus Veſtmonaſterienſis. 100.
Matthiæ ad Apoſtolatum ſortitio. 158.
Maximus Monachus Areopagiticorum Scholiaſtes. 41. 42. 56. 68. 69. 96. 111. 113. 133. 138. 158. 190. 191. 193. Martino P. R. auctor fuit cogendæ Synodi. 189.
Medina. 356.
Menochius. 390.
Menologia Græcor. 167.
Methodius. 97.
Milletus Areopagiticus. 90. 91.
Mindes de rebus Æthiopicis. 274.
Minutius Fœlix. 147.
Miræus. 94. 196. 476.
Mirandulanus, Ioan. Franciſcus Picus. 200.
Monachatus, res in Chriſtianiſmo nova. 148. 150. Nominis Etymon. 150. Non eſt ab Apoſtolis. 161.
Monialium Syſtemata nulla olim apud Chriſtianos. 314.
Ioan. Morinus. 7. 10. 11. 14. 21. 22. 36. 40. 43. 65. 76. 87. 104. 111. 113. 115. 123. 129. 130. 137. 150. 155. 158. 165. 166. 169. 206. 213. 224. mirifice de Ignatianis judicar. 241. 242.
Ant. Mornacus. 205.
μύρυ τελετὴ nuſquam apud Apoſtolos, neque res neque nomen. 193.

N.

Nancelius. 229.
Naturæ vocabulum. 407.
Nazaræorum Evangelium Hebræum. 339.
Νέος νεότης. 119.
Nicephorus CP. Epiſcopus. 163. 187. 243. Pſeud-Ignatium rejicit ad Apocrypha. 315. & Polycarpi epiſtolam. 426.
Nicephorus Calliſti. 46. 316.
Nicetas Choniates. 41.
Nicolaus diaconus. Nicolaïtæ Pſeudo-Nicolaitæ. 310.
Nicolaus P. R. I. 198.

O.

Oecumenius. 390. 391.
Oleum mortuorum apud Græcos. 151.
Oneſimi Epheſ. Ep. tempora. 316. An duo fuerint illius nominis, ac ciuitatis, ejus denique pæne temporis Epiſcopi. 131.
Ordericus Vitalis. 6.
Ordines Eccleſiaſtici 3° ſæculo. 150. Ordines Minores, novi. 313.
Origenes. 13. 18. 57. 105. 113. 133. 147. 325. 339. 359. 367. 438. 462. 481. Apocryphis crebro utitur. 453. a poſteris varie habitus; ſummo aliorum odio, aliorum ſtudio. 474. Philocalia ex eo excerpta. 480. 481. ejus opera vel abolita, vel interpolata, fere omnia 474. 475. Quæ Latine tantùm extant, plæraque a Ruffino peſſima fide corrupta. 475. & ſeqq. ad finem libri. Quædam ejus loca a Ruffino interpolata. 490. 491. 492. Origenicis a Ruffino corruptis abuti Latinos. 494. Duo ejus rei exempla; prius de jejuniis. 496. 497. alterum de Sanctorum invocatione. 498. 499. 500. Vere Origenica a Ruffinianis diſcernendi ratio ac modus. 495.
Non ſunt Origenis, ſed hominis Latini homiliæ in Lucam 439.

439. 443. neque homilia ſecunda de diverſis 40. neque homiliæ in Cantic. Canticor. ut ut a Latinis pro veris laudentur. 108. 438.
Oroſius. 117.

P.

Pachymeres. 133. 138. 151.
Παλαιὸς παλαιότης. 138. 139.
Papæ vocabulum. 385.
Papias. 11. 339. 395.
Parkerus. 242.
Paſcha non eſt ab Apoſtolis inſtitutum. 319. diverſe obſervatum ad Conc. Nicæn. 321. 322.
Patres veritati poſthabendi. 456. ad 459. Eorum vetuſtiſſimos non ſolas ſcripturas citare. 61.
Patripaſſiani hæretici. 291.
Paulum conjugatum fuiſſe nonnulli putarûnt. 359. falſo. 354.
Pauli P. R. epiſtola ad Pipinum. 197.
Pereſius. 48. 500.
Petavius. 14. 35. 70. 87. 94. 143. 165. 186. 204. 229. (L. L.) 332. ejus de Sige gloſſa refellitur. 304.
Petri doctrina, liber Apocryphus. 339.
Phavorin. lexicon. 139.
Philoſtorgius. 39.
Photius. 68. 96. 193. 194. 195. 220. 243. 289. 425. 429.
Ioann. Piſcator. 359.
Pius. E. R. I. 397.
Plurali numero unum alloqui inuſitatum Græcis. 131.
Plutarchus. 57.
Pœnitentium ordo in certas claſſes diſtributus nondum fuit primis Chriſtianiſmi temporibus. 143. quibus pœnitentia plane excluſi criminoſi. 315.
Polybius. 119.
Polycarpus paſſus valde grandævus. 78. Martyrii ejus Acta. 418. Ejus epiſtola. 8. 395. 421. 425. rejecta a Nicephoro

CP. 426. Certe ſuppoſita & afficta videtur clauſula quæ de Ignatio ad hujus epiſtolæ calcem legitur. 427. 428. 429.
Pontificale Romanum. 164.
Poſſevinus. 35. 40. 195. 356.
Praxeas hæret. 10. 279.
Primaſius. 390.
Proſper Fœſulanus fictus ab Inghiramio. 222.
Prudentius Ep. Tricaſſ. 209. 456.
Publius, Dionyſii Areopag. ſucceſſor. 81.

Q.

Quadratus Publii Athen. Epiſcopi ſucceſſor. 81. Orationem pro Chriſtianis ad Hadrianum ſcribit. 81. 82.
Quadrageſima primis Chriſtianis ignota. 314. 328. 490. 497. 498.

R.

Ratbertus Paſcaſius. 99.
Regum ſumma poteſtas in & ſupra Epiſcopos. 318.
Remigius Lugdunenſis. 209.
Rhenanus. 202.
Cœl. Rhodiginus. 203.
Ribera. 186.
Rigaltius. 301.
Roſueidus. 91.
Ruffinus. 475. peſſimæ fidei interpres. 475. 476. Origenis quæcumque vertit, miſere vitiavit. 476. 481. & ſeqq. ut eorum auctor potius quam interpres ſit cenſendus. 477. 484. ea de re Petavii confeſſio. 477. & Eraſmi querelæ. 479. & Tarini. 484. exempla & ſpecimina. 481. 482. 483. 485. 485. 487. Ille plurima immiſcet Origeni ab eo aliena. 487. exempla ibid. 488. 489. 490.

S.

Emmanuel Sa. 390.

Sabbatum

Sabbatum non eſt obſervatum in prima Eccleſia. 326. poſtea a Græcis obſervatum ibid. 327.
Sabbati jejunium novum in Chriſtianiſmo. 329. 330.
Sacramentorum arcanum nondum fuiſſe obſervatum primis ſæculis. 142 490. 491.
Sadducæi Moſem unum admittebant, cæteras Scripturas repudiabant. 439.
Salmaſius. 241. defenſus contra Hammondum. 249. 250. 251. 445.
Salmero. 209.
Salvianus. 473.
Sanctius. 15. 364.
Saturninus. 291.
And. Schottus. 69. 194.
Scripturæ N. T. canon quando clauſus. 101. 102.
Seneca. 410.
Seraphim, etymon. 166.
Sibyllina, ficta. 450.
Sige Valentinianorum. 295. 296. non aliorum ante eos hæreticorum. 298. ad 302.
Sigebertus. 187. 188.
Simoniani, a Chriſti etiam nomine alieni. 367.
Sirmondus. 6. 67. 73. 79. 86. 87. 97. 99. 204. 245.
Sixtus Senenſis. 35. 40. 439.
Rich. Smith. 357.
Sophronius Hieroſolymitanus Ep. 195. Ejus dictio. 196.
Sozomenus. 448.
Spartianus. 83.
Stella quæ Magis præluxit. 365.
Strabo. 57.
Suares. 240.
Symeon { Martyr. a. 120. ætat. 78.
Metaphraſtes. 97. 379. 435. fabuloſus. 416. ejus tempora. 379. 380. }

T.

Ioann. Tarinus. 480. 484.
Templa proprie dicta, nulla primis Chriſtianis. 147.
Tertullianus. 9. 10. 61. 144. 146. 163. 228. 248. 277. 278. 279. 300. 301. 308. 311. 318. 326. 328. 368. 385. 457.
Thaddæi, apocrypha. 338.
Theclæ acta Paulo ſuppoſita. 221.
Theodades. 289.
Theodoretus. 93. 232. 265. 286. 299. 390. 446.
Theodorus patronus Areopagiticorum vetus. 68. 192. 193.
Theodos. Codex. 314.
Theodotus hæreticus. 289.
Id. an alius, Martyr. 93.
Theologus pro Apoſtolo. 172.
Θεοπάτωρ. nove· 166.
Θεοφόρος. 381.
Theophylactus. 390.
Therapeutæ nov. vocabulum. 149. 161. 171.
Thus in ſacris nullum priſcis Chr. 146.
Timothei præ Dionyſio dignitas. 121. 122. 123. virtus & laus. 125. 126.
Tirinus. 390.
Turrianus. 42. 312. 350. 356. 450.

V.

Valafridus Strabo. 143.
Valentinus ſectæ autor. 303.
Valeſius. 82. 93. 286.
Valla. 199. 200.
Vaſques. 15. 106.
Veritati nil præjudicat. 210.
Vicecomes. 144.
Vidua, Chriſti altare. 421.
Hier. Vignerius. 57.

Vincentius { Lirinenſis. 473. / Bellovac. 99.
Wittackerus. 242.
Voſſius. 97. 187. 243. 272. 314. 379. 380.
Vſſerius. 198. 232. 247. 250. 289. 312. 324. 327. 334. 335. 336. 339. 351. 355. 362. 366. 368. 380.

X.

Hier. Xaverius. 214. falſa quædam, vel incerta poſuit in Chriſti Hiſtor. 214. 215.

Z.

Zacharias, Baptiſtæ pater non erat Pontifex. 165.
Zonaras. 334.

IOANNIS DALLÆI
DE LIBRIS DIONYSIO
AREOPAGITÆ & IGNATIO Antiocheno Suppoſitis Adverſus Latinos

LIBER PRIMVS.

DE IIS QVÆ DIONYSII AREOPAGITÆ nomine circumferuntur.

CAPVT PRIMVM.

Quis fuerit Dionyſius, & quæ ab eo ſcripta dicantur opera. Ea falsò Areopagitæ Dionyſio tribui hinc primum in genere demonſtratur; quod ſiqua huiuſmodi vere ab Areopagita ſcripta eſſent ea trecentis a Domino in terris nato annis celeberrima futura erant; cum toto illo tempore noſtris planè penituſque ignota indicta, & innominata fuerint, quæ nunc eo nomine vulgata habentur.

DIONYSIVM AREOPAGITAM a Paulo Apoſtolo ad Chriſti fidem conuerſum, Athenienſis poſtea Eccleſiæ primum Epiſcopum fuiſſe ordinatum, nemo Chriſtianus dubitat; illud enim Lucas; [a] hoc Dionyſius Corinthius, vetuſtiſſimus Scriptor [b] tradidit. Cęterorum, quę de hoc viro perhibentur, longè diſpar eſt fides: quod de eius nomine variè luſerit poſterorum temeritas. Nam & Pariſienſes noſtri primum Chriſtianiſmi ſui Auctorem (tametſi eum Decio demum Impe-

a *Act.* 17. 34.

b *apud Euſeb. hiſt. l.3.c.9. extr. & l.4.c.23.*

CAP. I. rante A. D. 250. in Gallias veniſſe conſtet) tamen quod & ipſe Dionyſius vocaretur, finxerunt Areopagitam fuiſſe, vt majorem ſuæ Eccleſiæ antiquitatem conciliarent. Multo etiam grauius, atque periculoſius hominibus illuſit malè feriatus neſcio quis de quinto Chriſtianiſmi ſeculo artifex; quem non piguit aliquot de rebus diuinis opuſcula operoſiſſima fraude ſcribere; eaquè Dionyſij Areopagitæ nomine edere, ac venditare. Ac prioris quidem figmenti vanitatem ita claré atque proſpicuè nuper demonſtrarunt viri duo eruditiſſimi, Iacobus Sirmondus Ieſuita, & Ioannes Launogus, Sarbonæ Doctor, vt præter Monachos, auidum fabularum genus, & inuictæ aduerſus vera peruicaciæ, cæteri feré omnes Latinarum partium Theologi aſſentiantur; vel certè repugnare uix audeant. De Libris qui Dionyſij nomine circumferuntur, multo eſt maior, atque vehementior contentio. Sunt fateor, qui eos Areopagitæ aliena manu ſubditos fuiſſe, vel apertè ſcribunt, uel non obſcurè ſuſpicantur. Sed longè maior eſt aliter ſentientium turba. Bellarminus quidem recenſitis operibus, quæ Dionyſij huius nomine cenſentur, *viros Doctos & Catholicos* ſcribit, [c] *nihil, de ijs dubitare; Soli*, inquit, *hæretici Lutherani, & quidam Scioli, Eraſmus, Valla, & pauci alij, opera ſupra numeratæ negant eſſe Sancti Dionyſij Areopagitæ.* Ac huius quidem cenſuræ Bellaminianæ quæ ſit uel Veritas, vel Verecundia, poſteà expendemus. Nunc rem ipſam inſpiciamus; & utra verior ſit de illis, quæ Areopagitæ dicuntur, operibus ſententia; *Doctorumne & Catholicorum*, quos dicit Bellarminus, an verò, vt idem loquitur, *hæreticorum & Sciolorum*; Simpliciter, ac bona fide, abſque vllo animi uel ſtudio, vel præjudicio quæramus. Quod vt poſſit liquidiùs ac certiùs intelligi, in primis ob oculos conſtituenda ſunt ipſa, quæ Dionyſij ab his negantur, ab illis aſſeruntur, Areopagitæ opera. In hoc ergò cenſu vulgò habentur; primò de *Cœleſti hierarchia* liber; in quo nomen Angelorum ordines definiuntur, & explicantur. Tum alter de *Eccleſiaſtica hierarchia* Commentarius, qui omnes Epiſcopalis miniſterij functiones, formas, conſecrationes accuratiſſimè deſcribit. Sequuntur duæ diſputationes; prior de *diuinis nominibus*; altera *de myſtica Theologia.* Sunt & eiuſdem Scriptoris aliquot ad diuerſos Epiſtolæ; ad Gaium θεραπδυτὴν IV. ad Dorotheum λειτουργὸν I. ad Sopatrum ἱερέα I. ad Policarpum ἱεράρχην I. ad Demophilum θεραπευτὴν I. ad Titum Cillum (ſcilicet celeberrimum Pauli comitem) I. Denique ad Ioannem θεόλογον (id eſt Evangeliſtam & Apoſtolum) I. quæ vniuerſæ ſunt decem. His eiuſdem ad Apollophanem Epiſtola accenſetur. Atque hæc quidem Græcè Latinéque extant; Et omnia vnius ejuſdemque authoris eſſe ſumma rerum ac verborum inter ſe vbique ſimilitudo ac germanitas, certiſſimè demonſtrat; Vt illud nunc mittant, quod ipſe ſcriptor in quibuſdam operum

[c] *Bellar. de Script. Eccl. in Dionyſio.*

operum ſuorum partibus, alias ipſe ſibi diſertè vindicat; veritus cre-do, nequis eas plagiavius a ſe abduceret, & in alium tranſcriberet. Sed & præter hæc, idem quoque alia non pauca a ſe elucubrata atque edita commemorat; quæ tametſi neque deterioris, quam ſuperiora, argumenti, neque minoris, vt videtur, pretij, ſic tamen omnia intercide-runt, vt ea nunc quidem in omnibus ſiue excuſus ſiue manuſcriptis exemplaribus planè deſiderentur. Nam & quædam de *Divinis hymnis* a ſe ſcripta dicit, [d] in quibus *explanatæ erant ſublimiſſimæ cæleſtium Intelligentiarum hymnologiæ*; & librum de *Symbolica Theologia* ſuum non ſemel memorat, [e] in quo ſe Timotheo diſtinctè expoſuiſſe narrat quæcunque in Scripturis de Deo prodigiosè dicta vulgo videntur, ipſumque ſe opus ad Titum mittere profitetur. Alibi quoque refert quendam ſuum de ijs, *quæ ſub intellectum, & ſub ſenſum cadunt* commentarium. [f] Sed & *Hypotypoſes Theologiæ* ſuas; [g] & aliud de *Iuſto diuinoque judicio* volumen [h] memorat, in quo ſe Sophiſticas impiorum aduerſus Dei veritatem ac Iuſtitiam rationes eliſiſſe gloriatur. Hæc huius ſcriptoris opera vel eſſe etiam nunc videmus, vel olim fuiſſe ipſi dicenti, ſi qua ſit eius fides, credendum eſt; quæ ſi verè eius Dionyſij fuerunt, quem præfert titulus, nemo ſanus negauerit, quin ea apud noſtros homines ſtatim ab initio Chriſtianiſmi, non modò notiſſima, ſed etiam celeberrima eſſe; neque in communi tantùm luce verſari; ſed in ſumma inſuper admiratione, præſertim apud noſtri generis eruditos haberi debuerint. In hæc enim illa ferè vniuerſa concurrunt, quæcunque libris aliquid pretij vel commendationis apud homines afferre, ac conciliare ſolent; auctoris primo ipſius nomen, ac dignitas, qui ſi Dionyſius fuit, Pauli ſummi Apoſtoli diſcipulus, Athenienſis a Paulo conditæ Eccleſiæ Epiſcopus primus fuit, rebus pro Chriſti gloria fortiter, ac ſapienter geſtis, martyrio poſtremo conſtanter facto clariſſimus. Iam ſi argumentum ſpectes, quod in his libris Auctor tractandum ſuſcepit; quid Angelis, qoos in ſuas claſſes, digerit, ſublimius? quid Eccleſiæ miniſterijs, quæ exſequitur, Sanctius? quid diuinis nominibus quæ enarrat, maius? vel Theologia myſtica quam exponit, diuinius fingi poteſt? Neque multùm ab his diuerſa eſt Epiſtolarum meteria; quas vel eorum ad quos ſcribuntur nomina plurimùm commendant. Quis enim non cupiat ea cognoſcere, quæ vir tantus vel Tito, & Polycarpo, & ipſi Sanctiſſimo Ioanni Apoſtolo, viris præcipuæ apud Chriſtianos famę, Scripſerit? vel quid de Gaio, de Dorotheo, de Sopatro, de Demophilo dixerit, quorum nulla alibi uel tenuiſſima extat memoria? Eadem erat & reliquorum operum ratio, quæ nunc quidem temporis iniuria ſi fortè extincta deſiderantur, primo verò ſæculo omninò extabant (ſi qua vnquam in rerum natura fuerunt.) Nam & hæc, quæ ipſe de ijs prodit, de rebus maximis Scripta fuiſſe demonſtrant;

[d] *Dion. de Cæl. Hier. c. 7. 4. p. 74. c.*

[e] *Ibid. c. 15. §. 6 p. 170. A L de diuin. Nomin. c. 9. §. 5. & Epi. 9. ad Tit. init. &* §. 6.

[f] *L. de Hier. Eccl. c. 1.* § 2. *& c. 2. Theor.* §. 2.

[g] *Li. de diu. nom. c. 2* §. 2 3. 7. c. 11 §. 5. *De Myſt. Theol. c.* 3. *in.*

[h] *Id L. de Hier. Eccl. c. 4. extr. p. 50.* 2. 13.

CAP. I. de *hymnis diuinis*, de *Theologicis Symbolis*, de Iudiciorum diuinorum *Veritate, ac Iuſtitia*: de ijs quæ vel Intellectu vel ſenſu percipiuntur. Iam quas dicit, *Theologiæ hypotypoſes*, quanti eas, ſi vel vnæ fuiſſent, apud omnes bonos pretij fuiſſe neceſſe eſt, quæ totum, vt videtur Chriſtianæ doctrinæ corpus, abſolutamque *Sanorum*, quos vocat Paulus, [i] *ſermonum formam* continebant? Ipſe librorum numerus, ipſa tam multorum titulorum ab vno viro, eoque occupatiſſimo, expunctorum multitudo, omnes in ſtuporem daret. In illis enim Eccleſiæ, primo ſæculo naſcentis, exordijs rarus, imò planè nullus occurrit, non dico qui tam multa ingenij ſui monumenta poſteris reliquerit, quam hic, quiſquis eſt, Dionyſius; Sed qui vel dimidiam, vel etiam tertiam, aut quartam eorum partem ſcribendo adæquauerit. Huc poſtremò accedebat ille, qui in his omnibus elucet, Græcanicæ & litteraturæ, & Philoſophiæ, character, apud noſtros illius æui homines inuſitatus, huiuſque Scriptoris ita planè ſingularis, vt nullum ex omni Chriſtianiſmi memoria, nullum ex ipſa Ethnicæ Eruditionis fœtura auctorem reperiam, qui eam, quam iſte cupidiſſimè vbique conſectatur, eloquendi, mirificam profectò rationem, atque ideam vſurpauerit. Hoc (ſi tum extabat iſte noſter Dionyſius) Chriſtianos talium ad huc ignaros & inſuetos, vel vnum commouiſſet; & plurimam apud eos de iſtiuſmodi libris famam excitaſſet; Plebeiis inſolitum dicendi genus fortaſſe miraturis; doctis, pro cuiuſque captu, atque idole, vel probaturis, vel etiam aſpernaturis ac ſugillaturis. Cum ergò, quæ libris famam apud homines conciliare ſolent, ea in his ferè omnia abundè extent atque eluceſcant; & Auctoris & materiæ dignitas, & ipſa operum multitudo, & dictionis atque Elocutionis ſingularitas: Bellarminum cum ſuis Catholicis confiteri neceſſe eſt hos libros, ſi (quod iſti pro indubitato habent) magni illius, atque Apoſtolici Dionyſij veri ſunt fœtus, totis primi Chriſtianiſmi ſeculis fuiſſe cognitiſſimos, & poſt diuina ipſorum Apoſtolorum volumina, celeberrimos, ac decantatiſſimos. Sin vero primis illis temporibus, ac præſertim tribus ſæculis, quæ Dominicum in terris natalem proximè conſecuta ſunt, hæc opera noſtri homines in gloria & innominata tranſmiſerunt, neque ea, quod decebat, vſpiam memoraverunt; profectò neque Bellarminus, neque quantumcunque eſt Bellarminianorum Catholicorum negare poſſunt hæc opera Dionyſio Pauli diſcipulo, falsò tribui; falſo Apoſtolorum æuo nata aſſeri. Iam uerò nullam uſpiam apud vetuſtiſſimos Chriſtianiſmi Scriptores extare horum Dionyſianorum librorum famam; nullam quantumvis tenuem, atque obſcuram mentionem, vel horum quæ nunc extant, vel aliorum quæ ab Auctore memorata, ſi qua uerè fuerunt, temporis iniuria abſumpta eſſe diximus, clarum atque perſpicuum eſt; cum tamen multa primæ illius memoriæ monumenta, eaque

luculne-

i 2. Tim. 1. 13.

CAP. I.

Iuculentiſſima etiam hodiè magno Dei beneficio ſuperſint, qualia ſunt Clementis Romani, Hermæ, Iuſtini, Tatiani, Theophili Antiocheni, Athenagoræ, Minutij felicis, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Nouatiani, Origenis, Cypriani, Arnobij: Lactantij, & aliorum opera; quibus accenſenda ſunt plurima non paucorum eiuſdem æui Scriptorum, Papiæ, Hegeſippi, Polycratis, Apollonij, Caïj, Dionyſij vtriuſque, Corinthij, inquam, & Alexandrini, & cæterorum non ſpernenda apud Euſebium fragmenta. In his omnibus vel libris, vel ſermonibus planè nullam fieri horum Areopagiticorum, quæ habemus, mentionem, comperiet quiſquis ea legerit. At ſi illa iam tum extitiſſent, planè eſt incredibile è tam multis tamque diverſis Græcæ, Latinæque Eccleſiæ Scriptoribus non aliquem futurum, qui operum, & Auctoris nomine, & ſuopte ingenio ac merito illuſtriſſimorum facturus fuerit alicubi mentionem; qualiter aliorum feciſſe eos videmus, ſi qui aliqua ſui ingenij monumenta, etiam breviſſima, reliquiſſent. Verbi gratia Clementis, Pauli Diſcipuli, Epiſtolam Eccleſiæ Romanæ nomine ad Corinthios ipſis Apoſtolorum temporibus ſcriptam vetuſtiſſimi illi Theologi pænè omnes celebraverunt; Hegeſippus, Irenæus, Dionyſius Corinthius, Clemens Alexandrinus[k], Origenes; & hi quidem duo non ſemel, neque uno tantùm loco. Certè non indigniora erant, quæ memorarentur, Dionyſij opera; & ipſa per ſe egregia, & numero, ac mole ſpectanda, & Auctoris nomine æquè cum Clemente Epiſcopi, Martyris, Apoſtolici. Cur ergò hæc indicta omnes illi Veteres tranſmiſere; qui vnam, eamque non admodum prolixam Clementis Epiſtolam tam effusè laudauerunt? Non aliam tam abſurdi diſcriminis rationem expedio, quàm hanc vnam; [l] Nimirum quæ ab iſtis celebraretur Epiſtola, uerè a Clemente Scripta extabat; quæ ab iiſdem memorarentur Areopagetica, nulla tum neque a Dionyſio Scripta, neque ab vllo alio conficta erant.

k *Clem. Alex. l. 1. ſtrom. & l. 4. & l. 5. inf.*

l *Origen. περὶ ἀρχῶν l. 2. & Philocal. c. 22. extr.*

CAPVT. II.

Superior demonſtratio ſigillatim conſtituitur. Ac oſtenditur Areopagitica ignota fuiſſe quinque primorum Seculorum Chriſtianis; ex eo quod nulla fiat eorum mentio, neque ab ijs, qui Dionyſium laudant, vt Ariſtides, Dionyſius Corinthius; neque ab ijs qui in Act. 17.34. *Scribunt, vt Chryſoſtomus, & Auguſtinus; neque ab ijs, qui hæreſes in Areopagiticis exploſas, refellunt, vt Irenæus, Tertullianus, Cyprianus adverſus Gnoſticos, Patripaßianos, Novatianos & Anonymus apud Euſebium auctor adverſus Artemonem ſcribentes.*

AC licet hoc argumentum ita in genere expoſitum ſatis id, quod concluſimus, vincat, eo tamen validius eſſe cenſendum eſt, quod in illis vetuſtiſſimorum, quos diximus, Patrum ſcriptis, in quibus nulla facta reperitur Dionyſianorum noſtrorum mentio, multa loca paſſim occurrant, quæ ea, (ſi qua tum extitiſſent) memorari, uel poſcebant, uel fortaſsè etiam flagitabant. Huius generis plurima obſervare eſt in veterum monumentis. Talia ſunt ea in primis, ubi ipſe Dionyſius celebratur. Cum enim tam multa, tamque inſignia de rebus divinis opera ſcripſiſſe laus ſit eximia; Dionyſium qui laudant, non poſſunt non horum quoque meminiſſe, ſi ea & nota habent, & uerè ab illo ſcripta fuiſſe putant. Id uel eorum ſcriptorum exemplum docet, qui ab eo tempore floruerunt, quo hæc de Dionyſio fama vulgata eſt. Horum enim haud facilè uel vnum reperias, qui Dionyſium celebrans hæc noſtra Dionyſiana planè penituſque indicta præterierit. Vetuſtiorum uerò nemo eſt, qui hæc, uirum laudans, memoraverit; uel omninò aliquid eum de Chriſtianâ fide ſcripſiſſe, ſignificauerit. Vetuſtiſſimum, ac poſt diuinam Lucæ hiſtoriam, primum ni fallor, in omni Chriſtiana Antiquitate de Dionyſio teſtimonium erat Ariſtidis, Athenienſis Philoſophi, in ea pro Chriſtianis Apologia, quam Hadriano Auguſto Athenis tum commoranti obtulit. Is enim vir *fide ſapientiaque mirabilis*, in hoc opere Dionyſium laudibus ferens, memorabat eum, & ſuæ Ciuitatis *Epiſcopum* fuiſſe, & *clariſſimam fidei Confeßionem feciſſe*, & *poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatum eſſe*; vt ex Vſuardo, [m] & antiquioribus Galliæ Martyrologijs, Pariſienſi, Nivernenſi, Cabilonenſi, Sueſſionenſi, Veromanduenſi, Meldenſi, & alijs a Sirmundo [n] laudatis, & ex Orderico [o] denique Vitali diſcimus. Alterum Dionyſij elogium extabat apud cognominem Corinthiorum Epiſco-

[m] *Vſuard. in martyrol. D. S. Non. Octob.*
[n] *Sirmond. de duob. Dionyſ. p.* 64. 65.

Epiſcopum Dionyſium, Ariſtidis quoque σύγχρονον; qui in Epiſtola ad Athenienſes ſcripta, teſtabatur hunc noſtrum Areopagitam *a Paulo Apoſtolo ad fidem conuerſum, primum Eccleſiæ Athenienſis Epiſcopatum adminiſtraſſe*, vt eſt ab Euſebio p proditum. Tantum illi de Dionyſio. Hæc eum quæ nunc habemus, vel omninò aliquid ſcripſiſſe, ne leviter quidem innuunt. At noſtra, ſi tum fuiſſent, neuter in talibus locis prætermiſſurus fuiſſe videtur; non certè Ariſtides, qui ea auidiſſimè Hadriano erat ſuggeſturus; Principi, vt notum eſt, omnium artium, diſciplinarum, & litterarum curioſiſſimo. Neque plura apud vtrumque auctorem fuiſſe, quæ quidem ad Dionyſij laudem pertinerent, vincit Euſebij, & Vſuardi, & Vitalis, qui hæc inde excerpſerunt, inſtitutum; quod erat, ut omnes vident, Dionyſij res & nomen illuſtrare, & Eccleſiæ memoriæ commendare. Sed & Dionyſij Corinthij epiſtolam, etiam aliter, vrget Ioannes Morinus, Congregationis (vt vocant) *Oratorianæ* Presbyter, vir doctiſſimus, & in Chriſtianis antiquitatibus verſatiſſimus; *Mirari* (inquit) *Subit, quamobrem præclara illa opera, quæ Dionyſius Athenienſibus ante diſceſſum reliquerat, ſi verus eſt illorum auctor, vt domeſticum exemplum ad eos Scribens* (Dionyſius Corinthius) *ipſis non proponit.* Id exigere videbatur ratio, quæ eum ad ijs ſcribendum commoverat; vt *eos ſcilicet excitaret ad vitam ex præſcripto Evangelij degendam, qua ſpreta & contēpta a verbo Dei pæne deſciverant. Hæc* (Areopagitica ſcilicet) *Si Dionyſio Corinthio cognita fuiſſent, nunquam ea ſilentio præteriiſſet, Euſebiusque, qui longe minora non negligit, hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſet.* Quæ ergo neuter talibus locis memoravit, ea recte ſane, concludit Morinus Corinthio Dionyſio ignota fuiſſe noſtra Areopagitica. Huc quoque pertinent veterum ſi qui extant, in eum Lucæ locum commentarij, vbi narrat Dionyſium a Paulo fuiſſe ad Chriſti fidem converſum. Hîc enim interpretes ad illuſtrandam Lucæ hiſtoriam, decebat illa noſtra Dionyſij opera ſi extabant, memorare. Beda ſanè memoravit, ad hunc Actuum locum ita Scribens; q *Hic eſt*, inquit, *Dionyſius qui poſt Epiſcopus Corinthiorum glorioſè Eccleſiam vexit, multaque ad vtilitatem Eccleſiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenij ſui monumenta reliquit.* Ille quidem vehementer fallitur, dum Areopagitam aliud agens Corinthi Epiſcopum fuiſſe dicit; ſed vides tamen, vt eius opera diſertè memoret. Lege Chryſoſtomi, r & Auguſtini ſ in hunc locum tractatum. Nihil ab ijs huiuſmodi de Dionyſio obſervatum reperies. Clara certaque eſt diſcriminis ratio. Nimirùm Dionyſiana ſeptimo, quo Beda vixit ſæculo, nota erant; quinto, cuius anno ſeptimo Chryſoſtomus, Auguſtinus triſceſſimo mortuus eſt, nondum erant nata. Sed & alia ſunt apud veteres ſcriptores loca, in quibus Dionyſianorum noſtrorum mentionem, ſi qua tum extitiſſent, fieri rei ipſius vſus atque ratio requirebat; vt

quoties

CAP. II.

o *Order. Vital. Hiſt. Eccl. L. 2.*

p *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 4. & l. 4. c. 23.*

Morin. de Sacr. Ordin. at. Part. 2. c. 2. §. 2

q *Beda in Act. Apoſt. 17.* 3·4.

r *Chriſoſt. in Act. Hom. 39. init.*

ſ *Auguſt. Tract. de Epiſ. & Stoic. T. 6. p. 363.*

CAP. II. quotties à priſcis Authoribus ea vel refutantur, quæ in Dionyſianis exploſa reperiuntur; vel affirmantur & docentur, quæ in iiſdem conſtitui cernimus. Irenæus ut Eccleſiæ Sanctam de uno Deo, Mundi Creatore. Chriſtique Patre fidem ab Apoſtolis jam inde ab initio traditam fuiſſe aduerſus hæreticorum blaſphemias, plures a Creatore diuerſos Deos, ſiue ut vocabant, Æonas inducentium conſtitueret, inter cætera argumenta, affert quodam loco conſtantem cætuum ab Apoſtolis conditorum traditionem; & hanc luculento Clementis quidem in Epiſtola ad Corinthios; Polycarpi uerò in ea, quam ad Philippenſes ſcripſit, teſtimonio confirmat. [t] *Sub hoc* (inquit) *Clemente ſcripſit quæ eſt Romæ, Eccleſia potentiſsimas litteras Corinthijs ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians quam in recenti ab Apoſtolis receperant, traditionem, annunciantem vnum Deum omnipotentem, factorem cæli & terræ &c. Hunc Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ab Eccleſijs annunciari ex ipſa Scriptura qui velint diſcere poſſunt. Scripturæ* autem nomine, ipſam, vt ea ſequentibus patet, Clementis Epiſtolam intelligit. Mox de Polycarpo quædam eodem pertinentia loquutus; [u] *Eſt autem* (inquit) *& Epiſtola Polycarpi ad Philippenſes Scripta, perfectiſſima; ex qua characterem fidei eius, & prædicationem veritatis, qui volunt & curam habent ſuæ ſalutis, poſſunt diſcere.* ἔστι δὲ καὶ ἐπιστολὴ πολυκάρπου πρὸς φιλιππησίους γεγραμμένη ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας, οἱ βουλόμενοι καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας δύνανται μαθεῖν. Hactenus Irenæus; rectè quidem ille, & appoſitè. Quæro, cur non & Dionyſium Athenienſem, ipſum quoque æquè ac Clementem & Polycarpum, uirum & Diſcipulum Apoſtolicum, his tertium teſtem adiunxerit? Fateor ea in laudatis Clementis, & Polycarpi Epiſtolis haberi, quæ hæreticorum impudentiam coarguunt, ac reuincunt. Sed neque quemquam qui Dionyſiana noſtra legerit, negaturum arbitror multa in ijs reperiri ad eam rem æquè idonea; nonnulla etiam validiora; qualia ſunt ea quibus uel ſimpliciſſima Dei unitas, principij, rerum omnium, exſertiſſimè aſſeritur. [x] Sed hunc omnium maximè pertinebant Dionyſianæ illæ, quæ nunc deſiderantur. *Theologiæ hypotypoſes*; (Si tamen uerè aliquando fuit ullus huiuſmodi liber, neque ad pompam ficta ſunt quę de eo apud noſtrum leguntur) Nam in eo opere, ſi quod fuit, cum traderetur quædam totius Theologię forma, fieri non potuit, quin principia conſtituerentur omnibus Gnoſticorum & Marcioniſtarum fabulis ex aduerſo oppoſita. Idem Florini amentiam Deum malorum conditorem eſſe blaſphemantis, in Epiſtola ad ipſum ſcripta refellens, Polycarpum quoque memorat, & quam alienus eſſet ab hac impietate, narrat, ut eſt apud Euſebium. [y] Quanto ualidius Dionyſij noſtri libros, huic monſtro erat obiecturus, ſi ſciuiſſet, in quibus [z] luculentiſſimè depulſam legimus hanc horrendam

t *Iren. L.3.c.3.*

u *Id ibid.*

x *Dion de cæl. Hier. c. 2. §.3. & L. de diuin. nom. c.11. §.6. & c.12. §.3. & c.13 §.3. & c.4 §. 28. 29. 30.*

y *Euſeb. Hiſt. L.3.c.20.*

horrendam impiorum in Deum blaſphemiam? Et illa ergo aduerſus Gnoſticos, & hæc aduerſus Florimum adduxiſſet Irenęus, ſi ſciuiſſet. Scire autem nemo potuit Irenæo commodius, Polycarpi diſcipulo; id eſt viri Dionyſio noſtro (ſi quid ei credimus) amiciſſimi, & familiaris; vt ex Epiſtola quam ad eum ſcribit, intelligimus. Irenæus tamen de Dionyſianis planè nihil dixit. Ergò Dionyſiana noſtra neſciuit; vndè ne ipſa quidem tum extitiſſe Dionyſiana, conſequens eſt, quæ ſcilicet ſi verè tum fuiſſent aliqua, ab Irenæo neſciri non potuiſſent. Idem ad Tertullianum obſeruandum; qui in libro contra Valentinianos memorans [a] auctores Catholicos, qui Gnoſticorum fabulas euerterant vt Iuſtinum philoſophum, & Martyrem, at Miltiadem Eccleſiarum Sophiſtam, ut Irenæum omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem, vt Proculum ſuum, his omnibus Dionyſium non deteriori elogio ornatum propoſiturus fuit, ſi noſtra hæc Dionyſiana ſciuiſſet. Irenæus item Saturnini, & aliorum delirium confutat, [b] Chriſtum præter Evangelicam doctrinam affirmantium *putatiue viſum eſſe hominem*; noſtræ naturæ veritate carentem. In hos illud erat ex Areopagiticis Epiſtolis diſertiſſimum; [c] *Chriſtus homo dicitur in quantum eſt reuera homo ſecundum totam hominis ſubſtantiam.* ὡς αὐτὸς κατ' οὐσίαν ὅλην ἀληθῶς ἄνθρωπος ὤν, & quę ſequuntur. Sed hæc in iſtos hęreticos tam appoſita, neque Irenęus, neque Tertullianus, neque alij veterum uſpiam laudaſſe reperiuntur, in ſuis aduerſus hunc errorem diſputationibus. Sed neque prætereunda eſt illa de fidelibus poſt baptiſmum lapſis Eccleſiæ per pœnitentiam reconciliandis nobilis cauſa, quæ veteres non ſemel exercuit. Ea enim in Dionyſianis, Epiſtola ad Demophilum ita perſpicuè atque exſertè definita eſt, vt de ea nihil poſteri pronuntiarint clarius, uel abſolutius. Si ergò jam tum apud noſtros hęc Dionyſiana cognita eſſent, nemo ea de re, poſt clariſſimam viri Apoſtoli, Epiſcopi ac Martyris ſanctiſſimi definitionem dubitaturus fuiſſe videtur; non Tertullianus, & illi a Cypriano memorati Africę Epiſcopi, qui mæchos; non alij poſtea Cornelianis & Cyprianeis temporibus, qui idololatras pœnitentia penitus excludebant. Aut ſi qui dubitaſſent, noſtris certè dubitantibus Dionyſij auctoritatem, & ab eo expoſitam de cęleſti carpi viſione narrationem in illa controverſia erant obiecturi. Nemo obiècit; non ij, quos oppugnat Tertullianus toto de pudicitia libro; non Cyprianus, in tam multis, quę aduerſus Nouatianos, Tertulliani hac in parte conſecraneos facundè atque copioſè diſputat. Ergò confitendum eſt illius æui Chriſtianis Dionyſiana noſtra ignota fuiſſe.

Idem de Artemonis hæreſi obſervandum eſt, quæ, cum Chriſtum blaſphemaret merum ac nudum hominem ψιλὸν ἄνθροπον fuiſſe, neque in rerum natura extitiſſe antequàm Mariæ partu in lucem eſſet editus, vel vno noſtrorum Dionyſianorum teſtimonio invictè frangi ac confodi poterat; in quibus tum multa paſſim de filij Dei di-

Cap. II.

z *Dion. de diuin. nom. c. 4. § 18. & ſeq.*

a *Tertull. cont. valentin. c. 5. p. 291. 13.*

b *Iren. L. 1. c. 22. & L. 4. c. 33*

c *Dion. Epi. 4.*

d *Cyprian. Epiſ. 52. ad Anton. p. 79.*

CAP. II.

e Dion. L.de diuin.nom.c.1 §.4.c.2.§.9.10 & de cæl.Hier. c.4.§.5.
f Id.Epiſt.4.tot.
g Euſeb. Hiſt L.5.c.28.

vinitate, atque incarnatione luculentiſſima occurrunt, tum illa in primis longè diſertiſſima, quæ ad Caium ſcribit, [f] Ieſum *ita hominem verè fuiſſe, vt ſemper ſit* ὑπερούσιος, *ſupra omnem ſubſtantiam; etiam ad ſubſtantiam verè venientem ſupra ſubſtantiam ſubſtantialem eſſe, & quæ ſunt hominis ea ſupra hominem geſſiſſe.* Iam refert Euſebius [g] Chriſtianum de tertio ſęculo ſcriptorem quendam anonymum diſputationem contra Artemonem, & ejus ſectatores edidiſſe; ex qua ipſe non pauca ſanè egregia, recitat; iſtos hæreticos jactaſſe antiquam fuiſſe ſuam de Chriſto ſententiam, eamque apud omnes Chriſtianos ad victoris Epiſcopi Romani tempora obtinuiſſe; cæterùm ab ejus ſucceſſore Zephyrino, adulteratam fuiſſe veritatem. Huic iſtorum ſanè putidę & impudenti gloriationi ſcriptor ille Orthodoxus opponit primò quidem diuinarum ſcripturarum auctoritatem; ſecundò verò eorum fratrum quoque libros, qui Victore eſſent vetuſtiores, ἀδελφῶν τινων γράμματα πρεσβύτερα τῶν Βίκτορος χρόνων. In hoc Eccleſiaſticorum Scriptorum cenſu omnes uident Dionyſiana illa noſtra primo ſtatim poſt divinas litteras loco, fuiſſe ponenda, ſi uerè tum extitiſſent, & noſtris nota fuiſſent. Erudititiſſimus verò ille anonymus Iuſtinum quidem, & Miltiadem, & Tatianum, & Clementem, Irenæumque, & Melitonem Sardenſem nominat, *Chriſtum prædicantes Deum & hominem* θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντας τὸν χριστὸν; ac ne hymnos quidem prætermittit, Chriſto jam ab initio a fratribus quibuſdam, uelut Deo, ſcriptos, dictoſque, de Dionyſianis, quæ ſi erant, his omnibus & antiquiora, & potiora erant, nullum uerbum facit. Ne ergo dubitaveris quæ ſcriptor prudentiſſimus tali loco prætermiſit Dionyſiana, ea ipſi ignota fuiſſe; quæ autem uiro ut apparet doctiſſimo ignota fuere, ea illo æuo nulla adhuc in Eccleſia extitiſſe. Nulla quidquid finxeris cauſa fuit cur Dionyſiana, ſi tum extabant, iſte potius quàm Iuſtini, & Irenæi, & aliorum, quos nominat, opera uel neſciret, uel hoc in loco prætermitteret. Hoc contra Dionyſiana argumentum attigit quoque Morinus. Sed obiter tantum; obſervans iis *jugulari Ebionem, Artemonem, Theodotum, & ſimiles plures, qui Chriſti divinitatem* jam olim *negaverunt. Quamobrem igitur* (inquit) ab antiquorum nemine aduerſus omnes iſtos antiquos hæreticos, aut eorum aliquem, commemoratus eſt hic liber? Alia Veterem Eccleſiam hæreſis vexauit, Filium cum Patre ita miſcens, vt vtrumque vnam eandemque perſonam eſſe contenderet; & in hanc egregium extat Tertulliani aduerſus praxeam volumen; quo conquiſitis vndique argumentis veritatem confirmat; *alium* a Patre Filium, et ſi non *aliud*, eſſe demonſtrans. In hunc quoque Praxeæ craſſum errorem diſertiſſima ſunt illa noſtra Dionyſiana, [h] *neque eſſe Filium, neque Patrem eſſe Filium, neque Filium Patrem*; & cætera, quæ diuinarum perſonarum diſtinctiouem eodem loco fuſiùs conſtituunt. Hæc Tertullianus contra ſuum Praxeam adeo clara ac valida non inſeruiſſet

Morin. de Ordinat.P.2.c.1. §.8.pap.29.

h Dion. de diuin. Nom.c.2. §.5.

diſputa-

CAP. II.

diſputationi ſuę, ſi ea ſciuiſſet? Si Dionyſij Paulini diſcipuli, eſſe didiciſſet? Ego verò, ſi ea legiſſet ac tali loco habuiſſet, non dubito, quin indè fuerit diſputationem exorſurus, & hæc ipſa verba poſt illam fidei regulam additurus, qua obiecta ſtatim adverſus Praxeam præjudicat. Quid enim meliùs primam Chriſtianorum fidem nos docere poteſt, quàm Dionyſij, ipſius Pauli voce inſtituti, & manu ordinati, teſtimonium? Nihil hic tamen Tertullianus de Dionyſianis. Expoſita fidei regula, inde continuo ad Scripturas diuinas pergit; Nulla ergò ille Dionyſiana norat; quæ ſi noſſet, non videtur hoc loco fuiſſe prætermiſſurus. Huc quoq; pertinet, quod idem obſervat Morinus, extare in Areopagiticis noſtris locũ adverſus Millenarios, etiam Maximo & Pachymere aſſentientibus diſertiſſimum; *Alij* (inquit) *neſcio quo modo in cogitationes & ſententias, quæ terram & corpus redolent, delapſi, ſimilem huic vitæ ſanctiſſimum, beatiſſimumque ſtatum, qui ſanctis promiſſus eſt, eſſe cenſuerunt, ciboſque vitæ mutabili accommodatos ijs, qui pares Angelis futuri ſunt, nefarie projecerunt. Verùm Deus prohibeat nequis ſanctus vir in ejuſmodi errores incidat.* Hæc ille; de Millenariorum errore, Veluti jam famoſo, & paſſim apud Chriſtianos noto ac diſſeminato verba faciens, quod ab Areopagitæ temporibus alienum eſt. Papias enim primus erroris parens, vt ex Euſebio conſtat, † ipſos quidem Apoſtolos non viderat; ſed aliquos tantum eorum diſcipulos audiuerat, ſingulos ſedulò percunctans, quid Apoſtoli viua voce docuiſſent, tandemque cuncta, quæ audierat, in id volumen conjecit, quo illa de mille annis fabula continebatur. Iam cum Areopagita Apoſtolicorũ diſcipulorum, & quidem antiquiſſimorum vnus fuerit; nemo non videt, quàm ſit incredibile Papiam potuiſſe eo ſuperſtite, & Apoſtolicos illos viros ſigillatim percunctari, & libros ex ijs quæ audierat conficere, & errorem in ijs traditum multis noſtrorum ita perſuadere, vt jam ante Dionyſi mortem extaret quædam errantium ſecta. Sed neque illud ſecundò credibile eſt, ſi hæc Dionyſiana vetuſtiſſimis illis temporibus extitiſſent, errorem illum Chiliaſtarum, in ijs tam diſerte tamque acriter denotatum, ac rejectum amplexuros fuiſſe & defenſuros viros illius memoriæ cætera laudatiſſimos ipſum primo Papiam, tum Iuſtinum, & Irenæum, & Tertullianum; ut poſteros eorum mittam, quorum magnum fuiſſe numerum ad a. D. 400. & amplius, ex Hieronymo ſcimus. Illud poſtremo quis non miretur, quod cum tertio ſæculo & ſequentibus hæc controverſia à Theologis Chriſtianis multum vltro citroque agitata fuerit, nuſquam hunc Dionyſij tam illuſtrem de ea locum, vel à Dionyſio Alexandrino, & Hieronymo & alijs, qui errorem confutabant, obiectum, vel à Nepote, & Apollinari, qui Millenarij erant, dilutum, ſolutum, memoratum reperiamus? Ratio in promptu eſt; Nullus adhuc extabat noſter ille Areopagita ſcilicet quem vel illi objicerent, vel hi arcere & propulſare obiectum tentarent.

Tertull. L. aduerſ. Prax. c. 2. p. 635. A. B.

Morin. de Ordin. P. 2. cap. 5 § 11. 12. p. 45. 46.

Dionyſ. Hier. Eccleſ. c. 7.

† Euſeb. Hiſt. L. 3. c. vlt.

CAPVT III.

Idem indè probatur, quod Areopagiticum de Angelorum in nouem ordines diſtinctione, & accurata ſingulorum expoſitione dogma totis quinque prioribus Chriſtianiſmi Sæculis planè ignotum fuerit; vt ex Irenæo, Auguſtino, Cyrillo Hieroſolymitano, Cæſario, & ex Dion. Petauij confeſſione oſtenditur; idque indè etiam confirmatur, quod memorabilis quædam Areopagitici Scriptoris ad Iſai. 6. 6.7. gloſſa veteribus illius memoriæ omnibus ignota & indicta fuit; vt Baſilio, Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Theodoreto.

k Dion. de Cæl. Hier. c. 6.

SEd & quæ in Dionyſianis [k] habetur Angelorum in tres claſſes, & ſingulorum rursùs claſſium in tres ordines diuiſio, omniſque de harum τριῶν τριαδικῶν, vt ille vocat, διακοσμήσεων, diſcriminibus, miniſterijs, & functionibus ſubtilis & curioſa definitio clarè loquitur, nondum apud veteres Chriſtianos fuiſſe hunc librum. Nam, ſi quis tum fuiſſet, quis dubitat hanc de Angelis doctrinam, & a Pauli diſcipulo litteris mandatam, & a Paulo * (quod iſte non obſcurè, neque ſemel affirmat) acceptam omnes noſtrorum Theologos diligenter fuiſſe ſecuturos, nec vnquam hoc de Angelis argumentum abſque honorifica Dionyſij hujus mentione tractaturos; eo impenſius, quod illa de Hierarchia cæleſti philoſophia tota ſingularis eſt, & huius vnius propria; quam neque apud divinos vtriuſque Teſtamenti auctores, neque apud Iudæorum, tametſi hac in parte nugaciſſimos magiſtros, ac ne apud ipſos quidem Platonicos Sapientes reperire eſt? Nunc quidem, & proximis retro ſæculis, poſtquam hic ſcriptor ſub Dionyſij nomine orbi innotuit, nemo Chriſtianus Theologus de Angelis diſputat, qui non eius & nomen nuncupet, & auctoritatem prætendat, & inventa laudet, atque vſurpet. Non erat, credo, vetuſtiſſimorum Theologorum minor, quam poſterorum eſt, in Apoſtolorum diſcipulos reverentia; vt illos, Dionyſiana, ſi haberent, ſpreuiſſe ſuſpiceris, quæ hos certatim laudare ac pænè adorare videmus. Iam verò ex veteribus, qui hanc diuinæ diſciplinæ partem, quæ de Angelis eſt, vel fusè, & conſulto tractarunt, vel paucis & obiter attigerunt, planè nullum reperies, qui vel Dionyſium eo loco nominauit, vel tanti magiſtri inuenta memorauerit, aut ſecutus ſit. Irenæus Gnoſticos ita alicubi prouocat; [l] *Enarrent nobis*, inquit *numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, Demonſtrent Thronorum Sacramenta, & doceant diverſitates dominationum, principatuum, poteſtatum, atque Virtutum. Sed non habent dicere.* Atqui temerè

** ὁ θεῖος ἡμῶν ἱεροτελεστής.*

l Iren. l. 2. c. 54. extr.

CAP. III.

merè hoc ille negat, ſi tum extabat Dionyſius, a quo illa Gnoſtici (ſi vnum Angelorum numerum excipias) facile diſcere omnia poterant! Origenes in Mattheum, [m] Angelorum quidem aliquam inter ſe diſtinctionem agnoſcit, ſcribens, *Poteſtates eſſe diuerſas*; alias eſſe, quæ ipſi Chriſto miniſtrarent, alias autẽ, quæ Prophetis cooperarentur facientibus ſigna; aliam fortè iſtis, aliam autem illis ſecundum dignitatem fidei eorum, quam ſolus ſciebat Deus, Sed ille nihil eo loco neque de Dionyſio, neque de Dionyſiana nouem Angelicorum ordinum diſtinctione. Auguſtinus verò de naturis cæleſtibus verba faciens, earumque proprietatibus, & diſcriminibus, apertiſſimè ſignificat ſe Dionyſiana planè neſcire: [n] *Eſſe*, inquit, *ſedes, dominationes, principatus, poteſtates in cæleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo; Sed quo me contemnas, quem magnum putas eſſe Doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio.* Quin & horum diſquiſitionem non obſcurè damnat, dicens, *Magis in iſtis temerariam præſumptionem, quam cautam ignorationem culpandam videri*; & mox, ſatis clarè ſignificans eos ſeſe ſupra divinos ſcriptores efferre, qui de his aliquid ſe ſupra ea, quæ a ſcripturis *raptim tacta, ac perſtricta ſunt*, ſapere putant. Hæc ille; quæ vt omnes vident, nunquam ita ſcripſiſſet, ſi Dionyſianas Angelorum diſtinctiones ſciuiſſet, a Paulo Apoſtolo traditas, ſcilicet, & ab eximio ejus diſcipulo litteris mandatas. Idem alibi [o] dubitat vtrum Archangeli ijdem ſint, qui dicuntur *virtutes*, & *quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus vniverſam ipſam cæleſtem ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus, dicendo*, ſiue ſedes, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, *dicant*, inquit *qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare, dicant; ego me iſta ignorare confiteor.* Non ignoraſſet, ſi Dionyſium illum noſtrum ſciviſſet; neque Apoſtolum videri dixiſſet *vniuerſam cæleſtem ſocietatem quatuor illis vocabulis complexum eſſe*, ſi ab Apoſtoli diſcipulo nouem eſſe Angelorum & vocabula, & inter ſe diſtinctos ordines didiciſſet. Idem Maximinum Arianum alibi [p] objurgans quod Angelos ab Archangelis quidem videri, Archangelos autem ab Angelis non videri ſcripſiſſet; *A quo*, inquit, *hoc audiſti? vnde didiciſti? vbi legiſti? Nonnè meliùs divinis libris animum intenderes, vbi legimus & ab hominibus Angelos viſos quando voluerunt, & quomodo voluerunt, videri?* Hic libros, vt diuinos, ita & Dionyſianos ſi eos ſciuiſſet, erat memoraturus; in quibus [q] Angeli inferiorum ordinum, totas quidem ſuperiorum ſuorum rationes minimè attingere dicuntur, eos non videre, nequaquàm dicuntur; imò ab iis *initiari* [r] non ſemel traduntur; quod fieri non poſſet, niſi eos viderent. Sed & Auguſtino vetuſtior Cyrillus Hieroſolymitanus, Arianorum audaciam increpans de Filij Generatione, temerè & curioſè ſatagentium, [ſ] *Dic mihi priùs*, inquit, *homo audaciſſime, quid Thronus a dominatione differat, & tunc quæ ad*

m *Orig. in Matth. Tract. 18. paulò poſt init. p. 96.*

n *Aug. contr. Priſcillian. c. 11. T. 6. 271 d. a 6.*

o *Aug. Enchir. c. 58. T. 3.*

p *Id L. 2. cont. maxim. c. 3. T. 6. p. 296 B.*

q *Dion. de cæl. Hier c. 12. §. 1.*

r *ibid. c. 7. §. 3.*

ſ *Cyril. Hier. catech. illumin. 11.*

Cap. III. *Chriſtum pertinent inquire. Dic mihi quid ſit Principatus, quid virtus, quid Angelus, & tum factorem ipſum curioſè perquire.* Apertè ſignificat hæc iſtum dicere non poſſe. Dicere autem procliue ac facile erat, ſi Dionyſius, qui omnia clariſſimè expoſuit, jam tum extitiſſet. Nondum ergò extitiſſe verum eſt. Iam nouem eſſe a ſe diſtinctos Angelorum ordines (quod cæleſtis ille noſter Hierophantes confidentiſſimè canit) id inquam, myſterium apud veteres omnes quinque primorum ſæculorum Patres adeo ignotum fuit, vt Auguſtinus quatuor illis à Paulo vſurpatis *Sedium*, *Dominationum*, *Principatuum & Poteſtatum* nominibus omnes omninò Angelos contineri, crediderit (quod eſt à Petauio [t] obſeruatum) & alibi [u] præter arcanam noſtri Philoſophiam, *Cherubinos à Poteſtatibus & Virtutibus* minimè ſeparet. Quid, quod Cæſarius Angelorum ordines non *nouem*, vt definit muſteus noſter Areopagita, ſed *ſeptem* eſſe diſertè ex neſcio quo Iuda tradit? [x] Nam de Angelis loquens, *ſeptem verò* (inquit) *ſunt ordines, vt Iudas ſcripſit, & ſublimis numerat Apoſtolus* ἑπτὰ δὲ τυγχάνουσι τάγματα, καθὼς Ἰούδας ἔγραψε, καὶ ὁ ὑψηλὸς ἐξαριθμεῖται Ἀπόστολος. Baſilium eadem ſenſiſſe, & Cæſarium ex eo hæc habuiſſe, Petauius [y] ſcribit; atque idem negat Hieronymo adhuc conſtitiſſe de ordinum Angelicorum numero, atque appellatione. [z] Atqui conſtitiſſet, ſi Dionyſium illum legiſſet. Sed quid in ſingulis moror? Petauius rem paucis conficit. Patrum enim, qui pænè ad ſextum Chriſtianiſmi ſæculum vixerunt, de his ſententiam executus; *Ex horum igitur*, inquit, *opinione Patrum non eſt certus, exploratusque numerus Angelicorum ordinum, ac nominum; neque qui ex ſcripturis vtcumque colligitur, nouenaria ſumma comprehenditur.* [a] Ergò qui aliter docet, iſtis omnibus, etiam Theodoreto, cujus inter cæteros teſtimonium Petauius recitauerat, ignotus fuit cæleſtis Hierarcha, imò & hunc poſt eos omnes ſcripſiſſe non obſcurè ſignificat Petauius (quam & ex alijs patet fuiſſe illius ſententiam, ut poſtea docebimus) dum illis, quæ deſcripſimus, continenter addit; *Primus*, inquit, *Dionyſius nouem Angelorum ordines & gradus diſtinctè ac definitè poſuit.* Abſurde: niſi Dionyſium poſt illos à ſe commemoratos ſcripſiſſe putaverit; vult enim, vt liquet, iſta de nouenario ordinum numero tandiu apud veteres illos Eccleſiæ magiſtros, fuiſſe ignota, donec noſter totum myſterium enucleatè expoſuit, & conſtituit. Et mox in eandem ſententiam, [b] *Non temerè*, inquit, *apud antiquiorem aliquem, quique primis QVINQVE ſæculis vixerit, nouenarium hunc ordinum numerum invenias; cum nondum extarent ſcripta Dionyſij, à quo primum ille proditus eſt.* Veriſſimè. Cavit tamen ſuos pulſare; conſulto *Extandi* verbo vſus, vt ſi quis eius ſententiam, velut ab alijs diſſentientem, reprehenderet, reſponſio eſſet in promptu, ſe Dionyſiana negaſſe, primis quinque ſæculis *extitiſſe*, non verò ſcripta fuiſſe. His ea ſubtexere non pigebit quæ ab eruditiſſimo Morino didicimus,

t *Petau. de Ang. l. 2. c. 1. § 8.*
u *Auguſt. in Pſal. 79*
x *Cæſar. Dial. l. 1. interrog. 44. in Bibl. Patr.*
y *Petau. ibid. §. 11. ex Baſilio De ſpir. S. c. 16 & hom. 1. in Hexaën.*
z *Peta. ibid. ex Hier. in c. 1. Eph. & l. 2 contr. Iouin.*
a *Ibid, §. 12.*
b *Ibid.*

CAP. III.

Syros etiam nunc in ſuis libris Ritualibus, nouem Angelorum ordines, & tres in ijs hierarchias diſtinguere; primam & ſupremam eorum, qui *Angeli* ſimpliciter dicuntur; ſecundam, & mediam eorum, qui *Seraphim*; tertiam & vltimam eorum, quos *Vigiles* vocare ſolent; pleraque, vt vides, vel præter, vel etiam contra doctrinam Areopagitæ. Nam & Vigiles עירין, quos Morinus a cœleſti noſtro hierophanta prætermiſſos merito miratur, diſerte Syri commemorant, & *Seraphim*, quos ille in ſupremum ordinem evexerat, hi ad ſecundum demittunt, & quos ille in vltima hierarchia cenſuerat *Angelos*, hi in prima collocant. Vnde Morinus non abs re colligit manifeſtum eſſe non modo iſtorum Ritualium Syriacorum auctores, ſed etiam illos, qui multis poſt ſæculis ea poſteris tradiderunt, *Dionyſij libros nunquam legiſſe, aut ſi legerint; maximi non feciße, cum in hodiernum vſque diem traditionem conſervaverint è diametro doctrinæ Dionyſij repugnantem.* Neque hîc ea prætermiſerim, quæ in Dionyſianis [c] ad viſionem Eſaiæ cap. ſexto deſcriptam, leguntur. Cum enim auctor primam eandemque ſublimiſſimam Angelorum claſſem Deo immediatè adeſſe, atque adhærere, & in eo contemplando, admirando, adorando, ac laudando perpetuò ac indeſinenter verſari & huic vni diviniſſimæ operationi affixam eſſe ſtatueret; miniſteria verò circa homines, & alia in creaturas opera ab Inferiorum claſſium Angelis illorum ſupremorum inſtructione ac juſſu peragi decerneret; huic ſuæ ſententiæ adverſari videns id; quod apud Eſaiam [d] legimus, vnum de Seraphim (quos Dionyſiana in prima Angelorum claſſe collocant) ad Prophetam volaviſſe, ejuſque labia calculo de altari rapto, tacta expiaſſe; hunc nodum ſolvere ſatagit, ac duas narrat [e] a Theologis exponendæ huius ſcripturæ afferri rationes. Priorem eſſe, vt *Seraphim* nomine hic a propheta donatus ſit Angelus, non quòd revera ex Seraphim ordine eſſet, ſed quod Eſaiam per ignem expiaverit. Poſteriorem verò, vt Seraphinus hoc opus peregiſſe dicatur, non quod ipſe peregerit, ſed quod ipſius virtute is, qui operatus eſt inferioris ordinis Angelus, id quodcunque tandem ſit, peregerit. Nemo non intelligit hunc locum planè eſſe memorabilem; neque ab Iſaiæ interpretibus abſque flagitio prætermitti potuiſſe; qui quidem Dionyſiana illa noſtra, & in ijs traditam de Angelis ſententiam noſſent & probarent. Neque ſanè a Latinorum Theologis vel de Angelorum natura, & diſtinctione diſputantibus, vel Iſaiam interpretantibus omiſſus eſt; vt vel ex Gabriele Vaſque in Thomam, [f] & ex Gaſpare Sanctio [g] in Iſaiam apparet, Atqui ex veterum cenſu, qui in Iſaiam non pauci ſcripſerunt, nemo reperitur ad hunc locum vel Dionyſij meminiſſe, vel in exponenda Seraphim nomenclatura, quæ Angelo hic tribuitur, laboraſſe; vt intelligere quivis poteſt, qui Baſilij, Hieronymi, Cyrilli, Theodoreti commentaria in hoc Prophetæ caput legerit. Vndè clariſſimè perſpicitur veteres illos Theolo-

Morin. de Sacr. Ordin. Part. 2. Annot. 22. in Syr. ordin. p. 491. C. A.

c *Dion. de Cæl. Hier. c. 7. §. 4.*

d *Eſ. 6. 7. 8.*

e *Dion. Hier. cæl. c* 13. § 1. 2

f *Vaſq. in 1. Thom. diſp.* 144. *num.* 12

g *Sanct. in Iſai. 6. 6. annot.* 25.

Theologos huius ſcriptoris neque libros ſciuiſſe, neque doctrinam de accuratiſſima illa Angelorum inter ſe diſtinctione vel probaſſe, vel ſaltem cognitam habuiſſe.

CAPVT IV.

III. Idem inde docetur, quod quatuor quaſdam valdè inſignes de Heliopolitana Eclipſeos Dominicæ obſervatione, de Hierotheo, de conuentu ad videndum Mariæ corpus Apoſtolico, deque oblata Carpo viſione, Areopagiticas hiſtorias, nemo veterum ad a. D. 500. memoraſſe reperitur. Imò quædam cum ſecunda illa Heliopolitana obſeruatione pugnantia legi, & apud Origenem, & apud ipſum Hieronymum. Idem indè colligi, quod Areopagiticam de Ioannis ex Patmo reditu prædictionem neque Euſebius, neque quiſquam veſtutiſſimorum memorauerit.

ALia mitto ad fidei dogmata pertinentia, quæ cum vel ob ſingularitatem, vel ob ſubtilitatem memorari digna eſſent, nullus tamen veterum memoraſſe reperitur. Sed & ſunt in Dionyſianis aliquot hiſtorica, quæ cum & obſervari, & memoriæ poſterorum commendari mererentur, veteribus tamen omnibus & Theologis, & Hiſtoricis planè penituſque indicta atque ignota fuiſſe videmus. Quale illud eſt in primis, quod iſte ſcriptor de Eclipſi ſolis narrat, [g] quæ Domino Chriſto in cruce patiente contigit; eam ſcilicet a ſe, & ab Apollophane quodam, Ethnico Philoſopho, Heliopoli in Ægypto vnà eo ipſo tempore commorantibus viſam, & accuratiſſimè obſervatam fuiſſe; ſeque ambos rei tam admirabilis, tamque nouæ ac invſitatę ſpectaculo defixos ſic obſtupuiſſe, vt etiam Apollophanes in divinationem prorumperet, exclamans, ταῦτα ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων; *Iſta, ô præclare Dionyſi, divinarum ſunt viciſſitudines rerum.* Sed & quemdam Hierotheum ſæpiùs memorat, quem & Pauli diſcipulum, & ſuum præceptorem fuiſſe dicit, [h] virum & pietate & ſapientia ſingulari præditum, & ſcriptis non paucis opuſculis illuſtrem, quorum ipſe nonnulla laudat. Sed & ibidem tradit [i] Iacobum fratrem Domini, & Petrum Apoſtolum, & Timotheum, ſeque ipſum, & ſuum illum Hierotheum, aliquando vna omnes conveniſſe, *ad intuendum illud corpus, quod vitæ principium dederat, deumque ſuſceperat*; id eſt Beatæ Mariæ corpus, vt non abſurdè putant interpretes. denique inſignis quoque eſt illa, quam idem alibi refert, [k] cælitus ſancto Carpo Cretenſi oblata viſio. Huic enim de media nocte ad ſolemnem Dei cultum exſurgenti, Ieſum magno Angelo-

g *Dion. Epiſt. 7. ad Policarp. §. 2. p. 775.*

h *Id. de diuin. nomin. c. 1. § 11 p. 428. c. & c. 2 §. 9. & c. 3. §. 2. & c. 9. §. 14.*

i *c. 3. ibid. §. 2 extr.*

k *Dion. epiſt. 8 ad demoph. p. 790. 791. 792. 793.*

Angelorum comitatu ſtipatum viſum eſſe de ipſo cæli cardine in terras CAP. IV.
deſcendentem duobus miſeris hominibus, vni ſeductori, alteri ſeducto, quibus ipſe ob tantum ſcelus grauius atque immitius, quam decebat, exaſperatus vltima ſupplicia imprecabatur, benignam manum in Tartarum ruentibus porrexiſſe, & vtrumque præſentiſſimo exitio eripuiſſe. Quatuor has narrationes tum ob ipſam rerum, quas continent, ſingularitatem ac vt ſic dicam admirabilitatem; tum ob vſus quos ad pietatem habere poſſent non exiguos, nemo, credo, negauerit digniſſimas fuiſſe, quæ litteris à Chriſtianis, & Theologis, & Hiſtoricis diligenter mandarentur, & ad poſteros propagarentur; ſi ergò illa noſtra Dionyſiana, in quibus diſertiſſimè explicatæ habentur, veteribus nota fuiſſent; quis dubitet quin eas illorum temporum ſcriptores memoraturi fuerint? Non tacuiſſet Papias; non Hegeſippus, non Irenæus, non Clemens, vel omnes, vel certè vnam aut alteram aliquis iſtorum tanti viri authoritate confirmatas prodidiſſet. Sed earum nullam ab vllo iſtorum fuiſſe vel fusè deſcriptam, vel paucis perſtrictam abundè fatetur Euſebij ſilentium; qui quod nullos haberet duces, qui rei Chriſtianæ initia, & poſt Apoſtolorum obitum incrementa, perpetua quadam ſerie in legitimum hiſtoriæ modum ante ſe edidiſſent, & horum quos dixi, & aliorum omnium cujuſvis cenſus auctorum ſcrinia curioſiſſimè ſcrutatur, & compilat, nihil ferè prætermittens quod inſtruendo, ac componendo ſuo operi vſui eſſe poſſet; ac nè levia quidem & fabellis propiora quædam ſpernens. An ille materiam adeò luculentam à Pauli diſcipulo, & eo quidem eximio, cuiuſque ipſe non ſine laude meminit, tam eruditè, tamque copiosè tractatam negligeret? Si eam vel apud ipſum Dionyſium uel apud aliquem auctorem ſe vetuſtiorem reperiſſet? An non his veluti teſſellis aut emblematis hiſtoriam ſuam exornaret? Quid enim vel ad illuſtrandam Chriſti paſſionem illa Heliopolitana eclipſeos obſervatione præclarius, vel ad nobilitandam beatiſſimæ virginis dormitionem Apoſtolico illo conventu luculentius, vel ad celebranda noſtrorum ingenia Hierotheo appoſitius, vel ad firmandam Domini, etiam in lapſos, Clementiam Carpi viſione potentius dici poteſt? Atqui de his omnibus ne vna quidem in toto Euſebio littera ſcripta legitur. Illud verò, quod Dionyſiana habent, ſolem Chriſto patiente obſcuratum, Heliopoli in Ægypto conſiſtentes obſervaſſe Dionyſiũ & Apollophanem; illud inquã veteribus ignotum fuiſſe clariſſimè probat eorum hac de re ſilentium in commentarijs ad illa Evangelij loca, in quibus id de ſolis defectu miraculum narratur. Hanc enim adeò ſingularem memorari obſeruationem, ſi ea nota fuiſſet, omninò defuiſſe nemo credo negaverit. Iam in illam Dominicæ paſſionis partem luculentiſſima habemus quorundam veterum, & quidem eruditiſſimorum commentaria; vt Origenis, Ambroſij, Chryſoſtomi, & Hieronymi.[1] At nemo iſtorum ne in hac

[1] *Orig. Tract.*

Cap. IV.

35. en Matt. c. 27.45. T. 2. p. 199.200.201. Ambroſ. l. 10. in Luc c. 23. p. 1792. B. Chryſoſt. in Matt. 27. Hom. 88 (Gr. 89.) Hier. in Matt. l. 4. c. 27. fol. 39. D.

m *Auguſt. de Ciuit. Dei l. 3. c. 15. init. & ibi Coquæus.*

n *Orig. Tract. 35. in Matth c. 27. 45. T. 2. p. 199.200.201.*

quidem tam præclara occaſione, de Heliopolitana Dionyſij & Apollophanis obſeruatione, verbum vllum facit. Non ergò videtur dubitandum, quin ea omnibus iſtorum temporibus planè ignota fuerit. Idem de Auguſtino judicium eſt, qui quo loco demonſtrat [m] iſtam ſolis in Chriſti paſſione defectionem non fuiſſe naturalem, Dionyſij ſi eum habuiſſet cognitum, ad eam rem confirmandam authoritate opportunè vti potuiſſet. Ejus quidem commentator Leonardus Coquæus Ieſuita ad eum ipſum locum Dionyſiana in primis attulit: Nulla attullit Auguſtinus. Nimirùm quæ afferret habuit quidem Coquæus; Auguſtinus verò nulla habuit. Sed præter hæc ita in genere dicta propriè hic obſervanda eſt laudata Origenis de hoc argumento in Matthæi narrationem diſputatio. Iſtis enim ſcribit, [n] ad id quod Evangeliſta narrat, *Ab hora ſexta ad nonam factas eſſe tenebras ſuper vniverſam terram*, *quoſdam calumniatos eſſe Evangelicam veritatem, dicentes. Quomodo ſecundum textum poteſt eſſe verum, quod dicitur,* Quia factæ ſunt tenebræ ſuper omnem terram a ſexta hora vſque ad nonam, *quod factum nulla refert hiſtoria?* Et mox eoſdem inducit objectionem hanc ita vrgentes, *Pone quia extra conſuetudinem facta eſt illa defectio ſolis in tempore non antiquo ſub principatu Romanorum, ita vt tenebræ fierent ſuper omnem terram vſque ad horam nonam; quomodo hoc factum tam mirabile nemo Græcorum, nemo barbarorum factum conſcripſit in tempore illo, maximè qui chronica conſcripſerunt, & notaverunt, ſicubi tale aliquid nouum factum eſt aliquando, ſed ſoli hoc ſcripſerunt veſtri authores? Et Phlegon quidem in Chronicis ſuis ſcripſit in principatu Tiberij Cæſaris factum; ſed non ſignificauit in Luna plena hoc factum.* Origenes hanc Ethnicorum obiectionem, quam ipſe *fortem* videri non negat, *& potentem movere omnẽ hominẽ ſapientem*, qui *omnia* non ex fide, ſed *ex ratione dijudicat*; pauca quædam de Evangeliſtãrum lectione literali præfatus, ita reſpondet; *Arbitror ego*, inquit, *ſicut cætera ſigna, quæ facta ſunt, in paſſione Chriſti, in Hieruſalem tantummodo facta ſunt; ſic & tenebræ tantùmmodò ſuper omnem terram Iudæam ſunt factæ vſque ad horam nonam.* Et paucis interjectis; *ſicut ergò*, inquit, *quod dicitur* Terra contremuit *refertur ad terram Hieruſalem, aut ſi latius quis voluerit extendere, ad terram Iudæam; ſic & tenebræ factæ ſunt ab hora ſexta vſque ad nonam.* Super omnem terram; *intellige quod ſuper omnẽ terrã Iudæam ſunt factæ, aut certè ſuper Hieruſalẽ tantũ,* Tũ hoc miraculũ cũ tenebris illis comparat, quæ olim Moſaïcis temporibus in totam Ægyptum, non autem in orbem terrarũ vniverſum, triduò incubuiſſe dicuntur. Ac poſtremò quod apud Evãgeliſtam *omnem terram*, non pro omni terræ elemento, ſed pro omnibus Iudææ terræ regionibus accepiſſet, id ſcripturæ ſacræ vſui ac phraſi eſſe conſentaneum demonſtrat. Atque hæc quidem Origenes; ille verò *tenebras ſuper Iudæam tantummodo factas*, nunquam ſcripſiſſet, ſi mirabile illud ſignum in ipſa quoque Ægypto Heliopoli viſum

fuiſſe

fuiſſe ſciviſſet. Sed neque Ethnico calumniatori conceſſiſſet hunc eventum a nullis alijs authoribus præterquàm a noſtris Evangeliſtis, ſcriptum fuiſſe. Hi enim ſunt, quos authores noſtros vocat. Dionyſium adverſario objeciſſet, teſtantem ſibi dum adhuc Ethnicus eſſet, id viſum fuiſſe, & obſervatum ſignum; Et quidem præſente Apolophane Ethnico; cæterorum de Gentilibus ſcriptorum ſilentium, Chriſti, & Evangelij odio imputaſſet. Sed & hoc obſervandum eſt, quod Origenes ait quidem Phlegontem in ſuis Chronicis ſcripſiſſe id factum in principatu Tiberij Cæſaris; negat verò eum *ſignificauiſſe in Luna plena hoc factum.* Vnde patet hoc Phlegontis de ea ſolis Eclipſi teſtimonium ad confirmandam narrationis Evangelicæ veritatem, per ſe ac ſolitarium exiguam vim habuiſſe; magnam habiturum fuiſſe adjecta Dionyſij auctoritate, qui diſertè affirmat ſe ipſum obſervaſſe illam Eclipſim in plenilunio contigiſſe. Quæ cum ita ſint, hic omninò videtur Origenes Dionyſium teſtem pro ſuo acumine Phlegonti adiecturus fuiſſe ad veritatem vel firmandam, vel ſaltem illuſtrandam, ſi noſtra illa Areopagitica nota habuiſſet. Idem quoque ad Hieronymi commentarium nuper a nobis laudatum propriè obſeruare eſt. Is enim iſtic hanc quoque Ethnicorum in noſtros calumniam refert; *Qui ſcripſerunt,* inquit, *contra Evangelia, ſuſpicantur deliquium ſolis quod certis ſtatutisque temporibus accidere ſolet, diſcipulos Chriſti ob imperitiam, ſuper Reſurrectione Domini interpretatos.* Hanc ille ſuſpicionem ſic refellit vt dicat *defectum* illum *ſolis* naturalem ſcilicet, *nunquàm niſi ortu Lunæ fieri ſolere*, cum *nulli dubium ſit paſchæ tempore Lunam fuiſſe pleniſſimam.* Hic verò non modo vtiliter, ſed etiam neceſſario adhibendam fuiſſe Heliopolitanam Dionyſij obſervationem omnes vident; quæ duos homines Ethnicos exhibet ſolem tunc obſervatum in plenilunio fuiſſe diſertiſſimè teſtantes; quo nihil afferri poterat ad frangendam Sycophantarum impudentiam potentius. Hieronymus ergò qui non attulit, neſcivit. Iam verò Dionyſiana, quæ duo viri, vt alios mittam, totius Antiquitatis Græcæ Latinæque longè eruditiſſimi, Origenes, & Hieronymus, neſciverunt, ea vllis alijs illius memoriæ Chriſtianis nota fuiſſe nemo cordatus ſibi perſuaſerit. Huc & illud pertinet, quod noſter Dionyſianorum auctor Ioannem Apoſtolum in Patmo excuſantem conſolans diſertiſſimè veluti a Deo doctus, prædicit p futurum, vt Patmi cuſtodia breui liberatus redeat in Aſiam. Hanc adeò inſignem eventus tam memorabilis prædictionem, qui eventum narrarunt, haudquaquam erant prætermiſſuri, ſi ſciviſſent. Euſebius verò Neruæ, ſublato Domitiano, imperium exordiens, Ioannem quidem Patmo relicta, Epheſi commoratum eſſe tradit, q de Dionyſij prædictione, nullum verbum facit.

Atque hæc quæ hactenùs diximus, vetuſtiſſimorum ſecundi tertijque ſæculi Scriptorum cum quarti quintique omnibus com-

CAP. IV.

o *Hier. in Mat. l.4.c. 27.*

p *Dion. Epiſt.* 10. *ad Ioan. extr.*

q *Euſeb. Hiſt. l.3.c.22. editi. gr.*

munia fuerunt. Horum ſiqua ſint propria, deinceps videamus.

Capvt V.

IV. Idem inde probatur, quod noſtris quarti quintique ſeculi proprie hominibus ignota fuerint Areopagitica, quorum ſcilicet auctoritas, quæ ad hanc rem clara eſt ac perſpicua, neque ab Athanaſio Arianis, neque Aërianis ab Epiphanio, neque Pelagianis ab Auguſtino, neque Neſtorianis a Cyrillo Alexandrino, & Caſſiano, neque Eutychiſtis a Leone, Theodoreto, Gelaſio, & Vigilio, vſpiam obiecta reperitur. V. Idem ex eo demonſtratur, quod ad conſtituendum legitimum atque Eccleſiaſticum ſcripturarum divinarum canonem, Euſebius luculentiſſima in eam rem Areopagiticorum librorum teſtimonia nunquam adhibuit, vel vſurpauit.

Qvarti initio orta eſt Arianorum hæreſis; maxima vtrinque animorum contentione toto illo ſeculo, & deinceps agitata. In ea autem tam apertæ, tamque liquidæ ac diſertæ ſunt in Dionyſianis libris voces, vt ne ipſa quidem Nicænæ Synodi, quæ Arium damnavit, definitio clarior ſit. Iſtic enim Sanctiſſima Patris, Filij ac Spiritus Sancti Trinitas paſſim occurrit: [r] *Trina vnitas verè exiſtens, omnium quæ ſunt cauſa* Τριὰς μονὰς ὄντως οὖσα; *Trina Divinæ beatitudinis hypoſtaſis*; Τριαδικὴ τῆς θείας μακαριότητος ὑπόστασις. Item; *Vnitas trina*, ἡ τριαδικὴ ἑνὰς; *Et trinitas tres in vnitate perſonas habens*; ἐν τῇ μονάδι καὶ ἑνάδι τρισυπόστατον. *Patrem quidem in divinis fontem eſſe, & originem; Ieſum verò & Spiritum Sanctum eſſe fæcunda Deitati (ſi dictu fas ſit) quaſi germina divina, floreſque ac lumina ſuperſubſtantialia, quæ quomodo ſe habeant nos neque eloqui, neque intelligere valere.* ὅτι μὲν ἐστὶ πηγαία θεότης ὁ Πατὴρ, ὁ δὲ Ἰησοῦς καὶ τὸ πνεῦμα τῆς θεογόνου θεότητος εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα, ὅπως δὲ ταῦτα, ἐστὶν, οὔτε εἰπεῖν, οὔτε ἐννοῆσαι δυνατόν. Trinitatem ille Scriptor *precibus adeundam* docet, [ſ] *veluti omnis boni principium; omnibus eſſe præſentem, neque in loco eſſe, ita vt a quoquam abſit, vel ex alijs ad alia migret.* Quin & [t] *dicere in rebus omnibus ipſam eſſe, neſcio quid minus eſſe eius infinitate, quæ & excedit, & continet vniverſa; vnum eſſe Deum & Patrem; vnum dominum Ieſum Chriſtum, & vnum eundemque ſpiritum propter ſupra quam abundantem totius divinæ vnitatis indiviſibilitatem; vnitatem & Trinitatem eſſe eam, quæ ſupra omnia eſt, Divinitatem. Et quidem vnitatem, atque Trinitatem hujuſmodi, quæ neque a nobis, neque ab alio quopiam eorum, quæ ſunt, cognita ſit.* Et Trinitatem alibi

r Dion. Hier. Eccl. c. 1. §. 3. c. 2. §. 3. de diuin. nom. c. 1. § 4. c. 2. § 7.

ſ Id. de Diuin. nom. c. 3. § 1.

t Ibid. c. 13. § 3.

alibi invocant, ijs elogijs glorificat, quæ vni ſoli ſummo omnium Deo congruunt; [u] Τριὰς (inquit) ὑπερούσιε, καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε τῆς χριστιανῶν ἔφορε θεοσοφίας, ἴθυνον ἡμᾶς; quæ difficile eſt latinis verbis reddere. Alia mitto, quæ in Dionyſianis de ineffabili hoc myſterio egregiè dicta ſubindè occurrunt. Mitto quod difficile ſit capere, ſi hic rectæ fidei de hoc adorando dogmate veluti canon, jam in Eccleſia ante Nicænam Synodum à Pauli Apoſtoli diſcipulo traditus extabat; quomodo fieri potuerit, vt tam durè nonnulli, qui antea vixerant, Patres vel de Chriſti, vel de Spiritus Sancti Theologia loquuti ſint; vt ex ijs apparet, quæ Tertulliano, & Origeni, & Nouatiano, & Dionyſio Alexandrino, etiam ipſi Iuſtino, parùm commodè de hoc argumento dicta excidiſſe omnes confitentur. Hoc, inquam, mitto. Illud vnum vrgeo; ſequentium Sæculorum Theologos, Trinitatis adverſus Arium defenſores, hæc quæ recitauimus, & alia hujuſmodi, ſi Dionyſiana illa noſtra habuiſſent, primo ſtatim poſt divinas Scripturas loco allaturos fuiſſe; vt ab antiquiſſimo & laudatiſſimo Traditionis Apoſtolicæ teſte ſcripta, & adeò in eam, quam confutabant, hæreſin, clara ac valida, vt adverſarijs, quod vel contra hiſcerent, planè nihil eſſet relictum. Itaque hunc ſcriptorem Bellarminus contra Arianos diſputans vna cum alijs vetuſtiſſimis in prima acie collocauit. [x] At ſi omnes, qui ſanè multi pro Nicęna fide quarto & quinto ſæculo ſcripſerunt, excuſſeris, altum vbique reperies de Areopagita, deque Areopagiticis ſilentium. Athanaſius in illa acie primas facilè tenet; vir, quo illuſtriorem illa tempora nullum tulerunt. Extant ejus plurima adverſus Arianos opera; in quibus [y] Veterum de Trinitate ſententias adverſarijs non rarò objicit; vt Theognoſti vt Dionyſij vtriuſque, id eſt Romani & Alexandrini, & ipſius denique Origenis. Alibi [z] quoque Arianis Dionyſium Alexandrinum in ſuam hæreſim torquentibus aliquot ejuſdem uiri egregias pro Sanctiſſimæ Trinitatis veritate ſententias opponit. Areopagitæ noſtri, qui ob vetuſtatem & ob dignitatem pluris vnus erat, quam omnes iſti ſimul, nuſquam meminit; neque cæterorum quiſquam, qui vel ijſdem, vel ſecutis ad ſextum vſque ſęculum temporibus de Trinitate contra Arianos plurimi ſcripſerunt. Hoc quoque vidit eruditiſſimus Morinus, ſed leviter alio properans attigit. *Prætermitto* (inquit) *argumentum illud, quo ante mille, centumque annos vſi ſunt Catholici* (Hypatius ſcilicet, & collegę) *adverſus hæreticos* (Severianos dicit,) *S. Athanaſium nempe, reliquoſque ejuſdem temporis Patres, hujus auctoris teſtimonijs adverſus Arianos nunquam vſos, licet omnium Patrum evidentiſſimè eorum blaſphemias confutaret.*

Sed non eſt omittenda alia quędam ſolertiſſima ejuſdem viri obſervatio, quæ evidentiſſimè conficit noſtris omnibus ad a. D. 362. & amplius plane penituſque ignotum fuiſſe Areopagitam. Hunc enim Morinus animadvertit *hypoſtaſeos nomen ita ab eſſentia diſtinguere, vt perſo-*

CAP. V.

u *Id. l. de myſt. Theol. c. 1. init.*

x *Bellarm. de Chriſto. l. 1. c. 10.*

y *Athan. de decret. Syn. Nic. T. 1. p. 274. 275. 277.*

z *Id. de ſent. Dionyſ. Alex. p. 560.*

Morin de Sacr. Ordin. Part. 2. 6. §. 1. p. 47.

Cap. V. *vt perſonam divinam notet, a natura diſtinctam*; eoque vocabulo in hac ſignificatione vti ſæpiuſcule, *non vt ſibi peculiari, & a ſe, aut ab alio quodam ad myſterium explicandum primum inventa, ſed veluti apud Theologos ſui temporis vulgata & celebrata*; *vt cum Deum vocat* ἑνάδα τρισυπόστατον *vnitatem in tribus hypoſtaſibus ſubſiſtentem*; *cum alibi ſcribit Deum laudibus ornari propter cœleſtis fœcunditatis in tribus hypoſtaſibus enuntiationem*; ὡς τριάδα ἢ διὰ τὴν τρισυποστάτου τῆς ὑπερουσίου γονιμότητος ἔκφρασιν; & paſſim alibi τὰς ἐναρχικὰς ὑποστάσεις *divinas hypoſtaſes* memorat.* At (inquit Morinus) iſto nomine ita vti cœperunt Theologi Græci poſt Concilium Alexandriæ a. D. 362. ab Athanaſio celebratum; quod ille multis veterum teſtimonijs confirmat, neque eruditorum quiſquam negat. Quinimo vox hypoſtaſis, cum primum in hoc Trinitatis negotio audiri apud noſtros ante illam Synodum cœpit, magnas in Oriente turbas dedit, plæriſque Orthodoxis eorum fidem ſuſpectam habentibus, qui *tres in Deo hypoſtaſes* dicerent; quod eo vocabulo, non *perſonam*, ſed *ſubſtantiam & naturam* vulgo ſignificari viderent Occidentales id nominis diu ſunt aſpernati; Hieronymus etiam refugit, veluti venenum in eo lateret, vt ex ejus priore ad Damaſum epiſtola liquet. *Sufficiat* (inquit) *nobis dicere vnam ſubſtantiam, tres* perſonas ſubſiſtentes, perfectas, coæquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & vna *teneatur. Tota* (inquit ibidem) *ſæcularium litterarum ſchola nihil aliud hypoſtaſim, niſi vſiam*, (id eſt ſubſtantiam) *novit; & quis ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit?* Quid ais Hieronyme? Tunc Dionyſium, Pauli diſcipulum, Chriſti Martyrem, tantum tamque divinum Theologum contemnis, qui hoc, quod tu *ſacrilegium* putas, prædicaſſe, & quidem libere, atque confidenter, neque ſemel, reperitur? Sed iſtum ſcilicet Areopagitam noſtrum neque Hieronymus, neque Occidentalium quiſquam, ac ne Græci quidem ſui norant; quos ſatis conſtat *hypoſtaſeos* nomen nequaquam fuiſſe commoturum, vel in partes ſciſſurum, ſi id Eccleſiæ Apoſtolicæ in recto ſenſu familiare, & a Dionyſio ſic vſurpatum fuiſſe ſciviſſent; Vt illud jam mittam, quod nemo contendentium, dum hæc ferveret controverſia, illa tam clara, tamque diſerta Areopagitæ teſtimonia uel pro ſe attulerit, vel ſibi objecta ſolvere conatus ſit, vel denique ullam aliam ad rem leviter memoraverit, vt ex ijs ſatis conſtat, quæ de hoc argumento apud veteres ſuperſunt. Omnia ſunt a Morino diligenter, & copioſe explicata, atque demonſtrata, quem videat,* ſiquis rem totam plenius pernoſcere cupit. Qui hinc non videt nullum adhuc fuiſſe quarto ſæculo præcipiti apud noſtros Dionyſium, is profecto nihil videt.

Eodem illo quarto ſæculo vixit Aërius, qui presbyterum Epiſcopo æquabat; vnum vtriuſque ordinem, parem & eundem ſtatum, ac dignitatem eſſe ſtatuens, hoc iſtius dogma refellit pro ſua virili Epiphanius, [a] & Epiſcopatus præ presbyterio eximia, ac præcipua aſſerere multis

Id. ibid.

Dion. Cæl. Hier. c. 7.
Id. de div. nom. c. 1.
* ibid. c. 2.

Hieron. ep. 55.

* Morin. vb. ſupr. §. 3. 4. 5. 7

a Epiph. hær. 75. §. 5 p. 909

CAP. V.

multis conatus. Dionyſij Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ ejus ſententiam tota luculentiſſimè conſtituit, quamque ideò Bellarminus, idem argumentum tractans, ſemel atque iterum laudat, nullus hic memorat. Quin & aduerſarij objectionibus coactus concedit [c] initio, cum nondum eſſent omnia perfecta, ſuiſque numeris abſoluta, Eccleſias ab Apoſtolis conditas fuiſſe, quæ ab Epiſcopo ſolo, abſque vllis presbyteris, regerentur. Quod cum abſque vetuſtiorum auctoritate, & ſanè ad hanc cauſam periculosè affirmetur, Epiphanio, nequid Hierarchiæ hinc præjudicaretur, enixè cauendum erat: Cauerè autem ſi Dionyſium ſciuiſſet, nullo negotio poterat, ex eo ſcilicet docendo maturè, & ipſis Apoſtolorum temporibus, planè perfectéque conſtitutam, & vſitatam fuiſſe ſuam illam Epiſcoporum in presbyteros ejuſdem Eccleſiæ ſibi ſubjectos auctoritatem, ac poteſtatem. Ergò ne hic quidem illa noſtra Dionyſiana nouerat; vir alioqui, vt ex toto ejus opere apparet, veterum admodum curioſus. Emerſit primis quinti ſæculi annis Pelagius, magna cum gloria ab Auguſtino victus, ac triumphatus. Cum autem Pelagianorum ſignifer Iulianus veteris ſecum Eccleſiæ conſenſum jactaret, Auguſtinus, vt hoc ei telum eriperet, aliquot Superioris memoriæ Theologos citat, [d] eorumque ſententias objicit adverſario, Irenæi, Cypriani, Rheticij Auguſtodunenſis, Olympi, Hiſpani, Epiſcopi, Hilarij, Ambroſij, Baſilij, Gregorij, ipſius denique paulò antè denati Ioannis Chryſoſtomi. Areopagitæ, qui diù antè iſtos omnes floruerat, & Pauli diſcipulus fuerat, nullus meminit. Ergo noſtra hæc ejus opera neſciebat, in quibus [e] ſententia adverſus Pelagium inſignis, & plæriſque ab Auguſtino ex alijs adductis haud paulò luculentior hæc legitur: *Naturam humanam ab initio divinis bonis imprudentia ſua ſpoliatam vita paſſionibus obnoxia, & tetræ mortis exitus excepit, quippe pernicioſa iſta veri boni deſertio, ſacræque in paradiſo legis præuaricatio eum, qui blandè mulcentibus & infeſtis adverſarij fraudibus illectus vitale jugum excuſſerat, propenſionibus ſuis, quæ divinis bonis adverſantur, dimiſit; vndè miſerè æternitatem cum mortalitate commutauit*; & cætera quæ in eundem ſenſum plura ſequuntur. Itaque nobilem hunc locum Bellarminus [f] in ſua contra Pelagianos diſputatione primum inter omnia veterum teſtimonia attulit. Habebat nimirùm quem afferret: Auguſtinus omiſit, quia nullus ejus memoria extabat adhuc Dionyſius.

b *Bellar. l. 1. de Cler. c. 14. §. idem argum. & §. Item Ignatius*

c *Epiph. vb. ſupr. p. 908.*

d *Auguſt. l. 1. contr. Iulian. c. 2. & 6.*

e *Dion. Eccl. Hier. c. 3 Theor. §. 7. 11.*

f *Bellar. de Amiſ. Grat. l. 4. c. 5.*

Eodem quoque ſæculo exortæ ſunt duæ inter ſe oppoſitæ hæreſes; prior Neſtorij, poſterior Eutychis; illa A. D. 431. in Epheſina Synodo; hæc A. 451. in Chalcedonenſi damnatæ; quod duas Chriſti naturas prior quidem diſcerperet, poſterior verò permiſceret, ac confunderet. In vtramque multi magnique athletæ ſuo quiſque tempore decertarunt; ac inter alia tela quibus in ea pugnarunt, vetuſtiorum quoque Patrum teſtimonia non pauca attulerunt. Cyrillus in opere de fide ad Regi-

Cap. V.

ad Reginas[g] adverſus Neſtorium complura loca ex Athanaſio, Attico, Antiocho, Amphilochio, Ammone, Chryſoſtomo, Seueriano, Vitali, & Theophilo deſcribit. Caſſianus [h] non pauciora in eandem rem adducit ex Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Ruffino, Auguſtino, Gregorio Nazianzeno, Athanaſio, & Chryſoſtomo. Contra Eutychem plures pugnarunt; leo [i] in primis P. R. I. & Theodoretus [k] & Vigilius, [l] non Tridentinus, ſed Afer. Et quidem vt videtur, Tapſitanus Epiſcopus; ſinguli aliquot vetuſtioris memoriæ ſcriptores ſuæ ſententiæ teſtes advocant Ignatium, Irenæum, Hippolytum, Methodium, Euſtachium Antiochenum, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium vtrumque Nazianzennm, & Nyſſenum, Ambroſium, Damaſum, alios. Denique Gelaſius P. R. I. qui ſedere cæpit A. D. 492. volumen adverſus vtramque hæreſim edidit, in cujus calce magnam ex antiquioribus Theologis teſtimoniorum vim congeſſit, quæ ab ipſo Ignatio Apoſtolorum diſcipulo, Hippolyto, & alijs repetit. Cæterum nullum in vtroque ordine de Dionyſianis verbum factum videmus; in quibus tamen vtraque illa hæreſis validiſſime configitur, & quidem ita, vt illas celeberrimas Synodi Chalcedonenſis, pæne proprias, voces, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀναλλοιώτως, ἀμεταβόλως diſertè ab eo poſitas reperiamus. Quid enim iſtis clarius? [n] *Ieſum, etſi ſimpliciſſimum ineffabili modo ſic eſſe compoſitum, vt qui æternus eſt, is acceſſionem ſumſerit temporalem; quique vniverſum totius naturæ ordinem ſupereſſentialiter tranſcendit, idem ad infima naturæ noſtræ deſcenderit, SERVATIS tamen PROPRIETATIBVS SVIS prorſus immutatis, & INCONFVSIS* μετὰ τῆς ἀμεταβόλου καὶ ἀσυγχύτου τῶν οἰκείων ἱδρύσεως. Item; *Dei Filium ad noſtram vſque naturam ex humani generis amore ſe demiſiſſe, noſtramque VERE ſubſtantiam aſſumpſiſſe, & qui SVMMVS DEVS eſt, virum vocatum eſſe:* ἀληθῶς οὐσιώθη καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος ἐχρημάτισεν. *Ipſum nobiſcum communicaſſe ſine ſui immutatione, aut confuſione.* ἀναλλοιώτως καὶ ἀσυγχύτως. *Noſtra omnia ex nobis, & ſupra nos excellenter habuiſſe.* Hęccine ſi ſciuiſſent vel Cyrillus, & Caſſianus aduerſus Neſtorium, vel Leo & Vigilius & & Gelaſius aduerſus Dioſcorum omiſiſſent, tam apposita ſuæ vtrique cauſæ? Hoc vero planè eſt incredibile. Illud ergo quod diximus, verum eſt, ne horum quidem temporibus adhuc fuiſſe uel efficta uel edita illa noſtra Dionyſiana.

g *Cyril. Alex. L. de fide ad Regin. c. 9. T. 2. Concil. in Conſil. Epheſ. p. 57.*
h *Caſſia. de Incarn. l. 7. c. 24.*
i *Leo Epiſt. 97.*
k *Theodoret. Dial. 1. 2. & 3. extremis T. 4. p. 33. 86. 154.*
l *Vigil. L. 5. contra Eutych. Bibl. Patr. T. 4. Part. 1. p. 530.*
m *Gelaſ. contra Euty. & Neſtor. Bibli. Patr. T. 4. P. 1. p. 423.*
n *Dion. de divin. Nom. c. 1. §. 4.*
o *Ibid. c. 2. §. 10 vide & de Myſt. Theol. c. 3*

Capvt VI.

CAPVT. VI.

VI. Idem inde demonſtratur; quod Areopagitica neque Euſebius in Hiſtoria, neque Hieronymus, neque Gennadius in Catalogo Scriptorum Chriſtianorum memorant. Refelluntur adverſariorum exceptiones.

Idem quoque inde licet diſcere, quod Euſebius vtriuſque Teſtamenti veros, ac Canonicos libros vbique magna diligentia, ſingularique ſtudio ex veteribus confirmat. Ac ad veteris quidem Teſtamenti Canonem conſtituendum ipſius primò Ioſephi, Iudæi vt notum eſt, ſcriptoris, teſtimonium totum deſcribit; [p] ſic etiam Chriſtianorum, Melitonis, Sardenſis Epiſcopi, [q] item Origenis, [r] inſignia in eam rem loca accuratè recitat. Noui verò Teſtamenti libros & vniuerſos ſimul ex eodem Origene, [s] & alibi ex aliis [t] exſequitur, & ſingulos ſeorſum firmat, quos uetuſtiores uelut divinos vſurparint, uel etiam ut dubioſe canone rejecerint ſtudioſe paſſim obſervans. Dionyſij teſtimonium multo iſtis omnibus potius tum ob ſcriptoris antiquitatem, tum ob plenitudinem (quod utriuſque fæderis canonem ſimul ſemelque exhibet) nullus uſpiam memorauit; ac nè leviter quidem indicavit. Quis uerò dubitet, totum, etiam multo maiori ſedulitate, deſcripturum fuiſſe, ſi ſciviſſet, quam Origenis uel Melitonis loca, ne quid de Ioſepho dicam? Nihil enim iſto Dionyſij Canone luculentius dici poteſt, in quo pro indubitatis omnes veri ac legitimi tum veteris, tum Noui Teſtamenti libri recenſentur, vt in Hierarchia Eccleſiaſtica [v] videre eſt. Certe hic vnus locus clariſſimè oſtendit ignotum omnibus primorum Sæculorum Chriſtianis fuiſſe hunc Scriptorem. Nam ſi Noui Teſtamenti canon Dionyſij, diſcipuli Paulini, Athenienſis Epiſcopi, Martyris denique Sanctiſſimi voce & manu conſignatus jam extitiſſet illis temporibus; nemo pius de re tanti viri diſertiſſima auctoritate conſtituta dubitaturus erat. Atqui de ea etiam tum a non paucis, & quidem præclaris viris dubitatum eſſe conſtat. Verbi gratia noſter *Apocalypſin* & inter divinos libros clariſſimè cenſet, & *Ioannis, divini* & ab Ieſu *dilecti diſcipuli* eſſe liquido affirmat. [x] Hanc verò & quoſdam jam olim reprobaſſe teſtatur Euſebius; [y] & clariſſimum æui ſui lumen, Dionyſium Alexandrinum narrat Ioannis eſſe exſertè negaſſe, idque multis argumentis demonſtrare eſſe conatum; in ſuo adverſus Nepotem Chiliaſtam opere, vndè verba non pauca deſcribit Euſebius, [z] & in ijs hæc, *quoſdam antè ſe librum Apocalypſis omninò antiquare irritumque facere, cum ſingula eius capita coarguendo, tum ipſum totum nec probabilitate roboratum, nec ratione concluſum oſtendendo, magnoperè ſtuduiſſe, & falſo titulo*

p *Euſeb. Hiſt. l. 3. c.* [illegible]o.
q *Idem ibid. l. 4. c. 26.*
r *Ibid. l. 6. c. 25. fol. 65. a.*
ſ *Ibid.*
t *id. ibid. L. 3. c. 25.*
u *Dion. Hier. Eccl. c. 3. Part. 3. § 4.*
x *Ibid. p. 247. B.*
y *Euſeb. Hiſt. L. 3. c. 24. fol. 48.*
z *Id. ibid. L. 7. c. 24. 25.*

CAP. I.

inſcriptum affirmaſſe ; dixiſſeque non Apoſtoli vel Eccleſiaſtici alicuius viri eſſe , ſed Cerinthi hæretici. [a] Iam iſta & alia ejuſdem farinæ vel iſtos fuiſſe diſputaturos, vel hunc etiam Dionyſium, ea quæ diximus defenſurum, contra Paulini diſcipuli auctoritatem plane eſt incredibile. Ergo fatendum eſt nullam adhuc iſtis temporibus fuiſſe apud noſtros Hierarchiam Dionyſij Eccleſiaſticam. Huc accedit quod ipſe Euſebius; qui ſedulò obſeruare ſolet quinam ex veteribus Scriptoribus librorum Sacrorum, de quibus controuerſia erat, auctoritate vtantur, vel non vtantur, de hoc Dionyſio qui etiam iſtis libris ſæpè vſus eſt nullum verbum facit verbi gratia Apocalypſin à Theophilo, [b] a Iuſtino, [c] & Irenæo, [d] citari notat, & librum de ea ſcripſiſſe Melitonem. [e] De Dionyſio noſtro altum in his, vt vbique alias, ſilentium; cuius neque auctoritatem in Canone Apocalypſin diſertè recenſentis (quam non omiſit [f] Bellarminus in eodem argumento) neque exemplum quædam ex Apocalypſi citantis [g] vſpiam memorat. Idem de Epiſtola Pauli ad Hebræos obſeruare eſt, quam noſter Dionyſius nō ſemel citat, [h] de eo ſolens tacet Euſebius, qui tamen alios Epiſtola hac vſos diligenter notat, quod de ea magna olim apud noſtros controuerſia fuiſſet. Ita Clementem [i] multa ex ea habere, & alibi Irenæum [k] loca quædam ex ea adhibere obſeruat, & alibi eam a Clemente Alexandrino [l] pro vera Pauli Epiſtola cenſeri tradit. Sic & Iacobi Epiſtolam aliquos olim repudiaſſe teſtantur Origenes, [m] & Euſebius; [n] & hic obſeruat veteres pleroſque neque huius, neque eius quæ Iudæ eſt, meminiſſe. At vtramque noſter Areopagiticus citat, [o] quod ſane tametſi memorabile, neque Origenes, neque Euſebius memorat. Ergò nulla adhuc iſtorum temporibus erant Areopagitica.

Hoc denique, etiamſi ſuperiora omnia argumenta deeſſent, clariſſimè conficit Euſebij & Hieronymi, & Gennadij de ijs inter opera Scriptorum Chriſtianorum conſtans, confeſſumque ſilentium. Euſebium quidem etiam in Chronicis, præſertim vero in Hiſtoria Eccleſiaſtica, videmus curioſiſſime indagare, diligentiſſimeque annotare, qui quibuſque temporibus apud noſtros jam ab initio ad Conſtantini uſque tempora floruerint ſcriptores, ſcripta etiam quorum auctores neſciret, commemorare; Ac ne ea quidem contemnere, quæ vel meritò ſuſpecta, vel liquido aperteque apocrypha eſſent. Hunccine quiſquam crediderit Dionyſiana auctoris, ſi uera ſunt, & Chriſtianorum omnium poſt Apoſtolos antiquiſſimi, adhæc per ſe ipſa & librorum numero, & ex earum rerum quas tractant, dignitate, ac ſublimitate, ſpecioſiſſima, vel ignoraturum fuiſſe, ſi extitiſſent, vel diſſimulaturum, ſi ſciviſſet? In tanta veterum ſcriptorum multitudine facile fieri potuit, vt vnum & alterum imprudens fortaſſe omiſerit, quorum uel nomen obſcurius, vel opera aut pauciora eſſent, aut in argumentis minus neceſſariis verſarentur. At iſtorum nihil in Dionyſiana ca-

dit.

a *Caius idem innuit ibidem L. 3. c. 28.*

b *Euſeb. Hiſt L. 4 c. 24 fol. 42. a.*

c *Ibid. c. 18. fol. 40. 6.*

d *Ibid. L 5. c. 8.*

e *Ibid L. 4. c. 25.*

f *Bell. de verbo d. L. 1. c. 20. §. deinde*

g *Dion. de diuin. Nom c. 2. §. 1. & alibi*

h *Id. de Hier. Eccl. c. 5. part. 3. § & ſæpè alibi.*

i *Euſeb. Hiſt. L. 3. c. 37.*

k *Ibid. L. 5. c. 27 extr.*

l *Ibid. L 6. c. 13*

m *Origenes in Ioan. Erat. 19. p. 368. & Trac. 21. p 372.*

n *Euſeb. Hiſto. L. 2. c. 23. extr.*

o *Dion. de diuin. Nom c. 4. § 23. Hier. Eccl. c. 7. Part. 3. § 7.*

dit. Nam auctor quidem, qui dicitur, longe nobiliſſimus eſt, Pauli diſcipulus, Epiſcopus, & Martyr, & ipſi Euſebio diſertè, ex quadam Dionyſij Corinthij epiſtola nominatus ac laudatus. Hæc ipſa viri in eo hiſtoriæ loco mentio Euſebij memoriam, ſi quid vnquam de ejus libris ſciuiſſet, erat haud dubie excitatura, vt quæ de iis ſciret, ibi traderet. Operum verò ipſorum & moles & numerus, & dignitas ea etiam nolentis animo obieciſſet, ſubegiſſetque, vel invitum ſui alicubi meminiſſe; præſertim uerò in ipſis Chriſtianiſmi primordijs, vbi cũ magna rerum penuria laborare ſe fateatur Euſebius, tam inſignem, tamque vtilem materiam minime aſpernaretur, ſi qua in promptu fuiſſet. Quod verò ex Latinis nonnulli dubitant Euſebium Dionyſiana quodam Arianæ cauſæ ſtudio ſcientem volentem ſuppreſſiſſe, id inquam futile eſt, & ex vna eorum libidine confictum. Quid enim? An neminem ſcriptorem memorauit Euſebius niſi qui Arianæ hæreſi faueret? An eos omnes tacuit, qui aduerſantur? Atqui ſi hoc admittimus, illud quoque (quod quam abſurdum ſit omnes vident) fatendum erit pæne omnes Chriſtianos ante Conſtantinum ſcriptores Arianis fauere; quos, pauciſſimis exceptis, omnes Euſebius in hiſtoria memorauit. Iuſtinum quidem certè, Irenæum, & Clementem Alexandrinum, & Gregorium Neocæſarienſem, & Dionyſium Romanum, & Cyprianum, & alios gratiæ aut favoris in Arianiſmum adeò non ſuſpectos, vt eos & veteres, & recentiores inter Orthodoxiæ columina habeant, & pro ſuis etiam Bellarminus, & alij Latini ſæpè citent; Euſebius non parciùs aut maligniùs laudauit, quam alios quibus aliquid fortaſsè Arianicum excidit, antequam Alexandriæ, Arius, quaſi dæmonium meridianum, naſceretur, ſecuriùs, quod ait Hieronymus; [p] & incautius ſcribentibus. Cur ergò qui illos magnificè celebrauit, hunc Dionyſium ne nominaret quidem? Id verò Euſebium aliquo vel in auctorem, vel in opus ipſum odio feciſſe, adeò nulla eſt ſuſpicandi ratio, vt Areopagiticorum recentiſſimus, idemque avidiſſimus ac animoſiſſimus defenſor Halloixius Ieſuita ſcribere non dubitaverit, quod Euſebium quidam cauſſificantur Dionyſiana fraude ſuppreſſiſſe, id *ſe convitium putare*. Huc accidit, quod hæc, quæ ab iſtis nulla ratione fingitur, cauſa, etiamſi Euſebium à Dionyſianis memorandis deterruiſſet; minimè tamen erat effectura, ne idem ſi Dionyſiana ſciviſſet, inſignes de quibus nuper diximus, de Heliopolitana Eclipſeos Solis obſervatione, de Carpo, de Ioanne, de Hierotheo hiſtorias commemoraret. Licebat enim eas memorare ipſas; libros in quibus eas, legiſſet, tacere. Ille verò non hiſtorias, magis quam libros ipſos vſpiam memorauiſſe reperitur. Quod ergò vtraque tacuit, id nullo Arianiſmi ſtudio (quod iſti ſtultè ac inſcitè commenti ſunt) ſed vna Dionyſianorum noſtrorum ignoratione facit. Ac tametſi magnæ ſit temeritatis, & alicuius etiam fortaſsè periculi, quem primum ac pænè vnum, certè præcipuum habemus rerum Chriſtianarum ex prima

CAP. VI

p *Hier. Apol. aduerſ. Ruffin.*

q *Halloix. de Operib. Dion. q. 72. p. 35.*

D 2 antiqui-

CAP. VI. antiquitate ſcriptorem, eum tantæ adverſus verum iniquitatis damnare; ferrem tamen, ſi ſolus Dionyſiana tacuiſſet. Nunc eadem eſt & Hieronymi, qui Euſebium proximè ſecutus eſt, & Gennadij qui Hieronymum excepit, ratio. Vterque Dionyſiana æquè ac Euſebius, tacuit. Quid ergò? Arianiſnè vel Hieronymus, vel Gennadius fauerunt? Stultum eſt vel hoc quærere. Atqui ſi Dionyſiana ne ij quidem memorant, quos ab Arianiſmo planè penitúſque alienos fuiſſe conſtat, profectò cur Dionyſiana Euſebius tacuerit, nullum Arianiſmi ſtudium cauſa fuit, ſed aliquid aliud, quod vtrorumque, Arianiſmo ſcilicet vel faventium, uel adverſantium, commune fuit. Id verò aliud eſſe non poteſt, niſi hoc vnum; quod nimirùm Dionyſiana, & Euſebius Arianorum fautor, & Hieronymus Gennadiuſque ab ijs alieni, utrique iuxta, pariterque neſcierunt. Ac nos quidem Dionyſiana neſciuiſſe iſtud eorum de his ſilentium tanto probat efficacius, quod cum vterque poſt Euſebium ſcripſerint, eos decebat, quæ ab illo uel flagitioſè, uel certe imprudenter prætermiſſa erant, egregia Apoſtolici viri, Epiſcopi, & Martyris clariſſimi opera tantò impenſius celebrare, & ab hominum obliuione vindicare. Id præter ipſum eorum in ſuis illis ſcriptorum catalogis inſtitutum poſcebat & flagitabat, tum tanti viri nomini ab omnibus Chriſtianis debita laus ac reuerentia, tum vel maximè communis totius Eccleſiæ vtilitas, cujus vt omnes intelligunt, ſummoperè intererat Dionyſiana diſcuſſis, retectiſque, ac conuictis Arianorum fraudibus, in lucem retrahi, neque diutiùs iniquiſſimo ſilentio obrui tam multa, tamque diſerta Orthodoxæ de æterna ac conſubſtantiali Domini Ieſu divinitate teſtimonia. Dionyſiana ergo Hieronymus ſi qua ſciuiſſet, commemoraſſet in eo de Scriptoribus Eccleſiaſticis libro, quem A. D. 392. ad Dextrum edidit, ſanè luculentiſſimum; notaſſet Euſebij perfidiam, qui Arianæ hæreſeos ſtudio corruptus tam præclara, tamque antiqua Sanctiſſimi Martyris opera malignè tacuiſſet; Indicaſſet clariſſima illa, quæ in ijs leguntur, quæque Arianos apertiſſimè jugulant, de Divina Trinitate teſtimonia; ea uel omnia, uel certè aliquam partem conſultò recitaſſet; quem in eodem volumine aliorum interdum auctorum uerba deſcribere non piguit, etiam multò minùs quàm hæc vtilia ac neceſſaria. Sed nil horum ab Hieronymo in ſuo illo Catalogo factum videmus. Ergo, ne ille quidem Dionyſiana norat. Neque quicquam aduerſus hoc telum valet duplex aduerſariorum cauillatio. Hieronymum enim quod Dionyſium prætermiſerit, alij quidem ſic excuſant, [r] ut dicant id a ſciente volente factum, quod nimirùm in Catalogo eos tantùm ſcriptores commemorare inſtituiſſet, quos poſuiſſet Euſebius, alij verò Hieronymum Dionyſiana reſciuiſſe fatentur quidem, eo verò effici negant, vt illa non extiterint, uel nulli alij nota fuerint non enim eſſe incredibile, ut Hieronymum latitantem in angulo mundi ſcripta Dionyſij latuerint, quæ Ariani ubique diſperſi ſupprimebant.

r *Baro. ad Martyr. Rom. Rom. d. 9. Octo.*

mebant. Nam ſi id quidem, quod priores ſtatuunt, verum eſſet; non ideò tamen Hieronymum decebat tantam Euſebij in tacendis Dionyſij operibus fraudem incaſtigatam relinquere. Licebat reliquos ab Euſebio memoratos ſcriptores, lectoribus de ejus in Dionyſianis flagitio breuiter ab initio admonitis, percurrere, atque ita inſtitutum exſequi. Huc accedit quod hanc fuiſſe Hieronymi in eo libro mentem, vt non alios quam ab Euſebio memoratos ſcriptores referret, merum adverſariorum ſomnium eſt. Vndè enim quæſo id probant? Hieronymus certè id uſque adeò non affirmat, vt etiam planè liquidóque refellat. [s] Ait enim ſe a Dextro rogatum, vt ſcriptores, non quoſcumque memoraſſet. Euſebius, ſed *omnes* a paſſione Chriſti uſque ad annum Theodoſij Imperatoris decimumquartum, *qui de Scripturis Sanctis memoriæ aliquid prodidiſſent, ſibi breviter exponeret.* Sed & mox profitetur ſe *Eccleſiæ Chriſtianæ ſcriptores enumeraturum*; quod omnes vident longè latiùs patere, quam ſi ſcriptores ab Euſebio traditos diceret. Tum & ſibi hoc opus contexere difficilius eſſe ſignificat, quàm Tranquillo & alijs Ethnicis auctoribus fuerat Gentilium litterarum uiros enumerare; *Illi enim* (inquit) *hiſtorias veteres, annaleſque replicantes potuerunt, quaſi de ingenti prato, paruam opuſculi ſui coronam texere. Ego quid acturus ſum, qui nullum prævium ſequens peſſimum vt dicitur, magiſtrum memet ipſum habui?* Hęc ille; ſtultè profectò & inſulsè, ſi quod Latini nunc ſtatuunt, ex vno Euſebio ſua abſoluere ſtatuerat. Nemo enim dubitat, quin ſua ex vno certo, eoque non admodùm prolixo ſcriptore excerpere, longè minoris faciliorіſque ſit negotij, quàm eadem ex auctorum pænè innumerabilium hiſtorijs, annalibuſque veteribus colligere; quod Tranquillum & alios Ethnicos feciſſe, dixit Hieronymus. Denique frigidum hoc commentum ipſum Hieronymi opus validè repellit, ac diſſipat, in quo ſcripta non pauca recenſeri videmus, de quibus Hiſtoria Euſébiana vel planè nihil, vel certè multò pauciora dixerat. Minucium, Arnobium, Lactantium, Rheticium Auguſtodunenſem, Victorinum, & Pontianum Cypriani Diaconum, nuſquàm quod meminerim, celebraverat Euſebius; quos Hieronymus apud Dextrum ſuum fusè loquitur. Neque huic dictos Novatiani libros nouit Euſebius vel Amæbeas Pauli & Senecæ Epiſtolas Græcus laudauit, quas Latinus memorat. Quin & apud hunc Iuſti Tiberienſis Agrippæ, Tryphonis, & Gemini, ſiue Geminiani, & Archelai, & Methodij nomina, & opera lego; quæ apud illius hiſtorias nulla, quod ſciam, apparent. Vt taceam Hieronymum ea ipſa, quæ tetigit Euſebius, interdùm latiùs, & diligentiùs exſequi; vt exempli gratia quædam ille habet de Tertulliano, & Hippolyto, quæ fruſtrà apud hunc quęras. Non ergò Hieronymi hoc in libro animus, vel inſtitutum fuit ea duntaxat Chriſtianorum ſcriptorum opera memorare, quę jam Euſebius in hiſtoria tetigerat; ſed omnia quę quomodocunque noſſet, edere ac

CAP. VI.

[s] *Hiero. præf. L. de ſcript. Eccl.*

Cap. VI. recenſere. Neque uerius, aut probabilius fingitur vir omnium ſui ſæculi eruditorum princeps, quæ extarent Apoſtolicorum hominum ſcripta neſciviſſe; falsòque & præter manifeſtam ejus mentem huc trahitur, quod ipſe *de illo terræ angulo* dicit, in quo tum degebat, cum ad Dextrum ſcriberet; nimirùm in monaſterio Bethleemitico, quo antè annos aliquot ſe ceſſerat. Illa enim Hieronymi verba, non ad quoſvis, non certè ad veteres, ſed ad recentes ſuique æui ſcriptores pertinent, vt legenti planum eſt; *Siqui autem de his* (inquit) *qui vſque hodie ſcripſerunt, a me in hoc volumine prætermiſſi ſunt, ſibi magis, quam mihi imputare debebunt. Neque enim celantes ſcripta ſua de his, quæ non legis, noſſe potui, & quod alijs forſitan ſit notum, mihi in hac terrarum angulo fuerit ignotum.* Horum quos dicit, etiam tum ſcribentium opera nondum per orbem ſparſa, ijſque tantùm locis, in quibus nata erant, adhuc nota, non eſt mirandum Bethlehemum vſque peruenire ad Hieronymum non potuiſſe; veterum, & multis ante Hieronymi ſeceſſum annis publicè proſtantium librorum longè diſpar ratio eſt, quos ille, & antequam in illum angulum ſecederet, audiſſe ac legiſſe in vrbis Romanæ Luce, in qua diu floruerat, & in Græcia, vbi Gregorio Nazianzeno operam dederat, & alijs in locis, quæ ſtudioſe inviſerat, & ſecum poſtea Bethlehemum aſportare, & ex vicinis Paleſtinæ, atque Ægypti bibliothecis conquiſita habere facilè poterat. Quod poſtremò dicunt adverſarij Dionyſij libros ſuppreſſos fuiſſe paſſim ab Arianis, id inquam non modò temere, & abſque vllo auctore, ſed etiam ſtulte & ridiculè fingunt. Quæro enim, an non ridiculum ſit eos libros aliquando *ſuppreſſos eſſe* dicere, quos antè ea tempora extitiſſe nullus demonſtres, vel demonſtrare poſſis? Oſtende primum illa tua Dionyſiana olim ante Arium in rerum natura fuiſſe; tum te audiam expedientem a quibus & qua arte ſuppreſſa fuerint: Nunc nugas agis, qui ea ſuppreſſa eſſe iactitas, quo tempore ne fuiſſe quidem probas. Ex his patet nullam fuiſſe cauſam cur Dionyſiana Hieronymus, uel neſcierit ſi iam tum extabant; vel ſi ſciret, non memoraverit in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Vnde ſequitur ea, & neſciviſſe Hieronymum, quæ iſtic nulla memorauit, & revera nulla tum adhuc fuiſſe, quæ vir tantus ac talis neſcire potuerit. Sed & ſi finxeris Hieronymum (quod plane eſt incredibile) imprudentem iſtos libros, quantumvis jam natos & editos, per oblivionem tacuiſſe; figmenti vanitatem abunde coarguet Gennadius, Hieronymitani Catalogi continuator. Is enim ecce ſtatim in ipſo operis ſui exordio Iacobi Niſibeni, Hieronymo indicta, opera repræſentat, [t] idem haud dubie Dionyſio præſtiturus, ſi quos ejus libros debita per anteceſsoris ſui imprudentiam laude fraudatos noſset. Nihil ille in toto ſuo Catalogo ſimile præſtitit; de Dionyſio & Dionyſianis æque hic quoque cum Hieronymo, & Euſebio tacet? Ergo neceſsario confitendum eſt ad quintum vſque

ſæculum

[t] Gennad. l. de ſcript. Eccl.

ſæculum & quidem iam præceps, omnibus Græcis Latiniſque juxta ſcriptoribus ignota fuiſſe Areopagitica illa Dionyſij noſtri, quæ jam circumferuntur, opera. Gennadius enim illud ipſum opus in quo de his tacet, uſque ad annum quinti illius ſeculi XCIV. pertexuit.

CAPVT VII.

VII. Argumentum ex Hypatij, & Catholicorum eiuſdem memoriæ teſtimonio deſumptum: qui A. D. 532. obiecta ſibi à Seuerianis hæreticis quædam Dionyſianorum loca reiecerunt; libros, vnde deſcripta erant, Areopagitæ eſſe negantes. Hunc eſſe primum ex omni antiquitate locum, in quo Areopagitica memorentur; ſed ab hæreticis prolata & aſſerta, a Catholicis exploſa, & refutata. Hypatij auctoritate confirmatur ſuperior omnis noſtra aduersùs Areopagitica diſputatio.

FAteor breui poſt Gennadium illa noſtra Dionyſiana prodiiſſe. Fallitur enim Bellarminus,[v] qui ea multò longius differt vſque ad tempora Gregorij P. R. I. qui ſeptimi ſæculi initia attigit. Atqui nondum agebatur annus ſexti quadrageſimus, cum citari in diſputationibus, & aliquo inter homines Chriſtianos loco eſſe cæperunt. Primus autem, quod ſciam, locus, in quo ſcriptoris hujus Areopagitici fit mentio, occurrit apud Innocentium Epiſcopum Maroniæ civitatis, in eo commentario, in quo collationem quandam Iuſtiniani Imperatoris iuſſu à Catholicis præſide Hypatio Metropolita Epheſino, cum Severianis hęreticis Conſtantinopoli habitam deſcribit; cui ipſe quoque ab Auguſto evocatus interfuit. Hanc Epiſtolam Baronius a Doctiſſimo viro Nicolao Fabro Pariſijs ad ſe miſſam, primus vt opinor, in ſeptimo Annalium tomo publicavit,[x] plurimum ſe hoc ei nomine debere profeſſus. Ex huius deinde Annalibus in Tomum Conciliorum tertium eadem epiſtola tranſlata eſt, quo loco Lutetiæ excuſa eſt,[y] & Ioannis P. R. II. temporibus aſſignata. Baronius quod reperiat Hypatium illum Epheſinum A. D. 533. Romam ad Ioannem Epiſcopum a Iuſtiniano miſſum fuiſſe, non abſurdè conjicit eam collationem anno ſuperiori (id eſt A. D. 532.) habitam eſſe. Ego, vt annum ipſum definire nequaquam auſim; illud certè omninò probabile verique ſimillimum putaverim noſtros circa illud tempus cum Severianis eſſe colloquutos. In illius ergò collationis deſcriptis ab Innocentio actis, cum Severiani noſtris quædam objeciſſent, velut *a Cyrillo & Athanaſio, & Fœlice, & Iulio, & Gregorio Thaumaturgo*, ac Denique a *Dionyſio Areopagita*[z] tradita, atque conſtituta; Hypatius, quem auctor *os Catholicorum in ea collatione fuiſſe* dicit, *vt Petrus olim fuerat Apoſtolorum*, ad iſta ſic reſpondet, vt

v Bell. L. de ſcript. Eccl. in Diony. Areop.

x Bar. A. D. 532. §. 30. 31.

y Concil. T. 3. ſub Ioan. P. R. 2. p. 853. col. 1.

z §. 35. apud Bar.

CAP. VII. det, vt [a] quæ Cyrilli & Athanaſij, & Fælicis & Iulij, & Gregorij
a §.38. Bar. eſſe Seueriani ſignificabant teſtimonia, ea falſa eſſe omnia, & ab Apollinariſtis hæreticis jam olim vel ficta vel corrupta & adulterata fuiſſe multis fusè contendat; de Areopagitæ verò locis ita adverſarios
b §.39. Baron. Concil. T.3. p. 855. col.1. D. cõveniat; [b] *Illa* (inquit) *teſtimonia quæ vos Dionyſij Areopagitæ dicitis, vnde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim eius erant non potuiſſent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico? quando & B. Athanaſius ſi pro certo ſciſſet eius fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de Conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet aduerſus Arij diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea; vnde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſcio.* Hæc hactenus Hypatius. Gratia magna ſit & Fabro primum noſtrati, & ipſi etiam Baronio, qui tam illuſtre veritatis teſtimonium ſervarunt, publicique juris fecerunt. Hinc enim videmus Areopagitica illa, quæ nunc tanto cum plauſu a latinis celebrantur, quo primùm tempore legi, & audiri cæperunt, in hæreticorum ſinu conſpecta eſſe; ab *hæreticis* laudata, & pro veris vſurpata; a *Catholicis* contra repudiata, proque falſis & ſpurijs rejecta. Vnde patet quantum ab illis temporibus mutata ſit rerum facies. Nunc enim ſi Bellarminum audimus, de iſtis operibus, quin verè Dionyſij ſint *Viri docti & Catholici nihil dubitant*; *ſoli hæretici & ſcioli* aliter ſentiunt. Ineunte verò ſexto Chriſtianiſmi ſæculo res planè aliter ſe habebat. Catholici quidem hæc Dionyſij eſſe non modo dubitabant, ſed planè & apertè negabant; Eſſe Dionyſij *hæretici* ſibi perſuadebant, & pro Dionyſianis objectabant. Viderit Bellarminus, vter melior ſit *Catholiciſmus*, vetus-nè, an recens? Nos nunquàm pudebit veterem præferre ac ſequi. Sed iſtius ſcilicet, & gregalium hic ſolennis morbus eſt, vt quicquid a ſuis opinionibus diſcedit, id quantumvis verum, antiquum ac perſpicuum, pro *hæretico* ſugillent, ac infament; quicquid ſuis placitis congruit, id viciſſim quantumvis falſum, & ab omni antiquitatis ſenſu alienum, pro *Catholico* laudent ac celebrent. Vtcumque ſit, nulla profectò invidia eſt de iſtis Dionyſianis vnà cum Epheſino Archiepiſcopo, & quatuor alijs illius Eccleſiæ viris, imò vnà cum omnibus ejuſdem ævi Catholicis ſentire, quorum Epheſius in illo colloquio partes agebat. Sed illi Catholici præter ſui nominis, ſuique ævi auctoritatem, quæ vel ſola, plurimum in hoc rerum genere valere debet, rationem inſuper ſuæ ſententiæ addunt graviſſimam, ficta hæc & ſuppoſititia eſſe eo argumentantes, quod neque Cyrillo, neque Athanaſio, neque cuiquam ex antiquis cognita, vel memorata fuiſſe reperiantur. Quo loco diligenter obſervandus eſt canon ab iſtis ad agnoſcendos veros veterum libros præſcriptus; vt quos nulli auctorum propiores ſcriptores memoraverint, eos vel pro falſis, vel certè pro dubijs ac incertis habemus; maximè ſi, qui eos tacuerunt, ijs fuerit iuſta ac legitima illos commemorandi ratio.

Quæ

CAP. VII.

Quæ profectò regula & ſapientiſſima eſt, & veriſſima, & longè tutiſſima; eamque Ioannes de Launoy Theologus Pariſienſis doctiſſimus, proprio nuper opuſculo aſſerere, ac conſtituere, & hoc Hypatij exemplo inter cætera confirmare non dubitauit. [c] Sed illud præſertim tertio animadvertendum eſt, quod ad hanc propriè cauſam ſpectat; nempè veteres iſtos Catholicos Dionyſiana eodem illo, quo hactenùs vſi ſumus, argumento oppugnare; a Cyrilli, & Athanaſij, & cæterorum antiquorum ſilentio petito; tum & maturè ea nobis abundè ſubminiſtrare, quibus invictam atque ineluctabilem hujus argumenti vim a nouitiorum ſophiſtarum cauillationibus ac vitilitigationibus tueamur. Duo enim ſunt, quibus iſti noſtram hanc obiectionem. Si non infringere, certè eludere, & eleuare ſe poſſe ſperant. Ac prius quidem eſt, quod aiunt quoſdam ex veteris Chriſtianiſmi ſcriptoribus, imò & ex ijs ipſis, quos ſupra objecimus, Dionyſiana ſciuiſſe, & commemoraſſe; Alterum verò eſt, etiamſi nemo planè ſit veterum, cui nota fuerint Dionyſiana, minimè tamen eo effici, vt Areopagitam non habuerint parentem. Vtrumque clariſſimè refellit Hypatius; prius quidem dum vna cum ſuis exſertè negat *Cyrillum, Athanaſium*, vllum denique *ex antiquis* hæc Dionyſiana *recordatum eſſe*, poſterius verò cum *hæc* dicit; *Si verè Dionyſij erant, non potuiſſe latere B. Cyrillum*, cumque mox profitetur, *Si nullus ex antiquis ea recordatus ſit, neſcire ſe, vnde poſſit oſtendi quod Dionyſij ſint.* Iam his paucis verbis veteres illi de ſexto ſæculo Catholici omnem recentium adverſariorum pro ſuis Dionyſianis diſputationem ita fregerunt, ac diſiecerunt, vt ſi apud æquos judices res tractetur, nullus illis ſuperſit recalcitrandi locus. Quæſo enim vtris potius de veſtuſſimorum Theologorum libris credere nos par eſt, his-ne hodiernis, ac nudius-tertius natis diſputatoribus, adhæc ſuæ cauſæ ſtudio ardentibus, an illis ante vndecim ſæcula denatis, & procul ab hodiernarum controverſiarum æſtu verſantibus? Baronio ſcilicet, & Perronio, & Halloixio, & alijs ejuſdem ordinis viris, melius quam Hypatio, Metropolitæ Epheſino ſexti ſæculi viro, & alijs ejuſdem æui antiſtitibus, nota erant Athanaſij, Cyrilli, Dionyſij Alexandrini, & Chryſoſtomi opera, vt Areopagitam in ijs memoratum, illis quidem affirmantibus credamus; his exſertiſſimè negantibus non credamus? Vel ſola nomina docent de *veteribus* potiorem eſſe *veterum*, quam nuperorum hominum fidem. Illud verò alterum quantæ quæſo, impudentiæ eſt antiquæ fidei primariæque dignitatis Epiſcopos negantes Dionyſiana, ſi vera eſſent, Cyrillum & cæteros latere potuiſſe, mendacij, & paralogiſmi inſimulare; contendereque falsò hos & imperitè argumentari, dum Dionyſiana ideò arguunt, quod ea nemo ex antiquis recordatus ſit? Pace tua Bellarmine, dixerim; Ego Hypatio, & veteribus Catholicis ita in Dionyſiana tua arietantibus multò melius ac tutius credi puto, quam tibi nullo auctore, nulla ratione, ex

c *I. de Launoy Diſſertat. de argum. negante 19. p. 8.*

vna tui ingenij libidine vaticinanti hos libros quatuor tota ſæcula omnibus hominibus ignotos in neſcio quibus cryptis latuiſſe. Idem nobiſcum ſenſiſſe Morinus eo deprehenditur, quod hoc ipſum Hypatij & Catholicorum de Dionyſianis judicium expendens, id, quo nituntur, argumentum validum videri, & ſcribit, & ita eſſe multis rationibus oſtendit.

Morin. de Sacr. Ordin. Part. 2. c. 1. §. 8. p. 29.

Capvt VIII.

Refellitur prior adverſariorum ad ſuperiorem demonſtrationem cavillatio, fruſtra pugnantium Areopagitica veteribus antè A. D. 500. nota fuiſſe. Eorum librorum, quos in eam rem laudant, auctores non eſſe Athanaſium, Chryſoſtomum, Origenem; ſed homines iſtis multò recentiores; quod & ex rebus ipſis; & ex adverſariorum quorumdam confeſſione demonſtratur. Dionyſium verò Rhetorem, quem in Areopagitica ſcripſiſſe tradunt, non antiquum illum eſſe de tertio ſæculo Epiſcopum, ſed alium neſcio quem multò iuniorem; neque Cyrilli verè fuiſſe, ſed Cyrillo ab Acephalis ſubdita ea opera, in quibus Areopagitica citata fuiſſe narrat Liberatus: Aulicum diſputatorem fruſtra ex Nicephoro Calliſti contendere Iuuenali, veteri Hieroſolymorum Epiſcopo cognita fuiſſe Areopagitica. Bellarminus fatetur ea veteribus ad 6. ſæculum ignota fuiſſe.

SEd etſi vnum hoc Hypatij teſtimonium Dionyſianorum patronos per ſe ſatis refellat; age tamen eorum cavillationem, nequid ad veritatis illuſtrationem deſit, vtramque excutiamus. Primo ergò contendunt Baronius, Perronius, & alij, quibuſdam primorum quinque ſæculorum ſcriptoribus cognita, & memorata fuiſſe noſtra Dionyſiana. Quos ergò ad rem, tam, vt ex ſuperioribus patet, incredibilem teſtes adducunt, ſigillatim audiamus; ſi prius monuero eò majorem iſtorum eſſe in hac cauſa inverecundiam, quod non modo Hypatio, & ſocijs eius Catholicis contradicant, iam inde ab huius controverſiæ initio negantibus *vllum ex antiquis* Dionyſiana *recordatum eſſe*; Sed & cum alijs pugnent, qui tametſi cum ipſis defendant hæc vera eſſe Dionyſij opera, vi tamen veritatis victi confitentur ea à Chriſtianis ante ſextum ſæculum ſcriptoribus nuſquàm fuiſſe memorata. Nam ex veteribus quidem Anaſtaſius, tametſi Areopagitica uerè eſſe Dionyſij errans putet, fatetur tamen a nullo ex antiquioribus ad Gregorij P. R. I. ſeculum fuiſſe memorata. *Notandum eſt* (inquit) *quod licet tantæ gloriæ, tantæque ſcientiæ, ſiue antiquitatis iſte ſanctus*

Anaſt. Epiſt. ad Car. Calu.

ſanctus Dionyſius fuerit; nunquàm tamen aliqua opuſcula eum edidiſſe (niſi fallor) quæcumque Orthodoxorum ſcripta traditio prodit, priuſquam Romani Pontifices (videlicet Gregorius, Martinus, & Agatho dictorum eius in conſcriptis ſuis mentionem fecerint, & ea per hæc probabilia indicantes admiſerint; quibus loca ſubiicit, in quibus tres illi Papæ Dionyſianorum meminerunt, infra a nobis ſuo tempore memoranda: Ex recentioribus verò latinis Sixtus Senenſis negat [e] myſticam Dionyſij Theologiam Athanaſij temporibus extitiſſe videri; & Petavius Areopagitica dicit [f] *nondum quinque primis Chriſtianiſmi ſæculis extitiſſe*. Bellarminus diſertè, quod ſupra diximus, concedit [g] *antè Gregorium Romanum* (id eſt antè ſæculi ſexti ſuprema) neminem horum operum nomine S. Dioniſij Areopagitæ meminiſſe: Quamquam & iſte, & ipſe quoque Anaſtaſius vltra veri metas præteruecti nobis aliquando plus largiantur, quam decebat; neſcientes uel certè non recordantes Dionyſiana anno ſexti ſæculi 32. iam fuiſſe a Severianis hæreticis vſurpata. Sed iam ea videamus, quibus adverſarij tantam lucem fruſtrà obſcurare nituntur. Ergò Baronius Athanaſium obiicit, cui *notum fuiſſe videri* dicit [h] *librum de cæleſti Hierarchia*. Itanè verò? Athanaſio-ne notum fuit vllum tui Dionyſij opus Baroni? Atqui huic nominatim viro ignota fuiſſe Dionyſiana diſertè affirmat ipſe ille tuus Hypatius, quem non ſemel laudaſti, quemque nobiſcum publicè communicaſti? Quid facerem, inquit? Nam Athanaſius *librum illum de cæleſti Hierarchia citaſſe reperitur*. Vbi, inquam? In Quæſtionum libro, inquit, quæſtione quarta. Atqui te Baroni, ſi non alia moverent, certè aliqua Hypatij tui reverentia tenere debuit, ne ei temerè contradiceres; ne-ve veteri Catholicorum magiſtro quicquam obiiceres, quod non eſſet fidei vſquequaque certæ, atque exploratæ. Nunc qui, qualiſque vir es, qui vt Hypatius mentitus eſſe videatur, pro vero, de quo ipſe loquitur, Athanaſio, magno illo Synodi Nicænæ defenſore, neſcio quem nobis alium, de infima tribu ignobilem ſcriptorem obiectas? Quis enim quæſo eſt, *quæſtionum illarum ad Antiochum*, quas tu hic nobis obtrudis, auctor? *Eſt nè magnus Athanaſius? Non eſſe* (inquit Martinus Delrio) [i] *inde colligitur, quod in ijs Sancti Epiphanius, & Gregorius Nyſſenus citantur, illo magno Athanaſio iuniores. Liber quæſtionum ad Antiochum Athanaſij non videtur* (inquit Sixtus Senenſis) [k] *qui in Quæſtione quarta Theologiam myſticam Dionyſij allegat, Athanaſij ſæculo, vt arbitror, ignotam; & Q. 33. citat Athanaſium ipſum & ab eo etiam diverſam ſententiam profert*. Poſſevinus idem iudicat, [l] obſeruans Epiphanium in eodem libro Q. 4. & Nyſſenum Q. 8. velut *antiquos auctores* citari, quos tamen conſtat magno Athanaſio fuiſſe iuniores. Quin & quoſdam his ipſis recentiores illic quoque laudari, Chryſoſtomum, Scalam Ioannis, Maximum, Nicephorum, alios. Bellarminus omnium fortiſſimè, [m] *Quæſtiones* (inquit) *ad Antiochum Athanaſij eſſe*

CAP. VIII. *de Dionyſianis a Ioanne Scot. latinè redditis inter epiſtolas Hibernic. Vſſer. 24.*

e *Sixt. Sen. Bibl. L 4. in Athan.*

f *Petau. de Angel. L. 2. c. 6 §. 12.*

g *Bell. L. de ſcript. Eccl. in Dionyſ.*

h *Bar. A. D. 109. §. 61*

i Delrio. *Vind. Areop. c. 14.*

k *Sixt. Bibl. l. 4. in Athan.*

l *Poſſeu. Appar. Sacr. Athan.*

m *Bell. L. de ſcript. Eccl. in Athan.*

CAP.VIII. *non poſſunt*; & præter Detrij, Sixti, & Poſſevini argumenta, hoc etiam affert, quod is ſcriptor Q. 108. *dicat Romanos eſſe Francorum genus*; *ex quo* (inquit) *apparet auctorem eſſe recentem. Franci enim dicuntur omnes Occidentales in regnis Turcarum.* Ex his liquet hunc Scriptorem vel nullum Athanaſium eſſe, uel ſi Athanaſius fuit, alium certè fuiſſe ab Alexandrino; Athanaſium fortaſsè Antiochenum (quod Blondellus noſter [n] cenſuit) tribus aut quatuor ſæculis Alexandrino recentiorem. Hunc ego non miror, quem quiſquis de cætero ſit, ex ijs quæ diximus, conſtat non modo poſt Chryſoſtomum, ſed etiam poſt Ioannem Climacum, & Maximum vixiſſe) hunc, inquam, Dionyſiana nouiſſe non miror, quæ anno ſexti ſæculi 32. diu antè Maximum, celebrari cæperant. Sed quid hæc ad Athanaſium illum Alexandrinum, anno quarti ſæculi 70. iampridem extinctum? Itaque planè eſt intolerabilis Baronij error, qui hunc nobis hominem pro vero de quo quæritur, Athanaſio obtrudit. Eodem quoque modo hanc ineptiſſimam pro Dionyſianis objectionem ſolvit Morinus; ſcribens *omnes fateri librum illum Quæſtionum ad Antiochum non eſſe Athanaſij fœtum, verum auctoris longe recentioris, & liberato* ipſo (qui a. D. 550. floruit) *multo poſterioris*; Quanquam, (vt verum fatear) vix mihi perſuadeam Baronium Quæſtiones, quas citat, uel legiſſe, uel quid in ijs legiſſet, animo cum illa ſcriberet, reputaſſe. Nam ſi meminiſſet, fieri profectò non poterat, ut tantus Annaliſta eum pro magno Athanaſio haberet, a quo ſciret Nyſſeni & Chryſoſtomi, & Maximi ſententias, ut alia mittam, referri ac laudari. Vtcunque ſit, ſiue ea fuerit Baronij negligentia, ſiue fraus; illud quidem nunc ſatis ſuperque conſtat ſtare adhuc Hypatij ſententiam, Dionyſiana magno Athanaſio cognita fuiſſe negantis, fruſtraque ei objici ſcriptoris ab Athanaſio diverſiſſimi auctoritatem. Eadem eſt Baronii in Chryſoſtomo oſcitantia, a quo narrat laudatum Areopagitam, & ob divinam operum ſublimitatem *Volucrem cæli* appellatum. Vbi inquam, hæc habet Chryſoſtomus? *In Oratione* (inquit) *quam & Anaſtaſius Bibliothecarius olim commemorauit, & Perronius nuper vidit in illuſtris viri Lollini Bibliotheca, cum eſſet venetijs.* Benè eſt, quod illa Chryſoſtomi oratio, *cignæa* ſcilicet ejus, ſi iſtis credimus, *cantio* Græcè Latinèque nunc extat, titulum de *pſeudoprophetis* præferens; ſeque ipſa negat eſſe Chryſoſtomi, omneſque & Anaſtaſij, & Perronij ſuſpiciones, atque hiſtorias uno ſuo flatu diiicit, ac diſſipat. Duas ejus editiones ſanè diverſiſſimas vidimus; Ducæanam, quæ prior Lutetiæ; Savilianam, quæ poſterior, Etonæ in Anglia ex Cæſareo codice M.S. expreſſa, & adornata eſt. Vtraque luculentiſſimas præfert alterius à Chryſoſtomo auctoris notas. Ac poſterior quidem dum narrat Montanum cum duabus meretricibus (priſcam & Maximillam intelligit) magno ſtudio fuiſſe à Paulo Apoſtolo Pſeudoprophetiæ conuictum, oſque eius impurum in nomine Ieſu Chriſti obſtructum

n Blondell. de ſibyll. c. 45 p. 404.

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 1. §. 10. p. 30.

obſtructum. [o] ὁμοίως καὶ τὸν τούτου υἱὸν μᾶλλον δὲ καὶ τοῦ διαβόλου Μοντανὸν τὸν μικρὸν καὶ ἀκάθαρτον καὶ ἄθεον μετὰ τῶν δύο μοιχαλίδων, σπουδῇ πολλῇ ὁ ἅγιος Απόστολος Παῦλος ἐλέγξας, καὶ ἄθεον ἀποδείξας, καὶ ψευδόχριστον, καὶ ψευδοπροφήτην, ἐφίμωσε, καὶ ἐνέφραξε τὸ μικρὸν αὐτοῦ στόμα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ. Hæc tam ſtulta ſunt, tam ab omni hiſtoriæ veritate, certiſſimaque temporum ratione aliena, vt in nullius, niſi imperitiſſimi & ineptiſſimi nugatoris mentem venire potuerint; nedum vt Chryſoſtomo, viro & eruditionis & ſapientiæ ſingularis, hæc monſtra excidiſſe quiſquam ſanus putet. Neſcit ſcilicet Chryſoſtomus, quod uel pueri omnes norunt, Paulum Apoſtolum Martyrium ſub Nerone feciſſe, annis minimum centum antequam Montanus cum ſua Priſcilla, & Maximilla exortus eſſet. Sed & hæc, & Ducæana quoque editio aliud ambæ præferunt non minus manifeſtum impoſturæ argumentum; quo loco Chryſoſtomum faciunt exclamantem, & interrogantem; *Vbi nunc ſint Chriſti hoſtes*, & hæreticorum principes, nonnulloſque nominatim recenſentem ac inter cæteros, Neſtorij quoque nomen edentem, qui locus in Saviliano exemplari ſic habet. [p] ποῦ Μαρκίων; ποῦ Οὐάλης; ποῦ Μελάνης; (vel potius Μάνης) ποῦ Βασιλείδης; ποῦ Νέρων; ποῦ ἰουλιανὸς; ποῦ Ἄρειος; ποῦ Εὐνόμιος; ποῦ Νεστόριος; ποῦ ἅπαντες οἱ ἀντιτασσόμενοι τῇ ἐκκλησίᾳ; In Ducæana verò editione paulò aliter legitur; [q] ποῦ Βασιλείδης; ποῦ Ἄρειος; ποῦ Νεστόριος; ποῦ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι; ποῦ πάντες οἱ ἀντιτασσόμενοι τῇ ἀληθείᾳ; οὐχὶ πάντες καθεῖ λογῷ; *vbi Baſilides? vbi Arius? vbi Neſtorius? vbi, qui deinceps fuerunt hæreſiarchæ? Nonnè omnes perierunt?* Hæc non poteſt ſcripſiſſe Chryſoſtomus, antè exortam ac patefactam Neſtorij hæreſim, vt notum eſt, mortuus. Ergò neque illa de *cæleſti alite* ſcripſit, quæ paulò poſt in eadem homilia leguntur. [r] Suavis homo Gerardus neſcio quis Voſſius, ne hoc indicio pateſceret non eſſe Chryſoſtomum, quem ipſe cæco Dionyſianæ cauſæ ſtudio Chryſoſtomum eſſe vult, facili manu huic loco medicinam fecit. Qui enim in Græco codice eſt *Neſtorius*, hunc ille in Latina interpretatione ſua *Eunomium* fecit; atque ita ſcripſit, quaſi revera ita in Græcis reperiſſet; quam ego fraudem longè ſceleratiſſimam eſſe arbitror; ea in libris delere atque inuertere ex quibus vel argui, uel aſſeri queat eorum auctoritas. Melior Frontonis Ducæi fides, qui Græca vt exhibuimus, candidè repræſentauit, quæ ſcilicet invenerat in libris. Neque enim quiſquam credo, verebitur-ne homo Ieſuita *Neſtorium* de *Eunomio* finxerit; ne Chryſoſtomo cognita fuiſſe Dionyſiana putaremus. Quo accedit & Anglicanæ editionis conſenſus, *Neſtorium* ex Cæſareo codice hic cum Ducæo repreſentantis. Illa quidem & *Eunomium* exhibet; ſed non ſolum, vt Voſſius; Quem hic peſſimo animo expunxit Neſtorium, illa *Eunomio* comitem optima fide ſubiunxit. Halloixium, [s] non pudet contra vtriuſque editionis fidem dictare in ſui Frontonis exemplari malè haberi, ποῦ Νεστόριος; *vbi Neſtorius?* & reſcribi jubere ποῦ Εὐνόμιος; vbi.

CAP. IV.

o *Chryſoſt. ſavil. T. 7. p. 2. 61. lin. 33.*

p *Ibid. p. 217. lin. 28.*

q *Chryſoſt. edit. Pariſ. T. 6. p. 470. B.*

r *Ibid. T. 6. p. 480. A. Sau. T. 7. p. 218. lin. 2.*

s *Halloix de ſcript. Dion. T. 2. p. 534. col.*

CAP. VIII. vbi *Neſtorius?* nullo alio niſi ſuo illo Voſſio auctore; quem ait *meliùs & integrius exemplar Græcum nactum eſſe, quam ſit illud* quod Fronto ſequutus eſt; in hoc lacunas aliquot ineſſe cauſſatus; quæ in illo nullę ſunt. At ego tibi Halloixi, aliud Cæſareum ſcilicet manuſcriptum exemplar exhibeo, in quo etſi æquè ac in tuo illo Voſſiano lacunæ nullæ ſint, *Neſtorij* tamen nomen planè, diſertéque expreſſum legitur. Quamquam quid ego iſti concedo ab eo, quod Voſſius nactus eſt, exemplari *Neſtorij* nomen adfuiſſe? Certè non alio Voſſius Græco codice vſus videtur, quam Vaticano, cuius Latina huius Homiliæ interpretatio ex Vaticana ipſa Typographia A. D. 1598. primùm prodiit. Ego vaticanum fateor, exemplar non vidi; Vehementer tamen ſuſpicor non abeſſe ab eo *Neſtorij* nomen. Suſpicionis mihi ratio eſt, quod H. Sauilius, [t] vir & eruditionis diffuſiſſimæ, & fidei optimæ, in ſuis ad hanc Homiliam notis præfatus poſt abſolutam Chryſoſtomi ipſius editionem ad ſe miſſas eſſe à Doctiſſ. Frontone Ducæo in hanc orationem caſtigationes ex apographo Romano Iacobi Sirmondi, quod cum alio codice VATICANO contulerat; hęc inquam, ille præfatus, vbi ad hunc locum ventum eſt, nihil planè ad eum exhibet, quod aliter in Vaticano fuerit, quam ipſe in ſuo edidit, in Sirmondi verò apographo Neſtorij nomen expreſſum fuiſſe diſertiſſimè ſignificat, cum ad lineam 22. p. 217. editionis ſuæ (vbi extat ille, de quo quæritur, locus) ita annotat; [v] *poſt* Νεςόριος *addit Sirmondus*; ποῦ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι; Ergo vt vides, Neſtorius erat in Sirmondi codice. Si abfuiſſet a Vaticano, quis dubitat virum accuratiſſimæ diligentiæ, candoriſque ſummi, id in ſuis caſtigationibus fuiſſe obſervaturum? Non obſervaſſe, Sauilij ea de re ſilentium fidem facit; qui tam inſignem diverſitatem non erat prætermiſſurus, ſi quam eius mentionem in illis a Dacęo miſſis caſtigationibus reperiſſet. Non ergò Neſtorij nomen à Vaticano codice abfuit; ſed id Voſſius in ſua interpretatione ſuppreſſit, aut diſſimulauit, nequid hoc loco expreſſum Dionyſianis, magnis ſuorum delicijs, noceret; ſolumque iſtic Eunomium, vel reliquit, ſi in libro eius MS° æquè ac in Cæſareo, legebatur, vel certè de ſuo ſuffecit. Quamquam ne ſic quidem ſibi, aut ſuis ſatis cauit Voſſius. Nam ſi hæc verus, quod iſte vult, Chryſoſtomus loquitur; dicat mihi quæſo, quinam illi ſint *hæreſiarchæ*, poſt Eunomium, vel viuente adhuc Chryſoſtomo, vel antè eum & nati, & extincti? Qui enim quærit *vbi ſit Eunomius*, καὶ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι, & *qui deinceps fuerunt hæreſiarchæ?* οὐχὶ πάντες καθείλοντο; *Nonnè omnes perierunt?* qui ſic inquam, loquitur, cum omnes vident hoc velle, ſe poſt Eunomij exitium, non vnius aut alterius, ſed plurium hæreſiarcharum, & ortus & interitus vel vidiſſe, vel certè didiciſſe. Iam expediat Voſſius, quinam *iſti ſint hæreſiarchæ*, quos Chryſoſtomus poſt Eunomium ſublatum natos & extinctos ſciverit? Ex Hieronymo ſatis conſtat [x] Eunomium a. 14. Theodoſij (qui Chriſti fuit 392.) adhuc vixiſſe, & contra Eccle-

[t] *Sauil. Not. in Tom. 7. Chryſ. quæ habentur T. 8. p. 858.*

[u] *Ibid. p. 859. Not. ad p. 217.*

[x] *Hier. de ſcrip. Eccl. proœm. & c. 20.*

ſiam

ſiam ſcripſiſſe in Cappadocia; & ad a. D. 393. vel etiam 394. ſuperfuiſſe ex Philoſtorgio veri [y] ſimillimum eſt. Sed neque ambiguum eſt Chryſoſtomum non vltrà A. D. 407. vitam produxiſſe. Dic Sodes Voſſi, quinam hæreſiarchæ hoc tantillo annorum quatuordecim, qui inter Chryſoſtomi; a. D. 407. Mortui, & Eunomij obitum interceſſerunt, ſpatio, & orti ſunt, & occiderunt? Tu verò nullos potes dicere. Nullos hic exhibent vlli Eccleſiæ priſci, recenteſve Annales. Ergò qui quærit *vbi ſint*, qui poſt Eunomium exindè ſurrexere hæreſiarchæ; qui rogat *annon interierint*, tuus homiliæ laudatæ ſcriptor, is profectò Chryſoſtomus eſſe non poteſt, qui nullos hujuſmodi vel videre, vel ex fama noſſe potuit. Is in aliud tempus neceſſariò ſubmovendus eſt; & poſt Neſtorium, imò etiam poſt Eutychem, & Dioſcorum, & Acephalorum indè ortorum multiplices ſectas, id eſt in ſæculum ſextum ablegandus eſt; quo tempore verè dicere potuit; *Vbi Arius? Vbi Eunomius & Neſtorius? vbi, qui exindè fuere hæreſiarchæ? Nonnè omnes perierunt?* Sed & præter hoc certiſſimum argumentum, totius orationis color atque idea negat huius homiliæ patrem fuiſſe Chryſoſtomum. Notaverat Fronto Ducæus. Halloixius negat [z] tantam eſſe ſtili diverſitatem, quantam facit Fronto. Vtri credemus? Nam vterque Ieſuita eſt. Hoc intereſt, quod Fronto & candidus, & Græcè Doctiſſimus, & in Chryſoſtomo quem ferè totum edidit & illuſtrauit, verſatiſſimus; Halloixius rabioſus, neque vlla vel in Græcis litteris, vel in Chryſoſtomęa lectione præ eruditorum plebe, excellentia nobilis. Si ergo vel vnum dicentium meritum ſpectetur, nullum dubium eſt, quin Frontoni potiùs credendum ſit, quam Halloixio. Sed nobis nihil magnoperè opus eſt Frontonis naſo, vel labris. Res per ſe loquitur. Si quis Chryſoſtomum vel ex vnguibus novit, noſtrum illum audiat Peronij ac Baronij olorem. Sentiet inter vtrumque tantum eſſe diſcriminis, quantum ferè eſt inter ſimiam, & hominem, inter puerum, & virum. Chryſoſtomi dives oratio æquabili fluit agmine, aureum verborum flumen maxima cum iucunditate voluens. Hic alter, ſalebroſus, & jejunus Sophiſta, vbique ſubſultat; neque incedit, ſed claudicat; & exclamans interdùm pueriliter, frigida & tumida elocutione nequicquam attollitur; cadit quoties ſurgit; quæ omnia à divina Chryſoſtomęa orationis felicitate plurimùm aliena ſunt. Memini equidem cum olim iſtam homiliam primum legerem me ſubitò reſilijſſe, & vix Decurſis principijs ſtatim ſenſiſſe aliam eſſe hanc, quam Ioannis Vocem Halloïxij inanes ratiunculas contra apertam veritatem nitentis, nihil moror; neque neceſse eſt ab Albertino [a] noſtro eliſas retractare; quem adire ſi dubites, licet. Hæc ſatis ſunt, vt quivis intelligat non Chryſoſtomo magis, quam Athanaſio cognita fuiſſe Dionyſiana. Ad Origenem venio; quem Baronius, ſed facetè, in hanc quoque diſputationem inducit. Quem enim affert Origenem, eum ipſe ibidem confitetur non eſſe Origenem; [b] *Eſt*, inquit, *& apud Origenem ſermo (&* *licet*

CAP. VIII.

y *Philoſt. L.* 11. *c.* 5. *vbi vide Gotofredum.*

z *Halloix. Q.* 2. *de ſcript. Dion. p.* 533. *col.* 2.

a *Albertin. de Euchar. L.* 2. *in Dion. c.* 1. *p.* 261. *col.* 2.

b *Bar. a. d.* 109

Cap. VIII. §.61. extr. Orig hom. 2. de diuerſ. T. 2. p. 439. Orig. T. 2. p. 430. c Sixt. Bibli. L. 4. in Orig. d Poſſeu. in Appar. Dion. e Grets. Defenſ. Bell. T. 1. L. 4. c. 7. * Morin. de Ordin. Part. 2. c. 1. §. 11. p. 30. f Halloix. de ſcript. Dion. Q. 2. p. 588 6.

licet Origenis non ſit, antiqui tamen auctoris eſt tractatio pugnantis adverſus Arianos) in quo idem Dionyſius Areopagita citatur. Quem autem dicit *Sermonem* is titulum præfert *homiliæ de diuerſis ſecundæ.* Laudo equidem, quod negat eſſe opus Origenis; Negant cum illo Sixtus Senenſis [c] Poſſevinus, [d] Gretſerus, [e] Morinus, [*] qui homiliam ab homine Latino compoſitam eſſe dicit, & ipſe Halloixius; [f] qui præter alia hujus ſententiæ argumenta hoc haudquaquam contemnendum adducit, quod Maximus, vetus Areopagiticorum Scholiaſtes, vir in Patrum libris verſatiſſimus, in ſua pro ijs Apologia, ad illam adverſariorum objectionem reſpondens, *Quod nec Euſebius Pamphili, nec Origenes ſcriptorum Dionyſij meminerint*, faſſus eſt neque hunc neque illum neque vllum *antiquiorum patrum feciſſe librorum Areopagitæ mentionem.* At non fuiſſet hoc conceſſurus, neque hanc Origenis homiliam præteriturus, cum & occaſio eſſet, & vrgeret neceſſitas; ſi ea verè Origenis eſſet. Sed res etiam per ſe plana eſt. Quis enim adeò obeſæ naris eſt, qui eam homiliam, in qua & Arianorum, & Manicheorum diſerta mentio fit, Origenis antè vtroſque mortui eſſe putet? Illud verò merito, vt mihi quidem videtur, rideo, quod Baronius ſcriptoris ſuo ipſius teſtimonio incerti auctoritate pugnet. Sed *ſcriptor*, inquit, *eſt antiquus.* Primò vnde habes *antiquum* eſſe, quem quis ſit, neſcire te fateris. Tum, ſi antiquum eſſe donauero; quid hoc ad rem tuam facit? *Antiquus* & mihi, & tibi erit, ſi eum antè annos nongentos vixiſſe conſtiterit. Atqui nunc non quæritur, an ijs, qui ante nongentos annos hoc eſt ſeptimo ſextoue ſæculo ſcripſerunt, nota fuerint Dionyſiana, quæ nos vltrò concedimus, anno ſexti ſæculi 32. celebrari jam cæpiſſe; hæreticis primò laudantibus, catholicis verò aſpernantibus; vtriſque poſtremò applaudentibus. Quæritur an antè illa ſexti demum ſæculi initia vnquam auctori Chriſtiano eadem innotuiſſent. Innotuiſſe hujus homiliæ ſcriptor non aliter conficere poteſt, niſi tu eum non ſimpliciter, quod ais, *antiquum*, ſed ſexti ſæculi hominibus *antiquiorem* fuiſſe demonſtres; quod tu vſque adeò non demonſtras, vt id ne demonſtrare quidem tentes. Atque hæc quidem ſunt, quæ Baronius ex ſuperſtitibus antiquitatis libris pro ſuis Dionyſianis attulit. Sed his obiter quoque miſcet aliquot de veteribus fabellas. Ac primò nobis narrat, [g] ex Maximo veteri Dioniſianorum ſcholiaſte, Dionyſium Alexandrinum celeberrimum ac antiquiſſimum de tertio ſæculo Epiſcopum noſtra illa Areopagitica, non modò ſciuiſſe, ſed etiam ſcholijs illuſtraſſe. Eandem quoque fabellam Perronius noſtris hominibus propinauit; [h] Bibliothecas de more crepans, & in illa Lolliana paulò ante a nobis memorata hos ipſos Dionyſij unius in alterum commentarios extare affirmans. Moueret, ſi fabulam ex aliquo nobis Euſebio, vel ex ejuſdem memoriæ ſcriptore firmarent; quam nunc ex vno Maximo, ſeptimi jam inclinati ſæculi homine? adhuc auidiſſimo Dionyſianorum admiratore repetunt. Euſebius præclaram, ſummiſque cum laudibus coniunctam viri mentionem non

g Bar. a. D. 109 §. 61.

h Perron. de Euch. L. 2. c. 3.

CAP. V.

vno hiſtoriarum loco facit. [i] Libros ejus, atque epiſtolas, & opuſcula recenſet, plurima quin etiam inde deſcribit, tanta cura, tantoque ſtudio, vt alium ſcriptorem non facilè reperias, quem diligentiùs uel cupidiùs exſecutus ſit. Huius heortaſticas, ſiue Paſchales orationes, & Eccleſiaſticas epiſtolas etiam breuiſſimas, duo de promiſſionibus adverſus Chiliaſtas volumina, & alia non pauca memorat. De ſcholijs in Areopagitam, nullum verbum facit. Hieronymus, pari diligentia omnia Dionyſij hujus accuratiſſimè conquiſita retulit; [k] de Areopagiticis ejus commentarijs nihil dixit. Abſurdum uerò eſt planéque incredibile, qui cætera hujus viri tanta cura dixerunt, eos hoc vnum ejus opus prætermiſiſſe; quod ſi verè extitiſſet, cæteris non modò non ignobilius, ſed etiam ob ſingularitatem nobilius futurum erat. Sed non eſt multis verbis opus. Eſto; Dionyſium Scholia in Areopagitica ſcripſiſſe dixerint veteres; celeberrimum illum de tertio ſæculo Alexandriæ Epiſcopum ſcripſiſſe non dixerunt. Res clara eſt. Nam Anaſtaſius Sinaita [l] alterū ab altero evidentiſſimè diſtinguit; *Rhetorem* diſertè eum vocans, qui in Areopagitam ſcripſit. At Epiſcopum, non *Rhetorem* dixiſſet, ſi antiquiſſimum illum ab Euſebio, & alijs tantoperè celebratum, Dionyſium intellexiſſet. Abſurdum enim eſt, & apud veteres planè inuſitatum eum virum *Rhetorem* ſimpliter dici, qui ſit Epiſcopus, & quidem in Epiſcopis æui ſui principibus nobiliſſimus, ac pænè ſummus. Anaſtaſius ergò Areopagitæ Scholiaſtem Dionyſium διακριτικῶς *Rhetorem* appellauit, ut ab Epiſcopo cognomine quidem, ſed multo antiquiore, diſtingueret. Sic & Nicetas Choniates eodem in re pari elogio vſus eſt; [m] *Dionyſius quoque*, inquit, *Alexandrinus ille Rhetor, in Scholijs, quæ in ſibi cognominem Areopagitam edidit, ait ingenitum apud externos, ſeu profanos philoſophos omnem naturam ſignificare, quæ ſub aſpectum non cadit.* Vides, ut hic quoque, planè ut Anaſtaſius, *Rhetorem* diſertè indigitet ſuum illum Areopagitæ interpretem Dionyſium? Nimirùm duo Alexandriæ Dionyſij fuerunt; vnus nobiliſſimus, ciuitatis Epiſcopus, alter longè ignobilior, Rhetor; Ille tertio ſæculo floruit; hic diu poſtea vltimis Chriſtianiſmi in Ægypto temporibus, ut uel ex eo apparet, quod omnibus vetuſtioribus ignotus ab his ſolis ſcriptoribus Anaſtaſio, Maximo, & Niceta, memoratus reperiatur, quorum, qui uetuſtiſſimus eſt Anaſtaſius, eum ex capite ſui Hodegi decimo intelligimus diu poſt Eulogij Alexandrini Patriarchæ mortem (id eſt poſt Ann. D. 608.) librum illum ſcripſiſſe. Maximus ad Areopagitæ ſui gloriam pertinere ratus, vt eius opera non recens ignobilis Rhetor, ſed antiquiſſimus & clariſſimus Theologus interpretatus eſſe putaretur, uolens deceptus eſt, & quem Dionyſium *Rhetorem* ab Anaſtaſio dici legebat, eum, cæco animi ſui ſtudio obſequens, magnum illum Dionyſium eſſe, quod cupiebat, facilè credidit. Itaque quo ſomnium ſuum alijs quoque perſuaderet, nõ ſimpliciter *Dionyſium Alexandrinum Rhetorem*, ut Anaſtaſius, & Cho-

i *Euſeb Hiſt.* L. 6. c. 40. 41. 44 45. 46. & c. l. 7 c. 4. 7. 10. 11 19 25. 26.

k *Hier. de ſcrip. Eccl.* c. 69.

l *Anaſtaſ. ſin. in Hodego* c. 22

m *Nicet. Chro. in Theſaur.* L. 2. c. 15. p. 37. 38.

CAP. VIII.

n *Max. Schol. in Dion. Hier. cæl. c. 5. init.*

niates; Sed [n] *magnum Dionyſium illum Alexandriæ ex Rhetoribus Epiſcopum*, dixit ὁ μέγας (inquit) Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων. Vbi obiter notanda eſt hominis verſutia, qui quod apud uetuſtiores legerat, ſuum iſtum Dionyſium Rhetorem fuiſſe, ſic interpretatur, quaſi illi hunc ex Rhetorum ordine in Epiſcopum promotum fuiſſe vellent. Sed eorum iſte mentem manifeſtè peruertit, qui hominem Rhetorem fuiſſe dicunt; *ex Rhetoribus* in Epiſcopum creuiſſe, nuſquàm vel ſignificant vel innuunt. Dionyſium ſanè antequam Eccleſiæ Alexandrinæ regendæ præficeretur, ſcholam κατηχήσεως ſub Heracla deceſſore, *Presbyterum tenuiſſe*; eo mortuo, ex hoc gradu ad Epiſcopatum ejuſdem ciuitatis aſſumptum eſſe, & Euſebius [o] & Hieronymus [p] tradunt; Eundem Rhetorem primo fuiſſe, & ex Rhetore factum Epiſcopum, nemo ueterum dixit. Id unius Maximi deliramentum eſt, ſuo in Areopagitica amori indulgentis. Quanquam ne hunc quidem Maximum Halloixius affirmaſſe concedat, quod Dionyſius Alexandrinus commentarios in Areopagitam ſcripſerit. Vult enim, & quidem pugnat multis argumentis, Dionyſium iſtum, in quem alter ejuſdem nominis Alexandrinus ſcripſit, non *Athenienſem* à Maximo, ſed *Corinthium* intelligi. Quod ego, an verum ſit, neſcio. Nicetas enim Areopagitam diſerte nominat. Vtcunque ſit, hoc quidem mihi multo certius, illius in Dionyſium quicunque ſit, commentarij auctorem minimè gentium fuiſſe Dionyſium celeberrimum illum Alexandriæ de tertio ſæculo Epiſcopum. Denique ipſe Turrianus, alioqui fabularum & apocrypharum quiſquiliarum auidiſſimus, agnoſcit ejus loci, qui à Maximo citatur, auctorem Dionyſio Epiſcopo poſteriorem fuiſſe in diſputatione de ejus operibus ſua. Cum enim obſeruaſſet *Ioannem Cypariſſiotam Decad.* 1. *c.* 1. *& Decad.* 2. *c.* 2. *adducere verba Dionyſij Alexandrini ex Annotationibus in Dionyſium Areopagitam*, continuò hæc addit; *Sed hic* (inquit) *Dionyſius qui ſcripſit ſcholia in Dionyſium Areopagitam, à Niceta Choniate l.* 2. *Theſauri c.* 15 *appelletur Rhetor, & idem fortaſsè erit apud vtrumque auctorem, & hoc noſtro poſterior.* * Hæc Turrianus cum autem eadem planè verba à Maximo, & à Niceta ex illo Dionyſio deſcribantur; patet utrumque de eodem Dionyſio loquutos eſſe. Faceſſant igitur & Maximus, & Baronius, & Perronius, cum ſuis Dionyſij Alexandrini Epiſcopi in Areopagitam ſcholijs; in vetuſtiſſimum, & celeberrimum Eccleſiæ magiſtrum ea perperam tranſcribentes, quæ alterius eſſe auctoris & æuo, & arte, & dignitate longè inferioris, ſatis ſuperque demonſtravimus. Ac nequis in ſimilem errorem Abrahæ Ekellenſis Maronitæ auctoritate impulſus labatur, affirmantis Ioannem Daræ in Syria Epiſcopum, commentariorum in Areopagitica Syriacorum auctorem, quarto ſæculo floruiſſe, & ex communi apud Syros, etiam hodie, fama Ephræmi diſcipulum fuiſſe; operæ pretium facturum me putavi, ſi lectorem hic obiter monerem iſtos procul a veri regionibus aberrare. Doctiſſ. Morinus, qui librum ipſum vidit, multaque ex eo

o *Euſeb. L.* 6. *c.* 35.

p *Hier. de ſcrip. Eccl. c.* 69.

q *Turrian. de ſcript. Dion. Alex. Bibl. Patr. Gr. lat. T.* 1. *extr. p.* 45. *col.* 2.

* malè excuſum eſt *Poſteriorem*,

Abrah. Ekell.

deſcribit,

deſcribit,fuſe & ſolide, neque paucis argumentis demonſtravit † Ioannem illum Darenſem longe poſt quartum ſæculum vixiſſe ; hoc inter cætera , * quod paulo ante memoratas ad Antiochum ſub falſo Athanaſij nomine Quæſtiones laudet;quarum,vt oſtendimus,ac vt Morinus iterum hic obſervat,in confeſſo apud omnes eſt auctorem nequaquam eſſe magnum Athanaſium,ſed alterum quemdam, qui multis poſt eum ſæculis vixit. His ipſe & alijs rationibus adductus,concludit † *eſſe probabile Ioannem illum Darenſem poſt Synodum Trullanam , id eſt poſt annum Domini 692. ſcripſiſſe* ; quo tempore, cum jam eſſent a plæriſque Catholicis recepta Areopagitica, non eſt quod iſtum Ioannem Syrum commentarios in ea ſcripſiſſe magis miremur , quam Græcum Maximum. Sequitur altera Baronij fabella, qui poſtremo velut ex liberati Diaconi Breviario,narrat [r] *Cyrillum quoque Alexandrinum Epiſcopum noviſſe ſcripta Dionyſij Areopagitæ,eaq; citaſſe in libris, quos ſcripſit adverſus Diodorum & Theodorum, & in libro de Incarnatione verbi*; *Sed neſcio* (inquit) *qua injuria, vel fraude ea exciderint*. Hæc ille. Atqui hæc, quæ dicit , ſi diſertè affirmaret Liberatus, non ideò tamen erant protinùs pro veris, certiſque amplectenda. Meminiſſe enim decebat Hypatium & Catholicos id ipſum,quod affirmaret Liberatus, exſertiſſimè negaſſe,teſtantes non modò in genere, nullum ex antiquis recordatum eſſe Dionyſiana , ſed etiam ea hunc ipſum nominatim Cyrillum *latuiſſe*; vt ſuprà obſervauimus.In hac apertiſſima iſtorum de re eadem contradictione,Hypatio vetuſtiori & Archiepiſcopo,cum ſuis Collegis neganti,fides potiùs erat adhibenda, quàm Liberato Archidiacono, & ſoli affirmanti.Hæc ego Baronio reponerem, ſi, quod ille ait, Liberatus affirmaret,Cyrillum in libris ſuis Areopagitica citaſſe. Nunc res planè aliter habet; ita vt hic Annaliſtæ noſtri non modò rationem & diligentiam, ſed etiam fidem atque ſinceritatem cogar deſiderare. Non enim ipſe ait Liberatus Cyrillum Libros aliquos confeciſſe, in quibus Areopagitæ teſtimonia continerentur; Longè alia loquitur ; Narrat enim id Acephalorum rumoribus fuiſſe jactatum ; [s] *Baſilius* (inquit) *quidam Diaconus Suruens Tomum Procli , quem Armenijs ſcripſerat. Alexandriam venit,& Armeniorum libellos ſuis libellis annectens,obtulit Cyrillo ejuſdem vrbis Antiſtiti. Quibus* (*vt ferunt* RVMORES) *permotus Cyrillus,quatuor libros ſcripſit , tres adverſus Diodorum & Theodorum, quaſi Neſtoriani Dogmatis auctores , & alium de incarnatione librum , in quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta teſtimonia, id eſt Felicis Papæ Romani; Dionyſij Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi, & Gregorij mirabilis θαυματουργοῦ cognominati.Et licet in eis libris Theodori dicta laudentur contra Arianos edita,ipſum tamẽ Magiſtrum Neſtorij fuiſſe contendunt*.Hactenus Liberatus;non alios edens de libris illis à Cyryllo editis auctores , niſi RVMORES ab Acephalis ſcilicet diſſeminatos., Cæterùm quid ipſe , & alij Catholici de his ſentirent, deinceps ita clarè ac perſpicuè exponit,vt mirari ſatis non poſſim Baronij

CAP. VIII.
Annotat. in Hebed Jeſu.
Morin. de Sacr. Ordi. Part. 2. Annot. 22. in Syr. O. din. p. 493. B.C.
† Ibid. p. 493. 494.
* Ibid. p. 494. c. 6.
† Ibi. p. 495. B.
r Baron. a. D. 109. §. 61.
ſ Libera. Breu. c. 10. Concil. L. 4 p. 386. col. 2.

Cap.VIII. ronij inverecundiam, qui libros iſtos à Cyrillo contra Theodorum & Diodorum ſcriptos fuiſſe, dicit *fidem à Liberato fieri*. Atqui planè contra eſt. Liberatus enim liquido *fidem facit* nullos fuiſſe à Cyrillo conſcriptos ejuſmodi libros. Is namque illa, quæ recitavimus, præfatus, continenter hæc addit; [t] *Contra quos* (inquit) *CATHOLICI veritatis defenſores ſic ACEPHALIS reſponderunt; illos libros NON eſſe Cyrilli, quoniam teſtimonijs, quæ contra mortuos poſuiſſe in eis dicitur, contra viuentem Neſtorium non eſt vſus, neque in Synodo, neque in aliquibus Epiſtolis. Vnde dicunt illos NEC dictaſſe Cyrillum, nec edidiſſe libros.* Hæc Liberatus; ex quibus omnes vident primo *Acephalos* hæreticos rumoris de illis Cyrilli libris ſparſi auctores fuiſſe; ſecundò Catholicos rumori non modò non conſenſiſſe, ſed etiam acriter repugnaſſe, Acephalis iſta jactantibus reſpondentes, *Illos libros non eſſe Cyrilli*, eoſque Cyrillum *neque dictaſſe neque edidiſſe*; tertiò Catholicos ſuam hanc reſponſionem argumento evidentiſſimo confirmaſſe; indè ducto, quod Cyrillus in libris adverſus Neſtorium ſuis, veris & indubitatis, nullum eorum teſtimoniorum poſuiſſe reperiretur; quæ nunc illum Acephali jactent in his adverſùs Diodorum, & Theodorum fictitijs voluminibus ex Felice, & Areopagita, & alijs vſurpaſſe, quæ tamen adverſus Neſtorium non minus, imo etiam magis, quàm adverſus Diodorum, & Theodorum valida futura erant, adeòque à Cyrillo, ſi ea ſciviſſet, contra Neſtorium adhibita eſſent. Vndè illud denique clarum eſt Liberatum, qui Catholicus fuit, & in Catholicorum gratiam Breviarium illud ſuum edidit, ipſum quoque idem de his libris ſenſiſſe; eos ſcilicet non à Cyrillo ſcriptos aut editos, ſed ei Acephalorum fraude affictos fuiſſe ac ſuppoſitos. Morinus verum vidit; & Baronij quidem nomini pepercit, ſed tamen recitato hoc Liberati loco obſervauit eoſdem illos Acephalos, qui his Areopagiticis primi adverſus Hypatium vſi erant, nunc hanc ex libris Cyrilli *objectionem texuiſſe; Catholicos vero tam fuiſſe Dionyſianis ſcriptis infenſos, vt non modo ea ſuppoſititia eſſe prædicarent, verum etiam S. Cyrillo nuncupatos libros hinc potiſſimum ſuppoſitionis arguerent, quod ex illis teſtimonia depromerent.* Iam nemo non intelligit Liberatum hoc ſuo teſtimonio Dionyſianis quidem, non modò nullum præſidium conferre, ſed etiam validiſſimam plagam infligere; Hypatij verò de ijs cenſuræ non modò nihil repugnare, ſed etiam conſentanea dicere, Libros Cyrilli nomen præferentes, ſuo ſæculo id eſt ſexto jam affecto, fuiſſe, in quibus teſtimonia eſſent ex Dionyſij operibus petita, dicit, fateor; ſed illos libros Cyrilli fuiſſe negat; non fuiſſe Cyrilli probat; ab hæreticis adeò confictos, & honeſtiſſimo Cyrilli nomini per fraudem immanem affictos ſignificat; ab omnibus illius ævi Catholicis rejectos ac repudiatos. Videat nunc Baronius quo jure talium librorum jacturam defleat, eoſque *injuria an fraude* intercidiſſe queratur. Illa verò Baroni, nullius fraus vel injuria fuit; Ius & ratio fuit, interire mendaces & pernicioſos hæreticorum fætus, & eo quo

digni

[t] *Liberat. ab. ſuper.*

Morin de Ordin. Part. 2. c. 1 §. 9. 10. p. 29. 30.

digni erant exitio conſumi. Illud certè vt puto, non negabit, ſi quid ex Dionyſianis in ijs libris habebatur, qui Cyrilli non erant, ſed Acephalorum, eo minimè effici, quod tu falſo ac nimiùm profectò audacter ſcripſiſti, Cyrillum Areopagitica tua nouiſſe. Nihil enim ad ipſum Cyrillum pertinet, ſi quid hæreticis more ſuo, de ejus iampridem mortui nomine præter verum ludere libuerit. Sed neque Liberatus cum ſuis Catholicis Hypatio cum ſuis quoque Dionyſiana aſpernanti repugnat, ſed potiùs conſentit. Negabat Hypatius Cyrillum vlla Neſtorio obieciſſe Dionyſiana. Hoc ipſum negat Liberatus. Hypatius Dionyſiana Cyrillum latuiſſe eo argumentabatur, quod illis nuſquàm eſſet aduerſus Neſtorium vſus. Idem quoque eſt Catholicorum apud Liberatum argumentum. Fidem facit Hypatius hęreticos Severianos Dioniſiana in ſua adversùs Orthodoxos cauſa vſurpaſſe; Eadem Severianorum germanos Acephalos, itidem vſurpaſſe teſtis eſt Liberatus. In hoc vno diſcrimen eſt, quod Severiani Dionyſiana ipſis Catholicis objiciunt; Acephali eadem, non ſuo, ſed Cyrilli nomine, adducunt. Hoc verò diſcrimen vnde ſit, qui vtramque narrationem expenderit, facilè intelliget. Dionyſiana cum ea primùm hæretici objicerent, Hypatius & Catholici, velut apocrypha, fictaque, & omni antiquitati ignota ſcripta ſimpliciter repudiarant. His ergò, poſteriores hæretici, vt auctoritatem, qua carere ea apud Catholicos intelligebant, aliquam conciliarent, finxerunt illa à Cyrillo ipſo iampridem fuiſſe adversùs Diodorum & Theodorum vſurpata; mendacium mendacio adſtruentes, & apocryphum librum alio ſuo figmento conſtituentes. En quos nacta ſint Dionyſiana primos patronos! Severianos, ſiue Acephalos hæreticos; En quibus epichirematis eorum primò auctoritas conſtructa ſit impudentiſſimis ſcilicet librorum figmentis, & adulterijs. Digna (quis neget?) talibus defenſoribus, & patrocinijs cauſa, vt impoſtoris opus non alij priùs exciperent, & laudarent, quàm hæretici; neque alijs tuerentur, aut commendarent pręſidijs, quàm mendacijs, & impoſturis. Atque hæc quidem pro ſuis Dionyſianis Baronius ex veteribus obiecit; falſos perſonatoſque nobis Athanaſios, Origenes & Chryſoſtomos pro veris obtrudens, & fabellas ſolo hujus cauſæ ſtudio confictas pro hiſtorijs objectans. Vt autem adverſarij clariùs intelligant, quanti iſta Baroniana facienda ſint (tametſi eorum vanitas ſatis vt videtur patefacta ſit) libet tamen Bellarmini (id eſt Baroniani collegæ) de ijs judicium hic coronidis vice ſubtexere. Ille ergò cum negaſſet quemquam Areopagiticorum antè Gregorium Romanum meminiſſe, ita quæ contrà objiciuntur, occupat; [v] *Quod enim* (inquit) *quidam dicunt citari nominatim hæc opera ab Origene homilia quadam in primum caput Ioannis, & ab Athanaſio in Quæſtionibus ad Antiochum Quæſt. 8. nihil efficit. Nam in homilia illa nominantur Ariani, qui diu poſt Origenem exorti ſunt; & in Quæſtionibus ad Antiochum nominantur Auctores ipſo Athanaſio poſteriores, ex quo ſequitur vt illa teſtimonia eſſe non poſſint Origenis,*

CAP. VIII.

u *Bell. L. de ſcript. Eccl. in Dionyſ.*

CAP. VIII. *vel Athanaſij, ſed recentiorum auctorum. Scribunt quidem Liberatus Abbas in Breviario, & Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtola ad Carolum Calvum Imper. citari Dionyſium à Ioanne Chryſoſtomo, & Cyrillo Alexandrino, ſed quæ illi citant non inveniuntur in locis citatis.* Ita Bellarminus collegæ ſui eminentiſſimi diſputationem paucis verſibus pænè totam difflavit. Piget referre muſteum aulici cujuſdam diſputatoris pro Dionyſianis argumentum; ex Nicephoro Calliſti ductum, ſcriptore & fabuloſiſſimo & recentiſſimo (vixit enim ſæculo decimo quarto) Is autem ſcribit in Hiſtorijs Pulcheriam aliquando Iuvenalem Hieroſolymorum Epiſcopum de Mariæ Virginis corpore interrogaſſe; Tum hunc facit [x] multa de eo argumento ex veteri ſcilicet traditione perorare, poſtremòque narrare ad Mariæ monumentum conveniſſe Apoſtolos, vnáque cum ijs Timotheum, & Hierotheum, *vt* (inquit) *ipſe Dionyſius in ſuis ad Timotheum de beato Hierotheo ſcriptis teſtatur.* ὥσπερ αὐτὸς φησι Διονύσιος ἐν τοῖς πρὸς Τιμόθεου πονηθεῖσιν αὐτῷ περὶ τοῦ μακαρίου ἱεροθέου; quibus longam ex Dionyſianis ῥῆσιν, quæ & in noſtris hodiè legitur, totam ſubnectit. Hinc fateor, haberi Nicephoro cognita fuiſſe Dionyſiana (neque de hoc quiſquam mortalium dubitaverit) nego haberi, ipſi Iuvenali fuiſſe cognita. Verba enim ex noſtris [y] Dionyſianis deſcripta Nicephorus videtur ipſe potiùs de ſuo adieciſſe ad Iuvenalis narrationem confirmandam, quàm ea Iuvenali tribuiſſe: ſed & ſiquis contendat hæc Iuvenalem à Nicephoro citantem induci; nihil tamen eo promoverit. Hiſtoricis enim ſcriptoribus ſolenne eſt homines, de quibus ſcribunt, ea dicentes inducere, non quæ verè ac certò dixerunt, ſed quæ illos ipſi dicere potuiſſe putant. Nicephorum ergò, qui Dionyſiana & vera, & veteribus nota fuiſſe exiſtimaret; mirum non eſſet eum hic Iuvenali ſermonem tribuere, quem ipſe ex præcepta de Dionyſianis opinione, ab illo apud Pulcheriam tali loco ac tempore haberi potuiſſe putaret. Hæc de Iuvenalis apud Auguſtam oratione Nicephorus. Quod verò diſputator aulicus dicit *Iuvenalem in ſcriptis ad Martianum Imperatorem, & Pulcheriam Imperatricem datis, quæ apud Nicephorum extabant,* Dionyſiana *protuliſſe*, nuſquàm apud Nicephorum reperio. Hic quidem in calce Orationis quam à Iuvenale apud Pulcheriam habitam refert, [a] quemdam ex Dionyſianis locum, vt nuper diximus, recitat. Illam verò Orationem, vel litteris mandatam fuiſſe, vel penes ſe eſſe ſcriptam nuſquàm dicit. Idem alibi in libro ejuſdem operis ſecundo ſcribit [b] corporis Mariæ tranſlationem tum multos alios deprædicare, tum maximè Iuuenalem. An autem hoc Nicephorus ex aliquo Iuuenalis ea de re tunc adhuc ſuperſtite libro didiciſſet; an verò ab alijs ſcriptoribus de Iuuenale traditum accepiſſet, nullus dicit; multò verò etiam minùs affirmat in ea Iuuenalis traditione aliquid fuiſſe de Dionyſianis memoratum. Hæc ergò diſputator aulicus, non ex Nicephoro, quem auctorem falsò laudat, ſed ex ſuis ipſius Somnijs habuit. Atque hæc quidem

x *Nicephor. L.* 15. *c.* 14.

y *Ioannes de Chaumont Areopag. defenſ. c.* 1. *extr.*

a *Niceph. L.* 15 *c.* 14.

b *Ibid. L.* 2. *c.* 23

dem ſunt, quæ Areopagiticorum patroni ex omni ſupra annum Domini quingenteſimum antiquitate afferunt; vana omnia fluxaque, & futilia, vt nunc quidem liquet. Itaque ſtat hactenùs fixa, atque immota, & ab omni horum temeritate tuta & illæſa Hypatij, & ſuorum Catholicorum vetus veraque ſententia, anno Sexti ſæculi 32. clarè liquidòque affirmantium Areopagitica & Cyrillum, & Athanaſium *latuiſſe*, & negantium ea vllum ex antiquis fuiſſe recordatum.

CAPVT. IX.

Refellitur altera, quæ Bellarmini eſt ad ſuperiorem contra Areopagitica diſputationem exceptio, cauillantis Areopagitica ad ſextum vſque ſæculum latuiſſe alicubi; ſexto demùm ſæculo reperta eſſe. Figmenti hujus vanitas & abſurditas oſtenditur. Fieri non potuiſſe, vt Areopagitica, ſi verè Dionyſij eſſent, laterent, imò apparere ea breui, poſtquàm ſcripta erant, edita quoque fuiſſe.

IAm alteram, quæ Bellarmini eſt, exceptionem videamus. Ille enim confitetur quidem, vt diximus, imò etiam aſſerit, ac contendit [c] Areopagitica hæc, quæ nunc extant, totis prioribus quinque & vltrà ſæculis orbi Chriſtiano planè penitúſque fuiſſe ignota. Idem tamen pugnat ea verè fuiſſe a magno illo Dionyſio Athenienſi Pauli diſcipulo, verè ſcripta, idque neminem ait negare. *Doctum* quidem & *Catholicum*, ſolos vel *Lutheranos* vel *Sciolos* rem in dubium revocare. Qui verò inquam; accidit, vt tanti authoris tam multa opera, ſi ea verè in rerum naturâ erant, omnes Chriſtiani pluribus non modò annis, ſed etiam ſæculis neſcierint? *Alicubi* (inquit) *latuerunt, vt multa alia ſæpè longo tempore deliteſcunt, & poſteà tandem reperta ſunt.* Commoda ſanè ac facilis reſponſio; ſed neſcio an ſatis vera, ſatiſve uerecunda. Illa enim primò Hypatium Archiepiſcopum, & Catholicos veteres, viros de ſexti ſæculi ineuntis Eccleſia optimè meritos pulſat, ſtultéque ac perperam ratiocinatos eſſe arguit, quod nemo credo ſatis magnæ eſſe impudentiæ negaverit. Nam ſi hæc noſtra Areopagitica *alicubi*, omni illo tempore, quod vult Bellarminus, *latuerunt*, ſtultum eſt, & fallax ea ideò argumentari non eſſe Dionyſij, quod non fuerint ab illorum ſæculorum ſcriptoribus memorata. Hypatius autem apertè ita eſt argumentatus; *Si nullus*, inquit, *ex antiquis recordatus eſt ea; vndè nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſcio.* Et paulò antè; *Si Dionyſij erant* (inquit) *non potuiſſent latere B. Cyrillum.* Ridiculè (inquit, Bellarminus) *Quæ* enim *alicubi latebant*, omnibus mortalibus ignota, quidni ea Cyrillum latere potuerunt? ſed non ſolum Hypatium petit Bellarminiana ſtropha; Euſebium quoque ejuſdem incogitantiæ, ac paralo-

c *Bell. ſcript. Eccl. in Diony.*

Cap. IX. paralogiſmi reum agit ; quem eodem argumento videmus Clementis ſecundam Epiſtolam reiicere, fictitiamque ac ſubdititiam eſſe probare; [d] *Sciendum eſt* (inquit) *ſecundam quamdam circumferri Epiſtolam, quæ Clementis dicitur. Verùm eam non perindè vt priorem, approbatam cognoſcimus ; neque enim veteres hac vſos eſſe ſcimus.* ὅτι μηδὲ τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ κεχρημένους ἴσμεν. Sed & verboſam Petri & Appionis diſputationem, quam Clementis quoque nomine editam, ibidem confodit, [e] & aliena manu fictam atque editam indè conficit, quòd *iſtius operis nulla omninò apud veteres fieret mentio.* ὧν οὐδ᾽ ὅλως μνήμη τις παρὰ τοῖς παλαιοῖς φέρεται. Hunc ita ratiocinantem Bellarminus aliquis deſipere dixerit, & magnas nugas agere; iſta enim verè quidem Clementis fuiſſe ; ſed veterum qui ea tacuerunt, temporibus alicubi delituiſſe. Par eſt Bellarmiani figmenti, & in Auguſtinum contumelia, apocrypha ſub nomine Apoſtolorum Andreæ, Ioanniſque conſcripta, & à Manichæis citata hoc argumento repudiantem, [f] quod iſta, ſi illorum verè fuiſſent, recepta eſſent ab Eccleſia, quæ ab illorum temporibus per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas vſque ad ſua tempora perſeveraverat. Manichæis ex Bellarmini hypotheſi licebat hanc obiectionem nullo negotio diluere; reſpondendo ſcilicet iſta ſuperioribus temporibus alicubi latuiſſe; ſuo demùm æuo reperta eſſe. Denique ſuos ipſos Bellarminus Sodales hoc commento non leviter, neque obſcurè ferit ; vt Martinum Pereſium ab hæreticis olim prolata Petri, Thomæ, Matthiæ, & aliorum Evangelia, Andreæque & Ioannis acta eo nomine refutantem, [g] *quod numquam prorſus in ſcripturis veterum illorum duntaxat, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, aliqua eorum mentio, aut commemoratio habetur.* At ex Bellarmino hæreticis promptum erit huic ita argumentanti occurrere, non eſſe iſta a veteribus illis commemorata, non quod tam nulla eſſent, ſed quod *alicubi laterent*, & ſecutis demum temporibus reperta ſint. Ne Baronio quidem Collegæ parcit, dum ſic agit Bellarminus. Nam ſi huius valet exceptio, illius contra quædam Clementina argumentatio, Hypatianæ contra Dionyſiana argumentationis gemina, planè concidit; [h] *Si hæc* (de Mariæ Magdalenæ à Maria Lazari Sorore diverſitate) *dicta ſunt à Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de ea re ſcripſerunt? cum præſertim tanti Auctoris præcipua fuerit auctoritas in Eccleſia?* Rogas? (inquit & perfrictæ frõtis aliquis de Bellarminiano ludo Sophiſta) Nimirùm hæc iſtos perinde, vt cæteros, ideo latuerunt, quod eorum temporibus *adhuc alicubi laterent*, ſecuto tantum ævo reperta. Vides quam ſit & Hypatio, & Euſebio, & Auguſtino, & Pereſio & Baronio contumelioſa Bellarmini exceptio; qui, ſi huic credimus, craſſi omnes fuerunt Sophiſtæ, futilia argumenta, velut, inanes ex arena funiculos nectentes, quibus & ſe; & lectores ſuos fallerent. Vides quantam hæc iſtius ars ſi admittatur obſcuritatem atque caliginem in omnes antiquitatis litteras invectura ſit; quæ certiſſimam, ac pæne vnicam vera

a falſis

d Euſeb. Hiſtor. L.3.c.32. Edit. Lat. c.38. Gr.

e Id. ibid.

f Auguſt. cont. Aduerſ. leg. L. 1.c.70. ſic & L. 20. contr. Frauſt. c.79.

g Pereſ. de Tradit. P.2. Oſſert.

h Baron. A. Dom.32. §.18.

a falſis in hoc genere diſcernendi regulam conuellit, ac nobis de manibus eripit. Vix enim vllus erit liber, quantumvis recens, inſulſus, & apocryphus, qui non impune poſſit antiquitati aſcribi, & vindicari, ſi Bellarmini exemplo licet dicere, eum quidem omnibus veteribus fuiſſe ignotum, ſed ignotum ideò fuiſſe, quod *lateret alicubi, & multa alia ſæpè longo tempore deliteſcunt, & poſtea tamen reperiuntur.* Abſit verò, vt tam iniqua, tamque pernicioſa diſputandi lex obtineat; Abſit vt Bellarmino concedamus uiros illos doctiſſimos, atque cordatiſſimos veteris ac recentioris memoriæ, qui de libris ita, vt diximus, argumentantur, omnes prauè atque vitiosè eſſe ratiocinatos; vnum iſtum verum ſciuiſſe. Non ita eſt profectò. Illi quidem rectè ac vere ſunt argumentati; Bellarminus verò rem abſurdiſſimam ac ſtultiſſimam, planeque incredibilem, pro vera falsò & inuerecundè poſuit. Illi, vt patet, hoc quod ipſe ſtatuit, pro incredibili, ac, vt loquimur, *impoſſibili*, vt eſt ſanè, habuerunt; fieri ſcilicet poſſe, vt clarorum virorum, quales eos fuiſſe conſtat, quibus affictos ab hæreticis libros ipſi repudiant, opera, præſertim inſignia, Chriſtianos homines ejuſdem, vel proximæ certe memoriæ latuerint; maximè qui eſſent alicuius eruditionis, & in re literaria ſtudij atque peritiæ. Alios a nobis allatos nunc mitto; quos & res ipſa in hac ſententia fuiſſe probat, & uero ſui nominis auctoritas ſatis tuetur. Hypatium quidem ita de Areopagiticis ſenſiſſe clarum eſt, quæ diſertè ſcribit, *Si Dionyſij erant, B. Cyryllum & S. Athanaſium latere non potuiſſe*; nedum vt cæteros etiam omnes mortales in remoto neſcio quo angulo (quod vult Bellarminus) recondita latere potuiſſe putauerit. Iam vero & illud quod ſtatuit Hypatius, uerum eſſe, id uerò quod ait Bellarminus, merum eſſe figmentum, ab vno cauſæ laborantis ſtudio profectum, facilè videbit quiſquis rem totam paulò accuratiùs expenderit. Primò enim quæ ſtatim ab initio hujus diſputationis diximus, ea ſatis ſuperque demonſtrant nequaquam id potuiſſe fieri, quod nunc adverſario ſomniare libet, vt hi libri, ſi Dionyſij uerè erant, laterent. Non ſinebat auctoris gloria; non rerum ipſarum maieſtas hujuſmodi opera apud noſtros deliteſcere, uel ignota jacere; idemque nunc facere, dum ſic agit, uidetur Bellarminus, ac ſi quis contenderet, ſolem etiam nocturno tempore apud nos verſari; cæterum in aliquo noſtri orbis angulo occultum latere, donec manè inde emergat, ac ſeſe terris noſtris conſpiciendum præbeat. Ea uerò, ô bone, ſolis natura eſt, vt ſicubi uerè eſt, ibi latere non poſſit. Areopagiticorum operum ratio ſimilis eſt, quorum tum ab auctore, tum a rebus ipſis id ingenium eſt, vt ea Chriſtianos latere, ſi uerè in eorum (vt ſic dicam) orbe erant, nequaquam potuerint. Cur uerò hæc potius tam multa, tamque illuſtria noſtrorum oculos fugere potuiſſe vis, quam alia quædam & multo breuiora, & in ſpeciem minus vtilia? vt unam illam, verbi gratia, Clementis ad Corinthios Epiſtolam, quam ab omnibus illius memoriæ & viris, & Eccleſijs non modò

CAP. IX.

CAP. IX. agnitam, ſed etiam prædicatam, ac celebratam ſcimus: uſque adeò vt Baronius [i] eam cum intercidiſſe putaret, ſcribere non dubitauerit tam ſæpè citatam fuiſſe a veteribus, *vt penè reuiuiſcat integra in fragmentis*; cum hæc Dionyſij tam multa, tam grandia, tam denique vtilia ne vnus quidem te teſte, atque auctore, ante ſextum ſæculum commemorauerit. Quod verò Bellarminus, vt rei abſurdiſſimæ ac per ſe incredibili colorem addat, obiter dicit, *Multa alia ſæpè longo tempore delitеſcere*; uelim ſcire quo id exemplo probet, vt auctoris ſcilicet alicujus clariſſimi, atque grauiſſimi opera, & quidem plurima, atque vtiliſſima, ac de rebus maximis ſingulari planè ratione ſcripta, ea homines quidem & eos apud quos uiuens florebat, magnaque erat in laude ac veneratione, & eos etiam, qui proximè ſecutis temporibus vixerunt, ignota ac innominata totis quatuor ſæculis latuerint, poſt exactos demum annos non pauciores quam quadringentos repente ex illis ſuis latebris erepſerint, ac in lucem exierint. Atqui rem plane aliter in communi hominum vita vſu uenire nemo, quantumvis rudis, neſcit. Scriptorum opera uel ipſis etiam viuentibus, uel ſtatim, vel certè non multò poſt eorum mortem, noſci celebrarique ſolent (maxime ſi qui clari fuerint, & ciuibus ſuis cari) obſcurari ac tenebris condi, tandemque interire, nonniſi poſt aliquot annorum, aut ſæculorum circulos ſolent; maturiùs aut ſeriùs, ut cujuſque vel fatum, vel meritum eſt. Ita quæ a multis jam ſæculis intercidiſſe magno cum dolore, ac deſiderio videmus Papiæ, & Hegeſippi, & Dionyſij Corinthij, & Melitonis Sardenſis, & Rhodonis, & Apollonij, & Serapionis, & Dionyſij Alexandrini, & Africani, & aliorum non paucorum opera, ea olim primis Eccleſiæ ſæculis, ac ſuis ſingula temporibus nota, lecta, ac celebria fuiſſe, ex Euſebio intelligimus; exinde paulatim defeciſſe, partim etiam hominum, noua veteribus, ſua alienis, falſa denique veris ante habentium, ſtultitia ac fraude conſumpta, ex poſterorum ſilentio diſcimus. Si per omnia jueris litterarum genera, vbique reperies ſimile fuiſſe quorumvis librorum fatum, vt proximis poſtquam ſcripti erant, temporibus noti celebreſque; ignoti obſcurique nonniſi aliquot poſt ortum ſuum annis fuerint. Vna ſunt (quod equidem ſciam) Areopagitica, quibus planè contrariam ſortem affingit Bellarminus. Illa enim, ſi huic credimus, uitam a diuturna morte auſpicata ſunt; ſimul edita, ſimul mortua, nata vna ac funerata; neque antè annum ab exortu quadringenteſimũ ex illo obliuionis tumulo emerſura. Mirificus planeque præpoſterus artifex Bellarminus, qui tam præclarum nobiliſſimi Martyris fætum terris primo ne oſtenſum quidem vult; exiiſſe, vt occultaretur; editum eſſe, vt conderetur, inſtructum & ornatum, vt lateret, olim anno demùm poſt ſuum natalem quadringenteſimo, non ſuis, ſed alienis temporibus victurus, ſerijſque nepotibus, non ſuæ memoriæ hominibus profuturus. Sed quæ ita raro, præterque conſuetum rerum ordinem fiunt, ea cauſas ſuas habent, neque quicquam huius generis

i Bar. A.D. 32. §. 18.

occurrit,

occurrit,cui non ſua fuerit ratio a communi cæterorum lege,atque tramite deflectendi. Cur verò tam ſingularis fuerit Dionyſianorum fortuna, cur tam acerbum,tam calamitoſum , tam denique prodigioſum fatum,cauſam aduerſarius nullam dicit,quia quam diceret, nulla ſcilicet fuit. Monſtrum ergo hoc quod commentus eſt, nullum revera fuit, quod contingere non aliter poterat, niſi cauſa aliqua ſubeſſet. Nullam fuiſſe,præter adverſarij ſilentium , res ipſa docet. Dic enim ſodes, Bellarmine,aliquam,cur hæc Areopagitica,ſi verè Dionyſij ſunt , ſimul atque nata ſunt,occulta , & in illis tuis adeò cæcis remotiſque cryptis abdita fuerint , vt inde ante annum a ſuo natali quadringenteſimum erui & lucem aſpicere nō potuerint? Si cauſam tam prodigioſi eventus, quam dicas,nullam invenis; excogita ſaltem,& comminiſcere colorem aliquem probabilem. Scio tibi neque ingenium cogitanti, neque deprehenſo animos, & audaciam deeſſe. Novi te in talibus cauſis artificem eſſe egregium , ac plane ſingularem. Te tamen quantuſcunque de cætero es, prouoco ; Ede , ſi potes , tui huius de Dionyſianis veſtris commenti , vel cauſam,vel colorem ; Tu verò nihil edis, neque ſanè edere potes. Nam (vt ea percurram, quæ ſolent libris hanc, quam tu Dionyſianis affingis calamitatem afferre) non dices opinor, hos libros merito ſuo in latebras illas tuas coniectos eſſe, quod eſſent nullius,uel pretij,vel in publicum vſus, quomodo ſæpè contingit, vt ejus notę ſcripta ob ſuam vel inertiam , vel deformitatem damnata abdicentur, & vel flammis vſtulata , vel hominum contemptu profligata non modo lateant;ſed planè etiam intereant. Tu hoc,inquam, de Dionyſianis tuis non dices;quæ vos cedro,quæ auro, gemmiſque, & ſi quid eſt in librorum cultu ambitioſius , digna judicatis ; quæ invidioſiſſimis laudibus celebratis , & longis , accuratiſque commentarijs veteres recenteſque alij poſt alios excolere atque exornare non deſinitis. Ne nos quidem hæc,de quibus multo,quam vos modeſtius atque humilius ſentimus, abjicienda fuiſſe putaverimus, quæ ſcilicet tametſi non paucis, neque parvis vitijs laborare merito,vt videtur,contendamus, multa tamen bona , quædam etiam egregia continere non negamus. Sed neque illud alterum,ſat ſcio,dicturus es,quod libris etiam interdum optimis,exitiale non ſemel fuit, Dionyſiana tua,etſi edi digniſſima,neglecta tamen fuiſſe , & in angulis illis in quibus nata erant, relata; quod ea in hominum vel barbarorum, uel rudium, & indoctorum , aut certe malevolorum,& invidorum manus incidiſſent , qui operum pretium vel neſcirent,uel odiſſent. Nihil iſtorum in Timotheum,in Titum,in Polycarpum dici poteſt ; ad quos hi libri primum miſſi ſunt , ac velut in manus ab auctore traditi. Hos enim conſtat viros fuiſſe & in ſacris illis argumentis , quæ Dionyſiana tractant , verſatiſſimos atque eruditiſſimos,& publicę utilitatis cupidiſſimos,& fidei in omnes integerrimę,& caritatis in auctorem eximiæ;quos adeò ſuſpicari nefas eſt tantum theſaurum , ſi eum revera apud ſe habuerunt , fuiſſe occultaturos , & in CAP. IX.

CAP.IX. Bellarminianas latebras abiecturos. Quod virorum bonorum, quod Dionyſij amicorum, quod Eccleſiæ ſtudioſorum in tali re erat, id illi impigre feciſſent; dilectiſſimi collegæ, glorioſiſſimi Martyris, ſcriptoris luculentiſſimi creditas ſibi lucubrationes diligenter collegiſſent; Chriſtianis omnibus in genere, & ſuis nominatim Epheſijs, Cretenſibus & Smyrnenſibus, alijſque vicinis Eccleſijs, præſertim verò Atheniēſibus commendaſſent, exſcribique ſtrenue & emendate, & pluribus exemplaribus mandari curaſſent; & quod horum vnus Polycarpus Ignatio præſtitiſſe fertur, id omnes Dionyſio ſuo officium bona fide exſoluiſſent; caviſſentque ſedulo ne lucidiſſima Atticæ & Chriſtianæ ſapientiæ fax, vel ſua, vel ſuorum negligentia, ſub ignobili modio (quod ait Dominus) recondita, veluti ſepeliretur. Neque tu cæteros vel ejuſdem, vel proximæ memoriæ fideles Chriſtianos probabilius, quam tres illos viros, huius in Dionyſiana flagitij accuſaveris, vt quæ a cariſſimis atque colendiſſimis magiſtris tradita ac commendata haberent Dominici Martyris, Chriſtianique Epiſcopi egregia monumenta, ea ipſi in pulvere ac ſitu iacere, in angulo diliteſcere, & cum tineis blattiſque luctari opera immortalitate digna ſinerent. Non ea fuit illius Chriſtianiſmi barbaries; non ea ſocordia; non is in Eccleſiæ antiſtites, deique teſtes contemptus, vt hæc tam iniqua, de illis hominibus ſuſpicemur; quorum & ſummam adverſus Deum Pietatem, & eximiam in ſuos præfectos, & in Chriſti Martyres caritatem, & ingens ædificandæ Eccleſiæ, reique Chriſtianæ ſtudium, & ſingularem in ſuorum ſcriptis ſervandis, tuendiſque, & ad poſteritatem propagandis curam, ac diligentiam, plurimis & pęnè innumerabilibus exemplis, documentiſque comprobatam ſcimus; quorum denique piæ vigilantiæ, religioſiſſimiſque laboribus, & hæc quęcunque ſuperſunt, veneranda primæ antiquitatis monumenta debemus, & vero longe plura deberemus, ſi par fuiſſet in eorum poſteris fides, atque religio. Illos vero uel ſola eorum cum Sexti, & ſequentium ſęculorum Chriſtianis comparatio, fraudis & negligentiæ abſoluet. Hos enim conſtat ſequiorum temporum mortales Areopagitica, ſimulatque Dionyſij eſſe, non dico ſciverunt, ſed leviter ſuſpicati ſunt, avidiſſime excepiſſe, omnibuſque officijs quæ in libros conferri poſſunt, excoluiſſe; exſcribenda diligenter curaſſe, huc & illuc in omnes orbis Chriſtiani partes, in vltimas vſque Galliæ noſtræ oras ſedulò miſſitaſſe; Gręcos, vt illum de Alexandrino ludo Rhetorem Dionyſium, & Maximum Monachum quos diximus, ſcholijs illuſtraſſe; Latinos, in ſuam linguam, vt Anaſtaſium Bibliothecarium, vt Ioannem Erigenam, convertiſſe. Cum horum tam ardens in hos libros, tametſi dubiæ ac incertę fidei, ſtudium fuiſſe videas; tu-ne Timothei & Polycarpi, & Titi, & aliorum ejuſdem ævi Chriſtianorum, quos iſtis poſteriorum ſæculorum hominibus multò & Sanctiores, & Sapientiores, & diligentiores fuiſſe nemo dubitat; tu-ne, inquam, ſuſpicari potes eorum minorem futuram fuiſſe in Dionyſiana caritatem, venerationem, ac ſedulitatem,

dubitatem, ſi ea habuiſſent, ſi auctoris eſſe Dionyſij, non modò ſuſpicati eſſent, ſed certo ac indubitate, quod illis facile fuit, comperiſſent? Specta quæſo, Bellarmine, quam abſurdum ſit, atque incredibile tuum figmentum. Tu antiquiſſimos ac omnium Chriſtianorum longe optimos viros, vis ea opera, quæ Apoſtolici diſcipuli, Martyris, atque Epiſcopi eſſe certò ſciebant, quæ ab auctore ipſo tradita acceperant, quę ſublimiſſima eadem atque ſaluberrima ſapientia referta eſſe norant, ita vel contempſiſſe vel odiſſe, vt ea in cryptis neſcio quibus, vel ipſi defoderent, atque obruerent, vel certè derelicta iacere ſinerent, ſic vt neque tum, neque poſtea, niſi anno Demum quadringenteſimó, ab vllo homine aſpici, ac noſci potuerint. Idem tamen fateris ſeptimi, & octavi & ſequentium ſæculorum homines ijſdem illis libris, cum de eorum veritate nihil comperti atque explorati, nihil pręter tenues tantùm, leveſque ſuſpiciones ac coniecturas haberent, omnia illa, quę nuper diximus, officio ſtudioſiſſimè exhibuiſſe. Quid de te, tuiſque tam malè merita eſt prima illa Chriſtianitas, Apoſtolorum fętura, ac Soboles, vt principes eius alumnos his novitijs de ſæculorum fæce homuncionibus deteriores putares? Illos turpiſſimi in Martyrem flagitij damnares? Hos religioſſimi in eundem officij laude ornares? Illos etiam in notum ac familiarem non modò negligentes, & ignavos, ſed etiam contumelioſos? hos etiam in ignotum, gnauos, & propenſos, ac ſedulos faceres? Tu vero cum tuis iſtis portentis procul hinc faceſſe; quæ non alijs profectò perſuaſurus es, quam ijs qui de Sanctiſſimis Apoſtolorum diſcipulis peſſime atque iniquiſſime ſentiunt; quod a noſtris, piorumque omnium mentibus avertat Deus. Illud vnum poſtremo videndum ſupereſt, quod neque ex librorum merito, neque ex hominum, qui eos habuerunt, ingenio, fieri potuit; annon id fortaſſe auctoris voluntate, atque iudicio factum ſit. Fateor enim ſcriptores fuiſſe, qui ſua ipſi monumenta, etiam pręſtantiſſima, edi nollent; deliteſcere, vel interire mallent; qualiter Publium Virgilium de ſua Æneide in ſupremis decreviſſe accepimus, vt opus poſt Latinos homines natos excellentiſſimum, quod ei vltimam manum admovere, immaturo fato circumventus, non poſſet, flammis traderetur. Sed neque Bellarmino quicquam hic ſimile cauſſari licet. Finge enim ita de ſuis Areopagiticis ſtatuiſſe Dionyſium. Non ideo erat conſentaneum, vt Polycarpus, & Timotheus, & alij egregium in paucis opus, & Chriſtianis hominibus vtiliſſimum vel exſtinguerent, vel occultarent. Illi, ſi quid huiuſmodi Dionyſius præcepiſſet, viri licet amiciſſimi, modeſtiam publicis Eccleſiæ commodis pro ſua in eam caritate erant haud dubiè poſthabituri, idemque in hac cauſa facturi, quod Tucca, & Varius, & Octavius ipſe Auguſtus in ſimili negotio feciſſe leguntur; qui Virgilianam Æneida ex eo incendio ereptam, quod erat in eam ab auctore decretum, ac conſtitutum, incunctanter publicare non dubitarunt. Sed nihil tale de Dionyſio neque à Bellarmino proditum, neque ab vllo quod ſciam, alio

CAP. IX.

CAP. IX. auctore vel teſte fando vnquàm auditum. Neque ſane Dionyſio, cur ſic in partum ipſe ſuum ſæuire vellet, vlla Virgiliani conſilij ſimilis ratio fuit. Nam tametſi ipſum quod ille elegit, ac ſectatus eſt, ſcribendi genus multorum doctiſſimorum virorum judicio, vehementer ſit vitioſum; negari tamen non poteſt, quin Dionyſiana in eo genere caſtigatiſſima ſint, atque elaboratiſſima, ac hujuſmodi denique quibus vltimam ab auctore adhibitam fuiſſe manum, totum opus loquitur. Sed & Dionyſium Areopagitica, ſi ſcripſit, eo animo ſcripſiſſe, vt ederentur, præter cætera, quæ nunc mitto, vel vnus in libro de divinis nominibus locus [k] clariſſime docet; in quo ſcribit, quæ erant ab Hierotheo ſublimiori dicendi genere definita, ſe ea adhortante Timotheo, ſermone ad ſuum, ſuique ſimilium captum magis accommodato explanare atque digerere, ipſos Hierothei libros ijs, qui ſublimiora capiunt, aſſignantem. Et paulò poſt illud Apoſtoli ad Timotheum præfatus; [l] *Quæ audiſti a me, hæc commenda fidelibus hominibus; Iſtiuſmodi* (inquit) *monitis morem gerentes, neque animum ad divinorum inventionem, quatenus eam aſſequi licet, deſpondentes, neque eos, auxilio deſtitui ferentes, qui ad ea aſpirare ac pervenire poſſunt, quæ modulo ac captu etiam noſtro potiora, ſublimioraque ſunt, cum aliqui ex hac humi reptante doctrina noſtra ad ſublimiorem aliquam notitiam fortaſſe aſcenſuri ſint; nos animum ipſi noſtrum ad ſcribendum meditatione ac ſtudio, & ope divina excitavimus, atque appulimus; nihil quidem novi ac peregrini adferre, & explicare præſumentes, ſed minutioribus duntaxat quæſtionibus ea quæ ſummatim a ſancto, divinoque viro (id eſt a vere Hierotheo) dicta ſunt exponentes, & pluribus plana facientes.* Hæc ille; ſcribendi ſe conſilium ad fideles, & quidem rudiores, in pietatis Chriſtianæ curſu adjuvandos cepiſſe teſtans; quibus profectò ſua nihil niſi ederentur, profutura intelligebat. Qui ergo futuros ſperabat, qui ex ijs quæ ſcribebat, ad altiorem ſapientiæ gradum aſcenderent, eum omnes intelligunt hæc, quæ ſcripſit, eo animo, ac conſilio ſcripſiſſe, vt perfecta ederentur, & cum hominibus Chriſtianis communicarentur. Quamquam ipſa operum ejus ratio, id ipſum ſatis ſuperque demonſtrat. Cujus enim mentis, cujus-ve animi eſſet tam operosè, tamque magnifice ſuas cogitationes & eloqui, & conſtruere, & literis denique ſtudioſiſſime mandare, niſi eadem illa tanta arte compoſita aliquando edi vellet? Atque ita jam ſatis, vt opinor, demonſtratum eſt nullam cauſam, vel rationem fuiſſe quæ efficeret, vt Areopagitica, ſi verè Dionyſij erant & quo primum tempore ſcripta ſunt, & deinceps ad ſextum vſque Chriſti ſæculum laterent; fierique adeo non potuiſſe, vt, quod Bellarminus temere & falſo affirmat, *latuerint.* Sed huc præterea accedit, quod etiam ſi fieri potuiſſet, vt *laterent*; aliunde tamen apparet, ac pæne conſtat hos libros, poſtquam ſcripti, ac literis mandati ſuperfuerunt, non diu, non certe annos quadringentos, latuiſſe, ſed brevi ac pæne adhuc ab incude calentes editos fuiſſe. Nam ſi qui

k *Dion. de Diuin. Nom. c.* 3. §. 2.

l *Dion. de Diuin. Nom. c.* 3. §. 3. *extr.*

ſi qui libri hanc calamitatem experti ſunt, vt occulti in tenebroſo aliquo loco aliquot ſæcula remanſerint, ij ex illis ſuis latebris vel toti, vel integri, & incolumes extrahi non ſolent. Neque enim licet in cæcis illis, vt ſic dicam, carceribus impune habitare. Quam multos ſitus & caries vel abſumpſit, uel inſigniter mutilauit? Quam multos tineæ & blattæ, aliæque lentæ peſtes exederunt? Clementis ad Corinthios Epiſtola, cum proximis retro ſæculis in puluere ac Squalore nobis noſtriſque majoribus ignota jacuiſſet, noſtra tandem memoria ex illis latebris protracta Lucem poſtliminio vidit, Britanni viri Beneficio, qui eam in Alexandrino Veteris Teſtamenti codice Græco, Thectæ, vt ferunt manu ante annos circiter 1200. deſcriptam inuenit, & magna eruditorum omnium lætitia edidit. Sed neque hæc tam diuturnæ in illis latebris cuſtodiæ pænas, & incommoda vitare potuit. Male fuiſſe in illis tenebris multatam Britannica editio clamat, ſumma fide ex codice illo manuſcripto antiquiſſimo excuſa, & publicata; vbi & hiatus crebri, & eroſæ, exeſæque vel litteræ, vel voces, & lacunæ aliquot apparent. Non Tacitus, non Livius, non Cicero, non alij Græci latinique ſcriptores æquiores, vel clementiores experti ſunt ſuas illas latebras; in quibus per ſuperiorum temporum barbariem diu veluti ſepulti, delituerunt. inde fateor, quæ & noſtri, & ſuperioris ſæculi fælicitas fuit, tandem aliquando exierunt; ſed multis vulneribus deformes, quæ vel a tineis, vel a locorum ſitu, vel ab ipſa denique temporum injuria acceperunt. Neque aliter in cæteris factum, qui tota aliquot ſæcula in illo oblivionis ſepulchro defoſſi jacuerunt. Si quid ergo vnquam ſimile Areopagiticis noſtris accidiſſet, vt, quod vult Bellarminus, poſtquam quatuor ſæcula latuiſſent, inuenirentur ac ederentur, illa profecto aliqua geſtarent, ac oſtentarent ſuæ hujus tam diuturnæ calamitatis argumenta. Apparerent paſſim uel exeſa a tineis, uel ſitu, aut mucore corrupta loca; crebri hiatus, crebræque lacunæ, longi temporis injurias faterentur. At pauciſſimi ſunt veterum libri his Saniores, atque integriores; Nullus in omni opere hiatus; nulla lacuna occurrit. Sanum eſt & incolume quidquid Areopagiticum habemus; nullam veſpiam in toto corpore uel vermium, aut cæterarum ejuſdemmodi peſtium injuriam cernimus. Ergo falſum eſt, quod Bellarmino comminiſci libuit, libros iſtos in neſcio quibus latebrarum ſepulchris quatuor ſæcula jacuiſſe; ex quibus poſt tam diuturnam, vt ſic dicam, mortem, illæſi & ab omni parte incolumes exire nequaquam potuiſſent. Hoc vnum reſtat, vt aliquis etiam Bellarmino inverecundior ſophiſta dejeret hoc libros, non in terris relictos fuiſſe, vti nullæ ſunt ab his caſibus tutæ atque immunes latebræ, ſed in orbem Lunæ raptos, novos de fabulis Endymiones, tamdiu iſtic impune dormiſſe, donec ad Sexti ſæculi mortales cælitus delati pervenenerunt; quamquam & huic ſomnio, ſi cui forte tale aliquid fabulari liberet, id obſtat, quod pars Dionyſianorum librorum non contem-

CAP. IX.

CAP. IX. nenda perierit, quos cælum, ſi ſeruare uoluiſſet, omnes ſeruaturum fuiſſe credibile eſt, & vero conſentaneum. Neque mihi quiſquam de hujus partis jactura moleſtus ſit; quaſi per eam abunde ſatisfactum ſit ſolemni diuturnarum latebrarum injuriæ. Ego enim non omnium, ſed ſingulorum librorum integritatem, atque incolumitatem objeci, qui ſi tamdiu, quamdiu ſomniat Bellarminus, delituerunt, non modo aliqui ex tanto numero perijſſent (quod concedunt adverſarij) ſed & in ijs ipſis, qui ſervati ſunt, nonnulla vt diximus, extarent tantæ calamitatis documenta, hiatus, lacunæ, & alia ejuſdem generis, quę nulla iſtic apparent. Hoc non aliorum ſcilicet quàm Dionyſianorum proprium, ac planè ſingulare eſt, quòd eorum pars, & quæ ſupereſt, & quæ deſideratur, vtraque pariter tota vel evaſit, vel perijt; ſicut nullum vtriuſque veſtigium vel in ijs libris, quos habemus, deſit, vel ex ijs quos deſideramus, ſuperſit. Quod ipſum rem accuratè expendenti magno, vt mihi videtur, argumento eſt nunquam revera fuiſſe, quos Areopagiticorum ſcriptor pręter hos quos habemus, memorat a ſe editos libros; qui, ſi fuiſſent aliquando vlli, non ſit credibilius hos ita funditus perituros fuiſſe, vt ex ijs planè nihil ſupereſſent, quàm illos, qui ſuperſunt, ita fæliciter evaſiſſe, vt toti integri, ac incorrupti ſic ad nos pervenirent, vt in ijs nihil vſpiam deſideretur. Huc & aliud etiam maius prodigium accedit, quòd libri Areopagitici & quos habemus, & quibus caremus, non diverſis temporibus, ſed ſimul ſemelque toti, illi quidem extare, hi vero deſiderari cæperunt. Aliorum librorum, quorum iactura facta eſt, alii fere præter auctorem, meminerunt; vnde eos aliquando extitiſſe intelligimus, tametſi poſtea temporis iniuria conſumptos. Dionyſianos, quos amiſſos dolent Latini, nemo pręter auctorem memorat, qui ſe eos ſcripſiſſe gloriatur. Hos ſęculum ſextum, quo alii eius libri adhuc ſuperſtites, emerſiſſe finguntur, ęque ac noſtrum, neſcivit. Neque enim quiſquam eſt, aut fuit, qui ſe eos aliquando vidiſſe dicat. Scholiaſtes, ſive is ſit Maximus, ſive Ioannes Sycopolitanus (Anaſtaſius [m] enim ſcholiorum, quę in Dionyſiana habemus, non vnum, ſed duos auctores fuiſſe tradit.) Ille, inquam, Scholiaſtes narrat quidem ſibi Romanum quemdam Diaconum Petrum nomine, affirmaſſe omnia Dioniſii opera Romæ in Sacrorum Scriptorum Bibliotheca repoſita ſervari. Sed mentitum fuiſſe Diaconum oſtendunt Latini ipſi, qui Dionyſiana noviſſimè ediderunt; hæc in margine ad illum locum annotantes, [n] *Nobis tamen* (inquiunt) *a præfecto Bibliothecæ Vaticanæ ſignificatum fuit nihil vnquam ſcriptorum Dionyſij reperiri quam quæ a nobis hic dantur.* Et idem annis antè nos octingentis erat teſtatus vetuſtiſſimus Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius Anaſtaſius, cuius hæc ſunt de Dionyſio verba in illa ad Carolum Calvum Regem epiſtola, [o] quam modo citavimus; *Edidit* (inquit) *alios, vt ſæpè innuit libros, quos nec Græcus quiſquam, nec adhuc potuit invenire Latinus.* Non ergo olim magis, quàm

m *Anaſt. Biblioth. Epiſ. ad ad Car. Calu. Reg.*

n *Schol. Dion. Prob. p. 4.*

o *Anaſt. in Epiſ. ad Clar. Calu. p. 67.*

quàm nunc extabant illi Dionyſii libri, quibus nunc caremus; quia ſcilicet ex ſcriptoris capite, in quo vno deliteſcebant, nunquam vt credibile eſt prodierunt. Sed & aliud eſt veritatis adverſus Bellarmini vanitatem argumentum, Areopagitica iſta diu poſtquam ſcripta erant, in neſcio quibus angulis latuiſſe fingentis. Quoties enim hoc libris accidit, vt poſtquàm diu deſiderati ſunt, reperiantur, ſolent qui repertos edunt, lectores in primis admonere, vbinam eos invenerint, & quî factum ſit, vt ea invenerint; ad hæc commemorare quis qualiſque codex, in quo inventi ſunt, fuerit; quæ literarum quibus in eo deſcripti erant, forma, quæ ætas, & cetera ejuſdem generis vel omnia, vel certe aliqua referre. Merito. Hæc enim commemorare & dignum eſt, quæ rara ſunt, & ad eorum fidem, qui libros edunt, purgandam pertinet, ne quos edunt, eos ipſi confinxiſſe, ſi hæc diſſimulent, videantur. Itaque qui quam diximus Clementis Epiſtolam, diu ab eruditis deſideratam, noſtra memoria publicauit Patricius Iunius, ſedulo imprimis narrat, vnde eam nactus ſit, quam perijſſe & Baronius, & cæteri vulgo omnes putabant; Repertam nimirum fuiſſe in membranis laceris ad calcem vetuſtiſſimi illius Bibliorum Græcorum codicis grãdioribus literis-Theclæ, nobilis fœminæ Ægyptiæ, manu circa Concilij Niceni tempora exarati, quem Cyrillus Conſtantinopolitanus nuper Archiepiſcopus, Alexandria, vndè in illam alteram ſedem euectus erat, ſecum allatum, inde poſtea ad magnæ Britanniȩ Regem dono miſit. Ita nuper H. Vignerius, cum Auguſtini diu ab eruditis deſideratum alterum adverſus Iulianum opus totum ederet, nequa fraudis ſuſpicio ſubeſſet, optima fide nos docuit hunc ſe Theſaurum in quodam Claræuallenſis Bibliothecæ codice membranaceo ante quatuor ferè vt conjectura eſt, ſæcula exarato, inveniſſe; tum vt eum inde eruerit, vt publici juris fecerit, ſigillatim narrat. Neque aliter ab ijs factum videmus, qui noſtra hac, parentum & auorum memoria veterum ſcriptorum, vt Taciti, vt Liuij, & cæterorum opera, poſtquam ea in priuatis locis diu delituerant, in publicam lucem primi emiſerunt. Ac ne recentiores referam idem olim & apud veteres obtinuiſſe conſtat ex ijs quæ de repertis Ariſtotelis [r] operibus, narrantur. Ac vt Ethnicos mittam, ita ex noſtris Origenem, cum Græcas Veteris Teſtamenti vulgo ignotas editiones, quintam, & ſextam publicaret, ſedulò indicaſſe tradit Euſebius, [ſ] quo pacto vnam quidem repeiiſſet Nicopoli apud Actium littus, alteram in altero loco non diſſimili. Si ergo Areopagitica ex Bellarminianis illis cryptis, poſtquam iſtic diu ignota latuiſſent, ſæculo tandem Sexto eruta eſſent, profectò qui hæc primi ediderunt, docuiſſent vbi, quando, quo caſu in ea incidiſſent, qui qualeſque eſſent codices, in quibus deſcripta eſſent nacti, qua literarum forma. Atque id, ſi ab inuentore eſſet proditum, non neſciuiſſent Severiani Hæretici, qui primi ex omni antiquitate reperiuntur teſtimonia ex Areopagiticis laudaſſe

CAP. X.

p *Patric. Iun. Præfat. in Clem. Epiſt.*

q *H. Vigner. Præfat. ad Auguſt. ſupplem.*

r *Strabo L. 13. Plutarch. in Sylla.*

ſ *Euſe Hiſtor. L. 6. c. 17. gr. c. 12. Lat.*

in ſua illa cum Catholicis Conſtantinopolitana collatione. Nihil autem huiuſmodi ſciviſſe Seuerianos certa inde fides eſt, quod Hypatio allata inde teſtimonia vt dubij incertique auctoris, refutanti, nihil hæreticos tale repoſuiſſe legamus: quod ad confirmandam librorum fidem plane eo loco ac tempore neceſſario ſiquid fuiſſet, erat afferendum. Denique neque tum à Severianis, neque poſtea ab Acephalis, qui Areopagitica primi celebrarunt, neque ab alijs poſtea Scriptoribus quicquam de hoc eorum caſu proditum ſcimus; vbi ſcilicet, & quomodo poſt tam diuturnas latebras primum inuenta ſint. Non eſt ergo dubitandum, quin iſta de Areopagiticorum tam ſingulari fato jactata fabula, vt ea nimirum poſtquam ab auctore ſcripta fuerunt, in neſcio quibus angulis annos totos quadringentos delituerint, merum ſit Bellarmini, cauſæ ſuæ ſtudentis, ſomnium.

CAPVT. X.

Refellitur tertium adverſariorum effugium, quod eſt Halloixij, fingentis Areopagitica & extitiſſe olim, ante a. D. 500. & quibuſdam nota fuiſſe; ſed conſulto diſſimulata, neque memorata vſpiam; tum quod ſic auctor iuſſerat, tum quod illo ſæculo noſtri non alias ferè, quam divinas ſcripturas citarent; tum quod Areopagitica difficilia ſint, & a vulgi captu remota.

ITaque cum hoc nulla ratione fingi intelligeret Halloixius, recentiſſimus Areopagiticorum patronus, aliò ipſe confugit, & fronte grauiter perfricta affirmat nihil vetare, quin ea vetuſtiſſimis ante ſextum ſæculum ſcriptoribus ſaltem nonnullis, nota fuerint. Roganti vero cur ij illa, ſi ſciverunt nuſpiam memorauerint, reſpondet quia (inquit) *non libuit.* At ô bone, qui ſapiunt ſcriptores ijs nihil libet, quod ſtultum ſit, & a ſuo officio alienum. Negari autem non poteſt rectum fuiſſe, & veterum ſcriptorum officio conſentaneum libros memorari digniſſimos, ſi eos notos habuiſſent, memorare. Iis ergo plane hos penituſque tacere, ſi ſciverunt, neque libuit, neque libere potuit. Sed duplex (inquit Halloixius) cauſa fuit, cur iſtis non libuerit Dionyſiana noſtra vſpiam memorare, etiamſi ea noſſent; Prior; *quia libros illos (quemadmodum ipſe auctor optauerat, & poſtulauerat) noluerunt vulgo eſſe notos; ſed tantum penes Pontifices reperiri.* Altera eſt, *quia ſcriptores antiqui præter ſcripturam ſacram vix vllos citabant nominatim auctores; aut ſi faciebant, id ferè neceſſario, & ad revincendos hæreticos faciebant.* His duabus cauſſis tertiam idem poſtea addit,[v] hanc ſcilicet; *quod Materiem continerent ſublimiorem atque obſcuriorem quàm a pleriſque capi poſſet.* Atque hæc quidem Halloixius, cui ſi credimus, valdè

t Halloix. de Operi. S. Dion. Quæſt. 2 p. 538 col. 1. extr. & p. 542. col. 2. extr.

u Ibid. p. 5. 42. col. 2. extr.

valdè ſtulti fuerunt & Hypatius cum ſuis collegis, & illi à Liberato memorati Catholici, qui vtrique quidem incunctanter affirmarunt Cyrillum Dionyſianorum teſtimonijs adverſus Neſtorium vſurum omnino fuiſſe, ſi ea ſciviſſet; priores vero & Athanaſium eadem aduerſus Arianos allaturum fuiſſe pronuntiarunt, ſi nota ipſi fuiſſent; neque dubitarunt viris ſapientibus id non potuiſſe non *libere*, quod ad eorum cauſam eſſet vtile. Sed iſtis nimirum caſſis de ſimpliciori antiquitate Theologis nondum reuelata erant tria illa nouella Ieſuiticæ ſapientiæ myſteria, quæ nobis Halloixius illius diſciplinæ myſta, hic patefacere dignatus eſt. CAP. X.

Par fuit & Chriſtianorum, qui poſt quintum ſæculum vixerunt, incogitantia; qui ſi Halloixius vera dicit, præter auctoris mentem, & vetuſtiorum omnium exemplum, Dionyſiana paſſim, quoties fert occaſio, liberrime citant; quibus nulla religio fuit quæ myſteria non alios, quam Pontifices intueri fas erat, eorum apud quoſvis lectores mentionem facere. Eodem quoque ſacrilegio ſi Halloixium ſequimur, nunc Latini omnes tenentur, qui hæc Areopagitica publicè excudi, vendi, diſtrahi, in omnium manibus verſari patiuntur, ſoliſque Pontificibus adeo non vindicant, vt hominem aulicum, nullo neque ſacerdotio neque miniſterio alio Eccleſiaſtico ornatum, de ijs prolixè diſputantem ferant; quin & ejus diſputationem magnis cum elogijs Latine interpretatam publicent. Hi tum veteres, tum recentiores, Halloixianum decretum omnes pariter vt liquet, ignorarunt; Areopagitica iſta memorari nefas eſſe. Ego verius cenſeo Halloixium delirare, quam iſtos omnes tam multos, tamque præſtantes viros ſacrilegij reos eſſe. Sanè quas affert horrendi illius de Dionyſianis ſilentij tres cauſas, eæ omnes futiles ſunt, & vanæ. Nam quod ad primam pertinet, fateor equidem horum librorum ſcriptorem in Eccleſiaſtica Hierarchia tradere [x] *Sacrorum Symbolorum rationes nefas eſſe efferre apud eos qui adhuc initiantur*, οὐ θεμιτὸν ἐξάγειν εἰς τοὺς ἔτι τελουμένους; moneremque ſuum Timotheum, *ne eas cum vllo alio communicet, niſi cum ſuis ſimilibus deiformibus ſacerdotibus.* οὐ μεταδώσεις ἑτέρῳ παρὰ τοὺς ὁμοταγὰς σοι θεοειδεῖς ἱεροτελεστάς. Scio eundẽ in diſputatione de Divinis nominibus vetare, [y] *ne ſpiritualiũ Dei nominum interpretationes, & explanationes, & deiformes* (vt ille loquitur) *contemplationes, profanorum irriſionibus & illuſionibus obijciamus*; Timotheoque præcipere: *ne res divinas coram profanis efferat, aut euulget.* μήτε ῥητὰ, μήτε ἔκφορα τὰ θεῖα ποιεῖν εἰς τοὺς ἀμυήτους. Hæc inquam, apud Areopagiticum, & ſi quid aliud eſt ſimile, extare probè memini, *votum* eius, aut *mandatum vt hi ſui libri tantum penes Pontifices* (quod dicit Halloixius) *reperirentur*; vel vt (quod idem alibi ſcribit) [z] *tantum inter Epiſcoporum ſacerdotumve manus verſarentur*; hoc inquam, legere me apud hunc non memini. Donemus tamen Halloixio hanc de libris ſuis legem, & auctorem ipſum tuliſſe, & vetuſtiſſimos patres religioſè obſeruaſſe, ne ii in cuiuſquam hominis

x *Dion. de Hierar. Ec. l. c.* 1. §. 5. *extr. p.* 202. *B.C.*

y *Id. de Diuin. nom. c.* 1. §. 8. *p.* 386. *a.* 6. *c.*

z *Halloix. de Dion. l. per. Q.* 2. *p.* 542. *extr.*

CAP. X. non initiati manus traderentur, imò ne ab alijs quidem quam à ſacris miniſtris, *Pontificibus & Sacerdotibus* attrectarentur; rogo te, an ideo putandum eſt, ne his quidem licuiſſe, vel fas fuiſſe hos ſibi notos libros nominare, laudare, a ſapientia, ab eloquentia commendare? auctorem eorum Dionyſium edere, & ab eximio opere celebrare? aut aliquid denique deſcribere ex ijs, quod nequaquam ad ſacra illa non initiatis inacceſſa, ſed ad communem, ac publicam Eccleſiæ doctrinam pertineret? Nobis planè imponit ac illudit Halloixius, dum hoc ex illo ſequi ſtatuit. Iſta uerò inter ſe diuerſiſſima ſunt. Scimus Sibyllina olim apud Romanos magna religione cuſtodita fuiſſe, & procul non modo a uulgi, ſed & cæterorum mortalium oculis, in abdito fuiſſe habita, ut uel ea inſpicere quemquam abſque ſenatus decreto nefas eſſet. An ideo hoc quoque nefas fuiſſe argumentaberis, quemquam ſcribere, uel memorare carmina, quædam ſeruari Romæ, eaque a mulieribus quibuſdam antiquiſſimis, fatidicis ſibyllis edita eſſe? An ideò nemini licuiſſe judicabis aliquid ex iſtis uel lectum, uel auditum referre, aut certè ſignificare? Tu vero, ſi hoc dixeris, nemini cordato non furere aut inſanire videberis. Omnes ſciunt plane aliter à Romanis Græciſque, etiam in Sibyllina religioſiſſimis, factum eſſe: Quàm multa enim nobis vtriuſque gentis ſcriptores de Sibyllis, & Sibyllinis prodiderunt? Nemo neſcit paulo humanior, atque eruditior, quanto olim ſilentij ac taciturnitatis horrore circumſepta eſſet aut Eleuſiniorum myſteriorum apud Atticos religio. Nulla tamen etiam ſuperſtitioſiſſimis religio, uel apud ipſos Athenienſes, fuit, vel uoce, uel etiam literis tradere illa Cereris apud ſe Sacra fuiſſe; eorum originem, cauſſas, inſtitutionem narrare; majeſtatem ac ſanctitatem prædicare; etiam nonnullos eorum rituum, quibus illa conſtabant, judicare innuere, verbiſque ijs deſcribere, quæ ſoli initiati caperent. Niſi hoc ſibi licere veteres illi Ethnici putaſſent, nos totum illius occultiſſimæ ſuperſtitionis drama planè neſciremus; de quo quæcumque nouimus, ex veterum literis didicimus. Fac ergo tua illa Areopagitica apud antiquiſſimos majores noſtros eodem arcano uelata, cuſtoditaque fuiſſe, quo erant vel apud Romanos Sibyllina carmina, vel apud Atticos Eleuſinia ſacra (quamquam ne tu quidem Halloixi, tam arctam noſtrorum in illa tamque religioſam obſeruantiam fuiſſe poſtules) ne ſic quidem habebis, quod contendis; non licuiſſe noſtrorum vetuſtiſſimis Areopagiticorum, quæ norant ac legerant, vſpiam meminiſſe; vel ea ingruente aliqua hæreſi, adire atque conſulere, & ſi quid in ijs adverſus illam peſtem egregium reperirent, id in publici periculi neceſſitate promere; vel hoc ſaltem nos monere *quædam in arcano apud ſuos pontifices religioſiſſime cuſtodiri Dionyſij Areopagitæ ſcripta, præclara & pæne diuina, eorumque copiam nemini niſi vel Epiſcopo, vel certe presbytero fieri.* Hanc enim tu diram & inexecrabilem de Dionyſianis legem veteribus omnibus figis, quos ais ab illis uel aduerſus hæreticos

vſurpan-

vſurpandis, vel certe commendandis ac prædicandis, imò etiam vel leuiſſime commemorandis ideo abſtinuiſſe, quod eos libros nollent vulgo eſſe notos. Illud prudens mitto, quod quicquid Dionyſium de ſuis libris ſtatuiſſe dixeris, id certè non ad alios libros pertinet, quam ad eos ipſos, in quibus hoc quod tu vis, præſcriptum eſt. At iſta, quibus tu niteris, non alibi quam in libro de Hierarchia Eccleſiaſtica, & in altero item de Divinis nominibus reperire eſt. Ergo cæterorum, quæ plurima erant, alia ratio erat. Nihil ea a quibuſvis legi prohibebat, imo quædam hujuſmodi erant, vt ea etiam ab Ethnicis profanis legi expediret, noſtraque intereſſet; vt illam verbi gratia, quam a ſe Areopagites ille noſter *de iuſto divinoque iudicio* adverſus impiorum ſophiſmata ſcriptam diſputationem memorat. Idem eſt de Epiſtolis judicium, quas a quibuſvis pæne omnes pijs legi, nulla profecto religio eſſe debuit; Etiamſi totam Eccleſiæ Hierarchiam auctor non modo in arcano haberi, ſed etiam extingui, ac deleri iuſſiſſet. Ergo illas ſaltem Epiſtolas, illam ſaltem de divino judicio diſputationem, & alia præter *Hierarchiam Eccleſiaſticam*, & *diuina nomina*; Halloixiana nulla lex, nulla ratio etiam vulgo noſtrorum nota eſſe prohibebat. Neque enim quiſquam dixerit, ſiquod alicujus ſcriptoris opuſculum ob religionis periculum latere debet, ideo & cætera ejuſdem monumenta, etiam ea, a quibus nihil hujuſmodi metuendum eſt, latere quoque debere. Atqui vel hæc ſola Dionyſianorum pars ſatis erat, vt auctor a noſtris commemoraretur, & inde commendaretur; vt Clementis vnam ad Corinthios Epiſtolam videmus ad hoc ſatis fuiſſe, vt & opus ipſum, & ejus auctor pænè ab omnibus veteris Eccleſiæ ſcriptoribus celebraretur. Iam altera Halloixij cauſſa, etiam futilior eſt, quæ & ea aſſumit quæ falſa ſunt & id ex aſſumptis concludit, quod ex ijs nequaquam conſequens eſt. Quod enim aſſumit *ſcriptores antiquos præter ſcripturam vix vllos citaſſe nominatim auctores*; id inquam, falſum eſſe, & ſciunt qui prima antiquitatis monumenta legerunt, & demonſtrant exempla a nobis in ſuperioribus allata; Irenæi, qui Clementem & Polycarpum adverſus hæreticos; Tertulliani, [b] qui Iuſtinum & Miltiadem, & Irenæum, & Proculum contra Valentinianos; anonymi [c] apud Euſebium ſcriptoris, qui Iuſtinum, Miltiadem, & Tatianum, & Clementem, & Irenæum, Melitonem Sardenſem contra Artemonis ſectatores nominatim laudaverunt; vt alios de ſecutis ſæculis mittam, quos ſuo quemque loco edidimus vetuſtiorum teſtimonia vſurpantes, Athanaſium contra Arianos, Auguſtinum contra Pelagianos, Cyrillum Alexandrinum, & Caſſianum contra Neſtorianos, Leonem, Theodoretum, Vigilium Afrum, & Gelaſium contra Eutychiſtas. Sed Halloixius ſuæ ipſe aſſumptionis impudentiam ſenſiſſe, ac retractaſſe videtur, dum illa, quæ diximus, falſo & inverecunde de antiquis ſcriptoribus elocutus, hæc quæ ſequuntur, ſtatim ſubjicit; *Aut ſi faciebant* (id eſt *ſi vllos præter ſcripturam auctores nominatim citabant*)

CAP. X.

a *Iren.L.3.c.3.*
b *Tertull.adverſ.val.c.5.*
c *Euſeb.Hiſtor.L.5.c.* 28.

Cap. X. *id ferè neceſſariò, & ad revincendos hæreticos faciebant.* Abſit vero, vt ſcriptores ſapientiſſimos temere, nulla ratione, aut *neceſſitate* antiquorum teſtimonia vſurpaſſe vel putem, vel aſſeram. Fateor hoc eos *appoſite*, & ad cauſam quam agebant, conſentaneo adeòque *neceſſariò* feciſſe. Neque ego nego, qui ſapiunt, & alicujus ſunt in dicendo iudicij, eos non aliter in ſcribendo verſari. Si quis ſit, qui longe petitos, neque ad id quod tractat, argumentum neceſſarios locos ſuis ſcriptis immiſceat (quod multos hodie facere videmus) eum ego virum bonum, etiam eruditum, fuiſſe non ideo negabo; ſcriptorem quidem idoneum, & poſterorum in hoc genere laude & imitatione dignum fuiſſe non concedam. Eſto ergo quod vult Halloixius; Antiqui ſcriptores vetuſtiorum teſtimonia nunquam, niſi neceſſario ad argumenta, quæ tractanda ſuſceperant, vſurpaverint. Hoc mihi ad victoriam ſatis eſt. Multa enim hujuſmodi veterum ſcriptorum loca ſupra exhibuimus, in quibus Dionyſiana, ſi qua tum autoribus illis nota fuiſſent, *neceſſario* ad revincendos hæreticos afferenda erant. Cum ergo eos Halloixius fateatur in talibus cauſis etiam antiquiorum, teſtimonia citare nominatim conſueviſſe; nemo non videt neceſſario confitendum eſſe, cujus Dionyſij nulla a priſcis vox in huiuſmodi locis recitata, nulla mentio facta vſpiam reperitur; eius hæc, quæ nunc circumferuntur ſcripta, priſcis illis ad Sextum vſque ſæculum Eccleſiaſticis ſcriptoribus plane penituſque fuiſſe ignota. Sed eſto; quod liquido falſum eſſe, & nos demonſtravimus, & ipſe Halloixius eodem quo poſuit, loco confitetur, id ei nunc animi gratia veluti verum ſit, donemus; antiquos auctores vix vlla niſi ſcripturæ divinæ, teſtimonia nominatim citare. Ne ſic quidem Halloixius id quod agit, concludet. Non enim ſimpliciter quæritur, An Veteres *Dionyſiana nominatim citauerint.* Quæritur an ea vſpiam memoraverint? an Dionyſium Areopagitam Pauli diſcipulum, aliquid huiuſmodi ſcripſiſſe tradiderint? Nam ſcriptores illi non eos ſolos memorant, quorum dicta & *ῥήσεις* nominatim deſcribunt; Etiam eos memorant, laudant, celebrant, & quidem largiter atque copioſe, quorum tamen ex ſcriptis nullum verſiculum recitant. Quam multos Euſebius, Hieronymus, Gennadius memorant, quorum cum libros recenſeant, nullum tamen ex iis verbum deſcribunt: Ita & Iuſtinum, & Irenæum, & Miltiadem, & Proculum Tertullianus celebravit; nullam tamen ex eorum opuſculis ſententiam poſuit. Res clara eſt, & omnibus obuia. Fac ergo, Halloixi, tuos illos veteres quadam (a tuorum profectò Latinorum placitis valde aliena) in Dei litteras religione deterritos fuiſſe, ne vlla in ſuis libris, niſi auctorũ Divinorum, teſtimonia vſurparent ac recitarent; non ideò tamen conſequens erit, vt nuſquam tua illa Dionyſiana memorarent, ſi ea, quod tu vis, norant. Nihil enim vetabat quin Dionyſium Areopagitam multa præclara ſcripſiſſe, vel vbi de eo mentio incidebat, vel certè obiter & aliud agentes alicubi dicerent; quin eum ob operum

ſublimitatem, vt tuus ille ſtramineus Chryſoſtomus, πιτηνόν τοῦ οὐρανοῦ ſaltem dicerent, & aliquid denique edidiſſe quomodocunque ſignificarent. Atqui nihil illi omnes, nihil plerique, nihil poſtremo vel ex ijs vnus tale quicquam de Dionyſio memoraſſe reperitur. Omnis ergo ratio vincit tua hæc Dionyſiana iſtis plane omnibus fuiſſe ignota. Ita ab omni parte confractæ, atque eliſæ jacent duæ priores Halloixij rationes. Tertia, quam his alibi adjecit, vaniſſima eſt; ſcripta Dionyſij latere præ aliorum ſcriptis debuiſſe, *Quod materiem continerent ſublimiorem, atque obſcuriorem quam * a pleriſque capi poſſet.* Hanc rationem nihil valere primum oſtendit iſta ſeptimi & ſequentium ad nos vſque ſæculorum experientia. Nam rerum, quæ in Areopagiticis continentur, neque *ſublimitas*, neque *obſcuritas* prohibuit, quo minus ea ab omnibus Græcis, Latiniſque Theologis, qui per illa tempora floruerunt, celebrarentur, ipſique Chriſtianorum eruditorum vulgo innoteſcerent. Ea ergo, ſi, quod vult Halloixius, primis quinque ſæculis jam extabant, & nonnullis nota erant, parem quoque de ſe famam in hominum animis excitaſſent, eandemque celebritatem in omnis illius memoriæ ſcriptoribus nacta eſſent. Neque enim fingi poteſt vel libris eam rerum ſublimitatem atque obſcuritatem tunc defuiſſe, quæ nunc in illis occurrit, vel hominum qui tum viuebant, aliud fuiſſe ingenium, quam poſterorum a ſexto ſæculo ad noſtra tempora fuit. Eędem cauſæ eoſdem lectorum animos eodem modo affeciſſent. Experientiæ ipſa rerum ratio conſentit. *Sublimitas* enim *materiæ*, animos noſtros a libris vſque adeo non deterret, vt potius ad eos alliciat, admirationemque & ſtudium noſtrum ijs conciliet. Nos grandia & ſublimia plærumque magis capiunt, quam vtilia & ſalutaria. Illa enim curioſitati, humani generis vitio, blandiuntur; hæc ingenium ad ſequiora propenſum offendunt. Obſcuritas verò tum rerum, tum verborum, quam multos vel delectat, vel rapit? Obvia & facilia fere faſtidimus; remota & ardua libentiùs affectamur; & quod in alio argumento dixit poëta ſagaciſſimus, *Tranſvolamus in medio poſita; fugientia captamus.* Itaque non paucos ſua obſcuritas nobilitavit, quibus abſtruſa mens, & reconditi, & procul a communi captu ſeducti ſenſus pro ſapiêntia fuerunt. Qualis ille a Lucretio [d] elegantiſſime notatus Heraclitus fuit,

Clarus ob obſcuram linguam,

Et vera eſt ea rei, in ſpeciem mirabilis, ratio, quam ibidem affert Poëta;

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque,
Inuerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.

Neque ea judicij perverſitas *ſtolidorum* tantum eſt, ſed plerorumque mortalium, maxime rudium & ineruditorum, & ſiqui litteras leviter, & quod aiunt, a limine ſalutarunt, neque animum ſapientiæ ſtudijs paulo accuratius & altius, quam vulgo fit, imbuerunt. Non ergo ſi Areopa-

CAP. X.

*lege *quā ut a*

d *Lucret. L.* 1.

CAP. X. Areopagiticorum ſcriptor, *ſublimia* & obſcura tractat; non ſi ipſe ingenio ſublimis, & obſcurus lingua eſt; eo fit, vt olim, ſi iam tum extabat, noſtros omnes latere, & ab omnibus negligi, ignorari, & indutus præteriri debuerit vel potuerit. Quid, quod ne Halloixius quidem hoc concludere auſus eſt? Non enim ſimpliciter dicit *ſcripta Dionyſij olim latuiſſe* ſed *præſcriptis aliorum latuiſſe*. Hoc vero cauſam eius nihil iuvat; noſtram nihil lædit. Eſto enim; donemus fieri potuiſſe, vt Areopagitica olim extarent quidem, & nonnullis nota eſſent; minus tamen nota eſſent, quàm aliorum multorum ſcripta; ac *præ illis* (quod ait Halloixius) *laterent*. Non ideo fit, ſi iam tum extabat, vt ab illis omnibus ſcriptoribus, qui nobis ex antiquitate ſuperſunt, vel plane neſciri, vel indictus ac innominatus præteriri potuerit. Ac neſciri quidem ab omnibus iſtis non potuiſſe clarum eſt; quos plæroſque conſtat ex illo pontificali & ſacerdotali ordine fuiſſe, cui ſua Halloixius Dionyſiana nota & permiſſa fuiſſe concedit; vt quos nuper nominavimus Irenæum, Tertullianum, Athanaſium, Auguſtinum, Cyrillum, Leonem, Theodoretum, Vigilium, Gelaſium; ne quid de Euſebio, Hieronymo, Gennadio, & alijs eiuſdem æui adhuc ſuperſtitibus dicam. His certe Dionyſiana, etiam ex Halloixianis legibus, nota fuiſſe nihil uetat; etiamſi fortaſsè minùs nota, quam aliorum aliquorum opuſcula. At ſi iſti vel omnes, vel plærique, vel ſaltem aliqui Dionyſiana norant, fieri non poterat, quin ea iſti in ſuis ſcriptis celebrarent, vel citarent, vel commemorarent; in quibus plurima occurrunt loca, quæ hoc ab illis fieri poſtulabant ac flagitabant, ac tantùm non cogebant; quoties illi ſcilicet vel ſcriptores Chriſtianos ſe antiquiores recenſent, vt paſſim Euſebius & in proprijs huiuſce generis libris, Hieronymus & Gennadius; vel adverſus eas hæreſes diſputant, quæ ſunt in Dionyſianis notatæ, & inſigni aliqua ſententia confoſſæ; quo loco vel ipſe Halloixius etiam antiquiſſimis patribus concedit, vt auctores vetuſtiores nominatim citent; Ac huius quidem generis loca nos ſupra apud veteres non pauca obſervauimus, in quibus non modo vtiliter, ſed pæne etiam neceſſario adhibere Dionyſiana licebat. Cum ergo Dionyſiana, neque extare olim potuiſſe clarum ſit, quin plæriſque eorum ſcriptorum, qui ex quinque primis ſæculis ſuperſunt, nota eſſent; neque vero fieri potuerit, vt hæc illi ſi noſſent, non alicubi in ſuis operibus, ac diſputationibus memorarent; profecto illud quod nos contendimus, invitis omnibus Halloixijs, conſtituendum eſt, Dionyſiana illis, quos diximus, auctoribus ignota fuiſſe, quæ nuſquam apud eos, vel leviſſimè memorata reperiuntur; & quod hinc ſequitur, ne extitiſſe quidem adhuc, vel edita fuiſſe Dionyſiana toto illo tempore, quod ante ſextum ſæculum fuit; quæ ſcilicet ſi qua iam tum extabant, tam multos, tam præſtantes, tam rerum ac literarum Chriſtianarum ſtudioſos ſic latere non poterant, vt ijs plane penitúſque ignota eſſent. Alij de- D p.4.r.
nique aliam cur Areopagitica tamdiu latuerint, rationem commenti

ſunt; ea nimirum Arianos, quod ſuæ perfidiæ ſingulum evidentiſſime petèrent ſtudioſe occultaſſe. Sed huius figmenti vanitatem, atque abſurditatem ſatis patefecit Morinus. *An exiſtimandi ſunt* (inquit) *hæretici diligentiores in occulendis hujuſmodi libris, quam Catholici in conquirendis, & publicandis?* & paucis interjectis; *Quamobrem* (inquit) *cauſſa tegendi, quam retegendi potior fuit? Deinde cum in hæreſi multo ſæpius, quam in bello civili familiæ dividantur; quotidie contingat ſæpiſſime non modo Patrem a Filio, Filium a Patre, & quæ ſunt coniunctiſſima ab invicem ſecedere, parteſque, quas hoc anno quis amplexus fuerat, ſequente mordicus perſequi; cur eximios iſtos libros ab Arianis abſconſos aliquis perfidiam Arianam exoſus & ejerans, Catholicorumque fidem amplexus, & pro virili promovens tanto annorum ſpatio non revelauit? Scelus Arianorum ad Eccleſiam non detulit?* Huc accedit, quod (vt idem ſtatim obſeruat) *innumeri Patres ante exortam Arianam hæreſim, cum nulla poterat eſſe de Arianorum fraudibus ſuſpicio, eos libros nunquam citarunt.* Idque ex ijs, quæ nos ſupra diſputauimus, apertiſſimum eſt, *Non enim Arianos tantum* (inquit Morinus) *jugulat ille liber, ſed Etionem, Artemonem, Theodotum, & ſimiles plures, qui Chriſti divinitatem annis multis, antequam naſceretur Arius, negaverunt. Quamobrem igitur ab antiquorum nemine adverſus omnes antiquos iſtos hæreticos, aut eorum aliquem commemoratus eſt? An Ariani, antequam naſcerentur, illum occultaverunt?* Idem denique ſolerter animaduertit cauſam aliquando Arianis fuiſſe manifeſtam Dionyſiana edendi, ſiqua apud ſe habuiſſent, tum ſcilicet cum Hieronymus Antiocheno eorum Epiſcopo Euzoio, & ipſis etiam Orthodoxis vrgentibus, vt tres in Trinitate hypoſtaſes confiteretur, reponeret; *Qui, quæſo, Apoſtoli iſta prodidere? Quis novus magiſter Gentium Paulus hæc docuit, interrogamus?* (inquit Morinus) *S. Hieronymo reſpondere; Dionyſius Areopagita, Doctoris gentium diſcipulus, hoc docuit, hoc Eccleſia tradidit.* Tum *Euzoius Arianorum Antiochenſium Præſul prodere debuit Dionyſij Areopagitæ opera apud fratres ſuos latitantia, ſiqua ei cognita fuerunt. Quid Euzoium dico? Cum univerſus Occidens nollet in Deo cum Arianis tres hypoſtaſes admittere, debuerunt vniuerſi Arianorum Occidentalium Epiſcopi opera Dioniſij eruere, vt inde Catholici Occidentales convincerentur.* At conſtat nihil horum neque ab Euzoio, neque ab vllo alio Ariano factum, quibus vel cum Hieronymo, vel cum alijs orthodoxis Occidentalibus de trium *hypoſtaſeon* vocabulo rei fuit. Ergo nulla tunc (id eſt quarto jam vergente ſeculo) Ariani magis, quam Catholici habuerunt Areopagitica. *Dicet-ne aliquis* (inquit jocans Morinus) *Catholicos Occidentales ea occultaſſe, ne a Catholicis Occidentalibus, & ab Arianis convincerentur?* Sed hæc ſatis ſunt ad elidendam illam infenſiſſimam quorumdam Areopagiticorum de Dionyſio ab Arianis occultato cavillationem. Iam ni fallor, omnes adverſariorum pro ſuis

CAP. X.

Morin de Ordin. Part. 2. §. 5. p. 28.

Id ibid. §. 8.

Id. ibid. c. 6. § 7 p. 49. D.E.

Hier ep. 57.

Dionyſianis machinas euertimus; exceptioneſque, & cauillationes, & vitilitigationes excuſſimus ac refutauimus, quibus ſuum illud ficulneum Palladium tueri, & primæ antiquitati, inuitæ licet, ac repugnanti, præter clara certaque veritatis jura, inſerere ac vindicare conantur: ſtat ergo hactenus firma ac inconcuſſa illa veteris Eccleſiæ, Hypatij Epheſini Archiepiſcopi, ore in Conſtantinopolitana aduerſus Seuerianos collatione A.D.532. de his libris pronuntiata, & ſupra a nobis deſcripta ſententia, [c] *oſtendi non poſſe* quod hæc, quæ circumferuntur Dionyſiana, *Dionyſij verè ſint, ſicut ſuſpicabantur* olim illi hæretici, & etiamnum hodie ſuſpicantur Latini, hæreticorum veterum hac certe in parte, conſectanei. Stat & illius ſententiæ idonea & invicta ratio ab eodem quoque Hypatio allata; inde ducta, quod *Dionyſiana, Cyrillum, & Athanaſium*, & omnes antiquos latuiſſe eo certiſſimè deprehendimus, quod ex illis *nemo iſta recordatus eſt*. Vnde euidenter ac neceſſario ſequitur omnia hæc ſcripta, quæ pro Areopagiticis circumferuntur, dubia, ac incerta, planeque apocrypha eſſe; Et qui Dionyſij Areopagitæ illa uere eſſe affirmant, eos omnes vehementer falli, nobiſque & orbi Chriſtiano apertiſſime imponere, ac illudere, dum merces antè annos MD.XXVIII. ab hæreticis quidem laudatas, ac Catholicis verò repudiatas, pro Sanctiſſimi Epiſcopi ac Martyris Apoſtolicique diſcipuli Dionyſij genuinis & germanis operibus obtrudunt.

[c] *apud Baron. A.D.532.§.39 & Conc.T.3.p.855.*

Capvt XI.

Quæritur de tempore, quo verus Dionyſius paſſus ſit. Sub Domitiano paſſum eſſe oſtenditur; primo ex prima, eaque vetuſtiſſima traditione; non modo a Sirmondo, & Launoyo prolata, ſed etiam ab omnibus vetuſtiſſimis Areopagiticorum vel aduerſarijs, vel etiam factoribus; etiam ab ipſo Maximo probata. Refellitur Halloixij commentum ad illius traditionis vim elevandam excogitatum; ex ea evertitur recentiorum Areopagiticorum Somnium de Dionyſio ſub Hadriano paſſo.

SEd tametſi hoc Hypatij, & Eccleſiæ ſexti ſæculi, quæ Hypatii ore loquebatur, de Areopagiticis judicium, totius, quæ retro fuerat, antiquitatis vniuerſali conſtantique de his libris ſilentio munitum ac confirmatum, ſatis ſit ad eorum nouitatem, adeoque tituli quem præferunt, falſitatem, ac impoſturam demonſtrandam; ac tametſi ex ipſis adverſarijs hac in parte conſentientem habeamus virum eruditione, & dignitate, & plurimis quæ quotidie edit, operibus illuſtrem Ioannem Launoyum, Sorbonæ Pariſienſis Doctorem, qui non modò hanc Hypatianam

CAP. XI.

tanam aduerſus Dionyſiana ratiocinationem inter cætera argumenti negatiui, quod ipſe idoneum iudicat, exempla attulit; [f] ſed etiam alibi, quid de eius vi, ac veritate cenſeret, his verbis profiteri, de Hypatiana collatione loquens, non dubitauit; *de Dionyſij* (inquit) *operibus quæſtio non eſt hujus loci, & a Catholicis Epiſcopis contra hæreticos diſputantibus Conſtantinopoli pridem tractata eſt*; tametſi hæc, inquam, ad eam quam ſuſcepimus, conſtituendam cauſſam abunde ſufficiant; iuvat tamen cætera quæ non pauca occurrunt, veritatis documenta ſuperioribus ad rem magis magiſque illuſtrandam adjicere. Nam ſi Dionyſij hinc Areopagitæ res, ac tempora; illinc verò hos libros, qui ei tribuuntur; paulò accuratius conſideraueris, & inter ſe comparaveris, reperies omnia Hypatianæ ſententiæ ita ad amuſſim congruere, ac conuenire, ut nihil de hac cauſſa pronuntiari potuerit uerius, aut rectius.

f *Launoy de auct. argum. negant. p. 8.*
g *Id. diſcuſſ. diſc. Millet. c. 16. extr p. 162.*

Ac primò quidem utriuſque, id eſt Dionyſij, & huius Areopagiticorum ſcriptoris tempora inter ſe contendenti apertiſſime liquebit hunc ab illo alium eſſe; quod vt conſtet de Dionyſio prius, mox de ſcriptore dicemus. Dionyſium ergo Areopagitam A. D. 52. Athenis a Paulo ad Chriſti fidem converſum fuiſſe, & ſtatuit Baronius [h] & ipſe actuum Apoſtolicorum apud Lucam ordo, ac ſeries ſatis monſtrat, neque ab hac ſententia ſcriptores alij ueteres, recenteſque longius recedunt. Neque de eius opinor, morte, res eſſet obſcurior, niſi ſexto & nono ſæculo exorta duplex de eius primo libris, mox & de Pariſienſi Epiſcopatu, anterioribus ſæculis inaudita fabula hominum animos turbaſſet, nouiſque ſtudiis incenſos traditionem, ueterem quidem ac ueriorem, ſed ſuis figmentis aduerſantem, loco pellere, diuerſamque inducere, & ſpargere coëgiſſet. Illa prior traditio habebat Dionyſium ultimis Domitiani temporibus Martyrium feciſſe; Eam autem Ieſuitarum eruditiſſimus, ac candidiſſimus Sirmondus veram eſſe multis ex profeſſo diſputat [h] in diſſertatione de duobus Dionyſiis; & Launoyus hanc illius ſententiam diuerſis aliorum opinionibus præfert, *veritateque antecellere* pronuntiat. [i] Diuerſæ autem illæ aliorum opiniones duæ ſunt; una quæ ſub Traiano; altera, quæ ſub Hadriano paſſum eſſe Dionyſium perhibent; quarum quæ prior eſt, paucorum antehac fuit, Græcorum quidem *Michaëlis Syngeli*, & *Suidæ*; Latini uero nullius, quod ſciam, præter auctorem Martyrologii, quòd Gregorii Pontificis Romani XIII. iuſſu poſt a. D. 1572. editum eſt. Poſterior, Areopagiticorum hominum (id eſt eorum qui Dionyſii libros ueros eſſe putant) & quorumdam iam olim fuit, & nunc omnium eſt. Illæ autem opiniones ſunt a nobis in primis refutandæ; vt hi ueluti diſiectis nebulis, uerum Dionyſiani Martyrij tempus eluceſcat. Ac primo quidem utramque commentitiam eſſe, & ſolo Dionyſianorum tuendorum ſtudio confictam, clariſſime hinc, vt mihi uidetur, intelligere poſſumus, quod cum Areopagiticos hos libros, principio a Ca-

h *Baron. a. D. 52. §. 1.*
h *Sirmond. diſſ. de duob. Dion. c. 8. ſ. 6.*
i *Launoy in vita Dion. Areop. c. 2. p. 277 278.*

Cap. XI. tholicis Hypatii ore, vt diximus, repudiatos, mox multi paſſim Chriſtiani (vt deteriora facile vincunt) pro veris admittere cæpiſſent; conſtat ab ijs, qui ueriora ac antiquiora ſequebantur, obiectum his operibus, iam inde a principio fuiſſe, Dionyſium illa ſcribere non potuiſſe, quod in ijs quædam reperiantur, quæ ad Traiani tempora pertinent. Maximus, Areopagiticorum uetuſtiſſimus ſcholiaſtes, & defenſor laudatorque accerrimus, id diſertè teſtatur in ſcholiis ad eũ de divinis nominibus locum, [k] vbi quædam ex Ignatij Epiſtolis verba laudantur; *Aliqui* (inquit) *etiam ex hoc loco arbitrantur opportune præſentem librum arguere, tanquam non eſſet divini Dionyſij, quia dicunt Ignatium eſſe ipſo poſteriorem; quomodo verò poteſt aliquis poſteriorum meminiſſe?* καὶ ἐκ τούτου τινὲς οἴονται διαβάλλειν εὐκαίρως τὸ παρὸν σύνταγμα, ὡς μὴ ὂν τοῦ θείου Διονυσίου, ἐπειδὴ Ἰγνάτιον λέγουσι μεταγενέστερον αὐτοῦ εἶναι. πῶς δὲ δύναταί τις τῶν μεταγενεστέρων μεμνῆσθαι; Maximum autem ex Anaſtaſij Bibliothecarij collectaneis conſtat [m] A. D. 653. annum ætatis ſuæ egiſſe ſeptuageſimum quintum. Ergo hoc iam ante adultum ſeptimum ſæculum Dionyſianis obiici cæptum eſt. Theodori quoque neſcio cuius, Areopagiticorum itidem patroni temporibus, eadem obiecta fuiſſe ex Photio apparet, noni ſæculi homine, qui quatuor argumentorum, quæ contra Dionyſij libros allata ſoluere conabatur Theodorus, hoc quartum fuiſſe ſcribit; [n] *Quomodo Epiſtolæ deifieri Ignatij meminit hic liber? Dionyſius enim Apoſtolorum temporibus floruit; Ignatius vero ſub Traiano Martyrij certamen certauit; & paulò antè mortem epiſtolam hanc, quam liber memorat, ſcripſit.* Iam dicant mihi, velim, Areopagitici, an ſit iſto, credibile, vel tam amentes, vel certe tam impudentes futuros fuiſſe, ut pro ſuæ in hos libros objectionis principio (quod vel clarum, & apud adverſarios confeſſum, vel certe probabile, ac veriſimile eſſe decet) aſſumerent Dionyſium ante Trajani perſecutionem eſſe paſſum, ſi id non modo non certum aut probabile, ſed etiam manifeſte falſum, & apud omnes Chriſtianos incredibile eſſet? Quid quod hoc non ſemel, neque temere, aut obiter, ſed conſtanter a Maximi æuo ad Theodori vſque memoriam, qui poſterior fuiſſe videtur, certo conſultoque objecerunt? Quid, quod hanc ipſam eorum obiectionem Photius Nono ſæculo dignam putauit, quam referret diſertis, ac dilucidis verbis conſignatam? At ſi diverſa fuiſſet ea de re Eccleſiæ (quod Areopagitici volunt) fides, ac traditio; ſi omnes illius memoriæ eruditi ſciebant (quod iidem decernunt Dionyſium ſub Hadriano paſſum eſſe; cum & alia ex parte conſtaret ſub Trajano Martyrium feciſſe Ignatium; nonne iſti ſe, veluti ridiculos moriones, omnium ſannis & ludibriis exponebant, dum Ignatium Dionyſio poſteriorem fuiſſe affirmabant & inde contra huius libros argumentabantur? dum in hoc veluti tuto aliquo firmamento pedem figebant, & tam futili Machina Areopagitica per duo, pluraque etiam ſæcula oppugnarent? Photium vero, virum & ſuæ, & ſequentis memoriæ longe eruditiſſimum, quis dubitat hanc

k Dion. L. de divin. Nom. c. 4. §. 12.

l Maxim. Scho. in illum locũ T. 2. Dion. p. 144. A.

m Anaſtaſ. in collect. p. 114. 135.

n Phot. Bibliot. Cod. 1.

hanc eorum ineptiam dicam, an inſaniam, dum refert, fuiſſe, (quod in a- CAP. XI.
lijs ſæpe fecit) aliqua nota perſtricturum, & eo, quod digna erat, probro aſperſurum. Publicam Eccleſiæ de Dionyſij, vel vltimis Traiani, vel primis Hadriani temporibus paſſione traditionem vel vno uerbo ab iſtorum calumnia vindicaturum? moniturumque obiter lectores hujus obiectionis auctores nugari, & Dionyſium ex eo, quod Apoſtolorum temporibus floruerit, perperam negare poſt Ignatium paſſum, quem omnes ſcilicet noram vel ad Trajani ultima, uel ad Hadriani prima tempora vitam produxiſſe, & ſub ijs martyrium feciſſe? At ex ſuperioribus conſtat neque Areopagiticorum aduerſarios a Maximi æuo ad Photium ita pro ſua ſentencia argumentari deſtitiſſe; neque Photium ita argumentantes ineptiæ, aut inſaniæ arguiſſe. Ergo illud poſtremo fatendum eſt illam de Dionyſij vel ſub Hadriana paſſione Traditionem, illis quæ diximus, temporibus nullam adhuc extitiſſe; & quę nunc hac de re circumfertur, eam recentiorem eſſe nono ſæculo, adeòque incertam & falſam eſſe; juxta veriſſimam ipſius Baronij ſententiam, *Quod* (inquit) [o] *a recentiore auctore de rebus adeo antiquis ſine alicuius auctoritate profertur, contemnitur.* Id ipſum vero ex Areopagiticorum veterum ad illam adverſariorum contra Dionyſij libros objectionem reſponſione multo etiam validius conficitur. Nam ſiqua extitiſſet, non dico certa conſtanſque, ſed uel obſcura, ac dubia de Dionyſij ſub Trajano, uel ſub Hadriano paſſione traditio, vel fama; omnes uident nihil fuiſſe facilius, quam objectionem refellere, reſpondereque quod res erat, Dionyſium, qui vel extremis Trajani, vel primis Hadriani temporibus paſſus eſſet, Ignatio qui ſub eodem Traiano, ſed aliquot ante annos martyrium fecerat, poſteriorem fuiſſe, ejuſque adeo Epiſtolam legere, & aliquid ex ea deſcribere potuiſſe. Ita Andreas Schotus, Scholio ad Photium, [p] quartam illam contra Areopagitica apud Theodorum obiectionem ſolvit; neque aliter eandem dubitationem diſcutit Baronius, [q] & alij Latini. Eadem ergo, & vetuſtiſſimi eorum Patriarchæ, cum in hac quæſtione verſantur, attuliſſent, ſi quid vel de hac, jam apud iſtos omnes obtinente, traditione inaudiuiſſent, quæ Dionyſium ſub Hadriano paſſum fingit; vel ſaltem de illa altera Syngelli & Suidæ propria, quæ eundem vltimis Traiani temporibus martyrium feciſſe fabulatur. At nihil apud primos ſectæ Dionyſianæ Magiſtros hujuſmodi reperitur. Ac Theodorus quidem, quid ad quartum illud adverſariorum ſuorum argumentum reſponderit, neſcimus. Ejus enim liber (quod quidem doleo) jampridem periit, neque vlla ejus (quod ſciam) alibi, quam apud Photium reperitur mentio. Sed ecce extat. Maximi, ipſo Theodoro ni fallor, vetuſtioris, ad deſcriptam nuper a nobis objectionem reſponſio. Quid ergò ille? Ille vero id quidem, quod iſti ſtatuebant, Ignatium fuiſſe Dionyſio poſteriorem, confidentiſſime rejicit, *figmentum* eſſe, clamans; [r] πλάσμα ἐστὶ καὶ τοῦτο δεινὸν αὐτῶν, inquit. Benè hactenus, & apposite ad recentiorum fabulas.

[o] Baron. Ann. Tom. 1.

[p] Ad Phot. Cod. 1.

[q] Baron. 1. D. 109. §. 54.

[r] Maxi. Schol. in Dion. de di-

Cap. XI. Ergo-ne iſtud adverſariorum *figmentum* eo refellit, quod Ignatius anno Trajani nono, Dionyſius vero ſub Hadriano vt noſtri volunt, vel certe, vltimis vt ſcribit Syngelus, Trajani annis paſſus ſit? Iſtæ quidem hoc loco Maximus, ſi vel cum his, vel cum illis ſenſiſſet, neceſſariò fateor, afferre debuit. Sed ille tamen iſtorum plane nihil dicit; Longè alia loquitur, & a recentiorum traditionibus haud propius, quam cælum a terra abeſt, diſtantia ſcribit. Primo enim Ignatium Dionyſio antiquiorem eſſe inde conficit, quod ille Petri, hic Pauli diſcipulus fuerit; ille Antiochiæ Epiſcopus Petro, Romam proficiſcentes ordinatus ſit, hic poſt paulum vixerit; quæ argumenta ego quidem admiror, non tamen, vt fateor quod res eſt, ſatis capio. Sed ecce aliud etiam multo mirabilius.[s] *Ioannes*, inquit, *Evangeliſta ſub Domitiano exulat in patmo, cui reſcribit Dionyſius; Ignatius vero antè Domitianum patitur, ita vt antiquior ſit Dionyſio.* ὁ ᾗ εὐαγγελιςὴς Ἰοάννης ἐπὶ Δομετιανȣ̃ ἐξορίζεται, εἰς πάτμον, ᾧ ἀντιγράφει Διονύσιος. Ἰγνάτιος ᾗ πρὸ Δομετιανȣ̃ μαρτυρεῖ. ὥςε προγενέςερος Διονυσίȣ. Hæc ille. Tu vero jam ſpecta, quàm diuerſas, ac inter ſe contrarias vias hic, & ejus poſteri, recentes Areopagitici, ineant, vt ad vnum eundemque locum perveniant. Vtrique eo tendunt, vt Ignatio ſuperfuiſſe Dionyſium, hunc adeo illo poſteriorem fuiſſe demonſtrent. Vt id aſſequantur, recentiores quidem Dionyſium ad tempora Hadriani ſummovent; Ignatium, quem omnes primis Trajani annis paſſum putant, loco non mouent. Maximus plane contra inſtituit; Dionyſium ſub Domitiano quieſcere ſinit; Ignatium ex mediis Traiani ſatellitibus, totoque illo quod Traiani eſt, tempore ereptum, atque avulſum, in ſuperiora retro, ipſoque etiam Domitiano anteriora tempora infert, atque immittit; craſſo, & merito a Petavio Ieſuita[t] notato errore. *Errat* (inquit) *Maximus Martyr, qui quod, Dionyſius in c. 5. de diuinis nominibus Ignatium citat, ante Domitianum necem eiuſdem Ignatij collocat.* Magna vtrorumque Areopagiticorum uis, fateor; magna in priſcos Eccleſiæ ſcriptores iniuria. Maximi tamen multo, vt mihi videtur, quam recentium, major. Illius plane prærupta via eſt; Horum difficilis quidem, & ardua, ſed paulò tamen quam altera, clementior, atque expeditior. Hanc ergo ſi ſciuiſſet, Maximus, ne dubites, quin eam vir, & acutus, & eruditus, potius quam illam alteram ſecuturus fuerit. Illam vt liquet, elegit. Ergo hanc ſuorum poſterorum induſtria repertam neſcivit; hoc eſt Dionyſium vel ſub Hadriano, vel ſub Trajano extrema paſſum ignorauit. Virum alioqui doctum ſola meliorum deſperatio per pręcipitia ire ſubegit; exiſtimantem ſe niſi hoc auderet, illud quod nollet, aduerſarijs negare non poſſe; Dionyſio ſcilicet ſuperfuiſſe Ignatium. Hic ego non dubito, quin Areopagitici, vt hæc tela a ſuo capite auertant, ad Petri Halloixij figmẽtum veſtigia converſuri ſint; qui hiſtorica nobis fide (ſed eadem, qua totam Areopagitæ vitam pro ſua libidine ad ſuæ, ſuorumque de eius libris, & Epiſcopatu Pariſienſi ſomnia effinxit) in illo

vin. nom. c. 4. § 12. p. 144. B.

s Ibid.

t Petau. Ratio. Temp. Part. I. L. 5. c. 9 p. 305.

in illo ſuo fabuloſiſſimo commentario narrat, [v] primos rerum Chriſtianarum auctores cum ſcriptis antiquiorum de vero Dionyſiani Martyrij tempore teſtimonijs carerent, *Coniecturis* ad id aſſequendum neceſſariò vſos, nixoſque fuiſſe; *Quæ cum ſint* (inquit) *ex ingeniorum varietate varijs variæ, hinc quidam, vt ad res Dionyſij ventum eſt, conſiderata hinc tormentorum, quæ paſſus eſt, acerbitate, illinc eius ætate, quam ad Domitianum perveniſſe nullus dubitabat, idcircò Martyrij tempus ad Domitiani tempora retulerunt; Alij vero coniectis in alia oculis, & Dionyſij ipſius peregrinationes & ſcripta diligentiùs rimati, repererunt ſaltem ad Trajani eum tempora perveniſſe. Tertij denique cum ipſius Martyris veteres memorias, tum alia priſcorum de illo antiquiſſima perſcrutati monumenta fidis veſtigijs etiam vltra progreſſi ſunt, & Dionyſium egiſſe, obijſſeque vitam Hadriano Imperatore deprehenderunt, poſteriſque tradiderunt.* Atque hæc quidem hactenus bonus ille Halloixius; Quæ ipſius fortaſſe, vel diſcipuli, vel certe conſectanei ad ſolvendas has duas adverſus Areopagitica obiectiones noſtras arrepturi ſunt; in illa de Dionyſiana morte ex varijs auctorum ingenijs exorta opinionum diverſitate non eſſe mirandum, vel quod adverſarij ſparſam de vetuſtiori illius martyrij tempore famam jam olim libris objecerint, vel quod Maximus & Photius de diverſa ſententia nihil dixerint, quæ Dionyſium ſub Hadriano, vel certe ſub extremo Trajani imperio paſſum fuiſſe ſtatuit; Non enim quæ veriora ſunt, ea ſtatim ab initio, ſed paulatim magno poſterorum labore, magnaque ingenij contentione eruta tandem, ac reperta eſſe; vt hæc vetuſtiores neſciviſſe, nulla invidia ſit. Hæc illi ex Halloixij quidem decretis non abſurde ad cauſæ laborantis ſubſidium afferre poſſe videntur; quæ antequàm refellam, in primis haud equidem invitus confiteor illa Halloixij de duobus poſtremis conjectorum ordinibus verba mihi videri non procul a vero diſcedere; hos ſcilicet vtroſque primam de Dionyſij ſub Domitiana paſſione famam ideo ſpreviſſe, & rem ad vlteriora Trajani & Hadriani tempora rejeciſſe, quod Scripta illa Dionyſij nomine paulo ante ſuam memoriam vulgata diligenter *rimati* reperirent non poſſe ea conſiſtere, niſi Dionyſium poſt Domitianum vixiſſe conſtaret, adeoque hoc poſterorum hominum in illa ſcripta ſtudio factum eſſe, vt prima de Domitianeo tempore ſententia exploderetur, & ſenſim ad Hadriani vſque imperium deveniretur; plane contra quam fieri oportuit. Ex antiquiori enim adeoque veriori traditione novitiam illam, Sextoque demum ſæculo emergentem Areopagiticorum librorum fæturam abdicari, & repudiari decebat; ipſam traditionem, vel ſuo æuo venerabilem, immotam ſinere, ac retinere; non (quod plane ſtulto ac præpoſtero conſilio fecerunt) vetera ex nouis diſpungere, & quæ initio ſtabant, ea cæco de rebus nuper inventis præiudicio damnare. In his ergò hactenùs Halloixij ſimplicitatem exoſculor, qui nobis plane aliud agens, verum ſuorum de Dionyſij

Cap. XI.

u *Halloix. Vitæ Dion. c.* 20. *p.* 484. *col.* 1.

Cap. XI. niſii martyrio errorum fontem aperuit, ac indicavit. Quæ verò idem dicit de primis, adeoque antiquiſſimis Dionyſiani martyrii ſcriptoribus, ea neque laudare; neque probare poſſum. Hos enim æque ac poſteros, ſcriptis de illius martyrio teſtimoniis deſtitutos, coniecturis ad id indagandum neceſſario fuiſſe adniſos ſtatuit, atque pronuntiat; Quo in loco, cauſæ ſtudio turbatus, ſe lectori non plane obeſo ridendum propinat, a ſe ipſo (quod longe eſt turpiſſimum) diſſentiens, atque id ipſum vna his manu conſtituens, quod mox altera ſtatim euertit. Illa enim, quæ nos recitavimus, verba vix concluſerat, cum repente hæc, quę ipſa quoque afferenda ſunt, ſcribit; *Ariſtidem* (inquit) *eximium illum* * *ſæculi ſcriptorem, ipſius Dioniſij martyrium Hadriani conſignaſſe temporibus, iam olim compertum eſt*; ac nequis de eius fide dubitaret, in annotationibus, quæ huic ſuæ narrationis capiti ſubiecit, hæc partim ex Bedæ, partim ex Adonis martyrologio [y] deſcripta exhibet; *Natale ſancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Hadriano Principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt graviſſima tormentorum genera glorioſo Martyrio coronatur. Vt Ariſtides Athenienſis vir fide, ſapientiaque mirabilis teſtis eſt in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquiorum monumenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.* Atque hæc quidem Halloixius. Iam vero quis non hominis leuitatem miretur, vno eodemque loco res tam inter ſe diverſas, pugnanteſque ſcribentis? nam ſi quod ille priori loco poſuit, verum eſt, illos ſcilicet vetuſtiſſimos auctores, qui primi de Dionyſiani martirij tempore aliquid tradiderunt, quod ſcripta vetuſtiorum ea de re teſtimonia nulla haberent, ea neceſſitate coactos fuiſſe proprias ſui ingenii coniecturas ſequi, ad Imperatoris nomen, ſub quo Dionyſius paſſus eſſet, indagandum; illud alterum quos idem ibidem, & quidem ſtatim, affirmat, neceſſariò falſum eſt; nimirum iam olim *compertum eſſe Ariſtidem Dionyſij Martyrium Hadriani conſignaſſe, temporibus.* Quod enim eius rei clarius, certius, & omni ex parte fidelius documentum eſſe potuit, quam Ariſtidis ſcriptum teſtimonium, id eſt eius viri, qui Dionyſij ὁμοπάτριος & σύγχρονος fuit, quique martyrem ſpectaverat, certe ſpectare potuerat patientem, non toto ſexennio ante, quam ipſe eum librum ederet, in quo hæc eum Ado de illius martyrio perhibuiſſe dicit? Tam claram, tamque indubitatam, tam idonei tamque locupletis auctoris de Imperatoris, ſub quo martyr paſſus eſt, nomine fidem tenentes; quid amabo te, Halloixi, ingenij ſui coniecturas & argumenta adhibere ad id venandum neceſse fuit, quod in libro tam luculento diſerte ſcriptum legebant? ſi vero id quod tu poſteriori loco ſcripſiſti, verum eſt, *Ariſtidem Dionyſij martyrium Hadriani temporibus conſignaſſe*; illud prius, quod affirmabas, neceſſario falſum eſſe deprehenditur; nimirum

x Halloix. il. id. col. 2. p. 487

* videtur legendum *ſecundi ſæculi*

y *Beda, & Ado in Martyr. ad d. 3. oct.*

nimirum primos noſtrorum, quo de Dionyſianæ paſſionis tempore ſcripſerunt, veris ingenij ſui coniecturis nixos eſſe in Imperatoris, ſub quo Martyr eſt paſſus, nomine inueſtigando. Tibi velis nolis horum alterum dimittendum atq; abjiciendum eſt. Vtrumq; quod per inſignem incogitantiam ſimul poſuiſti, retinere non potes. Vel ergo Ariſtidem confitere in illo ſuo aureo pro Chriſtianis Areopagitico Dionyſij martyrium memorantem nihil de Imperatore ſub quo ille paſſus ſit, nominatim tradidiſſe; teque, tuumque Adonem, & cæteros, quotquot id ipſum affirmaſtis, aut falſos eſſe, aut nimio cauſæ ſtudio corruptos, nobis imponere prudentes ſcienteſque voluiſſe. Vel certe tuum illud de primorum Dionyſianæ mortis tempore ſcriptorum conjecturis, ad tenebras nobis offundendas excogitatum commentum (in quo tu tibi valde placere videris) totum ex Dionyſiana tua hiſtoria dele, atque expunge. Exſpecto vtram partem electuri ſint Areopagitici. Sed quis dubitat in hanc potiùs ituros, Halloixijque, tametſi bellum ac lepidum, figmentum illi ſuo Ariſtidis ex Adone teſtimonio, vni totius ſuæ cauſę fulcro, atque columini, incunctanter poſthabituros? At hoc ſi retineant, nihil illis ſupererit, quod ad ſuperiores meas obiectiones reponere queant. Stabit vtraque firma & inconcuſſa. Nam cum illud Ariſtidis opus clariſſimum apud noſtros ex Euſebij, & Hieronymi, & ipſius etiam Adonis teſtimonio conſtet; quod ibidem de Dionyſij ſub Hadriano paſſione ſcriptum fuiſſe ipſi putant, ac contendunt, id profectò veteres Areopagiticorum vel adverſarios, vel patronos latere non potuit; vt ſummam planeque incredibilem fuiſſe neceſſe ſit, & illorum impudentiam, atque ineptiam, qui Dionyſium ante Traiani tempora paſſum eſſe contra diverſum locupletiſſimi auctoris teſtimonium obiectare audebant, & horum ſtultitiam atque inſcitiam, qui id in hac quæſtione diſſimularunt, quod vnum ad eam profligandam ſatis erat. Neque enim fingi poteſt id, ſi re vera ſcripſerat Ariſtides, neſciuiſse, vel Maximum, vel ejus adverſarios, Græcos de ſeptimo ſæculo homines; quod Ado, hoc Gallus, duobus ſæculis recentior, probe ſciverit. Quis credat Maximum, virum Græcum, doctiſſimum, & in antiquitatis lectione verſatiſſimum, adhæc ducentis annis Adone vetuſtiorem, id in antiquiſſimi, & quidem vernaculi ſuæ gentis ſcriptoris, celeberrimo opuſculo non vidiſse, quod noſter Ado, qui librum fortaſse nunquam inſpexerat, in eo perſcriptum fuiſse reſcivit? ſed etiam ſi Areopagitici veris victi illud de Dionyſij ſub Hadriano paſſione teſtimonium Ariſtidi falſo in Adonis Martyrologio tribui nobis aſsentirentur (& ſane falſo tribui & Sirmondus [z] & nos infra vberius docebimus) ne ſic quidem Halloixio id quod ille cupit, concedendum eſse ſequeretur; nimirum qui primi olim Dionyſij martyrium ſupremis Domitiani temporibus factum fuiſse ſcripſerunt, id eos ſui tantum ingenij coniecturis, nulla antiquiorum auctoritate, aut traditione fretos fuiſse. Nos quidem, quos his a prima rerum Chriſtianarum origine remotiſſimis

CAP. XI.

z *Syrm. de duob. Dion. c. 8. p. 66.*

K ſæculis

CAP. XI. ſæculis libri ſæpiſſimè deſtituunt, neque vlla juvat uetus, integra, ac incorrupta traditio, ita interdùm philoſophari neceſſe eſt, rerumque antiquiſſimarum veritatem, quarum nulla habemus certa ac liquida, diſertave documenta, ratione ac ingenio venari, conjecturiſque explorare. (quamquàm & in hoc genere minimum ſibi indulgeant, qui maximè ſapiunt) veterum qui mille, & ampliùs ante nos annis vixerunt, longè alia conditio fuit, qui & multo plures, quam nos antiquiſſimorum ſcriptorum libros habebant, & ſi qua non eſſent litteris a vetuſtioribus mandata, ea ipſa a maioribus ſuis multo certiori, quam nos a noſtris, fide accepiſſe poterant. Illis enim, quod a rerum geſtarum temporibus multò propius abeſſent, quam nos, multa maiorum relatu de rebus antiquis certo diſcere licuit, quæ nos a noſtris audire nequaquam potuimus. Exemplum ex Hieronymo nunc ſuccurrit; narrante [a] *ſe quemdam vidiſſe Paulum Concordienſem, ſenem, qui ſe Beati Cypriani, jam grandis ætatis notarium, cum ipſe admodum eſſet adoleſcens Romæ vidiſſe diceret, referreque ſibi ſolitum, nunquam Cyprianum abſque Tertulliani lectione vnam diem præteriſſe, ac ſibi crebro dicere, da magiſtrum, Tertullianum videlicet ſignificans.* Quin veriſſima ſit illa de Cypriano, tametſi a nullo anteriorum ſcripta traditio, nihil cauſæ erat, cur dubitaret olim Hieronymus; nihil eſt cur nunc dubitemus. Et tamen a Cypriani morte ad id tempus, quo eam ſcripſit Hieronymus, anni interceſſerant circiter CXXXIII. Quid vetat aliquem priſcorum pari temporis ſpatio a B. Dionyſij martyrio diviſum hæc de Dionyſij ſub Domitiano paſſione, quæ convellere conatur Halloixius, aliqua iſtius Hieronymianæ ſimili traditione a natu maioribus per manus accepiſſe, & vel ipſum, vel alium aliquem ab ipſo edoctum, ea in libro aliquo ſcripſiſſe; qui ad proximos quidem ſiue Maximi, ſiue alterius de quinto, ſextove ſæculo maiores, pervenerit; ſecutis verò poſt Maximum alioſve ſæculis interciderit; cum ante tamen ex ejus teſtimonio hauſta de Domitianeo Martyrij Dionyſiani tempore traditio ad plures jam manaſſet? Quin res ita fieri potuerit, nemo, vt reor, ſapiens dubitabit. Fac ita contigiſſe. hoc conceſſo ne Halloixius quidem negaverit illam de Domitianeo Dionyſij martyrio ſententiam, ex certa ac incorrupta traditione hauſtam acceptamque fuiſſe; non autem poſterorum ingenio, & coniecturis repertam, aut erutam. Fruſtra ergo ille dictat, quod Apoſtolicis fortaſsè temporibus acta rerum a noſtris geſtarum confici, & litteris mandari nondum ſolerent, ideo earum apud nepotes memoriam in incerto fluctuaſſe; neque aliter quam ingenioſorum hominum coniecturis explorari, aut ſciri potuiſſe; Cum etiam iſtarum rerum traditio aliqua certa, vt oſtendimus, eſſe potuerit, non eſt neceſſe ſuſpicari quicquid de iſtis, longo poſtquam eæ geſtæ erant, tempore ſcriptum eſt, id ex ſcribentium coniecturis, non ex maiorum traditione veniſſe. Nullum ſane in Dionyſij Martyrio ad Domitiani tempora referendo datum eſſe coniecturis locum, inde vt mihi videtur, ſatis

[a] *Hier. L. de ſcriptor. Eccl. c. 33. de Tertull.*

ſatis apparet; quod id nemo veterum affirmarit; ſoluſque noſtro demum ſæculo reperiatur Halloixius, cui cauſæ, quam ſuſcepit, difficultas hoc vt iactaret, ſuaſit. Nimirùm ita ſe multorum veterum diſertè de paſſo Domitiani temporibus Dionyſio teſtimonia elevaturum ſperauit, ſi ea nulla priſcæ Eccleſiæ traditione, ſed ſolo ſcribentium ingenio niti ſpargeret. Huc accedit, quod quæ fuerint illę coniecturæ, quæve earum argumenta, nemo ſcriptorum dicit; cum tamen non ſoleant hæc inventores tacere, quæ ſcilicet ad ſui ingenij laudem pertinent. Omnes qui illud martyrium ſub Domitiano factum memorant, id veluti rem certam, & ex certa, & antiqua traditione acceptam, atque apud omnes conſtantem memorant. Solus Halloixius, qui hæc ex ingenio ſuſpicatos eſse finxit, ex antiquiori traditione accepiſse negauit, rationes ijs, cur hoc ita ſuſpicarentur, de ſuo homo plane liberalis, commodauit. Itaque cum ab initio vna, ſimplexque eſſe ſoleat de rebus geſtis traditio; opinionum de ijs varietas ex hominum ſtudijs fere naſcatur; dubitandum non eſt, quin & ea vera ſint, quæ primo de Dionyſianæ paſſionis tempore tradita ſunt; & ea falſa, quæ ab his diverſa a recentioribus poſtea prodita ſunt. Cum ergo vel ipſe Halloixius primum inter eas ſententias, quæ de hujus martyrij tempore ſunt, locum, vt omnium primæ ac vetuſtiſſimæ, & tribuerit, quæ rem Domitiani temporibus aſſignat; reliquis duabus, quæ eam ad Trajani, vel Hadriani imperium reiicit, ſecundum tantum, tertiumque locum, veluti recentioribus, ac diu poſt primam repertis, reliquerit; vel hinc intelligimus ſolam eam veram eſſe, quæ prima fuit; duas reliquas, hominum ſtudio inventas, falſas eſse. Sed hæc de Halloixiano figmento ſatis. Nunc cætera pertexamus contra eos argumenta, qui Areopagitam vel ſub Traiano, vel ſub Hadriano martyrium feciſse volunt. Cap. XI.

CAPVT XII.

Recentiorum de Dionyſij ſub Hadriano paſſione error, inde ſecundò refellitur, quod ex eo Dionyſium centenario maiorem paſſum eſſe ſequeretur; quod falſum eſſe ex omnium, & Martyrologiorum, & aliorum veterum ſcriptorum conſtanti ea de re ſilentio, arguitur.

TErtium inde ducitur, quod ex iſtorum ſententia Areopagitam centenario maiorem neceſse ſit glorioſiſſimum iſtud certamen decertaſse. Ratio manifeſta eſt. Volunt enim Areopagitici Dionyſium anno Domini vel octauo, vel ad ſummum nono natum eſſe; vnde illud, quod dixi certiſſime conſequitur, ſi anno Traiani duodecimo certauit, eum anno ætatis tertio & centeſimo fuiſse coronatum; vel etiam vndecimo & centeſimo, ſi (quod Baronius cum alijs quibuſdam mavult) primo Hadriani anno paſsus ſit. Baroniana Chronologia annum Hadriani primum, eundem Chriſti Domini CXX. fuiſse ſtatuit. Ac tametſi id, vnde hanc Dionyſianæ vitæ rationem ducunt, fluxæ ac lubricæ fidei apud me ſit, (totam enim hanc rerum molem vni illi ad Apollophanem ſuperſtruunt epiſtolæ, [c] in qua larvatus eorum Dionyſius ſe annos XXV. eo tempore natum fuiſſe dicit, quo Dominus Ieſus in cruce paſſus eſt) hanc tamen illorum de vitæ Dionyſianæ annis ſententiam concedo, ac confiteor non procul à vero diſcedere videri; & ſpatium, quo vel citra, vel vltra verum eſt, omninò exiguum eſſe, ac nullius pæne momenti. Cum enim ex divina Lucæ hiſtoria conſtet Dionyſium, quo tempore Paulum Apoſtolum audiuit (id eſt a. D. 52.) jam vnum ex Areopagitis judicibus fuiſſe, cumque eum magiſtratum alijs, quam ætatis maturæ uiris mandatum apud Athenienſes fuiſſe a veri ſpecie abhorreat; omnino conſentaneum eſt Dionyſium cum Chriſto primùm credidit, jam fuiſſe quadragenario majorem. Ergo ſtat quod diximus, eum ſi ſub Hadriano paſſus eſt, annos vitæ centum ſupergreſſum fuiſſe, quo tempore paſſus eſt. Quin & quod etiam eſt mirabilius, ex ipſis Areopagiticis libris confici valide demonſtrauit Morinus, eo auctorem, ſi Dionyſius fuit, quo tempore in Aſia ſcripſit, non modo centenarium jam fuiſſe, ſed aliquot, puta ſex, ſeptemve annis, centenario maiorem. Cum enim Polycarpus a. D. 169. paſſus ſit, cum ante annos 69. a Ioanne Apoſtolo ordinatus eſſet Epiſcopus; Ioannes autem ex Baronio a. D. 101. mortuus ſit; fieri non poteſt, vt quæ extat inter Areopagiticas ad Polycarpum Epiſcopum epiſtola, ea ante annum Domini 101. ſcripta fuerit; quo anno ex Areopagiticorum calculo Dionyſius annum ſuæ ætatis agebat 94. Iam librum de divinis nominibus citatus in eo ex Ignatiana ad Romanos epiſtola

b Baron. a. D. 120. §. 1.

c Dion. Ep. ad Apolloph.

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 2. §. 3. 4. 5 6. p. 32. 33.

epiſtola locus docet ſcriptum fuiſſe poſt a. D. 109. quo Ignatius martyrium fecit, id eſt poſt annum ætatis Dionyſianæ 101. aut 102. Sed & poſt ſcriptum hunc ipſum de divinis nominibus librum, apparet ex ejus calce auctorem id opus, quod eſt de Theologia Symbolica elucubraſſe. Ergo cum hunc de Theologia commentarium perfecit, neceſſe eſt hominem vno ſaltem, & altero anno annum. D. 109. ſuæ autem ætatis 102. fuiſſe ſupergreſſum. Mitto, quæ hinc Morinus contra Areopagiticos colligit, abſurdiſſime fabulantes id ætatis hominem Romam eſſe profectum, indeque in Gallias miſſum ad Evangelium ignotæ & gentis & linguæ hominibus prædicandum, & quidem a Clemente miſſum poſt a. D. 109. quo non modo ipſe Clemens, ſed & ejus ſucceſſor Anacletus vivere in terris deſierant. Hæc enim ex illis liquido conſequuntur, quod Dionyſium ſua illa Areopagitica omnia, antequam in Occidentem veniret, ſcripſiſſe in Græcia & Aſia, & ipſi libri demonſtrent, & Baronius valde affirmet, negans id quemquam diffiteri. Hæc inquam, nunc mitto, quæ ſunt a Morino fuſius explicata. Illud vnum in præſentia vrgeo, quod qui anno ætatis ſuæ 104. libros adhuc ſcribebat, quique poſt ſcriptos illos libros annis non paucis ſuperfuit, eum plane neceſſe ſit cum mortuus eſt, annum ætatis ſaltem decimum aut duodecimum exegiſſe ſupra centeſimum exegiſſe. Neque hoc aduerſarij negant, qui illud ponunt. Halloixius martyrium feciſſe vult[d] annos centum & decem, & ampliùs natum; Bivarius verò etiam liberalior eſt,[e] qui centenarium totis viginti annis ſuperauiſſe affirmat, cum coronatus eſt. Iam vero Dionyſium id ætatis paſſum eſſe plane eſt incredibile. Sed negat Baronius[f] *mirum videri debere tam longam Dionyſio ætatem contigiſſe*; ipſeque, & Halloixius[g] ſanctos aliquot macrobios numerant; *Simeonem* Hieroſolymorum, *Polycarpum* Smyrnæ Epiſcopos; qui martyrium anno ætatis ille viceſimo & centeſimo, hic nonageſimo fecerunt; Dorotheum Tyri presbyterum, qui annos natus ſeptem ſupra centum eundem agonem conſummauit; Narciſſum Epiſcopum, qui annos vixit 117. Dorotheum Conſtantinopolitanum, qui annos exegit vndeviginti ſupra centum; Remigium Remenſem, qui viginti ſupra centum impleuit. Ego vero hæc idoneis ſcriptorum teſtimonijs confirmata, abſit vt negem. Hoc tantum aio, ac contendo, incredibile videri, vt quod iſtorum vni, & alteri contigit, vt centenario majores martyrium facerent, id ipſum Dionyſio huic noſtro contigiſſe. Cur autem id mihi incredibile videatur ratio eſt, non quod Deum negem ſeruis ſuis longam ſæpè ætatem, vires etiam interdum martyrio in illa ætate faciendo pares largiri; quod me, ſi negarem, docerent exempla ab iſtis allata; ſed quod Dionyſium id ætatis fuiſſe, cum coronatus eſt, veterum planè nemo eſt, qui obſervauit. Solent enim a ſcriptoribus, & merito quidem, obſeruari quæcunque raro, ac præter conſuetum rerum humanarum ordinem accidunt; ea item quæ inſignem aliquam, ac ſingularem, vel virtutis, & fortitudinis humanæ, vel

CAP. XII.

Baron. a. D. 98 § 22.

d *Halloi. vit. Dion.* 519. *p.* 481.

e *Bivar. in dextr. Chron. comun.* 2. *ad a.* D. 66.

f *Baron. ad Martyr. Rom.* D. 9. *oct. p.* 400. *A.*

g *Halloi. vit. Dion. not. ad c.* 16. *p.* 471. 6.

Cap. XII. uel etiam divinæ opis, ac providentiæ ſignificationem continent. Virum centenario maiorem in ſolemni, ac naturali effætæ illius ætatis infirmitate, id animi, idque roboris habere, vt diros cruciatus, crudeliſſimumque aliquod ſupplicij genus, neque expaueſcat, neque refugiat, ſed vltrò adeat, tantumque certamen conſtanter, & ad extremum intrepidus perferat ac conſumet, id inquam, Baronij pace, nos quidem vehemẽter admiramur, & ſumma piorum omnium, & ſapientum admiratione, & accurata ſcriptorum obſervatione dignum eſſe cenſemus. Id enim tale, ac tantum eſt, vt conceſsas hominibus a natura vires ſuperare, neque alterius quàm ſummi & omnipotentis Dei, ope perfici poſse videatur; quem adeo aliqua gloriæ ſuæ parte fraudat, quiſquis athletarum eius agones narrans, hoc tam illuſtre divini in eos auxilij documentum tacet, ac diſſimulat. Eamus per exempla ab iſtis allata. Symeonem Hieroſolymitanum, Polycarpum Smyrnenſem, Dorotheum Tyrium, huius proprie ordinis viros, recenſent (alij enim huc, tametſi longæui, minime pertinent, qui martyrio ſcilicet conſummati non ſunt) An ergo Eccleſiæ annales, qui horum trium palmas celebrant, ætatem tacent? nobiſque ex Cæſarum, & Conſulum ambagibus, alijſque ſubtilibus temporum argumentis hariolandum ac divinandum reliquerunt, quo vitæ æuo eſſent, cum iſta, vt ſic dicam, ſacra Domini Chriſti Olympia vicerunt? Minime vero. Tuas ipſas Baroni, tabulas adi ſodes, ac inſpice; vide quid hæ, tametſi ex inſtituto breves, de Symeone loquantur; [h] *Hic* (inquiunt) *Hieroſolymorum Epiſcopus poſt Iacobum fratrem Domini, ordinatus in perſecutione Traiani multis ſupplicijs affectus martyrio conſummatus eſt, omnibus qui aderant, & iudice ipſo, mirantibus, vt CENTVM ET VIGINTI ANNORVM SENEX crucis ſupplicium fortiter, conſtanterque pertuliſſet.* Et, quos tu ipſe ad hunc locum laudaſti, [i] Bedam; Vſuardum, Hegeſippum, Euſebium, ij id ipſum omnes notant; vt alios mittam, qui eadem quoque tradiderunt. Polycarpi ætatem, ſi tuæ tabulæ tacent; acta Smyrnenſis Eccleſiæ non tacent, in quibus hęc ſanctiſſimi Senis verba ſonant; [k] *Iam annos Octoginta ſex Chriſto ſeruio.* Dorothei vero Tyrij ætatem etiam tuum Martyrologium diſertiſſime conſignauit; [l] *Is* (inquit) *ſub Diocletiano multa paſſus, & vſque ad Iuliani tempora ſuperſtes, ſub eo ANNVM agens SEPTIMVM ſupra CENTESIMVM venerandam ſenectam martyrio honeſtauit.* Sed neque acta Lugdunenſia tacent [m] Photinum, Lugdunenſem Epiſcopum ac Martyrem (quem a Baronio, & Halloixio prętermiſſum fuiſſe miror) nonogenario maiorem, ac ſumma corporis infirmitate fuiſse, cum glorioſiſſimi martyrij agonem aggreſsus perfecit. Hi ſunt, ni fallor; omnes, quos prouecta præter communem cæterorum martyrum modum, vel vltra, vel prope ad centenarium annorum numerum ætate certamen hoc in veteri Eccleſia glorioſe conſummaſse ſcimus. De Dionyſio nihil ſimile vſquam obſeruatum occurrit.

h Martyrol. Rom. d. 18. Feb.

i Baron. ad martyr. Rom. ad d. 18. Febr.

k Apud Euſeb. Hiſtor. L. 4. c. 15.

l Martyr. Rom. d. 5. Iun.

m Apud Euſeb. hiſt. L. 5. c. 1

occurrit. Baronianas tabulas primum inſpiciamus. Illæ [n] Pariſienſem Dionyſium (hunc enim Areopagitici Athenienſem ipſum eſſe volunt) cum per *aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequeretur, tandem a Præfecto Feſcennino poſt grauiſſima tormentorum genera vna cum ſocijs gladio animaduerſum martyrium compleuiſſe* tradunt. De eius ætate centenarium ſupergreſſa, nihil notant. Sed neque die octobri tertio, vbi Dionyſij non Pariſienſis, ſed Areopagitæ memoriam ex noſtra quidem ſententia, conſignarant, quicquam huiuſmodi de eo referunt; quem locum nos, non ex Baronio, apud quem eſt interpolatus, ſed ex Roſvveido proferimus. Roſvveidi ergo codex ad illum octobris diem tertium, habet [o] Dionyſium Areopagitam *diuerſis tormentis paſſum eſſe*; annum ætatis, quo paſſus eſt, nullum habet. Neque aliud ſuggerunt vel Vſuardi, vel Eccleſiarum Pariſienſis, Nivernenſis, Cabilonenſis, Sueſſionenſis, Veromanduenſis, Meldenſis, & aliarum, vel ipſius etiam Adonis ad eundem diem Martyrologia; quorum nos, quod primũ eſt Vſuardi, & quod eſt vltimum Adonis, vtrumque editum vidimus; cætera Syrmondi [p] fide laudamus, qui eorum de Dionyſio verba deſcripſit. Cæterũ par omnium eſt de Dionyſij ætate, cum Martyriũ fecit ſilentiũ. Sed & hæc Martyrologia docent Antiquiſſimum Eccleſiæ ſcriptorẽ Ariſtidẽ, ipsũ quoq; domo Athenienſẽ, in opere, *de Chriſtiana Religione*, ſuo, teſtari Dionyſiũ *poſt clariſſimã confeſſionẽ fidei, & poſt grauiſſima tormẽtorum genera glorioſo martyrio coronatum eſſe*. Eũdem *teſtari* Dionyſiũ, cũ illa pateretur, *centenario maiorem fuiſſe*, non docent; quod tamen, ſi verum erat, & ad Martyris gloriam, & ad noſtram ædificationem memorari, & ab Ariſtide, & a Martyrologijs decebat. Dicite nunc Areopagitici, cur Simeonis quidem, & Polycarpi, & Pothini, & Dorothei ætatem, qua paſſi ſunt, omnis antiquitas tam diligenter obſeruarit; Dionyſij vero nulli, neque veteres, neque recentiores obſeruarint? Ratio in promptu eſt; illorum nimirum ætas ideo obſeruata eſt, quod ea cum eſſet vltra communem martyrum modum grandis, provectaque, paſſionis ipſorum gloriam, & miraculum augebat; In Dionyſij Martyrio non eſt obſeruata, quod in eo nihil ſimile, quod obſervaretur, fuit. Fuiſſet autem, vt vos ipſi fatemini, ſi ille ſub Hadriano, paſſus eſſet. Ergo velitis nolitis, neceſſario fatendum eſt, eum multo ante paſſum eſſe, quam regnaret Hadrianus. Neque hic mihi quiſquam obijciat eodem incommodo vrgeri alteram quoque de Dionyſij ſub Domitiano paſſione ſententiam; ex qua cum octogenario maior agonem conſummaverit, vel ea gratia commemorari eius in agone ætatem debuiſſe, quod tamen minime factum videmus. Primò enim Ratberti Corbeienſis ſententiam ſequamur, qui Dionyſij paſſionem ad annum Domitiani, non vt alij, decimum quartum, aut decimum quintum, ſed ſecundum, retulit, nihil hic loci habebit illud memoratum incommodum. Cum enim annus Domitiani ſecundus cum anno Domini 82. concurrat; Dionyſius ſi eo ipſo anno paſſus eſt, octogenario non maior, ſed

CAP. XII.

n *Martyr. Rom. d. 9.*

o *Martyr. Rom. vetus Ros. d. 3. oct.*

p *Sirm. de duobus Dion. c. 3. p. 21. & c. 8. p. 65.*

ſed toto ſeptennio minor, ex ipſo Areopagiticorum calculo, paſſus eſt; vt illud nunc mittam, non ita certam eſſe illam iſtorum de Dionyſij natali opinionem, vt eum aliquot annis ſerius natum ſuſpicari nefas ſit. Hæc vero omnia, ſi accurate expenderis, videbis facilè fieri poſſe, vt annus Domitianei imperij ſecundus, idem Dionyſianæ ætatis, ne ſeptuageſimus quidem fuerit. Vtcumque ſit, illud quidem negari non poteſt, annos duos & viginti (tot enim a Domitiani ſupremis ad Hadriani initia intercedunt) inſignem eſſe vitæ humanæ partem; multoque adeo admirabiliorem, & memorabiliorem eſſe illius palmam, qui anno ætatis ſuæ centeſimo, & vndecimo, quam eius qui octogeſimo aut nonageſimo certarit & vicerit.

CAPVT. XIII.

Tertiò non eſſe paſſum ſub Hadriano Dionyſium, inde demonſtratur, quod anno Hadriani ſexto Quadratum conſtet Athenienſem Epiſcopatum jam ab aliquo tempore tenuiſſe, & ante hunc eandem Eccleſiam veniſſe Dionyſij ſucceſſorem, Quadrati deceſſorem Publicum; ſub Publico autem & Quadrati initijs tam multa geſta ibidem occurrere, vt neceſſe ſit, Publium etiam ante Hadriani principatum, martyrium feciſſe.

SEd nunc ad quartum contra Areopagiticorum de Dionyſianæ mortis tempore ſententiam argumentum veniamus; quod nobis ipſe temporum, & verum in veterum libris ſuperſtes ordo ſuppeditat. Nolo hic vti Hippolyti neſcio cuius liberalitate, qui Athenienſium Eccleſiæ poſt Dionyſij fata Narciſſum Epiſcopum de ſuo præficit[q] (quod eſt etiam a Baronio[r] obſeruatum) Miſſis fabulis, & apocryphorum quiſquiliis, vera certaque ſi qua ſunt, adeamus, & quem illa monſtrabunt rei Chriſtianæ apud Athenienſes ſtatum, atque ordinem arctè teneamus. Extat autem de ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo antiquiſſimi & laudatiſſimi Corinthiorum Epiſcopi Dionyſij inſigne de toto hoc argumento apud Euſebium fragmentum, ea quadam illius ad Athenienſes fideles Epiſtola decerptum;[ſ] vnde in primis diſcimus illum ipſum olim *a Paulo* ad fidem conuerſum Areopagitam primum fuiſſe, cui Athenienſis Eccleſiæ Epiſcopatus commiſſus eſt; quo vno inſana Greculorum audacia & arguitur, & frangitur, qui fictitium illum ſuum de Areopagiticis fabulis Hierotheum in illius Eccleſiæ ſedem primum Epiſcopum, nullo pudore, intrudunt, Δηλοῖ δ' ἐπὶ τούτοις (inquit de Dionyſio Corinthio loquens Euſebius) ὡς καὶ Διονύσιον Ἀρεοπαγίτης ὑπὸ τοῦ παύλου Ἀποςόλου προτραπεὶς ἐπὶ τὴν πίςιν μετὰ τὰ ἐν ταῖς πράξεσι δεδηλωμένα, ΠΡΩ͂ΤΟΣ τῆς Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχείριςο. Idem quoque nos ibi-

q *Hippol. de 72. diſcip.*
r *Bar. a. d. 98 §. 23.*
ſ *Dion. Corinth. apud Euſeb. Hiſtor. L. 4. c. 25.*

nos ibidem docet Publium quemdam in Eccleſiæ Athenienſis poſt CAP. XIII.
Dionyſium Epiſcopatu ſucceſſiſſe; An is immediate, ac nullo alio interpoſito Epiſcopo, ſucceſſerit Dionyſio, non dicit quidem ille diſerte; ſed id tamen ego veluti probabile facile equidem conceſſerim. Hunc autem Dionyſij ſucceſſorem Publium, cum coorta *eſſet illis temporibus perſecutio, martyrium feciſſe teſtatur*, tantamque inde Athenienſium perturbationem fuiſſe, *vt vitam atque inſtitutionem Evangelicam nihili facientes, parum abfuerit, quin a verbo penitus deficerent, ac deſciſcerent*, τῆς πίστεως καὶ τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείας ὀλιγωρήσαντας ἐλέγχει, ὡς ἂν μικροῦ δεῖν ἀποστάντας τοῦ λόγου ἐξ οὗπερ τὸν προεστῶτα αὐτῶν Πούπλιον μαρτυρῆσαι κατὰ τοὺς τότε συνέβη διωγμούς. Sed & Quadratum memorat, qui poſtquam Publius martyrium feciſſet, eorumdem Athenienſium Epiſcopus eſſet conſtitutus; Et huic denique viro hoc teſtimonium perhibet, quod *is egregiam operam ad recolligendam plebem dederit; ſic vt Athenienſes eius ſtudio, labore atque induſtria pæne extinctum fidei ardorem recuperarent.* Κοδράτου δὲ μετὰ τὸν μαρτυρήσαντα Πούπλιον καταστάντος ἐπισκόπου αὐτῶν μέμνηται, ἐπιμαρτυρῶν ὡς διὰ τῆς αὐτοῦ σπουδῆς ἐπισυναχθέντων, καὶ τῆς πίστεως ἀναζωπύρησιν εἰληχότων. Hæc ſunt quæ de antiquiſſimæ illius Eccleſiæ ſtatu vir eorumdem temporum ſanctiſſimus, atque ſapientiſſimus, ipſe quoque martyrij lauream poſtea conſecutus, certa & indubitata tradit. Hieronymus quædam ex his ipſe quoque in Quadrato refert his verbis. [t] *Quadratus* (inquit) *Apoſtolorum diſcipulus, Publio Athenarum Epiſcopo, ob Chriſti fidem martyrio coronato, in locum eius ſubſtituitur, & Eccleſiam grandi terrore diſperſam fide & induſtria ſua congregat.* Iam etſi Corinthius ille antiſtes cui pretioſiſſimas iſtas antiquiſſimi Athenarum Chriſtianiſmi reliquias debemus, magnarum, quas memorat rerum, tempora nulla ſignet, nullos annorum, in quos hæ mutationes inciderunt, numeros, vel characteres edat; facile eſt tamen ex Quadrati, quem poſtremo nominat mentione, horum tempora, ſi non certo atque ἀκριβῶς, certe ἐν πλάτει, in genere & prope ad verum intelligere. Nam qui quantuſque fuerit hic Quadratus, & quando, quoque ſub Auguſto vixerit, ex alijs certis idoneiſque auctoribus, Euſebio [v] ac Hieronymo [x] diſcimus. Vterque eum Athenienſi Eccleſiæ ſub Hadriano principe præfuiſſe teſtatur. Vterque eumdem eidem principi, Athenis tum conſiſtenti orationem a ſe compoſitam obtuliſſe narrat; in qua Chriſtianorum religionem luculentiſſime defendebat, Orationem vterque impenſe laudat, *vt valde vtilem plenamque rationis & fidei, & Apoſtolica doctrina dignam.* & Euſebius ſuis adhuc temporibus extitiſſe affirmat, & ex ea quemdam de Domini Chriſti miraculis plane egregium locum deſcribit. Quin & ita loquitur; vt eam a Quadrato apud Hadrianum primo habitam viua voce, tum litteris mandatam eidem principi porrectam eſſe ſignificare videatur. Hadrianum enim Traiano poſt viceſimum imperij annum pæne completum mortuo ſucceſſiſſe præfatus, τούτῳ (inquit) Κοδρᾶτος

t Hier. de ſcrip. Eccl. c. 19.

u Euſeb. Hiſt. L. 4. c. 3.

x Hier. de ſcript. Eccl. c. 19

CAP. XIII.

λόγον προσφωνήσας ἀναδίδωσιν; quamquam non neſciam hæc verba ita poſſe accipi, vt Orationem Hadriano inſcriptam fuiſſe ſignificent; non autem ore Quadrati apud Principem pronuntiatam. Vtcumque ſit, ipſe Euſebianæ orationis nexus innuit Quadratum illam ſuam orationem non procul ab Hadrianæi imperii initiis, vel pronuntiaſſe apud principem, vel certe ſcriptam ei obtuliſſe. Quod vero doctiſſimi viri [y] Quadratum, qui Eccleſiæ Athenienſi poſt Publium præfuit, alium a Quadrato, qui Apologeticum Hadriano obtulit, fuiſſe volunt; hunc vetuſtiorem, illum juniorem; id inquam, recta cum diſerto Hieronymi teſtimonio pugnat, qui tradit vnum eundemque Quadratum & Publio in Epiſcopatu ſucceſſiſſe, & orationem Hadriano inſcripſiſſe. Quod vero eum Euſebius *Apoſtolorum diſcipulum* fuiſſe non dicit, cum de ejus Epiſcopatu verba facit; eo minime efficitur, vt Apoſtolorum diſcipulus non fuerit. Non enim neceſſe eſt ſcriptores quoties de viro aliquo loquuntur, toties quæcumque eius ſunt commemorare. Satis habuit Euſebius Quadratum Apoſtolorum fuiſſe diſcipulum ſemel eo loco monere, quo de eius Apologetico narrat; Idem iterum vbi de eius Epiſcopatu nos docet, repetere, non putauit neceſſarium. Virum eumdem fuiſſe ex eo potiùs concluſerim, quod Euſebius nuſpiam duos fuiſſe moneat. Cum enim in vno eodemque opere Quadratum primo Hadriano Apologeticum Athenis obtuliſſe, & Quadratum quoque epiſcopum eiuſdem vrbis fuiſſe narret, & quidem iiſdem pæne temporibus; nemo non videt ſi duos eiuſdem quidem nominis, cætera vero diuerſos viros intelligi volebat, de eo lectores monere neceſſario debuiſſe; quod cum nullus fecerit, omnino videtur non duos, ſed vnum tantum Quadratum, & ipſe ſciuiſſe & a nobis intelligi voluiſſe. An vero, quod viri illi doctiſſimi affirmant, ne ipſe quidem Dionyſius Corinthius vſpiam in ſua ad Athenienſes Epiſtola dixerit Quadratum Apoſtolorum fuiſſe diſcipulum; id neque certò ſcire poſſumus, qui non ipſam epiſtolam, ſed res tantum quaſdam compendio ex ea ab Euſebio excerptas habemus; & id ſi verum eſſet, non tamen conficeret hunc Quadratum Apoſtolorum diſcipulum minime fuiſſe, quod apud Athenienſes, quibus optime notus erat Quadratus, nihil neceſſe fuerit Dionyſium omnia eius elogia ac decora memorare. Tempora objiciunt, quorum ratio non patitur, vt Quadratus, qui ſub Marco Eccleſiam Athenienſem rexit, idem Apoſtolorum diſcipulus fuerit. Quidni? Certe Polycarpum Apoſtolorum diſcipulum fuiſſe nemo negat; quem Smyrnæ Eccleſiam adhuc ſub Marco rexiſse conſtat; anno huius principis nono, vel vt Petavius putat, ſeptimo conſummatum; Quadratum Ioannis auditorem fuiſſe æque ac Polycarpum, & Marci initia vidiſſe nihil vetat. Nam inter Ioannis ſuprema, & Marci principatum anni non plures interceſserunt, quam ſexaginta duo. Vt illud mittam non ſatis conſtare, ſub quo principe Dionyſius Corinthius illas ſuas ad Athenienſes literas dederit, ex quibus has ſuas de Quadrati tempo-

y Vateſ. Not. ad Hiſt. Euſeb. L.4.c.23.

z Hier. in Catalog. in Quadrat & in Epiſtolam ad Magn.

ribus

ribus rationes viri doctiſſimi colligunt. Illud ergò maneat, quod Hieronymus diſertè duobus locis poſuit, & quod cæteri [a] hactenus ſecuti eſſe videntur Quadratum ſcilicet Athenarum Epiſcopum eundem fuiſſe, qui Hadriano Apologeticum Athenas venienti obtulit. Sed quotus ille Hadrianei imperii annus fuerit, operæ pretium eſt inveſtigare. Conſtat in primis Athenis fuiſſe Principem, cum ei & Quadratus vrbis Epiſcopus, *eodemque tempore Ariſtides Athenienſis philoſophus eloquentiſſimus & Chriſti ſub priſtino habitu diſcipulus Apologias pro Chriſtianiſmo ſuas dederunt*; vt ait Hieronymus. [b] Athenas Hadrianum Imperatorem bis veniſſe ſcriptores Sacri, profanique conſentiunt; primum anno imperii ſui Sexto, iterum nono aut Decimo, vt diſertè eſt in Euſebii Chronico notatum ad a.D. 123. 126. [c] Baronius ad poſteriorem hunc Hadriani Athenas adventum oblatas ei a Quadrato, & Ariſtide apologias refert; [d] credo; vt ſic habeat ſcilicet paulo largiora, commodioraque ſpatia ad ſuas defendendas de Areopagiticis fabulas. Miror idem in Euſebii chronico occurrere ad annum Hadriani X. in Græca Latinaque editione. Certè idem in eodem opere Euſebius hæc habet, ad annum Hadriani Septimum; *Ἀδριανὸς ἐχείμασεν ἐν Ἀθήναις μυηθεὶς τὰ μυστήρια.* Nimirùm venerat Athenas anno ſextò; ſeptimo ibidem hyemem egit, & initiatus eſt. Idemque clariſſime docet Spartianus [e] *Hadrianum tradens poſt repreſſum ſuo colloquio Parthorum bellum per Aſiam, & inſulas ad Achaiam nauigaſſe; & exemplo Herculis, & Philippi, ſacra Eleuſinia ſuſcepiſſe.* His apertiſſime ſignificari primum Hadriani in Atticam adventum duo nos docent; vnum, quod tum initiatus ſacra Eleuſinia ſuſcepiſse dicitur (id enim non ſecundo, ſed primo adventui liquido congruit) alterum quod tum per Aſiam & Inſulas in Achaiam nauigauiſse ſcribitur; quod æque eſt a ſecunda eiuſdem in Atticam profectione alienum, quam ita inſtitutam refert Spartianus, [f] vt cum anno præterito (id eſt imperii ſui nono) ex Africa Romam rediiſset, inde, id eſt Roma (non autem vt prius, per Aſiam & Inſulas) in Orientem profectus per Athenas iter fecerit. Prima profectio anno Hadriani ſexto; ſecunda decimo contigit; ergo bis Athenis fuerit Hadrianus, anno ſui imperii tum ſexto, tum iterùm decimo. Quæritur in priori-ne, an in poſteriori adventu ſuas ei Apologias obtulerint Quadratus, & Ariſtides? Hieronymus clariſſime pronuntiat, quid ſit ſequendum, dum in Quadrato ita ſcribit; [g] *Cum Hadrianus* (inquit) *Athenis exegiſſet hyemem, inviſens Eleuſinia, & omnibus pene ſacris initiatus, dediſſet occaſionem his qui Chriſtianos oderāt, abſque præcepto Imperatoris vexare credentes, porrexit ei* (Quadratus) *librum pro religione noſtra compoſitum valde vtilem.* Quo ergo anno Athenis initiatus eſt Hadrianus, eodem quoque librum a Quadrato oblatum accepit. Initiatus eſt autem cum primum Athenas profectus illic hyemem exegit; anno imperii ſui partim ſexto partim ſeptimo currente. Ergo eodem quoque anno librum, & Quadratus obtulit, & Hadrianus accepit, fruſtra-

CAP. XIII.

a *vt Græci in Menolog.*

b *Hier. ibid. cap 20.*

c *Euſeb. Chro. ad a.d.* 123.

d *Baron. a.d.* 125. §. 3. 128. §. 1.

e *Spartian. in Hadriano.*

f *Spart. ibid.*

g *Hier. de Eccleſ. ſcrpt. in Quadr.*

CAP. XIII. quæ rem Baronius ad alteram Hadriani in Africam profectionem rejicit, quæ anno Hadriani nono, ſi Annaliſtæ credimus; ſi alijs, decimo contigit; qui Chriſti fuit 122. Ex his ergo concluſum eſto Quadratum, Publij ſucceſſorem, Athenienſem jam tum tenuiſſe Epiſcopatum cum annus Hadriani quidem ſextus, Domini vero centeſimus & viceſimus ſecundus ageretur. Vnde primò omnes vident, quam procul a veri regionibus aberrarit Bivarius, qui Areopagitam negat ante annum ſuæ ætatis 120. (id eſt Chriſti ex iſtorum hypotheſi 129.) eſſe mortuum. Cum enim ex his, quæ nuper diximus conſtet anno Domini 122. Quadratum Eccleſiæ Athenienſis iam fuiſſe Epiſcopum; neceſſe eſt ex Biuario fateri Dionyſium ſuo ipſum proximo ſucceſſori per aliquot luſtra ſuperfuiſſe; etiam cum Quadrato, qui Publio iamdudum mortuo ſucceſſerat, 7. ad minimum annos vixiſse, quæ totidem eſſe prodigia nemo ſanus negauerit. Huc accedit, quod Ariſtidem, & Vſuardus & Ado, & cætera Galliæ martyrologia de Dionyſii morte teſtatum eſſe dicunt in præclaro de noſtra religione libro. At Hieronymus diſerte docet [h] illum ipſum librum Ariſtidem Hadriano *eodem tempore* obtuliſſe, quo ſuum Quadratus eidem porrexerat; id eſt (vt nuper oſtendimus) anno Hadriani ſexto, Chriſti 122. Dicat nobis cum ſuo illo Stramineo dextro Bivarius, qui anno Domini 129. martyrium illud fecerit Dionyſius, quod Ariſtides vt ante idipſum tempus quo ſcribebat, iam factum in oratione a. D. 122. edita narraverat. Secundò hinc etiam apparet quam ſtulta ſit, atque inconſulta Halloixii liberalitas, qui ſatis probabile eſſe dicit [i] Dionyſii martyrium *tertio aut quarto Hadriani anno factum eſſe, aut etiam aliquantò ſerius*; id eſt anno, vt liquet, eiuſdem principis, quinto aut ſexto. Hoc quidem vltimum quam ſit probabile, omnes vident; Epiſcopum cui, & Publius, & Quadratus duo ex ordine iam in miniſterio ſucceſſerant, mortuum eo demum conſule fingere, quo florebat eius non hęres, ſed hęredis hæres. Sed etiamſi eorum, qui ſub Hadriano mortuum eſſe Dionyſium putant, opinio ita *reſtrictè* (quod Halloixio non placet) accipiatur, *vt ille primo Hadriani anno occiſus fuiſſe*, intelligatur, ne ſic quidem declinabitur manifeſta, atque invicta noſtri huius argumenti vis. Conſtat enim ex iis quæ diximus Quadratum anno Hadriani ſexto Athenarum Epiſcopum fuiſse, conſtat ex Dionyſio Corinthio & Publium ibidem Epiſcopatum geſſiſſe, martyriumque feciſse, & maximam poſt eius martyrium Athenienſium perturbationem ac pænè apoſtaſiam contigiſſe, antequam Quadratus, Epiſcopus ordinaretur. Conſtat denique illum Quadrati deceſsorem Publium Dionyſio primo illius vrbis Epiſcopo ſucceſſiſſe. Si ergò primo Hadriani anno martyrium fecit Dionyſius, neceſſe eſt illa omnia, id eſt Publii, & in martyris locum ordinationem, & res in Epiſcopatu geſtas, & martyrium, quo conſummatæ ſunt; plebis inde poſt Publium perturbationem, diſſipationem, ac ſtragem, ac denique Quadrati ordinationem; omnia inquam hæc breui quinquennij, vel etiam quadriennii ſpatio accidiſse.

Nam

[h] *Hier de ſcript. Eccleſ.* c. 20.

[i] *Halloix. vit. Dion. c. 19. in Annot. p.* 483.

Nam ſi Hadriani annum & primum, quo occiſus Dionyſius fuiſſe ſtatuitur, & ſextum, quo ineunte Quadratum Athenienſem Eccleſiam rexiſſe certum eſt, vtrumque exemeris, de ſex annis non plures, quam quatuor remanebunt. Vno autem illo quadriennio tam multa, tamque varia in vna urbe fieri potuiſſe, plane eſt incredibile. Quod vt liquidius perſpiciatur, ſingula ſi placet, evoluamus. Ac primo id hoc loco nobis ob oculos ponamus, quòd homo ingenioſiſſimus, [k] Halloixius, ex cauſſis iam inde a Socratis morte repetitis conſtituit, Athenienſium civitatem in iudicijs de religione ita fuiſse moderatam ac ſobriam, vt neque de hoc genere accuſationes adversùs quemquam facile ſuſciperent, neque in quemquam gravius eo nomine animadverteret. Itaque qui apud eos Chriſtianæ fidei cauſſa, vel exilii, vel mortis pæna publico iudicio multatus ſit, vix vel vnum reperiri, de quo quidem firmiter conſtet. Iam in hac ipſa ita ſicca, ſobriaque vrbe quinquennio non toto duos optimos, ac innocentiſſimos Epiſcopos ob religionẽ non modò occiſos, ſed etiam crudeliſſimis tormentis necatos fuiſſe, adhęc tantam, tamque immanem perſecutionis flammam in Chriſtianos toto illo tempore arſiſſe; vt plærique a ſua fide pæne deficere coacti ſint; non videtur Halloixi; admodum conſentaneum. Tu Romam tuam dicam, ac truculentam tum fuiſse non negabis. Ea tamen toto hoc quinquennio vnius tantum Epiſcopi Xyſti ſanguinem fudit. Quale quæſo, iſtud eſt, vt quibus annis furens illa atque temulenta & noſtrorum cruore ebria Roma vnum tantum noſtrorum Antiſtitem occidit, tuæ illæ iiſdem annis tam ſiccæ, tamque caſtæ Athenæ duos trucidaverint? Vt hæ in Dionyſium, & Publium bacchatæ ſint; illa Xyſtum totos quinque primos annos tulerit; ſexto tantum ineunte percuſſerit? Sed res ipſas miſſo Halloixio videamus. Fac in primis mortuo Dionyſio ſtatim ſuffectum fuiſse Publium (tametſi quod ſupra obſervavi, ne hoc quidem ex Corinthii Epiſcopi verbis conſtat, an nullus inter Dionyſium, & Publium ſederit medius Epiſcopus) ſed fac nullum fuiſſe Publium, certe non perſuadebis ſtatim, aut paulo poſt deceſsoris funus, ad mortem raptum quoque ipſum fuiſse. Hic enim, vt Martyrologium Romanum diſerte teſtatur, *poſt Dionyſium Areopagitam Athenienſium Eccleſiam nobiliter rexit, & præclarus virtutibus, ac doctrina præfulgens ob Chriſti martyrium glorioſe coronatur.* Vt *virtutes* illas ſuas actibus conſentaneis explicaret; vt Doctrinæ Lucem ſpargeret; vt Eccleſiam denique *regeret*, & quidem *nobiliter regeret*, tempore opus fuit, & quidem non parvo; non vno, aut altero anno, ſed pluribus. Vel hic ergo talis, ac tam nobilis Publii noſtri Epiſcopatus tuum illud quinquennium totum vnus facile impleverit; imo etiam exceſſerit. Quid fiet glorioſiſſimo eiuſdem Martyrio? Quid inde conſecutæ plebis diſſipationi ac ſtragi? quid collectis ad ordinationem Quadrati neceſſariis? quid ipſius ordinationi, primiſque miniſterii annis; Nam neque hic tiro erat, cum Hadriano librum obtulit, vt inde perſpicitur, quod diſſipatam plebem ſua induſtria, ſuoque labore

CAP. XIII

k Hall. vita. Dion. c. 3. p. 415.

l Martyr. Rom. d. 21. Ian.

CAP. XIII. congregaſſet (id enim iam ante ab eo geſtum eſſe, quam Hadrianus Athenas veniret omnino credibile eſt) & virum fuiſſe longo iam vſu, diuturnaque Epiſcopatus adminiſtratione ad omnem animi ingeniique præſtantiam formatum ſatis eo docet Hieronymus, [m] quod eum alicubi ſcribit, cum Hadriano librum Athenis obtulit, *tantæ admirationi omnibus fuiſſe, vt perſecutionem grauiſſimam illius excellens ſedaret ingenium.* In quem locum, in quem angulum iſta, quę ſextum Hadriani annum neceſſario præceſſerunt, omnia compinges ac includes? De priore quinquennio, quod totum Publii Epiſcopatus, & Martyrium occupavit, nihil ſupereſt, quo iſta retro compellas. Iſtorum vero quicquam ne in ſequentia tempora effundere poſſis, obſtat Quadratus, qui ſexto anno deſinente occurrit florens iam tum, & Epiſcopi haud quaquam recentis omnia argumenta præferens. Verte te in omnes partes, & quantum potes ingenio, ac viribus contende; nunquam hæc in vnum Sexennium omnia concludes; Dionyſii carcerem, condemnationem, cædem; Publii electionem, ac ordinationem; geſti ab eo in Eccleſia magiſtratus actus, Paganorum in ipſum odia, molitiones, capitale iudicium, Athenienſis gregis primum ſub perſecutione fatiſcentis ruinas, indeque non ſtatim, ſed lentè (vt fieri ſolet) paulatimque reſurgentis inſtaurationem, collectas, deliberationes, Quadrati ordinationem, primoſque epiſcopatus eius annos hanc tantam rerum molem, non ſolere, imo non poſſe, vno quinquennio, aut ſexennio peragi omnes cordati intelligunt. Vt ergo res, quas geſtas conſtat, æquis ſpatiis explicari, ac decurrere poſſint, plane neceſſe eſt illum de Dionyſii ſub Hadriano paſſione nulla ratione, nulla idonea auctoritate fixum obicem refigere, atque amoliri, faterique quod res, & ratio cogit, non ſub Hadriano, ſed ſub ſuperioribus retro principibus paſſum fuiſſe Dionyſium Areopagitam. Hoc argumentum Sirmondus adverſus Areopagiticos ſane validiſſimum, paucis more ſuo, ita complexus eſt; [n] *Si tertius,* inquit, *a Dionyſio Quadratus; ſi inter vtrumque Publius; quis tam iniquus rerum æſtimator, vt cum Athenas anno imperij ſui ſexto veniſſe Hadrianum, ibique hyemem exegiſſe Euſebius in chronico doceat, & adverſarij conſentiant, nimis anguſta Dioniſij, & Publij Martyrio, Quadratique initijs ſpatia intra quinquennium concludi non ſentiat?* Hæc ille, ex quibus id ipſum, quod nos conſtituimus, concludit Dionyſium neque ſub Hadriano, neque ſub Traiano vitam poſuiſſe. Neque vero hic Baronii, & Halloixii, & aliorum Areopagiticorum præſtigias moramur, qui Dionyſium vt ex his telis eripiant, mature procul Athenis Lutetiam apud Pariſios ſubducunt, vbi eorum quæ in ſua vrbe, & in medio ſuorum grege gererentur, expers longe alia agat; qualiter fere ſuam Iphigeniam Poëtæ ex Aulide, mediiſque aris ante quas ſub cultrorum acie ſtabat, machina neſcio qua repente ereptam in

Tauri-

m *Hier. Epiſt. 84. ad Magn. Grat.*

n *Sirm. de duob. Dion. c. 8 p. 66.*

CAP. XIII.

Tauricam Cherſoneſum transferunt, ibique Dianæ pro victima Sacerdotem ſiſtunt. Par eſt vtriuſque figmenti ineptia. Nam neque in primis antiquitatis Chriſtianæ monumentis vllus Lutetiæ reperitur Dionyſius, & qui primus id nominis illuc venit, cum Gregorius, primus idem ac vetuſtiſſimus Francicarum rerum auctor, in Gallias *Decio demum & Grato conſulibus*, id eſt a. D. 250. veniſſe ex vetuſtioribus Saturnini Martyris actis tradit;[o] vt huic nihil plane negotii cum noſtro Athenienſi eſſe potuerit; quem ipſi aduerſarii ſub Hadriano & quidem anno imperii eius primo, aut ſecundo id eſt annis 167. antequam ille alter pedem ad Gallicanam expeditionem domo efferret) glorioſo Martyrio feliciter conſummatum fuiſſe volunt. Inſulſiſſimam fabulam, a rudi, & indocta Monachorum noni ſæculi gente nulla arte in cellularum ſuarum otio confictam, ſiquis quam vana ſit, quamque anilis ſcire velit, adeat quæ adverſus eam nuper magno eruditorum applauſu tres longe doctiſſimi viri Iacobus Sirmondus,[p] Ioannes Launoyus,[q] & Ioannes Morinus Solidiſſime diſputarunt; vel certe, quod ſatis eſt, & compendioſius, Petavii Ieſuitæ doctiſſimi, de re tota ſententiam ante annos pæne quadraginta his verbis latam, audiat; *Fruſtra* (inquit) *Pariſienſis ille* (Dioniſius) *cum Athenienſi confunditur. Æſopi fabulæ, fabulæ non ſunt præ commento illo Pariſienſis Areopagitæ. Ita & ὁ μακαρίτης Fronto ſentiebat, & hodie Sirmondus noſter, & quicumque reconditiores paulo litteras attigit.* Sed & Roſueidum, eiuſdem ordinis & meriti virum, ad quem illa *ſcribit eadem quoque ipſum ſentire, teſtatur ibidem, & fabulæ patronos* negat *quicquam hactenus proferre* ὅτι οὐκ ἄῤῥητον ἄμεινον. Videat Halloixius, quid agat, dum adverſus hoc ſuæ Societatis tantos heroas impar & infœlix recalcitrat. Nos quod inſtituimus, id agamus.

o *Gregor. Tur. L. 1. Hiſt. Frãc. c. 28. Tom. 1. Franc. Cheſn. p. 265.*

p *Sirmond. diſſe. de duobus Dion.*

q *Laun. diſcuſ. diſcuſſ. Morin. de ordin. 2. c. 2. 3. 4. Petau. Epiſt. l. 2. ep. 19. ad Roſueid. p. 206.*

CAP. XIV.

CAPVT XIV.

Refelluntur Areopagiticorum pro Dionyſiana ſub Hadriano paſſione teſtimonia. 1. *Ariſtidis, quod non modo incertum, ſed etiam liquido falſum, & Ariſtidi affictum fuiſſe oſtenditur.* 2. *Adonis.* 3. *Bedæ.* 4. *Martyrologij Rom. a Roſuveido editi.* 5. *Dextri. Omnium vanitas & futilitas demonſtratur.*

NVnc ergò videamus, quibus Areopagitici auctoribus abſurdam illam ſuam, atque incredibilem de Dionyſii ſub Hadriano paſſione fabellam conſtituere conentur. Ariſtidem Athenienſem primo teſtem citant, illum ipſum, de quo nuper diximus. Bene eſt. Si quem alium, vel peregrinum, vel recentioris æui adducerent, non immerito metuerem, ne quam homini fraudem vel patria, vel ætas feciſſet. Nunc cum Dionyſij civem, & vt veriſimile eſt, diſcipulum laudent, non eſt verendum, ne quid is de re notiſſima mentiatur. Quid ergo dicit Ariſtides? dicit (inquit) Dionyſium glorioſiſſimo Martyrio ſub *Hadriano* eſſe coronatum. Vbi & quando hoc dicit? *Scripſit* (inquit) *in eo ipſo opere, quod de Chriſtiana Religione Hadriano Athenis obtulit.* Cedo librum, vt teſtimonium inſpiciamus. Librum, inquit, non habeo, perijt; neque vlla fama eſt eum ab aliquot retro ſæculis viſum eſſe. Bella profectò, ac fabulatoribus digna probatio. Vtinam vero, vtinam inquam, liber extaret. Ille non dubito, quin ſi extaret, totum fabulæ veſtræ myſterium patefacturus, ac diſiecturus eſſet; eumque vehementer ſollicitor putare a veſtris maioribus conſulto hac ipſa de cauſa extinctum fuiſſe, vt alia fortaſſe non pauca priſcorum hominum opera ab iis de induſtria ſublata magna ſuſpicio eſt, ne ſi ſupereſſent, iis quibus ipſi gaudebant, fabulis nocerent. Nunc quando teſtimonium, quo nitimini, neque exhibetis, neque librum; in quo id ſcriptum fuiſſe affirmatis, periiſſe negatis; argumentis neceſſario vtendum eſt, vt an id Ariſtides, quod vos affirmatis, in eo libro vel ſcripſerit, vel ſcribere potuerit, intelligamus. Non ſcripſiſſe, iam ſupra inde demonſtraui, quod librorum Areopagiticorum neque adverſarij, neque patroni, ac ne eorum quidem princeps Maximus ſexto ſeptimoque ſæculo ſciverint Dionyſium ſub Hadriano fuiſſe mortuum; imo verò plane aliud ſciverint, eum nempe ante Hadriani, ipſiuſque etiam Traiani tempora Martyrium feciſſe; & in hoc, tametſi in cæteris diſcordes, conſenſerint. Illud enim prius de Hadriani tempore neutros neſcire potuiſſe, ſi eſſet ab Ariſtide ſummo viro, in eo opere ſcriptum; quos vos ipſi apud Athenienſes, id eſt apud homines Græcos, adeoque vtrorumque gentiles inter antiquorum monumenta clariſſimum habitum fuiſſe perhibetis.

Hoc au-

Hoc autem vtroſque neſciviſſe inde conſtat, quod incredibile ſit id, ſi ſciviſſent, vel adverſarios tam impudentes futuros, vt Dionyſium ante Trajani tempora paſſum eſſe obiicerent, vel patronos tam ſtultos, vt ſub Hadriano paſſum diſſimularent. His nunc adde Græcos Maximo recentiores Methodium, & de nono ſæculo Symeonem Metaphraſtem, & Suidam, & Michaelem Syngelum, & Meneorum, & Synaxariorum apud eandem gentem auctores; quos omnes id ab Ariſtide de Hadriani tempore Scriptum neſciviſſe inde certa fides eſt, quod Dionyſium vt mox oſtendemus, ſub Domitiano quidem cæteri, ſub Traiano vero duo ex iis, Suidas & Syngelus, paſſum tradant; ſub Hadriano, nulli poſuerint; idque eo validius hoc, quod nos volumus, conficit quod omnes, cum veros eſſe Dionyſij libros, qui eius nomine circumferuntur; putarent, hæc eos ſententia evidentiſſime illuc cogebat, vt Martyrem ſub Hadriano potius, quam vel ſub Traiano, vel ſub Domitiano paſſum fuiſſe dicerent. Qui ergo hoc, quod eorum ſtudium, atque vſus poſcebat, non ſunt ſecuti, eos nemo dubitare debet id apud Ariſtidem ſuum nunquam vidiſſe. Nunc quis credat, quod eſſet apud Ariſtidem vidiſſe quidem, & animadvertiſſe Latinos, hoſpites & exoticos; Græcos, eius Gentiles, ac vernaculos, vel non vidiſſe, vel non animadvertiſſe? Sed quid Græcos loquor? Ne Latini quidem vlli fuerunt paulo vetuſtiores (ſi vnum Adonem, de quo mox, exceperis) qui hoc apud Ariſtidem viderint, qui ſe hoc apud eum vidiſſe non negent. Nam Hilduinum, Ratbertum, Hincmarum, Vincentium Bellovacenſem, Matthæum Veſtmonaſterienſem, alios Areopagiticæ omnes ſectæ homines; quis Dionyſium ſub Domitiano paſſum eſſe tradituros fuiſſe putet, ſi eum ſub Hadriano occiſum ab Ariſtide didiciſſent? Omnes autem, quod ſtatim docebimus, Sanctiſſimi huius Martyris paſſionem ad Domitiani tempora retulerunt. Ergo aliud tradidiſſe Ariſtidem plane neſcierunt. Neque id poſtremo omittendum eſt, quod ſi vel vnum eſſet, nihil huiuſmodi in Ariſtidis libro ſcriptum fuiſſe demonſtraret. Meminerunt hujus libri, & Vſuardus, & veterum Galliæ Martyrologiorum, quæ nos Sirmondi fide ſupra laudavimus, ſcriptores. Omnium hæc vna vox, conſtanſque conſenſus eſt, [r] *Ariſtidem Athenienſem virum fide, ſapientiaque mirabilem, in eo opere, quod de Chriſtiana Religione compoſuit, teſtari Dionyſium Areopagitam poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo Martyrio coronatum eſſe.* Ariſtidem dicunt teſtari Dionyſium graviſſimis tormentis pro Chriſti fide cruciatum Martyrium glorioſe conſummaſſe; quod ab Ariſtide ſcriptum eſſe, & veriſimillimum eſt, & nos libenter admittimus. Sub Hadriano illa paſſum eſſe, non dicunt. Ergo & horum de re tam memorabili ſilentium arguit nihil huiuſmodi ab Ariſtide ſcriptum fuiſſe. Cur enim Vſuardus, & alij Martyrologiorum ſcriptores hoc, ſi eſſet ab Ariſtide ſcriptum, tacuiſſent potius, quam Ado, qui memorat? Neque ſane id ab eo ſcribi potuiſſe ex iis, quæ nuper diſputabamus, liquet. Cum enim illa, quæ iſtic dræſtruximus,

CAP. XIV.

r *Vſuard. Martyrol. d. 3. oct. Martyr. Sirmon. ad eund. diem.*

Cap.XIV. mus, vir eiuſdem memoriæ Ariſtides neſcire non potuerit, Dionyſij ſcilicet, & Publij, qui ei ſucceſſit Epiſcopatum, & martyrium; neque illud profecto, quod inde neceſſario ſequi demonſtrauimus, neſciuit, Dionyſium ſcilicet multo ante Hadriani initia paſſum; vt autem quod ipſe falſum eſſe ſciret, id ſcriberet, viri celeberrimi pietas, ac ſapientia credere nos non ſinunt. His omnibus opponunt adverſarij Adonis Martyrologium, in quo ad d. 5. Novemb. illa verba, quæ jam ſupra exhibuimus, leguntur; [s] *Natalis S. Dionyſij, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Hadriano principe poſt clariſſimam fidei confeſſionem, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo Martyrio coronatur; vt Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiaque mirabilis, teſtis eſt in eo opere, quod de Religione Chriſtiana compoſuit.* Omnia eadem, quæ ſupra; ſi illud de *Hadriano Principe* demas; quod ab Vſuardo, & alijs abeſt. Reſpondeo leve eſſe huius teſtimonii pondus. Primo propter auctoris ætatem, Vſuardo, Symeone, Maximo, & cæteris, quos attulimus, recentioris, qui vel ſeptimo vel octavo vel nono ſæculo nondum adulto; Ado nono, ſed adulto, ac pæne præcipiti, vixerunt. Huc accedit, quod Martyrologiorum fides valde dubia, ac incerta eſt, quod id genus ſcripta poſterorum adiectionibus, & detractionibus plurimum eſſe obnoxia, & experientia vincat, & omnes confiteantur. Milleti vnius ex adverſarijs, & quidem pugnaciſſimi, hęc vox eſt; [t] *Nulla ad nos niſi adiectione nouorum ſanctorum aut Græcorum incitatione Martyrologia corrupta perveniſſe.* Fuerit hæc vna ex *adjectionibus*, quibus cauſæ Areopagiticæ ſtudium Adonem mactare impulit. Quamquam, vt quod rei eſt dicam, veriſimilius ſit ipſum Adonem hæc Vſuardi, & aliorum verbis inſeruiſſe de Hadriano & Ariſtide, ex illo Martyrologio deſumpta, quod ipſe *a quodam religioſo fratre aliquot diebus præſtitum ſe Ravennæ poſitum diligenti cura tranſcripſiſſe.* Narrat, [v] & quo ſe in ſuo Martyrologio adornãdo *adjectum* fuiſſe fatetur. Nam in vetuſtiſſimo Martyrologio, quod Roſueidus *vetus Romanum eſſe* putavit, & cum hoc titulo edidit, eadem illa de Dionyſij ſub Hadriano ex Ariſtidis fide; Martyrio leguntur. Illius autem libri quam nulla ſit auctoritas, mox ad eius in hanc rem laudatum ab Halloixio teſtimonium dicemus. Hujus vero quiſquis fuerit, Martyrologij compilatorem, Adone (vt videtur) non multo antiquiorem, facile fuit vel conſulto hanc de Hadriano & Ariſtide fabulam, ſuo in Areopagitica ſtudio ſolenni illorum temporum morbo, indulſiſſe, vel etiam nullo animi conſilio, ſed ſola incogitantia falli, & vel ipſum primo, vel alios, ex quibus hæc deſcripſit, quæ ad Ariſtidis ſub Hadriano ſcribentis, ævum pertinebant, ea ad Dionyſij martyrium transferre imprudentes. Ipſum certe Ariſtidis opus non vidiſſe horum Martyrologiorum ſcriptores, & per ſe veriſimillimum videtur, ſi hominum & genus & ſæculum ſpectes; Et quæ poſt deſcripta a nobis verba addunt, ſignificant; *Hoc* (inquiunt) *opus apud*

s *Adon. Martyro. d. 5. Nou.*

t *Millet. Vindi. Dion. L. 2. c. 4.*

u *Ado Præfat. in Rom. Martyr. vet. a Roſueido editum.*

Athenienſes ſummo genere colitur & inter antiquorum monumenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant. Vides, vt libri pretium ex ſolo aliorum judicio affirment, quid ipſi de eo ſentiant, tacentes. Non equidem dubitaverim, quin ſuperiora, quibus Ariſtidis de Dionyſij paſſione teſtimonium, ex ipſo Ariſtide deſcripſerint. Quid ſi in codicis, quo vſi ſunt, margine ſcriptum ab aliquo repererunt *ſub Hadriano*, idque ipſi ad martyris paſſionem retulerunt, quod qui addiderat, de ſcriptoris ætate intellexerat? Hic voluerit illa Ariſtidem ſub Hadriano teſtatum; iſti ſic fuerint interpretati, quaſi ſignificaret Dionyſium ſub eo Principe paſſum? Facilis error, neque a malo animo; & tamen gravis. Sed hæc de teſtimonio Ariſtidi ab Adone afficto ſatis ſunt. Huic Bedæ Martyrologium [x] addunt, in quo ad 5. non oct. de Ariſtide quidem nihil legitur; ſed habetur tamen *Dionyſium ſub Hadriano paſſum.* Sed quid ea interpolatis Martyrologijs certo conſtare poteſt, quæ ipſe Milletus, Areopagiticorum ſignifer, & in genere *corrupta* eſſe omnia confitetur, [y] & hoc ipſum Bedæ nominatim *corruptum* eſſe, non ſemel affirmat; idque a ſe probatum eſſe prædicat? Launoyus qui adverſus Milletum ſcripſit, Bedæ quod nunc habemus Martyrologium, dicit *Ex puro exemplari non prodiſſe*, neque in eo quid Bedæ vere ſit, certo ſciri poſſe, donec conſtet, quid ei Florus de ſuo inſeruerit. Vanum ergo eſt & futile ab eo petitum argumentum.

x *Bed. Martyr.*

y *Millet. Vindic. L. 2. c. 4.*

z *Laun. in diſcuſſ. c. 5. §. 6.*

Præter hæc, quæ jam erant a Baronio [a] allata, Halloixius alia bina argumenta noua afferre ſe profitetur; [b] prius ex vetere Romano Martyrologio ab Heriberto Roſueido edito; poſterius ex F. L. Lucij dextri chronico. Sed hæc Halloixiana Baronianis, non modo non meliora, ſed partim æque vana, partim etiam deteriora ſunt. Quod enim prius affert Romanum Roſuveidi Martyrologium, id ipſe Milletus, [c] homo Halloixianarum partium, ait *eſſe dubiæ plurimumque ſuſpectæ fidei.* Ipſe editor Roſuveidus notauit [d] in eo codice, ex quo id exemplar, quod edidit, deſcripſit, *paucula* quædam fuiſſe, *quæ videntur ab exſcriptore inſerta*, quæ ipſe in editione repræſentavit, & in notationibus ſuis, quid de ijs ſentiret, monuit. Plura aliquanto eſſe, quam quæ ille notauit, huic ipſi veteri Martyrologio ab exſcriptoribus addita nemo eruditus, qui accurate legerit, & expenderit, negabit; quale illud eſt verbi gratia, quod iſtic ad D. 22. Martij legitur Paulum Narbonenſem Epiſcopum, *fuiſſe Apoſtolorum diſcipulum.* Id enim ex novis Areopagiticorum fabulis additum eſſe manifeſtum eſt, præter veriorem, & antiquiorem traditionem, [e] quæ Paulum hunc in Gallias A. D. 250. longe infra Apoſtolorum ævum, veniſſe perhibebat. Inter addititia iſta cenſendum id quoque eſſe, quod ibidem ad D. 3. Octobris de *Dionyſio Areopagita ſub Hadriano diuerſis*, tormentis paſſo, ſatis docent illa ipſa verba, quæ præter libelli morem atque ingenium ſequuntur; *vt Ariſtides, inquit, teſtis eſt in opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſſimum tenetur.*

a *Baro. A. D. 109. §. 40.*

b *Hall. Vita Dion. c. 20. in Annot. p. 486. col. 2.*

c *Millet. Vindic. Dion.*

d *Roſuueid. in Ep. ad Lect. Martyr. Rom. præfixa.*

e *Greg Tur. Hiſt L. 1. c. 28. Vide Launoy. diſcuſſ. c. 5. §. 8.*

Cap.XIV. Hæc inquam, verba a veterum Martyrologiorum more, & inſtituto aliena; quæ, cum res ipſis illis temporibus quibus gerebantur, annotarent, ea quæ annotabant, vt potè confeſſa & nota, nihil neceſſe habebant librorum authoritate confirmare. Hæc cautio eorum eſt, qui res ſua memoria anteriores deſcribunt. Neque in hoc ipſo Martyrologio (quod ego profectò, licet poſterorum manu alicubi interpolatum, non ideo tamen penitus contemno) quicquam hujus ſimile reperies. Nullius alterius quam huius Dionyſij vel paſſionem, vel paſſionis poſſias tempus ſcriptorum auctoritate firmauit. Tum nimia hujus(quiſquis eſt, qui hæc ſcripſit)diligentia hominem ſuſpectum merito facit. Huic enim ſatis non fuit hæc, quæ tradit, accerſito ex Ariſtidis opere teſtimonio confirmare; opus inſuper, ne quis dubitaret, commendandum putavit, & commendavit, & quidem ineptiſſime, *hoc opus*, dictitans, *apud ATHENIENSES inter antiquorum memorias clariſſimum teneri.* Hic ſorex ſe ſuo indicio prodit quis enim iſta non vetuſtiſſimi alicujus auctoris, quales eos fuiſſe neceſse eſt, qui VETVS Romanum Martyrologium contexuerunt, ſed hominis recentioris de nono, vel etiam de ſequiore ſæculo eſſe non intelligit? Primo enim an vetuſtiſſimus ſcriptor Ariſtidis opus ex *ANTIQVORVM memorijs* eſſe diceret? Qui ſic loquitur antiquum ſe non eſse confitetur; Martyrologij adeo Romani veteris auctorem ſe eſſe negat. Tum quis vel ex quarto, quintove ſæculo eruditus ita hoc Ariſtidis opus commendaret; & diceret apud *ATHENIENSES clariſſimum teneri*? Quaſi vero non & apud cæteras Græciæ, imo totius paſſim Chriſtianitatis Eccleſias nobile eſset? Specta, qui id ipſum opus Hieronymus, quarto ſæculo & quidem pæne extremo laudarit; *vſque hodie* (inquit) *perſeverans apud Philologos ingenij eius indicium eſt.* Hic bene profectò, & appoſite apud *philologos* nobile fuiſſe dicit, quorum gens non Athenas magis illo tempore, quam Romam; aut Antiochiam, aut Alexandriam incolebat. Sed non eſt obſcurum, cur Martyrologij interpolator, & hoc de *Athenienſibus*, & cætera de Ariſtide hic dixerit. Nimirum cum intelligeret hanc de Dionyſij ſub Hadriano paſſione narrationem novam ſuſpectamque ſuæ ætatis hominibus viſum iri, aliud ex veteri de eo ſub Domitiano paſſo traditione edoctis; ſuam fabulam ſcriptoris antiquiſſimi Ariſtidis auctoritate conſtituendam putauit. Ideo præter vetuſtiſſimorum Martyrologiorum conſuetudinem Ariſtidis teſtimonium nominatim laudauit. Sed quia librum Ariſtidis, vnde hoc laudat, ſuo tempore apud Latinos ſuos videbat vel nuſquam extare, vel certe rariſſimum eſſe; ne apud Græcos quidem vulgo & paſſim haberi; veritus, ne quis ideo petito inde teſtimonio diffideret, homo callidus librum, non apud Chriſtianos, non apud *Philologos*, vt Hieronymus, ac ne apud Græcos quidem, ſed apud *Athenienſes teneri* dixit *inter antiquorum memorias*; ita futurum ſperans, vt lector opus illud apud vnas

Hier. de ſcrip. Eccl. c. 20.

Athenas

Athenas veluti aliquod proprium ciuitatis κειμήλιον ac ornamentum, CAP. XIV.
a ciuibus in arcano coli, ſervarique, neque cum exteris hominibus facile communicari ſibi perſuaderet; Nihil adeò miraretur, quod liber, tametſi eximij auctoris, neque apud Latinos tamen, neque apud Græcos cæteros reperiretur; ſed fabulam tanti viri teſtimonio confirmatam ſecurus admitteret. Hæc iſte primus Martyrologiorum interpolator cogitauit. Sed hoc ipſo ſe, quod diximus, prodidit; iuxta illud vulgare verbum, *Nimia cautio, nulla cautio.* Sed hæc de illo Martyrologio plus ſatis; quod clariſſimus Henricus Valeſius [g] nuper eruditiſſima diſſertatione demonſtrauit nihil minus eſſe, quam *Romanum vetus Martyrologium* (quod Roſueidus nimium facile ſibi perſuaſerat) *Aquileienſe* potius dicendum videri; tum quod id, qui Adoni exſcribendum olim dederat Monachus, Aquileiam miſſum fuiſſe a Pontifice neſcio quo Romano dixerat, vt minus ſuum venditaret; tum quod id ipſum ex Ruffini Aquileienſis Hiſtoria compilatum ſit; vt ex pluribus erroribus inde hauſtis, & quidem nonnullis ſatis craſſis; oſtendit Valeſius; è quibus vnum hic exempli cauſa referre placet. Legerat Martyrologi compilator apud Ruffinum L. 7. cap. vltimo *Theodotum* quemdam Laodiceæ Epiſcopum ab Euſebio iſtic laudari. Eo factum, vt ad diem 2. Novembr. Theodotum iſtum inter confeſſores ac martyres conſecrauerit. Atqui hunc Theodotum ex Theodoreto [h] conſtat Arianarum partium præcipuum fautorem fuiſſe. Cætera vide apud doctiſs. Valeſium; ex quibus patet hoc Roſuueidi Martyrologium, exiguæ ac propemodùm nullius eſſe auctoritatis, quod & erroribus non paucis Scatet, & æui eſt Adone, a quo id habemus, non multo, vt videtur, anterioris. Vltimum Halloixij præſidium eſt Lucij Dextri chronicon. [i] O miſeram, & deſperatam cauſam, quæ ad hos triarios rediit! Quis enim tam infelici naſo eſt, qui non ſtatim vel ex extemporanea vnius horulæ lectione olfaciat Dextrum illum veſtrum, fabulatorem eſſe muſteum, in illis vnde prodit, Hiſpaniæ officinis ad gentis glorias, ac delicias, ſtultitia neſcio, an audacia ac impudentia maiore, nuperrime conflatum? Is vero adeo craſſus, ac pinguis impoſtor eſt, vt ſcribere non dubitauerit, a. D. 110. *triginta circiter ſcriptores Catholicos, & in his nonnullos Hiſpanos, contra blaſphemias Porphyrij Philoſophi ſcripſiſſe*; id eſt *contra Porphyrij blaſphemias ſcripſiſſe* annis centum, & viginti tribus antequam ipſe natus eſſet. Porphyrium enim anno Galieni decimo, id eſt D. 233. natum eſſe, ex ipſo in libro de vita Plotini, & conſtat, & ab homine Doctiſſimo Luca Holſtenio [k] demonſtratum eſt. Ejuſdem eſt farinæ, quod idem Dexter [l] Plinium Iuniorem a Tito neſcio quo apud Cretam Inſulam ad Chriſti fidem converſum fuiſſe ſerio narrat; quin & ad Novocomum paſſum eſſe ſeptima die ſextilis tantum non affirmat. Facetum eſt, quod idem vrbem Hiſ-

g *Valeſ. diſſer. de Martyrol. Roſuueidi ad calc. Hiſto. Euſeb. p.* 315.

h *Theodor. Hiſt. L.* 1. *c.* 24.

i *L. Dextri chro. excuſum n. d.* 1619. *Cæſarauguſtæ.*

k *Holſt. diſſert. de vita & ſcript. Porphy. c.* 2. *p.* 9.

l *Dextr. chron. ad a. D.* 220.

CAP. XIV.

m *Ibid. ad a.* D. 300. *p.* 43.

n *Miræus ad Hier. de ſcript. Eccl. c.* 132.

o *Launoy. diſquiſ. de Magdal. c. p.* 4. *&* *in Præfa. extr.*

Petau. Epiſt. L. 2. *ep.* 19. *ad Roſueid. p.* 205.

paniæ *Palemum* [m] ſuo (id eſt quarto , ſi Dexter eſt) ſæculo iam *Palamos* dictam fuiſſe garrit. Alia ſunt apud iſtum innumerabilia errorum , parachroniſmorum , ineptiarum , mendaciorum , fabularum , & impoſturarum portenta ; quæ ſuaves homines , Hiſpani , ſperarunt ſe huic noſtro ſæculo Dextri obiecto nomine perſuaſuros. Sed benè eſt , quod res longe aliter ceſſit. Nam ex ipſis Latinorum partibus Pennotus inſulſa hæc maleferiatorum hominum figmenta exagitavit , & repudiavit , & Aubertus Miræus , *eruditis hæc eiuſdem farinæ videri* ſcripſit [n] *cum Beroſo Annij Viterbienſis* , id eſt cum nugaciſſimo , & ineptiſſimo otioſi impoſtoris opere avorum noſtrorum memoria , Beroſi nomine publicato ; & Ioannes Launoyus [o] teſtatus eſt *Dextri chronicum omnes viros doctos repudiare , vt ab recentioribus Hiſpanis confictum , idque dudum in rem judicatam abiiſſe ; omnes , vt prolem ſubjectam , id opus editum ab homine facili procul abijciendum exiſtimare , iiſque ſolis permittendum , qui decipi Hiſpanorumque ineptiis pæne anilibus infatuari volunt.* Sed Dextrum nemo fortius exploſit , quam Ieſuitarum doctiſſimus Petavius. *Dextri* (inquit) *Chronicon hominis eſt imperitiſſimi* ἄτοπον καὶ ἀλλόκοτον κύημα ; *&* *omnino* ψευδεπίγραφον , *ab Hiſpano aliquo nebulone confictum. Quis lucumonis iſtius confidentiam non miretur , qui ſe erudito huic ſæculo hiſce quiſquilijs fucum facere putaverit ?* Hunc ergò tam ſtultum , tamque inverecundum fabulatorem audiat per me licet , Halloixius blaterantem ad a. D. 128. ſuum Toletanum , ac mox Toloſanum Epiſcopum , *Eugenium* , ſui condiſcipuli Dionyſij Martyrium ſcientem elegantiſſimo carmine celebraſſe. Nemo eruditus , nemo cordatus auſcultavit ; nemo inſulſis putidiſſimi , ac mendaciſſimi veteratoris ſomnijs in alterutram partem movebitur. Atque ita confecti ſunt duo Halloixiani triarij ; totaque adeo Areopagiticorum acies profligata.

CAP. XV.

CAPVT XV.

Dionyſium ex vetuſtiori traditione ſub Domitiano paſſum eſſe, primo ex ipſa rerum ac temporum ſerie demonſtratur. Secundo confirmatur teſtimonio, tum eorum qui jam olim Areopagitica, vt notha & apocrypha rejecerunt; tum eorum etiam ipſorum, qui illa pro veris genuiniſque defenderunt, Maximi, Methodij, Symeonis, Metaphraſtæ, Menæorum & Anthologij Græcæ gentis, & Synaxagij cuiuſdam lepidiſſimi, in quo Dionyſius & Athenis crematus primum, & postea Pariſiis idem capite truncatus dicitur. Latinorum eadem de re teſtimonia; ſcriptoris de Dagoberti rebus anonymi, Hilduini, Paſchaſij, Ratberti, Hincmari, Vincentij Bellouacenſis, Alberti Stadenſis, Matthæi Veſtmonaſtenienſis, Teſtimoniorum tum a nobis, tum ab Areopagiticis allatorum brevis inter ſe comparatio; qua illorum, quam horum potiorem eſſe fidem demonſtratur.

PVlſa autem, ac diſſipata, veluti quadam caligine, omni illa ex poſterorum inſomnijs conflata de Dionyſij ſub Hadriano Trajanove paſſione fama, ſponte jam ſua emicat, ereptumque ſibi Areopagiticorum ſtudijs ac fraudibus, quem antea occupabat, locum repetit verior, & antiquior traditio, martyrem ferens Domitianæis temporibus paſſum eſſe. Ac veriorem quidem eſſe, vel inde conſtare poteſt, quod rerum ſub Hadriano Atticarum a nobis ex certis authoribus conſtituto ordini ad amuſſim congruit, quem illa ſuperior de Hadrianeo Martyrij tempore fabula, non modo pulſabat, ac turbabat, ſed plane etiam euertebat. Nam rebus, quas a Dionyſij Epiſcopatu ad primos Quadrati in eodem munere annos geſtas fuiſſe certo conſtat, quaſque Areopagiticorum opinio in arctiſſimum & iniquiſſimum, ac ijs explicandis, capiendiſque plane imparem locum cogebat, hæc altera traditio æqua, & commoda temporum ſpatia concedit. Dionyſium omnes ad fidem a Paulo converſum circa a. D. 52. conſentiunt, Fac tertio, fac quarto; etiam ſexto ſi libet poſt baptiſmum ſuſceptum anno Epiſcopum apud Athenas fuiſſe a Paulo ordinatum. Anni ſub Nerone, ſub Veſpaſiano, ſub Tito ad ſecundum Domitiani annum ſupererunt minimum ni fallor, viginti tres: æquum vt omnes vident tempus conſtituendæ confirmandæque Eccleſiæ, cæteriſque evoluendis etiam feliciſſimi Epiſcopatus actis, & iis poſtremo glorioſiſſimo martyrio obſignandis. Neque id quod ſuccedit, ab anno Domitiani tertio ad Traiani vndecimum, annorum circiter viginti quinque ſpatium quiſquam

impar

Cap.XV. impar fuiſſe dixerit ad capiendam Publij; qui Dionyſio ſucceſſit, ordinationem, & nobilem illam, quæ ei tribuitur, Athenienſis Eccleſiæ gubernationem, & ſuſceptum poſtremo ac feliciter conſummatum martyrij agonem. Iam quæ illo Traiani anno coorta eſt, tertia Chriſtianiſmi gravis perſecutio, nemo mirabitur, quod vel Publium vna cum alijs non paucis plebium noſtrarum rectoribus involuerit, vel eius gregem etiam vltra perſeverans ac ſæviens percuſſerit, & quod ait alter Corinthius Dionyſius, pænè deleverit, plæriſque paſſim tantum non ad Apoſtaſiam labentibus. Cæterum qui hinc ad ſextum Hadriani annum fluxerunt anni fere ſexdecim ſpatium haudquaquàm iniquum præbuerunt, quo & Eccleſia atroci illa tempeſtate ſæuiente quidem primo diſiici, remittente vero mox inſtaurari recolligique cæperit, & Quadratus in Epiſcopum eligi, territamque, ac pavefactam plebem labore, ac induſtria ſua erigere, & in fide confirmare, hiſque & alijs veræ pietatis continuis actibus in eum virum creſcere potuerit, qui Hadrianum ipſum anno eius ſexto, totamque aulam ſapientiſſima oratione, excellentique ingenio ad clementiam inflexerit. Hæc vt omnes vident, recta ſunt, & conſentanea; Res temporibus, tempora rebus congruunt. Vera ergo eſt traditio, quæ Dionyſij martyrium ſub Domitiano collocat.

Sed eadem ſuos quoque teſtes, ac auctores habet, & quidem plurimos, ac vetuſtiſſimos, eos primo omnes, qui Dionyſij hos, quos nunc habemus libros eſſe negarunt; vt quos ſæculo vel ſeptimo Maximus memorauit,[p] vel Theodorus & Photius [q] octauo, & nono. Hos enim apparet Dionyſium ſub Domitiano paſſum eſſe putaſſe, cuius martyrium Ignatii paſſione, quæ ſub Traiano contigit, anterius fuiſſe ſtatuebant. Sed ne quis de horum fide dubitet, quod Hypatij, & veteris Eccleſiæ de libris Areopagiticis ſententiam novis Maximi & aliorum opinionibus antehabuerint, En tibi alios de ipſo adverſariorum ſinu teſtes. Primus prodeat eorum quantum quidem ſcire poſſumus, vetuſtiſſimus Patriarcha, Maximus Monachus ſexto ſæculo exempto natus, ſeptimo adulto denatus. Is enim in acie conſiſtens, adverſarijs illud ipſum adverſus Areopagiticos libros obiectantibus, quod Dionyſius Ignatio vetuſtior fuerit; hoc de Domitianeo Dionyſij martyrio adeo non negat (quod hodie in eadem diſputatione faciunt omnes eius poſteri) vt etiam liquido affirmet, *Ignatius* (inquit) *Martyrium ante Domitianum facit, ita vt Dionyſio antiquior ſit.* Ἰγνάτιος δὲ πρὸ Δομετιανοῦ μαρτυρεῖ ὥστε προγενέστερος. Qui Dionyſio Ignatium vetuſtiorem fuiſſe argumentatur, quod hic ante Domitianum paſſus ſit, is aperte ſignificat illum ſub Domitiano paſſum. Si ſub Hadriano, vel ſub Traiano paſſum putauit; quorsùm *Domitiani* meminit? Si illud ſenſiſſet, dixiſſet Ignatium ante vel Hadrianum, vel Traianum martyrium feciſſe. Atqui non hæc dixit; ſed illud quod deſcripſimus, poſuit, *ante Domitianum.* Ergò Dionyſium ſub Domitiano paſſum fuiſſe ſenſit. Atque hæc ei ſententia, quàm

p *Maximus ſchol. ad Dion. de diuin. Nom. c. 4.*
q *Phot. eod. 1.*

CAP. XV.

quam altè animo ſederit, quam certa fixaque fuerit vide; qui Ignatium ante Domitianum paſſum eſſe (quod abſurdiſſimum eſt, & cum omni antiquitate apertiſſime pugnat) dicere tamen maluit, quàm illam alteram de Dionyſio Domitiani temporibus paſſo traditionem pulſare. Viro eruditiſſimo licebat hunc nodum vno verbo ſolvere, reſpondendo Dionyſium non ſub Domitiano, ſed ſub Hadriano vel certè poſtremis Trajani annis paſſum eſſe. Non fecit; ſed Ignatium affirmauit ante Domitiani imperium paſsum eſſe, contra manifeſtam veteris Eccleclesiæ traditionem, quæ hunc conſtanter perhibet [r] ſub Trajano Martyrium feciſſe. Vndè omnes intelligunt illam de Dionyſij ſub Domitiano paſſione traditionẽ ſexto, ſeptimoq; ſæculo non modo in omni Eccleſia communem, ſed etiam ſacroſanctã, atque inviolabilem fuiſse; quam ſcilicet vir doctiſſimus vſque adeò lædere, aut pulſare veritus eſt, vt in magna diſputationis difficultate conſtitutus id, quod alioqui de Ignatij ſub Traiano paſſione conſtare videtur, negare tamen ac deſerere potius ſuſtinuerit, quam de Dionyſiano ſub Domitiano certamine dubitare. Alij Græci eadem cum Maximo ad noſtrã vſque tempora ſenſerunt. Methodius, Areopagiticorum fabulatorum non poſtremus, qui totam Dionyſiani martyrij ſcenam Athenis Græca fide Lutetiam tranſtulit, & in agro Pariſiaco locauit, rem tamen geſtam non modo imperante Domitiano, ſed etiam ipſius iuſſu fuſe diſerteque narrat; [s] & drama tandem concludẽs, *Mortem*, inquit, *perpeſſi ſunt Chriſti Martyres Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherus ſeptimo Kal. octobr. ſub Imperatore Domitiano in partibus Galliæ, & ciuitatis Pariſiorum* ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλεῦς ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Γαλλίας καὶ Παρησίας πόλεως. Symeon Metaphraſtes, qui eadem qua Methodius licentia atque laſciuia in hoc argumento verſatus eſt, ipſe tamen Dionyſium Domitiani authoritate atque imperio, captum, & occiſum refert; [t] diem Octobris tertium ejus martyrio ex communi gentis ſuæ ſententia aſſignans. Vidiſſe autem hunc Symeonem ſub Leone philoſopho, Conſtantinoque eius filio, etiam ſub Romano Lacapeno nono ſæculo exeunte, & decimo ineunte, ac annum hujus XIX. attigiſſe, ex Pſello, & alijs clariſſime demonſtrauit vir ſummus Gerardus Ioannes Voſſius [v] neque aliter, quam hic Symeon, publica totius gentis, Græcorum adeo omnium communia Menæa docent; *poſtea*, inquiunt, *ad Occidentales partes imperante Domitiano* ἐπὶ τῆς βασιλείας Δομετιανοῦ *pervenit* (Dionyſius ſcilicet) *multiſque exhibitis in ciuitate Pariſienſi miraculis capite plectitur.* Addit Launoyus [y] eadem quoque exhibere quotidianum Græcorum Anthologium, ſiue Breviarium, quod non modò cæteri illius gentis homines, ſed etiam ij ipſi, qui *Romæ vivunt*, id eſt qui in Pontificis Romani partes tranſierunt ſingulis diebus recitant. His vnum libet a Sirmondo [z] laudatum Synaxarium ob rei, quam tradit, ſingularitatem ſubtexere. Græcus Synaxarij auctor, cum veterem de Areopagita Domitiani temporibus paſſo traditionem rejicere non poſſet; ſed neque novam

r Vide martyrol. ad 1. de Febr. & Baron eo loco, ad martyr. Rom.

ſ Method. Vit. Dion. T. 2. Dion. p. 381. d. 382.

t Sym. metaph. T. 2. Dion. p. 331. c.

v Voſſ. de Hiſt. Græc. L. 2. c. 25. p. 290. 291.

x Men. Græ. T. 2. Dion. p. 322. B.

y Laun. in vita Dion. Areop. p. 278.

z Sirmon. de duob. Dion. c. 7 p. 57.

Cap.XV. de ejuſdem libris, apud Pariſios prædicatione, & Epiſcopatu fabulam perdere vellet; homo ad prodigium vel ingenioſus, vel ſimplex vtramque ad diem 3. octob. ita retinuit, vt vnum & eundem Dionyſium tradat, primo quidem a Græcis comprehenſum, flammiſque vno cum libris ſuis, conſumptum eſſe, eundemque inde regnante Domitiano ad occidentem profectum multis editis miraculis capite cæſum eſſe. Græca, ſi quis deſiderat, hæc Sirmondus deſcripſit; Ἄθλησις τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, ἐπισκόπου γενομένου Ἀθηνῶν, Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου. ὃς τοῦ θείου Παύλου τοῦ Ἀποστόλου κηρύξαντος ἐν Ἀθήναις ἐπέγνω τὴν ἀλήθειαν καὶ ἐπίστευσεν εἰς χριστὸν, καὶ χειροτονεῖται παρ᾽ αὐτοῦ Ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν. οὗτος ὁλοκαυτοῦται ἐν πυρὶ συλληφθεὶς ὑφ᾽ Ἑλλήνων συγκατακαιόντων αὐτῷ καὶ τῶν παρ᾽ αὐτοῦ συγγραμμάτων. Καταλαβὼν δὲ τὰ ἑσπέρια ἐπὶ τῆς βασιλείας Δομιτιανοῦ, καὶ πολλὰ θαύματα ἐπιδειξάμενος, μετὰ τὸ ἀποτμηθῆναι τὴν κεφαλὴν χερσὶν ἰδίαν ὑποδειξάμενος, μέχρι δύο μιλίων ἐβάδισε. σὺν αὐτῷ δὲ Ῥουστικὸς καὶ Ἐλευθέριος τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν. Hactenus Synaxarium. I nunc, & nega Areopagiticos magnos eſſe (vt cum Auguſtino loquar) *Mirabiliarios*, quibus non eſt ſatis ſuum Dionyſium manibus caput abſciſſum tenentem ad duo paſſuum millia in agro Pariſiaco ambulaſse, niſi eundem quoque faciant toto corpore Athenis vi flammarum conſumpto è Græcia in Gallias peregrinari, & rem iſtic denuo gerere, iterumque cæſo capite mori. Sed hæc Græcula gravitate digna nunc mitto. Illud vnum obſervo, iſtum quoque ſcriptorem Areopagitæ martyrium, quod ipſe quidem prius, nos vnicum cenſemus, ad Domitiani tempora referre. Quem enim combuſtum in Græcia dixit, cum exinde ſub Domitiano in Gallias veniſſe non narraret, niſi & Domitiani temporibus combuſtum fuiſſe putaret. Ex his videmus communem ac conſtantem Græcorum de ſuo Dionyſio traditionem, & fuiſſe antehac, & eſſe etiam nunc, quod is ſub Domitiano martyrium fecerit.

Latinorum par fuit in eadem retinenda vetuſtioribus ſæculis conſtantia; tametſi & ipſis aliud ſuaderet recepta de Dionyſij libris fabula. In Cheſnæana Francicorum ſcriptorum collectione vetus extat de Dagoberti *Regis geſtis* liber; quem tametſi non putem ab homine Regis ipſius (quod præfert titulus) contemporaneo Scriptum eſse, veterem tamen eſse fateor, viderique ad octavum ſæculum vel certe ad noui initia pertinere. Is ergo ſcriptor quiſquis eſt, Areopagitam (quem Pariſienſem Epiſcopum fuiſſe, & in Suburbano Catulliano vico cæſum eſſe ſomniat) diſertè ſcribit *interemptum* eſſe temporibus *Domitiani*, [a] *qui Secundus* (inquit) *ab Nerone arma in Chriſtianos corripuit*. Ipſe Areopagiticorum princeps, Hilduinus eadem quoque ſequitur, [b] ſingula prolixe narrans; vt Domitianus auditis Dionyſij apud Pariſios miraculis, & geſtis, in rabiem indignationis exarſerit, edictum de Chriſtianis capite plectendis promulgauerit, Feſcenninum Siſinnium proprie adverſus Dionyſium in Gallias cum poteſtate miſerit; vt ab eo apud Pariſios inventus, Domitianique auctoritate captus, vinctus,

a *Geſta Dagob. c.3. T. 1. Franci. cheſn. p. 574 B.*

b *Hild. in vita Dion. c. 23. 24. apud Sur. oct. d. 9. Ibid. c. 26 & ſeqq.*

CAP. XV.

ctus, tandemque ſupplicio affectus fuerit. In calce libelli diſertè adſcriptum eſt, [c] *hanc Dionyſij paſſionem celebratam eſſe D. VII. Id. octobr. anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti XCVI. ætatis verò Dionyſij circiter nonageſimo, imperij quoque Domitiani decimo ſexto ingruente.* Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbeienſis, noni (id eſt ejuſdem cum Hilduino ſæculi ſcriptor) Dionyſium ipſe quoque ſub Domitiano paſſum tradit, idque neque adeò certum & exploratum cenſuit, vt (quod eſt a Sirmondo obſervatum, [d] Ruffinum, & Valerium Dionyſij ideo comites fuiſſe neget, quod hos multis poſt Domitianum annis ſub Diocletiano paſſos eſſe reperiret. *Fama eſt*, inquit, *hos cum B. Dionyſio, qui a B. Clemente, Romanæ ſedis Pontifice, miſſus fuerat, vt frigida gentilium corda fidei calore animaret, Galliarum fines penetraſſe. Sed temporum ſeries repugnat: Sanctus namque Dionyſius ſub Domitiano Cæſare anno ejus imperij ſecundo, Martyrio coronatus eſt; iſti verò Diocletiano, & Maximiano Auguſtis immortalitatis gloriam perceperunt.* Hæc Ratbertus; recte quidem, dum ſtatuit Areopagitam ſub Domitiano paſſum. Quod vero hinc concludit Ruffinum & Valerium cum Dionyſio in Gallias venire non potuiſſe; in eo largiter fallitur. Is enim Dionyſius, quo cum illos in Gallias veniſſe fama erat, non Areopagitica, ſed alius longe recentior fuit, qui Decianis temporibus Galliarum fines penetrauit, vt ex Saturnini Toloſani Epiſcopi veteri hiſtoria tradit Gregorius Turonenſis. Itaque nihil prohibet, quominus cum eo venerint viri, quinquaginta poſt Decium annis martyrio ſub Diocletiano & Maximiano Auguſtis coronati. Verius fuiſſet argumentatus Paſchaſius, ſi Dionyſium ſuum (id eſt Pariſienſem) alium ab Areopagita fuiſſe inde concluſiſſet, quod Ruffinum & Valerium cum eo huc veniſſe fama eſset. Sed Ratbertum præceptæ animo Areopagiticorum Sparſæ (vt videtur) ab Hilduino fabulæ tranſverſum egerunt. Hincmarus Hilduini, quod ipſe de ſe fatetur, alumnus, quique poſtea Rhemenſis Archiepiſcopus celeberrimus ad a. D. 882. ſuperfuit, eadem *cum nutritore ſuo* Hilduino in Epiſtola ad Carolum Calvum Imperatorem ex ſchedis valde contritis ſecum a Vandelmaro neſcio quo communicatis refert; [f] nempe Domitianum Dionyſij in Evangelio propagando fama irritatum lictores ad eum comprehendendum, & diuerſis ſupplicijs afficiendum miſiſſe; Martyrem glorioſum certamen haudquaquàm refugiſse, idque Sanctino & Antonino præſentibus fæliciter perfeciſse. Cæterùm vetuſtiſſimæ traditionis fides etiam ſecutis ſæculis diu manſit, tametſi mendax de Dionyſij libris & Pariſienſi tranſlatione fama paſſim apud omnes inualuiſſet. Vincentius certe Bellovacenſis Epiſcopus, ſcriptor ſæculi decimi tertij, ad cujus annum quadrageſimum quartum ſpeculum hiſtoriarum ſuum perduxit, eadem quæ ſuperiores de Dionyſij ſub Domitiano paſſione tradit. [g] Vincentij æqualis Albertus Stadenſis Abbas, qui anno. 1216. Chronicon ſcripſit [h] & clauſit, hæc notat ad a. D. 96. [i] *Dionyſius* (inquit) *Areopagita, primus Athenienſium*

c *Ibid. c. 36. Extr.*
d *Sirmond. de duobus Dion. c. 8 p. 62.*
e *Ratber. vita Ruff. & Valer. p. 1693. C.*
f *Hincm. Epiſt. ad Car. c. 4. 5. apud Sur. d. oct. p. 131.*
g *Vincen. Spec. L. 10. c. 22.*
h *Albert. ſtad. Chron. a. d. 532.*
i *ibid. p. 41.*

CAP.XV. *Epiſcopus a Paulo conſtitutus, ſed poſtea in Gallias a Clemente directus, apud Pariſios decollatus eſt anno a Paſſione Domini* 64 His annis 64. ſi 32. (quos ex Alberti hypotheſi [k] Chriſtus quo tempore paſſus eſt, tribus tantùm menſibus ſuperauerat) adieceris, annus fiet a Dominico natali 96. idemque Alberto Domitiani quartus decimus. Antoninus Florentiæ Archiepiſcopus, quem Latini inter ſuos diuos cenſent, Dionyſium ipſe quoque ſub Domitiano martyrium feciſſe tradit; [l] a. D. 75. Sic etiam, qui ad ſæculi decimi quarti annum 77. ſuos flores collegit, Matthæus Veſtmonaſterienſis Monachus ad a. D. 97. ex veteri quidem traditione Dionyſium ſcribit [m] ſub Domitiano paſſum; Idem vero ex noua ſequiorum temporum fabula comites adjungit *Ruſticum* & *Eleutherium*; Dionyſium ſcilicet Pariſienſem eundem cum Areopagita fuiſſe credens. Hi ſunt, quos habemus, antiquioris adeoque verioris de Dionyſio Domitianeis temporibus paſſo traditionis auctores ac teſtes; quos ſi cum diverſæ de Hadrianeo tempore opinionis auctoribus compares, nulla ratio eſt, quin vincant. Primo enim plures ſunt. Secundo ſunt antiquiores; Maximus enim, & ij adverſarij, contra quos de Dionyſij libris contendit, Beda & cæteris vetuſtiores ſunt. Tertio, quod præcipue eſt in his rebus conſiderandum, Areopagiticorum teſtes huiuſmodi ſunt, vt eorum fides merito ſuſpecta ſit, quos, quod Dionyſij libros veros eſſe, & putarent, & vellent, veriſimile ſit ex duabus opinionibus eam vel inueniſſe ipſos, vel certe elegiſſe, quæ ſuo in libros ſtudio congruebat; repudiaſſe, quæ repugnabat, & quidem ita repugnabat, vt ea ſtare abſque certa librorum pernicie non poſſet. Noſtrorum plane contraria ratio eſt, quos pro ea ipſa ſententia plærofque dicere liquet, quæ ipſorum, tametſi vehementi in libros ſtudio, adverſatur (quod de Maximo, Hilduino, Methodio & alijs patet) vt non alia quam veritatis, & antiquitatis vi victi in eam concedere potuerint. Quartò pauca illa, quæ adverſarij laudarunt teſtimonia deſumpta ſunt ex libris, vel apertiſſime falſis, quale eſt Dextri Chronicon, vel ex ijs, quos a poſteris corruptos, & interpolatos fuiſſe, etiam ipſis, qui nunc ijs vtuntur, confitentibus, ſatis conſtat; qualia ſunt reliqua Bedę Adonis & Roſulidi Martyrologia. Libris, ex quibus noſtra citamus, nihil huiuſmodi objici poteſt, neque ſane ab adverſarijs, tametſi cauſæ ſtudioſiſſimis, objicitur. Veros, ſinceroſque eſſe, & plane incorruptos certum manifeſtumque eſt. Quinto neque id in hac cauſa contemnendum videtur, quod illi nullos habent, niſi duplici nomine Domeſticos teſtes; id eſt hujuſmodi, qui & Latini ſunt domo, & ſecta Areopagitici. Græcorum enim plane neminem habent ſecum conſentientem; ac ne Syngelum quidem M. Suidam, quamquam a communi ſuę gentis traditione in hac cauſa diſcedentes. Nos vtriuſque & linguæ, & ordinis habemus; Græcos quidem omnes (exceptis Syngelo & Suida) Latinorum vero non paucos, & quidem ex vtriſque, Dionyſianorum non modo adverſarios, qui omnes ſtant nobiſcum, ſed etiam fautores, ac defenſores plurimos.

k *ibid* p. 22.

l *Ant. in chron. art.* 1. *c.* 28. *Tit.* 6. *p* 445. *col.* 2. *Ab C.*

m *Matth. Veſtmon. Flor. Hiſt. l.* 1. *p.* 101.

Ergo

Ergo vel ſola teſtimoniorum, quæ vtrique in hac cauſa adferimus, ratio ſententiam noſtram quidem veram; adverſariorum vero falſam eſse liquido vincit. Quo cum præterea accedat ipſa, vt ſuprà demonſtrauimus, rerum temporumque perſpicua, ac explorata ratio, quæ Dionyſium ſub Hadriano martyrium feciſse, non ſinit; ſub Domitiano feciſse cogit; illud denique quod nos contendimus confitendum, ac pro certiſſimo habendum eſt, Sanctiſſimum illum, Pauli diſcipulum, Chriſtique Martyrem Areopagitam in his terris vltra Domitiani tempora minime ſuperfuiſſe; hinc ſcilicet maturius dimiſsum, & peracto ſub eodem principe glorioſi in Chriſto curſus vltimo certamine, multis jam ante quam Hadrianus regnaret annis, cælo inter beatos ac æternos ciues receptum.

CAPVT XVI.

Repetitur, & pertexitur inſtituta adverſus Areopagiticos libros diſputatio, & ex ijs quæ proxime de Dionyſij ſub Domitiano paſſione demonſtrata ſunt, educitur VIII. octavum argumentum, inde ſumptum, quod librorum ſcriptor, Novi Teſtamenti canonem conſignatum, & Ioannis Evangelium ſciuit, & memorauit; quod vtrumque a Ioanne Apoſtolo poſt Domitiani, adeoque & Dionyſij mortem, peractum & editum fuiſſe conſtat.

HIs ita conſtitutis, nunc clarum certumque eſt eos libros de quibus hanc diſputationem inſtituimus, nequaquam a Dionyſio ſcriptos eſse; falſoque adeo ejus nomen præferre. Hos enim quiſquis ſcripſit, eum poſt extinctum Domitianum, non alieno ſed ſuo ipſius teſtimonio (quod omni exceptione majus eſt) ſcripſiſſe comperitur, ac convincitur, quod eſt demonſtratu facillimum. Hic enim auctor ſe poſt concluſum, ac conſignatum divinorum librorum canonem ſcripſiſſe, quibus noui fæderis codex continetur, apertiſſime fatetur; primo quidem in libro de Hierarchia Eccleſiaſtica, [n] quo loco ſcripturæ tum veteris, tum nouæ abſolutiſſimum canonem exhibet, ſingulaque vtriuſque volumina recenſet, non quidem vſitatis, ac ſolemnibus in Eccleſia nominibus illa nuncupans (a quo ille vbique velut a quodam piaculo, diligentiſſime ſibi cauet) ſed tamen ita perſpicuè deſignans ac deſcribens, vt facilè ſit intelligere nullum ab eo prætermiſſum eſſe divinum librum. Idem ſecundo prodit, dum quædam ex his fere omnibus ſcripturis teſtimonia paſſim laudat, ac deſcribit. Ac ne in cæteris commemorandis tempus nulla neceſſitate conteram, ſatis erit obſervare eum quædam ex Ioannis Evangelio loca nominatim vſurpare, [o] vt illud ex capite Ioannis tertio; [o] *Neſcis vnde veniat aut quo vadat?* Et illud ex

n *Dion. L. de Hier. Eccl. c.3. §.4. p.247.*

o *de Hier. Eccl. c.2. §.1 init. Ioan. 14. 23.*

CAP.XVI.

o *Id.de Cæleſt. Hier.c.15.§.6.*
p *Id.de diuin. nom.c.1 §.1.*
q *ibid.*
r *Ibid.p.426.B.* ſ.t.v. *Dion.de Hier.Eccl.c.2. de baptiſ.§.1. in ibid.c.3. Theor.§.10. init. p.255.*

cap.15. [p] *Spiritus veritatis,qui eſt,qui a patre procedit*; item illa ex cap. 5.& 6. [q] *ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat ſic & filius quos vult viuificat,& Spiritus eſt qui viuificat,*& hæc ex cap.10 & 17. [r] *Ego & Pater vnum ſumus & quæcunque habet pater mea ſunt, & omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt*; & illud ex cap. 14. *Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum,& ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*; [s] & paulò poſt hæc ex primo cap. *Quotquot enim receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* [t] Alibi ad ea quoq; reſpiciens quæ Chriſtus apud Ioannem loquitur cap.13.10. dicit τὰ λόγια (eſt ſacra oracula ſive ſcripturas) *teſtari qui lotus eſt, non opus habere alia quàm ſummitatum ſeu extremitatum ſuarum lotione.* [v] Iam vero omnium veterum hæc perpetua conſtanſque eſt inde a primis ducta temporibus traditio, Noui teſtamenti canonem non fuiſſe ante primos Trajani annos concluſum. Eo enim tempore Ioannem Epheſi (quo Patmi exilio ſub Nerva ſolutus redierat) *nouiſſimum omnium ſcripſiſſe Evangelium rogatum ab Aſiæ Epiſcopis adverſus Cerinthum,alioſque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens,qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe*; vt eſt ab Hieronymo [x] non vno loco proditum. Similia habet Euſebius [y] ex Irenæo;qui de cæteris a Matthæo,& Marco,& Luca ſcriptis Evãgelijs loquutus; [z] *Deinde* (inquit) *Ioannes diſcipulus Domini, qui ſupra pectus ejus recubuerat,dum Epheſi in Aſia verſabatur,Evangelium in lucem extulit.*Græca Euſebius exhibet, ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ ϛῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. Idem alibi ſcriptionis occaſionem eam tangit, [a] quam attulit Hieronymus, docens Ioannem *voluiſſe per Evangelium annuntiationem auferre Cerinthi & Nicolaitarum errorem.* Sed & Euſebius Ioannem ab alijs *rogatum* παρακληθέντα ad Evangelium ſcribendum animum appuliſſe,quod Hieronymus dicit,alibi quoque teſtatur. [b] Apud eundem his Origenes quoque conſentiens Ioannis Evangelium poſt *cætera omnia* ἐπὶ πᾶσι ſcriptum fuiſſe tradit. [c] Quin & ipſe Dionyſianorum ſcriptor ſatis ſignificat Ioannis Euangelium poſt ipſam Apocalypſim ſcriptum fuiſſe, adeoque, vltimum eſſe omnium librorum, qui in noui fæderis canone cenſentur, dum in illa ſua Canonis periphraſtica deſcriptione cæteros omnes alios *ſacri & a Sanctis Scripti voluminis libros exſecutus,*ait eo poſtremo contineri *arcanam & myſticam viſionem diſcipuli dilecti, diuinique* (Ioannis, vt omnes vident Apocalypſim dicit,) & *& ſupermundialem Ieſu Theologiam,* τὴν ὑπερκόσμιον Ἰησοῦ θεολογίαν, quibus verbis eiuſdem Ioannis Evangelium non obſcure expreſſit. Nimirum in alijs tribus Evangelijs habetur Ieſu *œconomia*; in hoc vltimo, eiuſdem *Theologia*; Cæteri Evangeliſtæ exequuntur filij Dei incarnationem,& quæ poſtea ab eo in terris geſta ſunt. Ioannes etiam eius diuinitatem ſupra & ante mundum exiſtentem diſertiſſime nobis aperit, eoque

x *Hier.de ſcrip. Eccleſ.c.9.& præf.Comm. in Matt.T.9.*
y *Euſeb.Hiſto. L.5.c.1.*
z *Iren.L. 3.c.1. extr.*
a *Id.ibid.c.11. p.257.*
b *Euſeb.Hiſt. L.3.c.24.Fol. 27.6.*
c *Ibid.L.6.c.25*

CAP. XVI.

eoque Theologi cognomentum apud veteres eſt meritus. Itaque noſter ille Pſeudodionyſius hoc quidem Ioannis Euangelio *Ieſu Theologiam exponi* dicit; alijs tribus Matthæi, Marci, & Lucæ Evangelijs, ea paulo ante recenſens, *Ieſu* non *Theologiam* (id eſt ſermonem de eius divinitate? ſed τὰς ἀνδρικὰς θεουργίας, *viriles Dei operationes* tradi, id eſt illa quæ Deus ille Dei filius carne aſſumpta, vir factus geſſit. Hunc eſse ſcriptoris eo in libro ſenſum etiam Halloixius [c] agnoſcit. Ex his patet Ioannis Evangelium poſt cæteros omnes noui fæderis libros ſcriptum fuiſſe; idque ipſum ſciviſſe Areopagiticorum ſcriptorem. Iam quo tempore id Ioannes ſcripſerit inde ſatis intelligitur, quod Apocalypſim, in Patmo, quo a Domitiano vltimis imperij ſui tẽporibus, erat relegatus, vidit, & literis mandauit; vt ipſe initio ſacri voluminis teſtatur, [f] & Irenæus de Apocalypſi verba faciens; [g] *Neque* (inquit) *ante multum temporis viſa eſt ſed pæne ſub noſtro ſæculo, ad finem Domitiani imperij.* Græca habet Euſebius; [h] οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς: Hieronymus annum Domitiani de Ioanne loquens, deſignat, *Quarto decimo*, inquit, *anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem Mouente Domitiano, in Patmon Inſulam relegatus ſcripſit Apocalypſim.* Cum ergo Evangelium poſt Apocalypſim ſcripſerit Ioannes, & quidem Epheſi, teſte ſupra Hieronymo ſcripſerit, neceſsè eſt fateri id tum demum ſcriptum fuiſse, cum Patmo relicta Epheſum rediit: conſtat autem non ante Patmo dimiſſum fuiſſe, quàm Domitiano interfecto Cocceius Nerva ſucceſſiſſet; eo ipſo ſcilicet tempore, quod Hieronymus ita deſcribit; *Interfecto* (inquit) *Domitiano, & actis, eius ob nimiam crudelitatem a ſenatu reſciſſis, ſub Nerua Principe, redit Epheſum* (Ioannes ſcilicet) *ibique vſque ad Traianum principem perſeverans totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias.* Addit ibidem vixiſſe ad annum poſt paſſionem Domini ſexageſimum octauum. Ioannes ergo hoc ſuæ apud Epheſum vltimæ conuerſationis tempore Euangelium vel *ſcripſit*; vt habet Hieronymus; [k] vel certe *edidit*, jam ante in Patmo dictatum, vt tradit (neſcio vnde id habens) Athanaſius. [l] Hoc præfert Halloixius; [m] illud veluti ſimplicius, & rerum temporumque ordini congruentius malim. Baronius rem in annum Neruæ ſecundum refert, [n] quem vult eundem fuiſſe cum Domini nonageſimo nono. Iam ex iſtis certiſſime duo quædam conſtare liquet. Prius eſt, Ioannem ſuum Evangelium extincto Domitiano ſub Nerua, uel primo Traiani anno ſcripſiſſe, aut certe edidiſſe. Vnde meridiano ſole clarius eſt Dionyſium Areopagitam ſub Domitiano, Neruæ deceſſore, vt nuper demonſtrauimus, paſſum, ac martyrio conſummatum Ioannis Evangelium neque vidiſſe, neque videre potuiſſe; nondum ſcilicet quo ipſe tempore mortuus eſt, editum; multo vero etiam minus ſciuiſſe, aut ſcire potuiſſe, an diuinorum noui fæderis librorum canon perfectus eſſet, ac conſignatus. Sed illud præterea alterum non minus ex his, quæ diximus, conſtat, hunc nimirùm Areopagiticorum,

quæ

d *Dion. L. de Eccl. Hier. c. 3 §. 4.*

e *Hall. de Dion. ſcrip. p. 3. p. 569*

f *Apoc. c. 1. 9.*

g *Iren. L. 5. c. 30 p. 485.*

h *Euſeb. Hiſto. L. 3. c. 18. & L. 5. 1. 18.*

i *Hier. de ſcrip. Eccl. c. 9.*

k *Hier. ibid.*

l *Athan in Synopſ.*

m *Hall. Vita. Dion. c. 15. Annot.*

n *Baron. a. D. 99. §. 2.*

Cap. XVI. quæ circumferuntur, ſcriptorem, & Ioannis Evangelium legiſſe, & præterea ſciuiſſe, quo ipſe tempore ſcribebat, clauſum conſignatumque eſſe noui fœderis canonem; ſic, vt nullus deinceps liber ad eos, quos continebat, addendus eſſet. Vnde & hoc evidentiſſime ſequitur illum de cętero, quiſquis ſit authorem, poſt Domitiani mortem, imo etiam poſt ipſius Ioannis Dormitionem, id eſt poſt annum Traiani (vt putat Baronius) ſecundum, ita ſcripſiſſe. Quandiu enim Apoſtolus vixit, nemo certo ſcire poterat, an ille nihil eſſet ſcripturus, adeoque an nouæ ſcripturæ canon clauſus, obſignatuſque eſſet. Ex quibus poſtremo id quod nos defendimus, apertiſſime ac neceſſario exiſtit, qui extat Dionyſianorum ſcriptor, eum neque Areopagitam eſſe, neque ſane eſſe poſſe. Hæc omnia iam ante nos viderat, & obſeruarat doctiſſimus Morinus; Ioannis ſcilicet Euangelium, imo & Apocalypſim, ante a. D. 101. neque ſcribi, neque publicari potuiſſe; adeo vt, qui eos libros paſſim citat Areopagiticus ſcriptor, neceſſario poſt illum annum vixerit. Hoc etiam, quod non eſt levis momenti, animaduertit hunc auctorem *Apocalypſim perpetuo citare confidenter, vt librum divinum & canonicum*; de cuius tamen auctoritate diu, & quidem ad quintum ſæculum, præſertim a Græcis dubitatum eſſe conſtat ex Euſebio, Hieronymo, & aliis. Idem ait eandem eſſe rationem epiſtolarum Ioannis quidem ſecundæ, & Iudæ, & Pauli ad Hebræos, quas Areopagiticus, perinde vt ab omnibus receptas laudat, cum tamen certum, ac confeſſum ſit de earum, ac eius præcipue, quæ eſt ad Hebræos, diu inter Chriſtianos controuerſiam fuiſſe. Vnde merito vir eruditiſſimus concludit auctorem iſtum traditionem de ſcripturarum canone, *Sæculo* demum *quinto, quo ipſe vixit, acceptam & ſtatam, eam credidiſſe omnibus retroactis ſæculis viguiſſe*; qui ſane error fuit immanis. Fruſtra fingit Halloixius [o] ſcriptorem hæc, quæ de Ioannis Euangelio citat, quæque de abſoluto nouæ ſcripturæ canone docet, in prima quidem operum ſuorum vel editione, uel ſcriptione minime habuiſſe; ſed eadem tamen poſtea, cum ſuos ipſe libros recognoſceret, ac retractaret, adjeciſſe; fruſtra nobis Tertulliani, & Auguſtini, & aliorum opera ab auctoribus diu poſtquàm ea primo ſcripſerant, emendata, nouata, aucta recitat. Quis negat auctoribus quandiu quidem vivunt, ſua mutare, minuere, amplificare pro arbitrio ſuo licere? Homines ſemel mortuos ſua ipſos opera recognoſcere id verò portentum eſt hactenùs inauditũ. Ergo Dionyſio, qui ante Domitianum interfectum, jam erat mortuus, libros recenſere, & retractare non fuit profecto facilius, quam nouos ſcribere, atque edere. Et hæc, & quæ idem Halloixius ſumma ſua (vt opinor) cum voluptate narrat [p] de Dionyſij iam nonagenarij ex Gallijs noſtris in Aſiam ad Ioannem Epheſi poſt Patmenſe exilium commorantem profectione; de eius ad ſuos Pariſienſes reditu, deque vltimis curis in reuocandis ad limam, & amuſſim libris ſuis pridem ante hac editis, & locorum & nupero Ioannis Evangelio adjectione exornandis & roborandis; iſta inquam omnia totidem

Morin. de ordin. Part. 2. §. 7. 8. 9. 10. *p.* 44. 45.

ibid. §. 10. *extr. p* 45.

o *Hall. de ſcrip. Dion.* Q. 3. P. 569.

p *Id. Vita. Dion. c.* 16. 17.

totidem ſunt vigilantis hominis, ſuauia quidem fateor, & ad demulcendas Areopagiticorum hominum auriculas non inepta ſomnia; cæterum ſomnia ſunt ingeniorum, nullo idoneo teſte vel auctore, præter ipſam rerum naturam, præter jus ac fas, martyris in Domino quieſcentis animam inverecunde vexantium, & per Europam, atque Aſiam ad ſuas ſuorumque delicias pro vna ſua libidine raptentium.

CAPVT. XVII.

Argumentum IX. Areopagiticorum ſcriptorem alium a Dionyſio fuiſſe inde demonſtrans, quod Epiſtolam Ignatij ad Romanos, anno Traiani vndecimo datam, citet, id eſt annis poſt Dionyſij ſub Domitiano mortem pluribus quam decem. Imo cum illa quæ Ignatij nomen præfert Epiſtola, notha ſit, neque certè tertij, vt videtur, ſæculi extrema conficta fuerit, hinc liquere Areopagiticum ſcriptorem, haud ferè paucioribus, quàm ducentis, poſt Dionyſium annis, ſua ſcripſiſſe. Halloixij impudens, etiam Vaſque iudice, effugium Ignatiana iſta apud Areopagiticum delentis, refellitur, ac pro ſuo merito traducitur.

SED Areopagiticorum auctor hęc ſe non modo poſt editum a Ioanne Euangelium, & poſt ipſam Ioannis mortem, ſed etiam poſt Ignatij paſſionem, quæ aliquot poſt annis contigit, ſcripſiſſe clariſſime confitetur. Laudat enim ac deſcribit quamdam hujus ſententiam ex Epiſtola, vt ipſa quidem profitetur, paulo antequam martyrium faceret, ad Romanos ſcripta. *Scribit*, inquit, *divinus Ignatius*, *meus amor crucifixus eſt.* γράφει ϰαὶ ὁ θεῖος ἰγνάτιος, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται. Hæc ipſiſſima verba & in ijs quæ hodie circumferuntur Ignatij nomine epiſtolis leguntur, eaque ab Ignatio vel ſcribente, vel certe loquente vere vſurpata eſſe docet Origenes, uel certe qui ejus nomen præfert ſcriptor prologi in Cantica Canticorum. *Denique memini* (inquit ille) *aliquem ſanctorum dixiſſe, Ignatium nomine, de Chriſto; Meus autem amor crucifixus eſt, nec reprehendi eum pro hoc dignum iudico.* Cum autem Ignatium anno vel Traiani 7. Domini III°. (vt plærique putant) uel Trajani 6. D. 110. vt cenſet Vſſerius, paſsum fuiſse conſtet; uel cæcus videt Areopagiticorum ſcriptorem, qui eius epiſtolas laudat, poſt ſeptimum, vel ſextum annum Trajani ſcripſiſſe, adeoque verum Dionyſium eſſe non poſſe, annis aliquot ante hoc tempus ſub Domitiano mortuum, ſi vel anno Domitiani vltimo paſsum fuiſse concedamus. Adverſarijs ſolenne ex difficili hoc loco effugium, Dionyſium ſub Hadriano, non ſub Domitiano paſſum eſſe dictitantibus, jam ſupra eripuimus. Ipſe certe Halloixius illi ſuæ de Hadrianeo Dionyſiani martyrij tempore hypotheſi,

q Dion. de diuin. Nom. c. 4 §. 12. init.

r Orig. Prol. in Cant. T. 1 p. 496. init.

Cap. XVII cui immenſam alibi vim fabularum audaciſſime inædificauit; hic videtur diffiſus. Certe alio confugit, & ſuum Dionyſium perfracte negat. Ignatianæ. *Epiſtolæ feciſſe mentionem*; & hæc Ignatij, quæ attulimus, ex omnibus Areopagiticorum Græcis Latiniſque editionibus recitanti, reſpondet [s] illa Ignatij *verba nequaquam fuiſſe hoc loco ab ipſo Dionyſio ſcripta, ſed ab aliquo inſciente & rerum ignaro impudenter, & inepte in ipſum Dionyſium intruſa*, idque ſe tam euidenter probaturum ſperat, vt nullus deinceps diſſentire vllatenus, aut in dubio remanere *poſſit*, qui quidem æquus ſit, eorum quæ allaturum ſe promittit, judex, & æſtimator. Magnifice ſane; ac vt hominis Ieſuitæ pulmonibus dignum eſt. Sed hic mihi in primis in mentem ea veniunt, quæ alter Ieſuita iſto longe celebrior, Gabriel Vaſques de eruditi hominis Latini Latinij ſimili ad quædam objecta Chryſoſtomi loca Stropha dicit. Cum enim ea iſte omnia, vel negaret eſse Chryſoſtomi, vel a *Novatianis corrupta eſſe aſſereret*; *Sed* (inquit Vaſques) [t] *ne ridendi, & gloriandi anſam præbeamus Lutheranis, exiſtimo neutrum vlla ratione admittendum eſſe. Non primum; quia negare opera adeo recepta ſine fundamento alio, quam quod neſciamus eius ſententiæ reſpondere, & verbis, friuolum eſt; non ſecundum; quia ſic de omnibus Sanctorum teſtimonijs, aut in quibus errarunt ipſi, aut quæ difficilia videntur, dicere poſſemus ab hæreticis illius ſectæ corrupta eſſe, quod ſine alio fundamento quam ne patribus tribuamus aliquem errorem (quem docere potuiſſe non eſt dubitandum) aſſerere, videtur etiam omnino frivolum, & ridiculum, vt ad hanc communem, velut ad ſacram anchoram, confugiamus.* Hæc ille; quæ ſi in Latinium bene ac vere dicta ſunt (quod ego quidem arbitror) non video cur eadem in Halloixium hic plane eodem modo ſe gerentem dici non poſſint. Hoc vnum diſcrimen eſt, quod Latinius aliqua venia dignus videtur, quem quædam ſolutionis ad loca objecta deſperatio, ineptire, invitum coëgit; Halloixius, qui ſibi gloriatur abunde eſſe, quo argumentum ex Dionyſij uita ad Hadrianum vſque producta refellat, eo eſt inexcuſabilior, quod nulla neceſſitate ijs ſe ineptijs inuoluit, quæ ſunt ab ipſo eius ſodali an magiſtro in alijs notatæ atque animadverſæ. Hic enim contendit Dionyſiana vere eſse Dionyſij. Ego dubito, an ſint, & inter ea, quæ me mouent, hunc de Ignatio nuper recitatum locum lego; ex illis ipſis codicibus, quos ab adverſarijs habui. Quid hic noſter Areopagitæ ſui patronus? Negat Ignatij *factam a Dionyſio mentionem*; reſpondet ſententiam *in Epiſtola quidem Ignatij reperiri, ſed in Dionyſio non reperiri*. Oculos & mentem contendo; vereor ne faſcinati ſenſus aliud forte viderint, quam quod ſcriptum eſt. Sed omnia expertus, comperio nullas eſſe præſtigias; librum revera habere, quæ vidi. Quæro quid hoc ſit? Rogo an alij fortaſse ſint melioris notæ vel excuſi, vel manuſcripti codices, recentes, veteres? Græci, Latini? In quibus hæc quæ in meis legi, deſiderentur? Noſter negat ſe ſcire vllos alios in toto terrarum orbe vel nunc eſſe, vel olim ab his mille retro annis fuiſſe, qui aliter legant, quam in vulgatis excu-

s *Hall. de oper. Dion Q. 3. c. 2. p. 543.*

t *Vaſq. in 3. Thom. Q. 90. art. 1. dub. 3. Num. 31.*

tis excuſum eſt. Neque enim negare poteſt Ignatianam ῥῆσιν hoc loco CAP.XVII ante hos mille annos perinde lectam fuiſſe, quomodo hodie legitur; vt ex Maximi ſcholijs apparet. Vera omnia (inquit) *Sed tamen dico, ac contendo* hæc quæ in omnibus Dionyſij libris a decem ſæculis conſtantiſſime leguntur; *nequaquam a Dionyſio ſcripta ſſe, ſed ab aliquo inſciente & rerum ignaro impudenter, & inepte in eum eſſe intruſa.* Ego vero non miror, ſi nos iſti ad veterum libros provocant, quos hac lege admittunt ſcilicet, vt ſi quid in ijs quod nolint, occurrat, id ſibi liceat, velut impudenter in eos intruſum delere. Ita Latinis cum Chryſoſtomo; ita Baronius [t] cum Hilduino agit; apud quem aſſignatum Dionyſiano martyrio ſub Domitiano tempus *corrigi* jubet; ita nunc in ipſum Dionyſium Halloixius graſſatur. At hoc ego (inquit noſter) ita ſtatim probabo, vt nullum de eo ſuperfuturum ſit dubium, niſi durus, & iniquus ſis; hoc eſt ni fallor, niſi tu ex eorum genere ſis, quibus non eſt ſatis Ieſuitam aliquid dixiſſe, vt id incunctanter pro vero admittant. Videamus tamen quæ ſint iſtæ tam terrificæ Halloixij rationes, vt quemvis ſtatim id negare rogant a Dionyſio ſcriptum eſſe, quod in omnibus ejus libris a mille annis conſtanter legi ſcimus. Ejus autem rationes vt breviter dicam hæ ſunt: I[a]. *quod abſque illis verbis* (quæ noſter dictator pro non Dionyſianis haberi imperat) *melius cohæreret ſcriptoris oratio, quam ſine illis.* 2[a]. quod ſcriptor Hierotheum ſuum hoc loco non vna cum Ignatio citaverit. III. quod illa verba nequaquam accommodata ſint ad id probandum, quod intendit auctor. IV. quod illa Ignatiana ſententia Paulinæ illi ſimilis ſit, ἐμοὶ κόσμος ἐςαύρωται, *Mihi mundus cruſixus eſt.* [v] V. quod non ſit adſcripta tota Ignatij ſententia, ſed vna tantum ejus pars. Omnes, vt liquet, hoc vnum ſi valent, efficient ſcriptorem hoc loco in his, quæ a critico Halloixio notata ſunt, peccaſſe adverſus vel Rhetorices, vel Logices canones; qui errores quidem ſunt, ſed leues profecto, quoſque nemo ni fallor, cui ſanum ſit ſinciput, intolerabiles, capitaleſ-ve eſſe dixerit. Nunc ergo tantiſper Halloixio id donemus, quod cupit, hos errores erraſſe hunc ſcriptorem. Ne ſic quidem ille vincet, vt non Patris Vaſquis judicio *ridiculus* homo ſit; qui ſcilicet *Veteris ſcriptoris locum corruptum eſſe aſſerit ſine alio fundamento, quam ne ei errores aliquos tribuat*; quod iſte gravior Ignatianæ ſcholæ magiſter *Omnino friuolum, & ridiculum* eſſe judicat. Neque hoc quod idem caveri iubet effugere poteſt, *vt non ridendi, & gloriandi anſam,* dum ita diſputat, *Lutheranis præbuerit.* Ac merito quidem ita decernit Vaſques. Quid enim? an veteres ſcriptores Eccleſiaſtici ita ſunt omnes extra erroris aleam poſiti, vt nuſquam fallantur? nuſquam peccent, aut labantur? Inſaniverit, qui hoc dixerit. In illis ipſis rebus, quæ ad Theologiam pertinent, quam ſæpe Hallucinantur. Ac Vaſques quidem de hujus generis erroribus loquitur. Quanto ſæpius peccare eos putandum eſt in his, quæ vel ad orationis cultum, vel ad ratiocinationis ἀκρίβειαν, id eſt ad artes humanas ſpectant, quarum plurimi rudes

t *Baro. in Martyr. Rom. ad d. 9. octob. annot. B.*

u *Gal. 6. 12.*

erant? Iniquiſſimum ergo eſt, quod Halloixiana critica decernit, e patrum libris, veluti ſpurium, & adulterinum, e veſtigio delendu meſſe, quodcunque in ijs reperitur, quod aliquo huiuſmodi errore laboret. Quam bene nobiſcum actum eſt, quod iſti *Halloixio* data non fuit ſumma de veterum libris pro ſuo arbitrio decernendi poteſtas? Vt hominis ingenium, ac judicium eſt, ſi cælitus hoc ei ius, atque munus contigiſſet, miras ille in Republica litteraria ſtrages edidiſſet; neque vel vnum ſuperfuturum ſcriptorem puto ab iſtius Ariſtarchi obelis integrum, atque illęſum. Sed ille mihi jam ipſe conveniendus eſt. Extant quatuor quædam in canticum canticorum Homiliæ inter Origenis opera, quas pro vero Origenis fætu tu tuique Halloixi, vulgo habetis. Tui certe ex ijs adverſus nos teſtimonia Origenis nomine laudant, vt Copus,[x] & Coccius;[y] Ac vt cæteros mittam, tu quidem hoc opus Origeni non ſemel aſſeris. Nam & ex homilia tertia locum deſcribis,[z] vt demonſtres Origenem ſubita Eccleſiæ incrementa celebraſſe; Et paulo poſt tria ex eodem opere loca recitas,[a] veluti veras Origenis ſententias; & apud multos controverſam Origenis de Sanctiſſima Trinitate Orthodoxiam tribus itidem ex eius operis Prologo, & Homilia tertia petitis teſtimonijs confirmas, omnia abſurde & ridicule, niſi tu hunc ſcriptorem pro vero Origene Adamantio, de quo quæritur, habeas. Dic ergo mihi, Tune putas Origenem illum tuum, a te tam feliciter defenſum, tam invidioſe, etiam apud ipſum Papam Innocentium laudatum; hunccine putas hominem fuiſſe *inſcientem & rerum ignarum*, qui aliorum ſcriptorum ſententias *impudenter & inepte* in ſua ipſe opera infulciat, ac vt tu loqueris, *intrudat*? Non hoc opinor, dices. Atqui *ecce Origenes*[b] ille tuus Halloixi, *præcipuum illud quondam Orientalis Eccleſiæ decus, & prima æuo ſuo virtutis peræque, & eruditionis gloria ſublimis*; ille Origenes, *quem ſummi duo viri propter eius eminentiſſimum ſupra cæteros Eccleſiæ doctores faſtigium, laude incomparabili, alterum poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſtrum appellauerunt Hyeronymus, & Didymus*; (Hæc enim de illo viro verba tua eſſe recognoſcis) ecce inquam, ipſe ille Origenes eadem illa quæ tu in tuo Dionyſio tam atrociter inſectaris, in eo opere, quod tu laudaſti, in hanc ipſam Ignatij ſententiam peccauit. Ferre in hoc non potes, quod Ignatianam ſententiam eo attulerit, vt probet *amoris* ἔρωτος nomen a noſtris interdum in bonam partem de divina dilectione vſurpari. Hoc ipſum fecit tuus Origenes?[c] *Non puto* (inquit) *quod culpari poſſit, ſi quis Deum ſicut Ioannes caritatem, ita ipſe amorem nominet. Denique memini aliquem ſanctorum dixiſſe (Ignatium nomine) de Chriſto, meus autem amor crucifixus eſt.* Indignaris, & paratragædias, quod *amorem* iſtic *Chriſtum* ab Ignatio intelligi putaverit Dionyſius tuus; Origenes id de *Chriſto dictum* ab illo eſſe, diſerte pronunciat. Flagitium eſſe putas, quòd Dionyſius Ignatianam hanc ſententiam cum Paulina illa *Mihi mundus crucifixus eſt*, eandem eſſe non ſenſerit; hoc neque tuus Origenes ſenſit. Rem piaculo dignam

x Copus Diatec. 3. L. 3.
y Coccius Theſ. L. 1. L. 6. de ſacr. ſcript. art. 18 p. 68×.
z Halloix. in defenſ. Orig. L. 3. c. 8. p. 144.
a ibid. p. 147.
b Halloi. præf. ad Innoc. X. in Orig. defen. ſua.
c Orig. prol. in Cantica. p. 495 extr.

gnam cenſes,quod Dionyſius hanc tantum Ignatianæ orationis parti- CAPVT. XVII.
culam recitauerit; verba, quæ præcedebant, ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ διὰ χειςὶν ἀποθανεῖν,omiſerit. Ne Origenes quidem tuus hæc deſcripſit Illa ſua quę deſcribit Dionyſius,ipſequoq; deſcribit.Hoc quoq; Dionyſio indignũ eſſe pronũtias,quod non iſtic Hierotheus vna cũ Ignatio teſtis laudedetur.Ergò & Origeni tuo iraſcere,qui Ignatio vno cõtentus, hũc Dionyſij tui locũ non attulit ad rem ſuam ita appoſitũ,vt nihil eſſe appoſitius poſſet.Hic enim Dionyſij & mens,& ratio plane eadem eſt, quæ iſtic Origenis eſt; vt merito Albertinus noſter iudicarit [d] Dionyſium tuum totum hunc locum a tuo Origene vel eſſe furatum,vel certe mutuo ſumpſiſſe;quod ſatis mirabile eſt, vt is quem tu vis annis pæne centum,antequam Origenes ſcriberet,mortuum fuiſſe,Origenis tamen ſcrinia expilaret. Denique illud etiam, ſane graue, contra hæc Dionyſij verba afferebas, quod etiamſi ea ex illo quo leguntur, loco, detraxeris, oratio nihilo ſecius cohærebit, imo etiam vt tibi videtur, *multò melius cohærebit*. Neque ſane Origenis in pari loco oratio detrimentum vllum,vt ego quidem puto,patietur, ſi inde Ignatiana illa verba ſuſtuleris;tibi vero non dubito, quin ea multo melius ſe ſe habitura videantur,dempta illa,tuæ ſane diſputationi, tuiſque rebus moleſtiſſima,ac valde incommoda ſententia. Cum ergo in Origenem tuum Halloixi,hæc quæ in Dionyſio tuo ferre non potes, ad amuſſim congruant omnia, vides te ex duobus alterum effugere non poſſe; quin vel *illum inſcientem & ignarum, & impudentem, & ineptum hominem fuiſſe confitearis*;vel certe hunc totum,quem atturli locum,ex ejus libris,veluti ſpurium, & illuc imperiti alicuius manu impudenter ineptéque intruſum expungas, atque eradas; quorum alterum quidem nemo ſanus dixerit, nedum vt tu tantus Origenis laudator,id vnquam conceſſurus ſis; alterum vero temeritatis fuerit plane ſingularis, id te vnum nunc audere ex publicis vetuſtiſſimi ſcriptoris codicibus inducere, atque delere, quod in ijs hactenus non cæteri modo Chriſtiani, ſed etiam tui omnes abſque vlla offenſione legerunt; quodque tu ipſe in tam multis, quæ de illo viro,deque ejus libris commentatus es,nulla hactenus, vel leuiſſima nota perſtrinxiſti. Hinc ergo faceſſe cum illa moroſiſſima & ſi vera audire potes, ineptiſſima Critica tua, & quod in Origene (quem pace tua Dionyſio tuo multo doctiorem fuiſſe virum puto) totus hactenus orbis æquo animo tulit, id in Dionyſio legi, noli ferre iniquius. Hæc vt vides cauſa, vtriuſque communis eſt; alterum ab altera hactenus ſejungere, aut dividere non licet.Imò (inquit) magnum inter ambos diſcrimen eſt. Nam quod Origenes Ignatium laudauit,nihil nobis nocet;qui hunc illo antiquiorem fatemur. Is vero quem nos Dionyſium eſſe omnibus modis volumus,ac contendimus,de ſuo illo nomine, & ſtatu periclitabitur,ſi Ignatij Epiſtolas laudaverit;quod multis nondum noſtra auctoritas ſatis perſuaſerit Ignatium ante Dionyſium mortuum eſſe.Fateor equidem hoc vos Halloixi,vrere, indeque ortas quas

d *Albert. de Euchar. L. 2. in Dion. Areop. c. 1. p. 265*

tu hic agis de re tantilla tragædias. Merito enim metuis, ne ſi Ignatij hæſerit in Dionyſianis nomen veſtra illa omnis de Areopagita fabula in fumos abeat; Eo tu inviſum nomen ex his libris deleri operæ pretium putaſti; eo clamores excitaſti, & rationes, ne ſine ratione inſanire videreris, multas excogitaſti, quas, ſi quis ijs moretur, videat ab Albertino noſtro ſigillatim confutatas in eodem illo operis de Euchariſtia loco, [e] quem nuper indicavi. Ego vt verum fatear, tam futiles judico, vt in ijs expendendis tempus, & chartam perdere operæ pretium non putem. Cæterum hoc noſtrum argumentum multo maiorem vim habet, quam quæ a nobis eſt hactenus expoſita. Nam Ignatij nomine laudatam ab Areopagitico Epiſtolam vere martyris illius eſſe ex communi adverſariorum opinione donavimus, ac vt vulgo loquuntur, *Suppoſuimus*. Atqui nos aliter rem habere, & ſentimus, & vt ſpero, vbi ad eam diſputationem ventum erit, demonſtrabimus epiſtolam tertio demum præcipiti Chriſtianiſmi ſæculo vna cum alijs aliquot ejuſdem argumenti ab impoſtore fuiſſe Ignatio ſubditam, atque affictam; quod ſi conſtet (certe conſtare debet) Areopagiticorum ſcriptorem, qui eam laudauit, apparet, non modo *Trajani*, ſed *Decij* temporibus id eſt non modo a. D. 110. ſed etiam 260. eſſe recentiorem.

e *Albert. abi ſup. p. 263. 264.*

CAPVT XVIII.

Argumentum IX. inde ductum, quod ſcriptor Timotheo pleraque ſua opera veluti viuenti, inſcribit, quem Epiſtolæ illæ Ignatianæ, quas ipſe citat, teſtantur mortuum fuiſſe, quo tempore ſcriptæ ſunt. Maximi effugia præcluduntur; item Baronij & Biuarij; alium hunc Timotheum a Paulino fuiſſe vaticinantium, ſomnia iam ab ipſo Halloixio confutata, cuius aliquot eam in rem argumenta referuntur. Aliud ipſius tandem Halloixij figmentum diſcutitur.

HIc vero aliud, quod ex proximis pendet reddendum eſt, quo liquido docemur, quam non modo a Dionyſio diuerſus, ſed etiam quam futili quamque infælici in ſuis fingendis iudicio fuerit hic noſter Areopagiticorum ſcilicet ſcriptor. Ille eam, quæ Ignatij ad Romanos nomine circumfertur Epiſtolam, vt oſtendimus, laudavit, in opere de divinis nominibus ſuo; eoque ſe hoc poſt Ignatij mortem ſcripſiſſe clariſſime fatetur. Idem hoc ipſum, in quo iſta Ignatij laudat, opus ſuum *Timotheo ſuo Sympresbytero* inſcribit [g] eumque non ſemel, veluti adhuc viventem affatur; *κάλον Τιμόθεον optimum Timotheum* nominatim compellans, [h] ac monens *ne res divinas coram prophanis efferat aut evulget*; item noſſe, ac meminiſſe non ſemel affirmans, [i] vt multi ad

f *Dion. L. de diu. Nom init.*
g *Ibid. c. 1. extr. p 386 c.*
h *Ibid. c. 3. §. p. 452. c. 453.*
i *Ibid. c. 11. §. 1. p. 673. C.*

Virgi-

Virginis Deiparæ corpus videndum conveniſſent; quin & *ſe ab illo per Epiſtolam de ijs interrogatum* eſſe tradens, quæ ibidem explanat. At Timotheum viuere in terris jam deſiiſſe, quo tempore Ignatius ſuas Epiſtolas ſcripſit, ſi ſcriptor per ſe neſciebat, poterat vel ex vno Ignatio diſcere, & animadvertere. Is enim in ea Epiſtola, quam ad Philadelphienſes ex eodem itinere dedit, Timotheum, Titum, Euodium, & Clementem diſertiſſime inter eos Sanctos recenſet, [k] qui ex his terris iam evocati ἐξελθόντες τὸν βίον, vita exacta diſceſſerant, & apud Deum viuebant; Idemque in alia eiuſdem temporis ad Epheſios Epiſtola, Oneſimum eorum Epiſcopum tum fuiſſe teſtatur, adeoque Timotheo iam mortuo ſucceſſiſſe. Ex his conſtat ſcriptorem Dionyſianorum noſtrum Areopagitam non fuiſſe. Nam ſi Areopagita eſſet, Timotheum, quem, vt viuentem in hoc ſuo opere alloquitur, neſcire non potuiſſet tunc cum ipſe illud ſcriberet, jam mortuum fuiſſe. Sed & hinc diſcimus eundem parum fælicem fuiſſe fingendi artificem, qui cum Timotheum facile ex Ignatio, ac certiſſime diſcere potuiſſet, quo tempore huius Epiſtolæ ſcriptæ ſunt, viuere in terris deſiiſſe; eas in eodem illo opere citauerit, in quo ipſe Timotheum, velut in terris viuentem alloquitur. Neque hoc ſcriptoris κακόπλαστον, omiſit Morinus; hinc conficiens *eum ad Timotheum* longo tempore poſt ipſius mortem ſcribere; quod quam ſit ridiculum, omnes vident. Hæc Areopagiticos difficultas omnes vehementer torſit; ac pæne ad deſperationem adegit; ac primò quidem Maximum, eorum principem, qui cum ex his ſalebris euadendi honeſtam, ac commodam rationem nullam videret, ad Halloixianam illam nuper a nobis commemoratam, inſaniam venire coactus eſt, vt negaret ſcilicet Dionyſij uere eſſe illum libri eius locum, in quo ſententia Ignatji deſcripta in omnibus exemplaribus legitur. Is enim in ſcholiis ad eum locum ſuis; [m] *Quærendum eſt* (inquit) *quomodo cum Ignatius ſub Oneſimo, qui poſt Timotheum fuit, diſſerat, & illud ſcribat,* Amor meus crucifixus eſt; *Dionyſius ad Timotheum nunc ſcribens eius meminerit, veluti Ignatius antea ſcripſiſſet, videndumque ne hoc forte cum eſſet a litterato aliquo ad majorem eorum confirmationem, quæ de divino amore a Dionyſio dicta erunt, extrinſecùs appoſitum, poſtea per ignorantiam internis inſertum ſit, quod in multis ſæpe accidiſſe novimus.* Prima verba, quod a Latino interprete ſecius accepta ſint, Græce exhibenda ſint; ζητητέον πῶς ἐπὶ Ὀνησίμου τοῦ μετὰ Τιμόθεον, Ἰγνατίου διαλεγομένου, καὶ γράφοντος τοῖς ῥωμαίοις, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, Διονύσιος νῦν Τιμοθέῳ γράφων τούτου μέμνηται, ὡς Ἰγνατίου ἤδη γράψαντος. Quanta ſit huius effugij impudentia, jam ante ad Halloixium diximus. Quid enim ampliùs in libris ſaluum aut certum erit, ſi ex ijs etiam illa, quæ in omnibus codicibus conſtanter leguntur expungere, & in margine primum, a Philologo aliquo annotata in textum poſtea per librariorum ignorantiam recepta fuiſſe, cuique pro ſua libidine vaticinari licet? Maximus nullum ſuo tempore (id eſt ſeptimo ſæculo adulto, adeòque annis vixdum centum, a quo Dionyſium

CAPVT. XVIII.

k *Igna. Ep. 4. ad philadelph. T. 1. Bibl. patr. Græc. Lat. p. 23 B.*

l *Id. Epi. 4. ad Eph. ibid. p. 239. E.*

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 5. §. 1.

m *Maxim. Schol. in L. de divin. Nom. c. 4 §. 12. p. 144. C.*

CAPVT. XVIII.

nyſium videri legique cæperunt (exemplar extitiſſe dicit, in quo illa deſiderarentur, quæ delenda eſſe ſuſpicatur. Quantæ ergo audaciæ, & temeritatis fuit id huius ſcriptoris eſſe negare, quod omnes ejus codices pariter exhibent? Sed neq; id veriſimile videtur, quod iſte conjicit Ignatij dictum in libri margine fuiſſe annotatum. Hæc enim verba ſunt, quę Maximi & Halloixij Critica delet; Καὶ ἔδοξέ τισι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς ἱερολόγων καὶ θειότερον εἶναι τοῦ ἔρωτος ὄνομα τοῦ τῆς ἀγάπης. γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Quin etiam viſum eſt quibuſdam eorum qui ſecundum, vel penes nos ſunt vel fuerunt, Hierologorum amoris divinius eſſe, quàm dilectionis nomen. Scribit enim divinus Ignatius. Amor meus crucifixus eſt.* At hæc verba non *Philologi* alicuius, ſed ipſius auctoris vere eſſe, & oratio & res oſtendit; Oratio; Philologi enim eos ſcriptores, qui res divinas tractant, non ſolent ἱερολόγους dicere, ſed vel *Theologos*, vel *Sanctos Patres*; uel alio aliquo hujuſmodi vſitato nomine. *Hierologus* Areopagiticæ grandiloquentiæ proprium eſt. Res uerò etiam ipſa eodem ducit. Quod enim iſte ſuos Hierologos τοὺς καθ᾽ ἡμᾶς dicit, id omninò ita accipiendum videtur; vt ſignificet eos, non (quod Latinus interpres ſecutus eſt) *ex noſtris* ſimpliciter fuiſſe, ſed ſuo tempore, ſuaque memoria vixiſſe. οἱ καθ᾽ ἡμᾶς ἱερολόγοι, ſunt *noſtræ memoriæ Hierologi*, ij qui eodem, quo nos tempore, vixerunt, ac floruerunt. Crebrum eſt, & vulgare apud Græcps οἱ καθ᾽ ἡμᾶς pro *hominibus noſtræ ætatis*. Hoc vero de Ignatio ex Maximi quidem Philologis nemo diceret, quos ille omnes longe infra Ignatium fuiſſe, ni fallor, concedet. Pſeudodionyſius uerò appoſite dixerit, qui ſe vult videri Ignatiani æui hominem fuiſſe. Denique ſi is eſſet hic ſcriptor, quem & Chriſtianæ antiquitatis teſtimonio, & cæteris omnibus ex rebus ipſis ductis argumentis Dionyſium certiſſime fuiſſe conſtaret, neque ei aliud quam hic vnus de Timotheo Parachroniſmus objici poſſet, concederem aliquid eſſe in ejus gratiam audendum, ne tam turpiter peccaſſe videretur; quamquam vix ac ne vix quidem abſque libri alicujus auctoritate quicquam quod ſit maximi momenti, priſcis ſcriptoribus vel demendum, vel addendum putem præter cæterorum codicum fidem, præſertim ſi multi, ſi qui etiam antiqui ſint. Ac cum hic ſcriptor neque vlli veterum ad quintum vſque ſæculum memoratus, notuſve fuerit, & quo primùm tempore a. D. 532. cæpit ab hæreticis laudari, ſtatim a Catholicis pro dubio, & incerto, & apocrypho exploſus ſit, cum & ex plurimis alijs veriſimillimis argumentis vehementer ſuſpectus ſit, & claris liquidiſque ex rebus non modo poſt Areopagitæ, & Ignatij mortem, ſed etiam multo infra poſt tertium quartumque Chriſtianiſmi ſæculum vixiſſe deprehendatur; planè ſtultum eſt, ac præpoſterum, ne hujuſmodi hominem in ſcribendo peccaſſe, & Timothei tempora aliter, quàm decebat, conſtituiſſe fateri cogaris, librorum, qui & Maximi æuo erant, quique mille poſtea annis fuerunt, & qui nunc etiam ſunt plurimi, Græci, Latini, recentes, antiqui, ſcripti manu, typis excuſi, eorum omnium conſtantem fidem,

Dion. L. de divin. Nom. c. 4. §. 12.

communem-

CAPVT XVIII.

communemque lectionem damnare. Maximi ſolutionem, vt abſurdam & inſulſam ijſdem quoque de cauſis exploſit Morinus; hæc ſubjiciens, *Deinde Ignatij* (inquit) *teſtimonium illud Dionyſij ſcopo eo loci appoſitiſſimum eſt, & ita textus circumſtantijs antecedentibus & conſequentibus innexum catenatum eſt, vt oporteat neceſſario multas lineas abradere, ſi velis hoc teſtimonium loco mouere.* Alteram ſolutionem adfert Maximus, ſed nihilo meliorem. Vult enim, vt videtur, hoc dictum, *Amor meus crucifixus eſt,* ab Areopagitico citatum eſſe ex communi Ignatij Sermone, in quo familiare hoc ei apophtegma fuerit, non autem ex ejus ad Romanos Epiſtola. Valeret effugium ſi ſcriptor hæc Ignatium dixiſſe ſcriberet, vt Origenes [o] idem illud effatum laudans loquitur, & Irenæus aliud ejuſdem verbum itidem vſurpans, [p] *quemadmodum* (inquit) *quidam noſtrorum dixit,* ὥσπερ τις τῶν ἡμετέρων, *propter martyrium in Deum adiudicatus ad beſtias, ſe frumentum eſſe Ieſu Chriſti, & per dentes beſtiarum moli, vt mundus panis Deo inveniatur.* Sed Dionyſianorum auctor plane aliter. Ignatium ait hæc *non dixiſſe*, ſed *ſcripſiſſe* γράφει γὰρ καὶ ὁ θεῖος ἰγνάτιος. Ille ergo non apophtegma, ſed ſcriptum aliquod Ignatij opus citat, & quæ citat cum totidem verbis in Epiſtola ad Romanos Ignatiana legantur, friuolum, & ineptum eſt ea aliunde, quam ex hac ipſa Epiſtola citata eſſe hariolari. Et quod contra affert Maximus ſuum Dionyſium ſimpliciter dicere Ignatium *ſcribere*, non autem *quibuſdam* ſcribere, quaſi hoc aliud quam ſcriptam ad Romanos Epiſtolam intelligi ſignificet, id inquam, prorſus nullam vim habet; cum notum ſit auctorum ſententias, & loca ſæpe & a noſtris nunc litteratis citari, multo vero etiam ſæpius a veteribus citata eſſe nullo auctoris certo, vel libro, vel capite, vnde illa laudentur, nominatim edito. Atque hæc quidem Maximus. Recentes vero Areopagitici, neque ipſi ſunt in vna eademque ſententia. Baronius ſe compelli dicit, [q] vt neget cum Timotheum, cui ſuos libros inſcribit. Areopagiticorum auctor, Timotheum illum ipſum fuiſſe, qui Pauli diſcipulus, & Epheſi Epiſcopus fuerat; idque non plane imbellibus argumentis diſputat; alium ergo aliquem Paulino illo juniorem Timotheum a ſcriptore compellari; quo loco ex actis Pudentianæ, & Praxedis quemdam nobis Pudentis Romani Senatoris filium Timotheum e veſtigio, nequid hæreamus, repræſentat. Dexter vero ille Hiſpanienſis fabulator [r] hanc Hiſpaniæ ſuæ gloriam aſſerit, & Timotheum; cui ſua inſcripſit Areopagiticorum librorum auctor, cum non Pauli diſcipulum, vt cæteri; non Pudentis Romani filium, vt Baronius; ſed Eugenium quemdam Marcellum ſuum, Toletanum Epiſcopum, fuiſſe affirmat, quem vir eruditiſſimus, & Helleniſta in primis quis neget? admirabilis *Timotheum propter ingenij excellentiam* dictum fuiſſe nos docet. Bivarius Dextrum ſuum de more ſequitur, & pro ejus decretis, veluti pro aris ac focis, pugnat. Sed Halloixius [s] contra vtrumque, id eſt Baronium, & Bivarium, pugnat, & quidem ſtudioſe, ac vehementer Timotheum, cui inſcripti ſunt libri,

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 5. §. 2.

u Maxim. Schol. in Dion. de diuin. nom. c. 4. §. 12.

o Orig. Prol. in Cantic.

p Iren. L. 5. c. 28.

q Bar. a. D. 109. §. 56.

r Dextr. Chro. ad a. D. 100. p. 19.

s Halloix. de Oper. Dion. Q. 3 p. 567.

CAPVT XVIII.

ipſum illum eſſe in divinis, & Eccleſiaſticis monumentis nobilem Pauli diſcipulum; non autem vel Pudentis filium, vel Toleti Epiſcopum. Ita veritas, qui ſe oppugnare audent, eos in tanti criminis pænam inter ſe committit; neutriſque alios aliorum vulneribus, vt terrigenos olim de fabulis fratres, confici, ac interire decernit. Facile ſi verioribus auſcultare vellent, conciliari inter ſe poſſent. Nam quod Halloixius defendit, veriſſimum ſane eſt, uelle librorum auctorem, hunc cui ſua inſcripſit, Timotheum, magnum illum Pauli diſcipulum intelligi; & aëra pueriliter verberant tum Baronius, tum Bivarius, in alios neſcio quos Timotheos hæc tranſcribere ſatagentes. Sed & veriſſimum illud quoque eſt, quod hi tuentur ſcriptorem ſuo illi Timotheo quædam tribuere, quæ nequaquam ei congruunt, quæque adeo nunquam ei Areopagita, vel quiſquam alius, cui ille eſſet probe notus, attributurus erat; fruſtraque, ac inaniter Halloixius ſe in his explicandis, ac purgandis diſcruciat. Itaque ſi vbique, quod ex eorum inter ſe diſputatione clariſſime elucet, admitterent, hunc ſcriptorem in Timotheo largiter peccaſſe, & in eum multa plane alia tranſcripſiſſe; adeoque nihil eum minus fuiſſe, quam quem ſe eſſe mentitur Dionyſium; ſuam quiſque laudis partem reportare, atque ita placatis inter ſe animis ex hoc certamine concordes diſcedere poſſent. Nunc quia nulla ſpes eſt homines cæco Dionyſianorum ſtudio inſanientes his legibus coire, & dextras iungere poſſe, age eorum ipſi pugnis ad ueritatis victoriam fruamur. Ac primo quidem Halloixium ſpectemus adverſus duos illos commilitones ſuos prelianrem; ac Timotheum a ſcriptore eum intelligi, qui Pauli diſcipulus, & comes, & Evangeliſta fuit, validiſſimis argumentis vincentem. Primo (inquit) cum nomen plurium commune de principali ſimpliciter poſitum intelligatur, qui plurimis apud hunc ſcriptorem locis ſimpliciter & abſolute Timotheus dicitur, is alius eſſe non poteſt, quam ille eximius Pauli diſcipulus, omnium, qui in Eccleſia Timothei nomen geſſerunt facile princeps. Tum & hæc apud ſcriptorem de Timotheo paſſim tradita colligit, eum cui iſte libros inſcripſit, quemque nominatim non ſemel alloquitur, virum fuiſſe, [v] qui Mariæ Virginis exequijs (vt ille quidem narrat) vna cum Apoſtolis & Hierotheo, & ipſo Dionyſio interfuit; qui tanti apud hunc auctorem fuit, [x] vt ejus judicio ſcripta ſua committat, & ſi qua norit meliora, ea ſecum communicari petat, & corrigi ab eodem poſtulet, ſiquid in aliqua operum parte, peccaverit; [y] Qui non inferioris, ſed ſummi ordinis miniſter, id eſt, vt iſte loqui amat, *Hierarcha*, vel vt nos vulgus ſolemus, *Pontifex* fuit, qui Tito denique Pauli diſcipulo notus fuit, [z] ejuſque amicus, ac Symmyſtes; Hæc paucis Timotheis ſingula, nulli quidem omnia conveniunt, niſi vni illi nobiliſſimo Pauli diſcipulo. Hic ergo ipſe, quin is ſit intelligendus Timotheus cui ſcriptor Dionyſianorum libros inſcripſit ac miſit, nulla dubitatio eſſe poteſt, vt merito ſuam illam Halloixius diſputationem ita concludat; *Maneat, & certum ſit Timotheum*

de quo

t Id. ibid p.538

u L. de Myſt. Theol. c.1.§.1. p.707.a.

x Dion. de divin. nom. c.3.

y Id. l. de cæl. Hierar. l. de Hier. Eccl. c. 7. extr. p.362. & L. de divin. nom. c.13. extr. p.696. B.

z Id. Epiſt. ad Tit quæ eſt 9. init.

de quo his in libris agitur, non eſſe alium, quam Pauli diſcipulum. Morinus id inſuper in illa Baronij opinione abſurdum notat, quod *ea contra omnium antiquorum ſenſum eſt, quotquot crediderunt hunc Dionyſium eſſe Areopagitam; contra omnia exemplaria, quæ Timotheum Epheſiorum Epiſcopum perhibent; contra ipſum Dionyſium*, qui illum, ad quem ſcribit, Timotheum *hierarcham*, id eſt Epiſcopum fuiſſe, clariſſime ſignificat in fine libri de hierarchia Eccleſiaſtica. Atque ex his & Morini, & Halloixij diſputatione ita demonſtratis illud neceſſario, quod dicimus, ſequitur, cum Ignatij ſub ipſam mortem ſcriptam ad Romanos Epiſtolam librorum ſcriptor citet, ibidemque Timotheum veluti adhuc viventem, alloquatur, eum Timothei (quem ante Ignatij martyrium mortuum fuiſſe certiſſime conſtat) res, & acta minime habuiſſe perſpecta; adeoque Areopagitam nequaquam eſſe, qui Timothei condiſcipuli, & cætera, & maxime mortem ignorare non poterat, ſi ea, quo tempore ipſe in terris adhuc vivebat, contigiſſet. Quod vero Halloixius, [a] vt hunc ictum declinet, concedens Dionyſiana vivente adhuc Timotheo ſcripta, atque edita fuiſſe, poſtea eodem mortuo fuiſſe ab autore ſuperſtite recognita, & recenſita, & quædam tum ijs addita, quæ in prima editione deerant; id primo temere, nullo autore, ex ſola cauſæ ſuæ difficultate fingit Halloixius. Tum id ipſum eſt incredibile. Fateor auctores ſua ipſos opera poſt primas editiones recognoſcere, multaq; mutare; neque opus erat, vt Halloixius ad hoc confirmandum, illa Iuſtini, Tertulliani & aliorum tam multa exempla afferret; [b] Auctores, qui quidem ſapiunt, ſuis ipſos operibus ea addere ſolere nego, quæ cum prima editione ſic pugnent, vt cum ejus veritate conſiſtere non poſſint; qualia iſta ſunt, quæ a Dionyſianorum ſcriptore in ſecunda editione addita fuiſſe finguntur, tum ex Ioannis Evangelio, tum ex Ignatij Epiſtolis citata. Et ſi qui ſcriptores aliquid hujuſmodi editis jam a ſe operibus adjiciunt, ijdem vel in præfatione, vel in ipſis operum locis, vbi hujuſmodi additamenta occurrunt, lectorem ea de re neceſſario monent, ne eum animadverſa turbet; qualiter a Tertulliano in opere contra Marcionem ſuo factum eſſe ex ijs ipſis ejus verbis diſcimus, quæ, ſunt ab Halloixio [c] allata. In Dionyſianorum ſcriptore nihil vſquàm tale occurrit. Nuſquam ille nos monet a quo tempore libros iſtos ediderat, Timotheum cui erant inſcripti, ad Dominum migraſſe quædamque a ſe ex recentiori memoria fuiſſe addita. Denique id quod fingit Halloixius hujuſmodi eſt, vt ne fieri quidem potuerit: Vult enim ſua Dionyſium opera poſt Nervam, ſub quo ille Timotheum mortuum eſſe putat, recognoviſſe. Iam autem erat eo tempore mortuus Dionyſius, ſub Domitiano Nervæ deceſſore, quod nos ſupra abunde conſtituimus, martyrium paſſus, Mortuum porro hominem libros a ſe editos recognoſcere, non eſt, quod ſciam, facilius, quam novos ſcribere, atque edere.

CAPVT XVIII.

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 3. §. 3. p. 43.

a *Halloix. de oper. Dion. Q. 3 p. 569.*

b *Ibid.*

c *Ibid. p. 570.*

Capvt XIX.

Argumentum X. Quod ſcriptor Timotheum παῖδα puerum *vel* filium *vocet; Stulte & ſupra modum abſurde; quod non erat facturus Areopagita. Refelluntur Halloixÿ cauillationes, ſe in hac diſputatione contumelioſe in Timotheum gerentis; cuius virtus & pietas ab iſtius calumnia purgatur & aſſeritur.*

NVnc altera Halloixij cum Baronio, & Bivario pugna ſpectanda eſt, quæ nobis aliud, idque luculentiſſimum veritatis, quam tuemur, argumentum ſuppeditabit. Baronius ergo & Bivarius contendunt Areopagiticorum ſcriptorem quædam de ſuo Timotheo dicere, quæ eximio illi Pauli diſcipulo non congruunt; Repugnat Halloixius; [d] ſed plane infeliciter vt mox patebit; Mitto quæ Bivarius ex ſuo Dextro attulit; in quibus ſolvendis ſudantem Halloixium rideam ne, an miſerer, neſcio. Iſta enim quæ ſunt nugatoris muſtei abſurdiſſima, planéque anilia ſomnia, bonus iſte vir ſic tractat, quaſi eſſent in auctoris alicujus optimi, ac locupletiſſimi codicibus ſcripta. Fatetur in Dextri chronico, cujus titulus *omnimodam hiſtoriam* pollicetur, *non alia fere haberi; quam quæ ad Hiſpaniæ Eccleſias referuntur;* Agnoſcit [f] *nonnulla iſtic amore patriæ ſive ab auctore ipſo, ſive poſtea ab alijs terræ Hiſpaniæ attributa eſſe, quæ videantur alijs nationibus, vel æque, vel æquius attribui poſſe, ac debere.* Affirmat [g] quædam in eodem libro *putide & inſcite* ad Hiſpanorum gloriam dicta legi, in quibus abſurda nonnulla *continentur.* Hæc inquam, & alia non pauca de præclaro illo Dextri chronico fatetur, neque tamen *videt,* [h] *qui poſſit opus ipſum Dextri eſſe prudenter a quoquam negari.* Vnde apparet, quam puſillo ipſe judicio ſit, quamque ad fabulas prono ingenio, qui librum innumerabilibus peccatis, ac vitijs ſcatentem cujuſq; ipſe ineptias, & nugas contrectat, ac ſentit, eum tamen, quod fabulis ſuis ſcilicet interdum faveat, non audet Dextro abjudicare, & qui audent, eos *imprudentiæ* homo vaniſſimus damnat. Itaque qui vir ejuſmodi ſit, eum ſane mirandum non eſt grandem pro Areopagiticis figmentis librum conſcripſiſſe, tantumque & operæ, & temporis in contexendis Dionyſianis fabulis perdidiſſe. Sed nunc ad rem veniamus. Baronius ergo & Bivarius [k] hoc in primis ambo obſervant, quod noſter iſte Areopagiticorum ſcriptor Timotheum paſſim vocat *filium;* vt in ipſo ſtatim Hierarchiæ Eccleſiaſticæ exordio, *Sacerdotÿ quidem noſtri, Sanctiſſime fili Timothee.* [l] Et ad calcem ejuſdem opuſculi, *iſta fili, tam multa,* & libro de cæleſti Hierarchia cap. 2. *Tu autem ô fili* & libro de divin. nomin. cap. 2. parte 1. His, quæ illi notant, adde illud ex libro de Hierarch. Eccleſiaſt. *Adeſdum ergo, probe fili;*

δεῦρο

d Halloi. ibi. p. 570. 571. & ſeq.

e Ibid. p. 570. col. 2. extr.

f Ibid. p. 571. col. 1.

g Ibid.

h Ibid. col. 1. init.

i Bar. a. d. 109. § 56.

k Biuar. in dexte. chron.

l Dion. de Hier. Eccl. c. 3. Theor. § 1.

δεῦρο δὴ οὖν ὦ παῖ καλὲ. *At Epiſcopus epiſcopum* (inquit Baronius) *nominare conſueviſſe fratrem, non filium, mille exemplis eſſet facile demonſtrare.* Bivarius vero etiam fortius. *Nemo* (inquit) *ſanæ mentis ſibi perſuadebit Dionyſium filij nomine vnquam illum Timotheum vocitaſſe. qui ipſo Dionyſio antiquior diſcipulus, & Epheſinus Epiſcopus erat; quem ita nimirum Paulus honoraverat, vt ſex Epiſtolas ſub ſuo & ipſius ſimul nomine inſcripſerit.* Hæc Bivarij, Halloixium ita pupugerunt, vt eum clamet *modeſtiæ fines exceſſiſſe*; indignans ſcilicet ſeque, & cæteros ſecum ſentientes ab illo ſic notatos, quaſi parum *ſana mente ſint* qui ſibi perſuadeant Dionyſium *filij* nomine vocitaſſe Timotheum. Sed nos quid ad rem reſpondeat, miſſis ejus quærelis, videamus: Tria autem reſpondet. Primo nihil eſſe, quod miremur. Timotheum a Dionyſio *Filij* nomine multo juniorem a multo ſeniore appellari, ex vſitatiſſimo apud homines more, vt admodum ſenes *filios* eos appellent, qui ſunt ætate juniores. Secundo Timotheum a Dionyſio filium vocari, quod hunc ille in philoſophia, & in ſæculi diſciplina, cujus rudior erat, atque etiam in ſubtiliore Theologia pro Magiſtro haberet, & abſens per Epiſtolas conſuleret. Tertio denique Timotheum, *qui ſatis eſſet natura timidus, & puſillanimis hoc Dionyſio non tantum doctore ſcientiæ, ſed etiam magiſtro virtutis, & conſtantiæ indiguiße.* Hæc ille; quæ omnia partim vana, & inepta, partim falſa aut incerta, partim etiam (quod multo eſt gravius) impia, & in Sanctiſſimum Dei ſervum contumelioſa ſunt. Falſum eſt in primis, vt inde ordiar, quod iſte confidentiſſime ponit, Timotheum reſpectu Dionyſij fuiſſe admodum juvenem, ita vt hic *duplam circiter illius ætatem Neronis tempore haberet.* Timotheum narrat Lucas a Paulo cum Lyſtris eſſet, [n] primo aſſumptum eſſe, *vt ſecum proficiſceretur* id eſt vt eſſet ſuarum peregrinationum comes, ſuique in Domino operis ſocius & comminiſter; quod eum ſatis confirmat jam tum, ſi non ex ipſa adoleſcentia, certe ex pueritia jam pridem fuiſſe egreſſum (neque enim credo quiſquam dixerit infantem, aut puerulum ad id laboris, & operis ab Apoſtolo aſſumptum eſſe) Quo & illud *bonum teſtimonium* pertinet, quod eidem tradit Lucas [o] *a Lyſtrenſibus & Iconienſibus fratribus fuiſſe redditum.* Hinc enim patet Timotheum illa tempore ſuæ virtutis, ac pietatis multa apud illos fratres ſpecimina, atque experimenta jam edidiſſe; quibus viſis, ac perſpectis vtriuſque vrbis cives hoc de eo perhonorificum apud Paulum teſtimonium perhibuerint. At hæc vt quivis videt, in puerilem ætatem nequaquam cadunt. Iam iſta a Paulo geſta eſſe ante annum Claudij Auguſti nonum ipſa Apoſtolicorum actuum ſeries oſtendit. Nam Lucas tertio ab hinc capite refert [p] Paulum, cum Athenis Corinthum veniſſet, quemdam iſtic Ponticum Iudæum, Aquilam nomine, reperiſſe; *Qui* (inquit) *NVPER venerat ab Italia, eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos Roma*; Illud autem editum conſtat ex Oroſio, [q] & alijs, Claudium anno ſui imperij nono feciſſe. Ergo cum Paulus in Aquilam incidit, annus

CAPVT XIX.

m *Halloix. de Oper. Dion. Q. 3. p. 576. col. 2.*

n *Act. 16. 2. 3*

o *ibid.*

p *Act. 18. 2.*

q *Oroſ. Hiſt. C. 7. c. 6.*

Caput XIX. nus vel nonus exibat, vel etiam decimus inibat. Hunc autem temporis articulum toto vt minimum triennio Timothei a Pauli miniſterium aſſumptio præceſſit, vt vel ipſa rerum hinc ad illum vſque ad Paulo geſtarum ſeries docet; Phrygia, Galatia, Myſia, Troas prædicatione luſtratæ? in Macedoniam illata Chriſti ſigna, conſtitutæque Philippis, Amphipoli, Apolloniæ, Theſſaloniæ, Beroeæ, nequicquam repugnante ac turbante Sathana, Eccleſiæ; Athenienſe vide iter, ibique promulgatum Evangelium, ac ipſa poſtremo Corinthiaca profectio. Hæc enim omnia Paulum postquam Timotheum comitem, & ſocium ſibi allegerat, ante peregiſſe, quàm in Aquilam incideret, Lucas duobus illis capitibus Decimo ſexto, & decimo ſeptimo, & initio decimi octavi tradit, quæ breviori quam triennij tempore geri potuiſſe nemo opinor dixerit. Atque ex his rationibus, quæ ſunt ab eruditiſſimo & amiciſſimo viro Ludovico Cappello [r] τῷ μακαρείτῃ ingenioſiſſime, ac veriſſime expoſitæ, annus, quo Timotheum Paulus expeditionum in Domino ſuarum comitem aſcivit, Claudij Imperatoris ſextus circiter fuit. Itaque eum hoc Claudij anno, illa, quæ nuper dicebamus, docent jam ævi ad res tantas obeundas, ſuaſque operas ad difficillimam expeditionem adjungendas, validi, & maturi fuiſſe, adeoque vix minorem annis viginti quinque. Hinc autem ad Neronis initia anni interceſſerunt ni fallor, octo. Erat ergo Timotheus cum Nero cæpit, annos jam triginta tres aut circiter natus. Concedamus anno D. 52. Claudij 10. (quod ſtatuit Baronius) converſum Athenis ad Chriſtum fuiſſe Dionyſium; Dionyſius tum natus fuerit annos 43. Timotheus vero annos 28. Inter 28. & 43. non eſt vt opinor, dupla, quod vult Halloixius, ratio. Quid ſi Dionyſius illa ætate, quam ei tribuunt, minor fuit? Nihil hoc ita eſſe vetat. (Neque enim vllius eſt ponderis illa, qua vna nituntur, Pſeudodionyſij ad Apollophanem Epiſtola, qua ſe annos 25. cum Chriſtus pateretur natum fuiſſe dicit.) Quid ſi etiam Timotheus vno aut altero quàm nos poſuimus anno provectior fuerit? Ita tribus Dionyſianæ ætati detractis annis, duobus Timotheanæ additis, reperietur Dionyſius anno Neronis primo quadragenarius, Timotheum non pluribus quàm decem annis ſuperaſſe. Neque aliud quicquam certi eſt, quo accurate exploremus verum inter dies vtriuſque natales diſcrimen. Nam quod Halloixius ex Pauli ad Timotheum verbis, [s] *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*, colligit, *Timotheum ſub Nerone adhuc adoleſcentem fuiſſe*; multipliciter in eo fallitur. Primo quod nulla ratione ſtatuat priorem Pauli ad Timotheum epiſtolam, in qua illa verba leguntur, ſub Nerone ſcriptam eſſe, quod falſum eſſe, & cum rebus ipſis ἀσύστατον liquido demonſtravit idem Cappellus noſter; [t] veriſque vicit anno Claudij 13. eſſe datam, id eſt a. D. 52. Sed illud quoque falſum eſt, quod putat, certe putare videtur Halloixius, non alium dici poſſe adoleſcentem, quam qui viginti annos, aut vnum aut alterum amplius natus ſit. Atqui Cicero [u] *Adoleſcentulum* ſe fuiſſe dicit, cum orationem pro Sexto Roſcio habuit; & tamen conſtat cum

r *Lud. Capp. Append. ad Hiſto. Apoſt. §. 5. p. 57 58.*

ſ *1. Tim. 4. 12.*

t *L. Capp. de ordin. Epiſt. paulin. vbi ſupr p. 74.*

u *Cicer. in Oratore p. 649.*

eam dixit, natum fuiſſe annos jam ſeptem & viginti. [x] Adoleſcentia apud Latinos, etiam provectiorem ætatem complectitur; vt hominem 28. imo etiam 30. annos natum, *adoleſcentem* tamen dici nihil vetet. Denique in eo etiam vel fallit, vel certe fallitur Halloixius, quod diſſimulat Paulum, quam interpres reddit *adoleſcentiam*, Græcè dixiſſe νεότητα *Iuventutem*, quod multo latius apud Græcos, quam *Adoleſcentiæ* nomen apud Latinos patet. Monuit ad eum locum Eſtius, [y] nequis impingeret; *Adoleſcentiam* (inquit) *dixit interpres* pro Iuventute; *quemadmodum Ambroſianum textum ſecuti verterunt Eraſmus, & alij: Iuventus autem extenditur vltra triginta annos, nequis ſuſpicetur Timotheum fuiſſe adoleſcentem viginti, aut circiter annorum, quando hæc ad eum ſcribebantur.* Νέον, vnde νεότης; Caſaubonus [z] multis probat exemplis eum Græcis dictum, qui annum triceſimum ſupergreſſus nondum quadrageſimum exceſſiſſet; Idque quod affert ex Polybio, exemplum liquido vincit, vbi Titum Flaminium dicit κομιδῆ νέον *Oppido juvenem*; quippe qui natus eſſet annos non plures quam triginta. καὶ τοὶ (inquit) νέος ἦν κομιδῆ γάρ τῶν τριάκοντα ἐτῶν οὐκ εἶχε. Vnde intelligimus Timotheum quo tempore prior Pauli ad eum data eſt Epiſtola (id eſt anno Claudij 13.) natum jam annos fuiſſe minimum triginta; quia ſcilicet jam tum νέος eſſet, & vere diceretur; νέος autem, & quidem κομιδῆ νέος *Oppido iuuenis* vere dici ex Græcæ linguæ vſu non poſſet, niſi annorum eſſet triginta. Vnde & illud ſequitur νέον ſimpliciter dici potuiſſe etiamſi annum jam egiſſet triceſimum quintum; quomodo Hieronem, cum eſſet eo ætatis provectus, idem Polybius νεον, imo κομιδῆ νέον *Oppido Iuvenem* in primo Hiſtoriarum vocavit, vt eſt a Caſaubono ibidem obſervatum. Ita ille Apoſtoli locus, qui vetat contemni *Timothei* νεότητα, Halloixium non modo nihil juvat, ſed etiam apertiſſime oppugnat. Nam ſi ſtatuamus (quod ex eo loco, & ex ijs quæ nuper ad Actorum caput decimum ſextum diximus, admodum probabile eſt) Timotheum anno Claudij 13. Domini 52. annos quinque & triginta natum fuiſſe; apparet Dionyſium ex ipſa Halloixij hypotheſi non pluribus quam octo annis majorem natu fuiſſe. Cum autem ea hypotheſis nullo, quod diximus, vero certoque fundamento nitatur; fieri denique poteſt vt vel ambo ætate pares fuerint, vel certe vt Dionyſius Timotheum triennio tantum, aut quadriennio ſuperaverit; quod ſi quis ſtatuere velit non puto habituros adverſarios, quo ejus ſententiam clare ac valide refellant. Nos vero donemus Dionyſium octo annis fuiſſe Timotheo majorem, An propterea hunc ab illo *filium* in libris ſalutari, & appellari decuit? Minime vero. Non enim alios eo nomine ſalutare ſolemus, quam eos quorum parentes ætate æquamus. Abſurdum ergo & a communi hominum more alienum fuit Timotheum a Dionyſio non pluribus quam octo annis minorem *filium* vocari, & id quidem eo abſurdius ac ſtultius cenſendum eſt quod Timotheum, quo tempore ita eum a Dionyſio appellatum fuiſſe fingunt, ſenem jam ipſum & annis gravem

CAPVT XIX.

x *Gellius Noct. att. L. 15 c. 28.*

y *Eſt. in 1. Tim. 4. 12.*

z *Caſaub. Exerc. in Baron. Appar. 1. §. 99. p. 154.*

Caput XIX.

gravem fuiſſe neceſſe ſit. Cum enim Halloixius fabuletur Dionyſium in Gallis hos libros & primo ſcripſiſſe & poſtea etiam recognoviſſe; in Gallias autem non veniſſe, niſi extremis demum Neronis temporibus, vno aut altero anno poſt factum Romæ a Petro Martyrium; apparet profecto vel ex iſtius figmentis Dionyſium, poſtquam procurandæ Gallorum Gentilium converſioni primos poſt adventum ſuum duodecim, aut tredecim annos impediſſet, ad ſcribendos libros ſecius animum convertiſſe, Tito vel Domitiano imperante. Quo tempore cum ex ijs, quæ diximus, Dionyſius annum ætatis ſeptuageſimum. Timotheus ſexageſimum eſſent egreſſi; nonne plane ridiculum erat hominem ſexagenario majorem *filium* ab altero pauculis annis majori ſalutari? Ergo ſi vel vnam iſtorum ætatem ſpectes, plane nulla ratio fuit, cur Timotheum Dionyſius *filij* nomine appellaverit; præſertim in libris ei inſcriptis; in quibus nihil temere aut inconſulto, aut ridicule, omnia vero graviter & ſapienter dicenda ſunt. Atque ex his altera quoque alibi ab Halloixio [a] allata huius obiectionis ſolutio refellitur, reſpondentis nomen παῖς in illis Areopagitici ſcriptoris locis non pro filio, ſed pro *puero* eſſe poſitum. Cum enim illo tempore, quo Halloixius hos libros in Gallia ſcriptos fuiſſe ſomniat, jam ſexagenarius eſſet Timotheus; quantæ eſt abſurditatis atque ſtultitiæ putare eum id ætatis ab homine ſanę mentis *puerum* fuiſſe vocitatum? Eo autem maior, ac intolerabilior eſt abſurditas, quod ſe ſcriptor apertiſſime, vt ſupra oſtendimus, prodat hos libros poſt annum Traiani 11. Domini 107. ſcripſiſſe; quo tempore Timotheus ſi adhuc vixiſſet, annos exegiſſet ex ſuperioribus rationibus minimùm nonaginta. Nonne bella res hominem nonagenario maiorem *puerum* a ſcriptore graui, ſerio neque ſemel appellari? Sed Halloixius ad myſtica, & allegorica confugit, docens omnes Chriſtianos in primitiva Eccleſia vocatos fuiſſe *pueros; ob morum ſcilicet ſimplicitatem & ſuauitatem; Epiſcopos vero & alios ſacris officijs deſtinatos* pueros *ſacros* dictos eſſe. Non vidit homo acutiſſimus, id quidem Chriſti diſcipulis ob eam quam dicit, ſimilitudinem Metaphorice tribui poſſe, quòd ſint pueri; non ideo fieri vt *pueri* nomen ſimpliciter, & abſolute poſitum qualiter apud ſcriptorem hunc de Timotheo non ſemel reperitur, Chriſtianum ſignificet. Ede quæſo, Halloixi, aliquem ſenſu modo communi præditum, ſcriptorem; qui ſe *de puerorum rebus aliquid narraturum* dixerit; vel *primos pueros fuiſſe Iudæos*, vel *Conſtantinum primum ex Imperatoribus Romanis religionem puerorum profeſſum eſſe; cum res Chriſtianorum, & primos Chriſtianos*, & *Chriſtianorum religionem* vellet ſignificare? Vides, quam ſtulta futura ſit eius, qui ſic loquatur, oratio? Atqui tu hanc ipſam ineptiam in tui Areopagitici ſermonem inducis, qui quod ille ſuum Timotheum alloquens *ὦ παῖ ô puer* Salutat, id ſic dictum eſſe vis, vt eum Chriſtianum fuiſſe ſimpliciter ſignificet. Quamquam ne hoc quidem intelligam, cur Timotheum compellans eo nomine donet, quod omnium Chriſtianorum, quotquot

[a] *Hall. de Dion. oper. Q. 2. p. 551. col. 1.*

quotquot vel jam erant, vel in poſterum futuri erant, commune eſt. In his enim appellationibus, ijs, quos alloquimur, aliquid vel eorum proprium tribuimus; vt cum ſuo eos nomine compellamus; vel certe pæne proprium; vt cum eos vel ab ætate deſignamus, quale illud eſt Antonij ad Octavianum, *& te ô puer, qui omnia eius nomini debes id agere vt iure damnatus ſit Dolabella*; vel a ſua aliqua nobiſcum coniunctione, vt cum eos *filios* dicimus. Vnde liquet *pueri* vocabulum in illis tui ſcriptoris locis, Timothei, vel ætatem; vel certe aliquam peculiarem cum eo qui ipſum alloquitur, conjunctionem ſignificare; quod vtrumque eſt, vt vides, ab eo, quem tu huic nomini tribuis, omnium Chriſtianorum communi ſenſu alienum. Sed *Clemens* (inquit) *Chriſtianos omnes puerorum nomine compellat in Pædagogo*, *Pædagogus autem noſter o vos pueri Deo Patri ſuo eſt ſimilis.* ἔοικε δὲ ὁ παιδαγωγὸς ἡμῶν, ὦ παῖδες ὑμεῖς, τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ θεῷ. Verum; Sed huic nihil cum tuo Dionyſio ſimile. Opus quidem ſuum Clemens nulli certo proprie homini; Tuus ſuum Timotheo nominatim inſcribit. Tuus ſimpliciter dicit ὦ παῖ, quo conſtat, ſubjecti (vt vocant) vice ei eſſe pueri nomen; Ille nomini παῖδες pronomen ὑμεῖς adjunxit, *o vos pueri*, quo demonſtrat *pueri* nomen *non ſubiectum* ſed *attributum* eſſe hujus ſui ſermonis, ac ſi dixiſſet, *O vos qui pueri eſtis*. Denique quod caput eſt, Clementis oratio clariſſime ſignificat, qui cuiuſque ſint illi pueri, quos dicit eſſe nimirum *Chriſti pueros*, qui *pædagogus* ille eſt, de quo verba facit Clemens. *Pædagogus noſter, o vos pueri, Deo Patri ſuo ſimilis eſt.* Nemo hæc audit, qui non ſtatim intelligat hunc pædagogi illius, quem nominat, *pueros* ſive tirones, & diſcipulos appellare; adeoque *puerorum* nomẽ metaphorice, ſiue myſtice vſurpare. In Areopagitico tuo nihil ſimile occurrit. Si eum, quem compellat, *Chriſti* vel *pædagogi cæleſtis puerum*, vel aliquid ſimile vocaret, plana eſſet & clara oratio. Nunc cum eum ſimpliciter *puerum* vocet, nil aliud in hominis ſani mentem venire poteſt, quam iſtum quiſquis eſt, de quo loquitur *puerum* non myſtice, ſed communiter ab eo intelligi, vel tenere, ac nondum ex ephebis egreſſæ ætatis aliquem; vel certe ſuum ſive natura, ſive diſciplina, ſive officio *Filium*, quorum cum nihil Timotheo a Dionyſio vere atque appoſite dici potuerit, vides tandem hæc ad Timotheum a tuo ſcriptore ſub Areopagitæ nomine ſtulte plane, atque inſcite dicta eſſe. Itaque ſi vel vnam Areopagitæ ætatem reſpexeris, illa ipſa ſatis nos docet nunquam iſta ab eo ſcripta eſſe. Quid ſi jam ſepoſita ætate, alia Timothei præ Dionyſio in Chriſto, & in Eccleſia eximia, & præcipua ſpectemus; quanto erit abſurdius illum ab hoc *filij* nomine ſalutari? Principio hoc Timotheus Dionyſio præſtabat, quod a teneris eſſet in Dei litteris diligenter eruditus; hic vero in idololatriæ impuriſſimo cæno eductus, & educatus; ille a matre & auia divinis ſacris a puero inſtitutus, matureque inde ad Chriſti fidem traductus, jam *bonum* a Chriſtianis *teſtimonium* haberet, cum hic adhuc in paganiſmi ſordibus volutaretur; ille toto minime triennio in

CAPVT XIX.

b *Apud C. c. Philip. 13. p. 513*

c *Clem. Alex. pæd L. 1. cad. 2. init.*

CAPVT XIX. Pauli contubernio non ſine gloria militaſſet, cum iſte a Paulo fidei rudimenta primum accepit. Scimus quanti apud veteres Chriſtianos fuerit alium alio priorem Evangelio nomen dediſſe, natuque vt ſic dicam, in Domino majorem eſſe, idque vel ex Paulo diſcere poſſumus, qui honorifice ſalutans *Andronicum*, & *Iuniam, Cognatos, & concaptivos ſuos*, d *Rom.* 16.7. & in Apoſtolis nobiles, hoc poſtremo adjecit, quod ij *etiam antè ſe fuiſſent in Chriſto*. Cujus ergo pudoris erat, aut verecundiæ Dionyſium, eum qui ſe in Domini fide tanto erat anterior, *filium* vocare? Ea demum ſi ex uero res æſtimetur, nativitas noſtra cenſenda eſt, qua Dei filij ſimus. Qui prior in hunc cenſum venit, is vetuſtior eſt. Neque alius erat veterum piorum ſenſus; qui ſe tum demum vixiſſe reputabant, cum Chriſti lucem hauſiſſent; anteactam in impietate vitam pro nihilo, imo pro morte habebant. Itaque ſi vel centenarius fuiſſet Dionyſius, quo tempore Chriſto nomen dedit, ne ſic quidem Timotheo aliquot ante ſe annis Chriſtiano non junior erat cenſendus. Eum vero, quo ſis junior, *filium* a te appellari; quis non dementis eſſe putet? Huc accedit, quod Timotheum non modo priorem Dionyſio in Chriſto fuiſſe certiſſime conſtat; ſed & ejus in Domino generationi, ac nativitati aliquid operę impendiſſe veri videtur ſimillimum. Nam Paulus, cum primum in Dionyſij animum Evangelij ſemen ſparſit, atque immiſit, Silam e *Act* 17.15. & Timotheum ſuos cooperarios paulo ante Beroæ relictos Athenis exſpectabat; repetitis mandatis juſſos ad ſe quam celeriter venire. Quis dubitet eos incunctanter optimo ſuo, cariſſimoque pręceptori, ac duci paruiſſe? Athenas veniſſe? Et quod ſequitur, operi quod ab illo inchoatum invenerunt, manum ipſos quoque pro ſuo more, ac inſtituto admoviſſe, Dionyſiumque, & alios, qui Apoſtolo concionanti primulum crediderant, & adhæſerant, plenius ac diligentius fidei myſteriis imbutos poſtremo Sacro baptiſmo conſignaſſe? Hæc enim ita adminiſtrare ſolitum Paulum & rationi conſentaneum eſt, & ipſe ſatis ſignificat, cum ſcribit ſe Corinthiorum, quos omnes Chriſto lucri fecerat, pauciſſimos tamen baptizaſſe; ſeque a Chriſto ad *evangelizandum*, non ad *baptizandum* miſſum eſſe profitetur, & cum Paulo poſt ſuum & Apollo ſui cooperarij, laborem ita partitur, vt *ſe plantaſſe, Apollo rigaſſe* f 1. *Cor.* 1.14. 15.16.17. 1. *Cor.* 3.6. *dicat*. [f] Iam ſi hoc quod vt patet, veriſimillimum eſt, verum eſt; nemo non videt Timotheo quidem licuiſſe Dionyſium, quem Chriſti lavacro regeneraſſet, *filium* quamlibet ſe in carne maiorem natu non indecore appellare; Dionyſium vero id ſuo in Chriſto initiatori, & baptiſtæ nominis dare, abſurdiſſimum, & ab omnibus honeſti ac decori legibus alienum fuiſſe. Sed iam Timothei in Eccleſia dignitatem ſpectemus. Ille Chriſti miniſter & Pauli ſocius, ac collega aliquot ante annis iam & erat, & audiebat, quam Dionyſius Chriſtianus fieret. Evangeliſtarum autem, quod ille in Eccleſia munus gerebat præ cæteris omnibus divinis miniſteriis (excepto Apoſtolorum, & prophetarum ordine) excellentiam, & Paulus ſignificat, dum Evangeliſtas poſt hos ſtatim ante paſto-

res, &

res, & doctores recenſet, [g] & ex plurimis Novi Teſtamenti locis hiſtoricis licet colligere,in quibus hunc videmus nulli Epiſcoporum inſtar, certo loco affixum varias veluti quemdam ſecundarium Apoſtolum,provincias obire, Eccleſijs per orbem Romanum ſparſis pro ſingularum vſu præeſſe, Paulo in prædicatione, in peregrinationibus, in vinculis adeſſe ac miniſtrare,Epiſcoporum per loca ordinationi proſpicere,eamque adminiſtrare. Ergo Timothei dignitas omni presbyterorum,& Epiſcoporum apice celſior, ac potior fuit. Neque negant adverſarii, qui eum Epheſi Epiſcopum, Aſiæque adeò totius, nobiliſſimæ prouinciæ, cuius illa vrbs caput fuit metropolitanum antiſtitem fuiſſe ſibi perſuadent, de Dionyſio nihil tale accepimus; Epiſcopum Athenarum fuiſſe ſcimus; Pauli ſocium, ac (vt ſic dicam) *Optionem* fuiſſe; aliquid præter Athenas ſuas curaſſe, vel metropolitæ jure ac nomine gauiſum eſſe;ex veris quidem, certiſque nunquam audivimus. Nunc ergo cum illud, quod a Baronio præſtructum exhibuimus, veriſſimum eſſe ex omnibus veterum Epiſcoporum litteris, a quo Chriſtianorum nomen eſt,conſtet, nimirum *Epiſcopos Coëpiſcopum aliquem ſuum fratrem,non filium,nominare conſueviſſe*;Spectat quæſo, quantæ id futurum fuerit,impudentiæ,vt Timotheum,veterum non modo Epheſi Epiſcopum,ſed Aſiæ totius metropolitam, Dionyſius recentior Athenarum Epiſcopus, Pauli collegam eiuſdem Neophytus, *filium* appellaret? ſeque ei hoc nomine non obſcure præponeret, quo erat omni fere ex parte inferior? Si quis nunc,non dico Epiſcopus,ſed Metropolites, vel patriarcha Papam *filium* ad eum ſcribens, ſalutaret; ſi Metropolitam aliquis de vicina provincia Epiſcopus; ſi Epiſcopum aliquis de alia parœcia presbyter illo nomine compellarent;indignarentur credo, Latini noſtri; virique vel ſuperbiam,ac contumaciam increparent,vel certe ſtultitiam,ac ruſticitatem irriderent.Atqui Timothei in Eccleſia dignitas ſupra Dionyſii in eadem honorem,non multo minor fuit,quam nunc eſt vel Epiſcopi ſupra presbyterum, vel Metropolitæ ſupra Epiſcopum,vel ipſius Papæ(ex multorum quidem certe adverſariorum iudicio) ſupra Metropolitam. *Fratris*, quamquam multo civilius ac modeſtius nomen, Cyprianum & alios Romano Epiſcopo detuliſſe iſtarum partium non pauci ægre ferunt.Quid facerent,ſi eum illi *filium* ſalutaſſe noſcerentur? Id vero nunquam illi meliorum temporum Chriſtiani antiſtites, non dico in Romanum, ſed ne in tenuiſſimarum quidem civitatum Epiſcopos vſurparunt. Neque vllum ab Halloixio, & cæteris, allatum in contrariam partem exemplum video. Concluſum ergo eſto fieri non potuiſſe vt Areopagita qui & hunc Eccleſiæ morem norat, & modeſtiſſimus, ac ſanctiſſimus erat,*filij* nomine Timotheum præter omne ius,omnemque rationem & vſum ad eum ſcribens compellaret. Horum plæraque Morinus quoque in Areopagiticum intorſerat: *Quis* (inquit) *legit Epiſcopum alteri Epiſcopo publice ſcribentem filium eum vocare?* Tum;*Certum eſt* (inquit) *ex Act.*16.*Timotheum*

CAPVT XIX.

g *Eph.*4.11.

Morin. de Ordin. Par. 2.c.5. §.4. *p.*43.

Caput XIX. *ante Dionyſium multis annis Chriſtiana religione imbutum fuiſſe. Quo iure, qua traditione fretus ſeniorem in religione & paternitate Chriſtiana, filium perpetuo vocat? Præterea cum hæc ſcribebat Dionyſius, vt probatum ſupra, erat centenario major, Timotheuſque tum erat illi aut ætate æqualis, aut annum ſuperabat nonageſimum, Senem igitur decrepitum, & Epiſcopum religionis ætate ſe maiorem non aliter, quam filiolum vocabat!* Neque contra quicquam valent, quæ ſecundo loco Halloixius attulit; *Timotheo Dionyſium pro Magiſtro fuiſſe in philoſophia, & ſæculi diſciplina, cuius ille rudior erat, atque etiam in ſubtiliore Theologia.* Primo hæc vana ſunt; quæ iſte a nullo idoneo auctore accepta temerè effutit. Quęſo enim quis verus certuſque de prima antiquitate ſcriptor vel Dionyſium philoſophiam & ſæculi diſciplinas egregie calluiſſe tradit, vel Timotheum iſtarum artium rudem & expertem fuiſſe, vel hunc ab illo in iis rebus inſtitutum profeciſſe, vel etiam inſtituti expetiviſſe? Somnia ſunt omnia; quæ non aliunde quam ab his ipſis libris hauſit Halloixius, quorum nos nativitatem & abunde iam demonſtravimus, & deinceps Deo dante, clarius etiam demonſtraturi ſumus. Vero propius putem iſta Timotheum ſive ſcivit, ſive neſcivit, cōtempſiſſe; & a Dionyſio, ſi in iis excelluit, flagitaſſe, non vt ſe in iis (quod affirmat Halloixius) vel erudiret, vel plenius inſtitueret, ſed vt ea ſecum ipſe omnia nihil faceret; ac

h Phil. 3.8. [h] *vt ſtercora arbitraretur, Chriſtumque vnum,* & quidem *crucifixum,* communis præceptoris Pauli exemplo, *ſibi noſcendum eſſe, indicaret.*

i 1. Cor. 2.2. [i] Subtiliorem vero illam, quam Halloixius dicat *Theologiam*, equidem haud ſatis ſcio, hoc ſcio, qui Pauli Theologiam didiciſſet, eum illam alteram *ſubtiliorem* non fuiſſe deſideraturum. Cum enim Paulus ſuos diſcipulos ſic *in omni ſapientia doceret, vt eos omnes exhiberet perfectos in*

k Col. 1. 28. *Chriſto Ieſu:* [k] cumque iis inſuper in manus traderet omnem illam *divinitus inſpiratam ſcripturam, quæ poſſet ipſos inſtruere ad ſalutem & Dei etiam homines,* ſive *miniſtros ita* erudire *vt perfecti ſint, & ad omne bo-*

l 2. Tim. 3. 15. 16. 17. *num opus inſtructi;* [l] Timotheo in huius viri ſchola inſtituto, non video, quid Dionyſii ſubtilitas conferre præterea potuerit. Sed fac iſta, quæ garrit Halloixius, tam eſſe vera, quam futilia ſunt; quid? Dionyſium-nè decuit ſe ſupra Timotheum ideo efferre, quod ei pueriles de vaniſſima ſæculi literatura nugas expoſuiſset, & neſcio quas de Theologia ſubtilitates aperuiſset, quas inanes ac ſupervacaneas hoc ipſo eſse intelligebat, quod ſibi non fuiſsent a Paulo traditæ? An tantillam ob rem ius fuit illum ſupercilia attollere, criſtaſque erigere; & eum qui antè ſe; non modo in Chriſto natus eſset, ſed etiam in Eccleſia ampliſſimum munus geſſiſset, & adhuc etiamnum gereret, velut vnum de ſua familia cenſere, filiumque ſalutare? Si a quo hæc didiciſset Timotheus, eum ipſe *patrem* vocaret, ferremus, & modeſtiam, & gratum in eos, quicumque de ſe vel leviſſimis officiis bene meriti eſsent, animum laudaremus. Nunc quis ferat iſtum ſua illa officiola tanti ipſum facere, vt *Patris* nomen, & ius in virum excellentiſſimum ac ſe in cæteris maio-

rem,

rem, ſibi propterea arroget? Apage hanc a Dionyſio, viro optimo, ac laudatiſſimo, immodeſtiam. In ejus mores tanta præſumptio non cadit. CAPVT XIX.

Ad cætera, quæ his tertio loco Halloixius adjecit, equidem cohorrui; merito, vt mihi videtur, iſti ſuccenſens, quem inſanum ſui illius Areopagitici ſcriptoris ſtudium ita dementavit, vt quo hunc efferat, Timotheum de illo gloriæ faſtigio exturbare, ac dejicere non dubitet, ad quam olim evectus erat, quæque ei apud vniverſam Dei Eccleſiam hactenus illibata manſerat. Scribit enim Ieſuita [m] *illum virum natura timidum, & puſillanimem fuiſſe; & mox ad res magnas animi interdum puſilli, & duce atque incitatore indigentis*; eo Dionyſium illi Patrem præficit, a quo *non tantum ſcientiam, ſed etiam virtutem, & conſtantiam doceatur*; & illud ſcilicet de poëtæ literis, ſibi accinentem humilis audiat,

Diſce puer, virtutem ex me, verumque laborem.

Quin & Timotheum ſupra, vbi ijſdem floribus conſpergit, affirmat [n] *Ingenio*, atque animo tam puſillo, tamque timido fuiſſe, vt non vereatur vaticinari. *Eum onus pontificium ſi per Paulum licuiſſet, perlibenter depoſiturum fuiſſe.* Quid in ſanctum virum indignius, vel a Chriſtianæ religionis hoſtibus dici potuit? Nos, quamquam talia recitaſse, refutaſſe ſit, reſpondemus tamen Halloixium de Timotheo modeſtius, ac verecundius debuiſſe & ſentire, & loqui; & illius meminiſſe, quod Irenæus a præbytero quodam, virorum Apoſtolorum diſcipulo, ſe audiviſſe tradit; [o] *Non debemus* (inquiebat ille ſenior) *ſuperbi eſſe, neque reprehendere veteres; quibus ſufficere ſupra dixerat,* [p] *eā quæ ex ſcripturis eſſet, correptionem* Hoc enim ſapiens ſenioris monitum ſi Halloixius probe expendiſſet, facile intellexiſſet quantæ ſuperbiæ ſit Timotheum timiditatis, & puſilli animi accuſare, quem nuſquam apud ſcripturas de hujuſmodi peccatis correptum fuiſſe reperimus tam multis in locis, vbi ejus paſſim fit mentio. Huic vero Halloixij, ſane impudenti de viro ſancto calumniæ, ſcriptura non modo non favet; ſed etiam apertiſſime adverſatur. Nullum enim reperimus, cui divini ſcriptores plura, quam iſti, majoraque pietatis, virtutis ac zeli teſtimonia reddiderint. Hunc Paulus veraciſſimus Chriſti ſervus, *filium ſuum* [a] paſſim ſexcenties vocat; & quidem *dilectum in fide,* [b] *cariſſimum,* [c] & *fidelem in Domino ſecum in Evangelio, ſicut cum patre filium ſervientem;* [d] *alibi fratrem,* [e] *adjutorem ſuum,* [f] *ſervum Jeſu Chriſti,* [g] *miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti.* [h] Hunc tanti fecit, vt duas ad eum epiſtolas ſcripſerit, & quidem poſteriorem inſtante martyrio, veluti teſtamentum ſuum apud hunc depoſiturus; in æternis ſex aliarum titulis, quarum quinque ſunt ad ampliſſimas Corinthiorum, Philippenſium, Coloſſenſium, & Teſſalonicenſium Eccleſias perſcriptæ, ſexta ad Philemonem, Timothei nomen ſuo pæne æquatum fulgere voluerit; quod Bivarius ſupra merito obſervabat, veluti rem glorioſiſſimam, quæque paucis, præter hunc,

m *Halloix. de Dion. oper. Q. 3. p. 576.*

n *Id. ibid. Q. 2. p. 531. col. 2.*

o *Iren. l. 4. c. 45. p. 385. 6.*

p *Ibid. p. 384. 6*

a 1 *Tim.* 1. 18. & 2. *Tim.* 2. 1.

b 1. *Tim.* 1. 2.

c *Tim.* 1. 2.

d 1. *Cor.* 4. 17. *Phil.* 2. 22.

e 2. *Cor.* 1. 1. *Col.* 1. 1. 1. *Theſſ.* 3. 2 *Hebr.* 13. 22.

f *Pailem.* 1. *Rom.* 16. 21.

g *Phil.* 1. 1.

h 1. *Theſſ.* 3. 2.

Caput XIX.

alijs contigit. Quid illam Apoſtoli tam ſollicitam de hujus viri incolumitate, ac honore curam dicam, qua eum enixe Corinthijs commendat? *Si venerit* (inquit) *Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos; opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Nequis ergo illum Spernat, deducite autem illum in pace.* [i] Sed nihil ne fingi quidem poteſt, eo elogio majus, ac luculentius; quo Timotheum alibi ornavit, cæteriſque omnibus ſocijs, & adiutoribus ſuis apertiſſime prætulit; cum de eo ad Philippenſes mittendo verba faciens; *Neminem enim* (inquit) *habeo tam vnanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit.* [k] Tum; *Experimentum eius cognoſcite, quia ſicut patri filius, mecum ſervit in Evangelio.* Quo loco illud in primis notandum, quod eum dicit ἰσόψυχον, id eſt animo ſuo parem, ejuſdem ſecum animi, inſtar animæ ſuæ, alteram animam ſuam; quod Cyrus expreſſit *vt animam.* Abſit vero, vt Paulum hæc tot tantoque in amici gratiam, non quod ita revera ſentiret, ſed quod eum alijs commendaret, ſcripſiſſe putemus; quod nobis ſuggerit Halloixius, [l] ſed non perſuadet. Multo facilius eſt Timothei Halloixium calumniatorē, quam Paulum adulatorem fuiſſe credere. Sed & ita revera judicaſſe Apoſtolum, res ipſa loquitur. Siquid enim occurreret difficile, & arduum, & quod virum præcipuæ virtutis deſideraret, videmus eum in talibus nullius magis, quam Timothei miniſterium adhibuiſſe. Magno erat Corinthiorum Eccleſia in diſcrimine, inter vanas, variaſque vel falſorum, vel ambitioſorum hominum opiniones miſerabiliter fluctuans. Paulus, qui adeſſe ipſe Periclitantibus non poſſet, nihil habuit antiquius, quam vt Timotheum ad eos mitteret; [m] *Qui vos* (inquit) *commonefaciat vias meas, quæ ſunt in Chriſto Ieſu*, id eſt qui vobis mei loco ſit. Epheſios quoque fideles Iudaici generis, & ſpiritus turbones inquietabant. Vrbe Paulus ob Maximum, quod ab Ethnicorum perſecutione ingruebat, periculum, diſcedere coactus, Timotheum apud eos reliquit, [n] paremque tantis ab vtroque Domeſtico, & externo, hoſte certaminibus exiſtimavit. Laborabat Grex Philippenſium ſeductoribus & paſſim alibi, & iſtic in primis per Apoſtoli apud Romam pro Chriſto captiui abſentiam graſſantibus. Illuc quoque Timotheum quamprimum mittere decrevit. [o] Theſſalonicēſes a contribulibus ſuis immaniter ob Evangelium vexabantur & aſſidua perſecutione premebantur. Paulus de gravi Eccleſiæ periculo ſollicitus hunc ipſum Timotheum ſtatim mittit [p] *ad eos confirmandos, & exhortandos pro fide ſua, vt nemo moveretur in tribulationibus iſtis.* Poſſet ne Halloixij de Timotheo calumnia luculentius, quam hoc Pauli iudicio refelli? Quem ille *Ingenio animoque ſatis puſillum, ac perquam timidum fuiſſe* pronunciat, eūm hic in medias perſecutiones immittit; Quem ille *duce atque incitatore* ipſum opus habuiſſe iudicat; eum hic non modo ad crucem ferendam, ſed etiam ad alios in tribulationibus *confirmandos, ac exhortandos*, nequis ijs moveretur, ſatis validum, ſatiſque fortem arbitratur. Vtri de Timotheo credemus Paulo, an Halloixio? Par eſt alterius cuiuſdam loci ratio. Paulus Romæ in Neronis

i 1. Cor. 16. 10.
k Philipp. 2. 20. 22.
l Hall. vb. ſup. p. 576. col. 2. extr.
m 1. Cor. 4. 17.
n 1. Tim. 1. 3. 4.
o Phil. 3. 19.
p 1. Theſſ. 2. 14. & 3. 2. 3.

Neronis vinculis cauſam jam ſemel de capite ſuo dixerat; ac de eventu ſecurus, qui inſtabat ſuæ reſolutionis, diem breui delibandus expectabat. Fidelibus tantum magiſtrum propediem amiſſuris providendum erat, nequid eorum fides acerbiſſimo caſu turbata labefactaretur. Ille ad hæc Neronianæ crudelitatis ſpectaculum, ad has ſuſtinendas Eccleſiæ impēdentes ruinas, hunc quoque Timotheum invitat; & quidem *feſtinare*,[q] & ad ſe *cito venire* iterum atque iterum jubet. Quid hoc, ſi Halloixio credimus, Apoſtoli conſilio ſtultius? Qui ceruum invitat ad prælium, & ad erigendos fideliū Romanorum in hac trepidatione animos, ducem *animi puſilli, ac perquam timidi* acceſſit? quem Pauli ſui voce, atque ore orbatum Areopagitico columine niti, ne ipſe ruat neceſſe ſit? Nedum vt alios vel nutantes firmare, vel lapſos erigere idoneus ſit? At nos Paulum ſapuiſſe, neque hoc neque aliud quicquam, niſi conſulto, prudenterque feciſſe ſcimus. Ergo calumniatur Halloixius, qui Timotheum puſillanimem, ac perquam timidum fuiſſe fingit. Sed jam ipſam viri vitam, vt eſt a Luca, & Paulo memoriæ mandata inſpiciamus. Paulus, cum eum Lyſtris offēdiſset, dignum eſse judicavit, quem ſecum aſſumeret, & expeditionum, laborum, periculorum, certaminum, perſecutionum, cædium, ac mortium (vt ſic dicam) ſuarum comitem, ac ſocium haberet.[r] Neque id ex ſua vnius ſententia; ſed ex fratrum Lyſtrenſium, ac Iconienſium teſtimonio judicauit. Fidem tuam, Halloixi putaſ-ne hanc tam difficilem, tamque arduam, ac terribilem provinciam ei homini tradituros fuiſſe, quem puſilli & ad res magnas infirmi animi eſse putaſsent? Quem non magno, & in Domino forti animo eſse ſperaſsent? Quid ipſe, qui ſui ſibi animi erat conſcius, ſubjiſset-ne onus, quod tu eum *perlibenter fuiſſe depoſiturum* affirmas? Atqui ſubjit, & conſtanter pertulit. Ecce ſtatim grave & acerbum circumciſionis vulnus volens ſibi infligi paſsus eſt meticuloſus ille, quod tu vis, ac delicatus, planeque degener Pauli filius; & quidem nulla, quod ad pietatem & ſalutem ſuam pertinebat, neceſſitate; ea tantum gratia, ne præputium ſuum hominibus Iudæis eſset offendiculo. Sed & eundem poſtea non hominum, ſed Dei ipſius judicio in Sacro Miniſterio ordinatum fuiſse Paulus docet, cum *datam illi manuum presbyterij impoſitione gratiam*, dicit[s] *datam fuiſſe per prophetiam*, cumque alibi *prophetias* memorat quæ *in eum præceſſerant*. Deus autem quos ad opus ipſe ſuum extra ordinem mittit, eos neceſsarijs ad opus donis, ac inprimis ſuo illo ſpiritu inſtruit, quem ibidem Paulus negat[t] *Timoris* eſse *ſpiritum*. Cæterum Timotheus ſemel vocatus, & aſſumptus Paulum inde Magiſtrum Chriſto ſuo per mille pericula ſervientem impiger, ac intrepidus ſequitur, in Aſia, in Macedonia, in Græcia; hunc vbique Pauli lateri affixum videmus, ne Italicam quidem navigationem, Romanamque priorem catenam exhorruit. At hæſiſse Paulo, & in itinere, & in vinculis conſtat; neque vnquam

pedem

CAPVT XIX.

q 2.*Tim.* 4.6. 8.21.

r *Act.*16. *init.*

s 1.*Tim.* 4. 14. & 1.18.

t 1.*Tim.*1.7.

CAPVT XIX.

pedem retro flexiſse; & ipſum etiam ſeorſum ob Chriſti fidem vinctum fuiſse. [v] Mirificum hominem Halloixium eſse neceſse eſt, qui eum virum, de quo hæc omnia in ipſis divinorum librorum tabulis conſcripta conſignataque leguntur, non modò ſibi perſuadere potuit *ſatis puſilli & perquam timidi*, ac ejus denique fuiſſe, *qui ſacri miniſterij onus perlibenter depoſiturus fuerit*, niſi Pauli obſtitiſset auctoritas; ſed inſuper etiam *miretur*, [x] quod Bivarius *ſuus ex Pauli Epiſtolis, & ex Ioannis Apocalypſi non didicerit* hunc, quem ipſe dicit, revera fuiſse Timotheum. Sed de Apocalypſi fruſtra monet, in qua de Timotheo nullum extat verbum. Qui in ea memoratur Eccleſiæ Epheſinæ Angelus, eum Timotheum fuiſe, vana eſt Halloixij hariolatio; ex ſolo hujus in Areopagiticas fabulas ſtudio nata. Quam vero puſillum nobis Timothei animum exhibeant Pauli Epiſtolæ, ſatis ni fallor, nunc patet. Ergo cum demonſtratum ſit Timothei eam neque ætatem, neque diſciplinam, neque vitam fuiſſe, quæ illum a Dionyſio pro *filio* haberi, *filiumve* ſalutari ac compellari ſineret; apparet illis Bivarij vocibus, in quibus Halloixius *modeſtiam* deſiderabat, veritatem quidem certe minimè deeſſe, cum *ſanæ mentis* quemquam *ſibi perſuaſurum* negat, *Dionyſium filij nomine vnquam Timotheum Pauli ſe antiquiorem diſcipulum vocitaſſe*. Id vero cum & Baronius, & Bivarius putent, & nos abunde confirmaverimus, abſurdum eſse & incredibile; illud denique poſtremo, quod nos initio diximus, confitendum eſt, hunc noſtrum Areopagiticorum ſcriptorem, qui Timotheum ita non ſemel appellat, non modo non eſse eum, quem ſe eſse mentitur, Areopagitam; ſed ne eſse quidem in ea, quam exercere ipſi placuit, mentiendi ac fingendi arte, ſatis dextrum ac felicem, qui hoc a veri ſpecie, decorique rationibus tam abhorrens figmentum ſuo operi indere non dubitaverit.

v *Hebr.* 3. 23.

x *Hall. de Dion. opes Q.* 3 *p.* 576. *col.* 2. *extr.*

CAPVT XX.

CAPVT XX.

Argumentum XI. & XII. inde ductum, quod ſcriptor perperam & indecore finxerit Timotheum a Dionyſio, id eſt (vt volunt adverſarij) Archiepiſcopum ab Epiſcopo, veteranum a tirone moneri, & anxie juberi, ne ſacra apud profanos efferat; item ne profanorum contemptu, & irriſionibus moueatur. XIII. argumentum, quod pari laboret ineptia, quod nobiliſſimus Dei ſeruus Titus apud ſcriptorem inducitur petens, vt ſibi, vetuſtiori Pauli diſcipulo, Dionyſius recentior exponat quis ſit in ſcripturis Dei *ſomnus XIV. quod ſcriptor abſurde fingit Dionyſium Ioanni in* Patmo *exulanti ea elogia tribuere, quæ poſt illud tantum exilium meruit, & quod illum vnum alloquens plurali numero compellet. Argumentum XV. quod quæ ſcriptor de Apoſtolorum & aliorum ad viſendum B. Mariæ corpus conuentu narrat, ea quoque* κακόπλαστα *videantur. XVI. quod ſcriptor abſurde fingit quandam Clementis Philoſophi* ῥῆσιν *a Dionyſio laudari, ante mortuo quam Clemens illa, quæ laudat, ſcripſiſſet.*

SEd & alia quædam idem demonſtrant ejuſdem ſcriptoris de eodem genere peccata, quæ Græci κακόπλαστα, id eſt male & perperam ficta vocant. Quale illud eſt, a Morino obſeruatum, * quod ab ipſo ſtatim operis de Hierarchia Eccleſiaſtica ſui limine noſter Timotheum ſeriò ac ſeuerè monet, ne ſacrorum myſteria hominibus nondum initiatis reuelet; Sed *vide*, (inquit) *ne Sancta Sanctorum foras proferas, aut irreverenter habeas; quin potius arcana Dei revereberis, ac ſpiritualibus inaſpectabilibusque notionibus celebrabis, inacceſſa quidem profanis illa, & intacta reſeruando; ſolis vero Sanctis cum Sacra quadam, vti fas eſt, claritate res ſacras communicando.* Item in alio opere; [z] *Hæc te* (inquit) *ſeruare oportet*, vel *decet optime Timothee.* Ἐπὶ μὲν οὖν ταῦτα φυλάξαι χρεὼν ὦ καλὲ Τιμόθεε, *iuxta ſacratiſſimam Sanctionem, ne res divinas coram profanis* (id eſt non initiatis ἀμυήτοις) *efferas aut euulges.* Hoc illi arcanum cordi fuit inprimis. Nam & alibi eum non piguit eundem Timotheum de re eadem rurſum obtundere. [a] *Hæc autem vide* (inquit) *nequis eorum audiat, qui non ſunt initiati.* Alibi cum ſe a Timotheo monitum fuiſſe dixiſſet, quod ritus baptiſmi infantibus miniſtrandi irrideretur, eundem grauiſſime vetat his commoueri vehementius; [b] *Verum* (inquit) *non oportet tuam ſanctam prudentiam errantibus indignari, ſed religioſe ad eorum inſtitutionem cum caritate rationem reddere, & obiectiones eorum ſoluere.* Δεῖ δὲ τὴν σὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν

* *Morin. de Ordin. Part.* 2. c.5 § 5.
y *Dion. Hier. Eccl.* c.1. *init.* p.196.B.
z *Id. de diuin. nom.* 1.1.§.8. p. 386.C.
a *Id. de Myſt. Theol.* c.1.§.2. *init.*
b *Id. de Hier. Eccl.* c.7. §.11. p.361. *A.*

CAPVT XX.

μὴ χαλεπαίνειν ἐπὶ τοῖς πεπλανημένοις; & quæ ſequuntur. Nondum de noto, quod duos ritus, diù poſt Apoſtolorum tempora exortos, Dionyſiano jam tempore in Eccleſia ſolennes fuiſſe fingit. Donemus tantiſper quod iſte videri vult ab ipſis Apoſtolis traditos, & Chriſtianis jam tum & vſitatos fuiſſe; annon indecorum, & ineptum eſt hūc Timotheo, veterano tironem, Metropolitę Epiſcopum ea præcipere, quæ ſi in vſu ab initio erant, ille non modo didicerat & obſeruarat, ſed etiam alios aliquot annis antè docuerat, quam hic in Chriſtum crediſſet? Veluti ſiquis hodie vel presbyter Epiſcopum, vel Epiſcopus Metropolitam, & quidem ſe vetuſtiorem de Miſſarum ritibus doceat; in quem ſi quid hujuſmodi præſumat, non dubito quin ſtatim vulgare illud verbum ſint reiecturi, *Sus mineruam*. Neque uero ſimpliciter, ſed crebro & ſollicite Areopagiticus de iſtis præcipit; veluti metueret ne Timotheus ſua iſta myſteria profanis proderet; [c] Ἀλλ᾽ ὅρα (inquit) ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, & iterum, τούτων δὲ ὅρα ὅπως μηδεὶς τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ, Hoc profectò tam ſæpe tamque anxie monere, hominis eſt Timothei vel ſapientiæ, vel religioni diffidentis, quaſi id vel nondum ſciret, vel etiam ſi ſciret, obſeruare tamen præ animi ſui infirmitate non valeret, quod quam ſit tanti viri pietate ac exiſtimatione dignum, omnes vident. Ipſe ſcriptor melius ſe de Timotheo ſentire aliquando teſtatus erat, cum diceret, [d] *ſe ſacroſanctis eius pactionibus perſuaſum eſſe*, quod ſacra non alijs, quam ijs, qui digni eſſent, communicaturus eſſet. Hinc iſtius orationi conſentaneum non videtur, quod nunc toties, tamque diligenter Timotheo hoc de non efferendis, uel profanandis ſacris præceptum in memoriam reuocat. Etiam aliquanto eſt indignius, quod iſte jubet, ne Timotheus profanorum ludibria, & ſacrorum noſtrorum iriſionem grauiter aut moleſtè ferat; quaſi uero verendum fuerit ne vir ſanctiſſimus iſtis turbaretur. Cum eo plane, veluti cum puero agit, uel certè cum homine rudi, & ὀψιμαθεῖ, neque dum ſatis in fide confirmato; quod quam ſit tum Timothei ſapientia, pietate, grauitate, officio, ac ætate (erat enim ſexagenarius, cum hæc Latini ſcripta fuiſſe volunt) tum Dionyſij pudore, ac modeſtia indignum, omnes ſatis, vt opinor, intelligunt, vt iſtum quiſquis eſt, qui hæc ſcripſit, alium a Dionyſio fuiſſe neceſſe ſit. Eodem quoque pertinet, quod a Morino eſt notatum, ſcriptorem hunc alicubi dicere (libro ſcilicet de divinis Nominibus, cap. 3.) a Timotheo non potuiſſe intelligi librum, quem de Theologicis elementis Hierotheus ſcripſerat, & ideo librum ad ſe remiſiſſe, vt illum explanaret. *At* (inquit Morinus) *quis adeo emotæ mentis eſt, vt hoc de primario Pauli Apoſtoli diſcipulo credat? nimirum eum fuiſſe adeo ſtupidum, vt Hierothei elementa Theologica capere non poſſet?* Sed neque vel publicæ Chriſtianorum, vel Dionyſij propriæ de Titi ſapientia, ac in diuinis profectu exiſtimationi ſatis id mihi congruere videtur, quod hic noſter Areopagiticus ad virum illum inter Apoſtolorum cooperarios, ac commilitones laudatiſſimum ſcribens, poſtquam quæ-

dam

c *Ibid.*

d *Id. de Hier. Eccl. c.* 1 §. 5. *extr.*

Morin. de Ordin. Part. 2. *c.* 5. *p.* 43.

dam alia executus eſt, ita pergit; [e] *Adhuc (* inquit *) poſtulabis ſat ſcio, explicari tibi celebrem illum Dei ſomnum, & evigilationem.* Quaſi vero eximius ille, & Pauli auditor, & multarum Eccleſiarum inſtitutor, id neſcierit, quod etiam Theologiæ tirones ſciunt, vt neceſſe fuerit eum horum tam difficilium myſteriorum expoſitionem ab Areopagita expetere, & expectare.

CAPVT. XX.

e *Dion. Epiſt. 9. ad Tit. p.* 805.6.

Apud eundem ſcriptorem habetur Dionyſij ad Ioannem Epiſtola. [f] Dionyſius eam *Ioanni* inſcribit *Theologo, Apoſtolo, & Evangeliſtæ in Patmo inſula exulanti.* Et in ipſa Epiſtola eum vocat *Evangelij ſolem.* Omnia κακόπλαςα. Nam ſupra fuse demonſtratum eſt Evangelium a Ioanne, poſt Patmenſem relegationem Neruæ edicto ſolutam, reduce, & Epheſi commorante ſcriptum fuiſſe. Hic vero qui illa quæ diximus, loquitur ad Ioannem in Patmo adhuc exulantem ſcribit, vt & titulus, & tota Epiſtola clamat; adeoque ſub Domitiano ante Neruæ initia ſcribit, eo jam extitiſſe illud ipſum Evangelium fingit. Niſi enim jam tum extitiſſe fingeret, Ioannem neque *Evangeliſtam*, neque *Theologum*, (quod ei nomen ob ea a veteribus donatum eſt, quæ in Evangelij illius initio de filij Dei Divinitate docuit, vt ſupra oſtendimus) neque denique *Evangelij ſolem* vocaret. Hæc enim tria vt liquet, ad Ioannis Evangelium referuntur. Illam ergo Epiſtolam verus Dionyſius minime ſcripſit, qui ſi vivebat eo tempore, quo ſcripta eſt, iſta quæ dicit epiſtola, ſcire non poterat, quæ cum ea ſcripta eſſe dicitur, nondum erant ſcilicet, neque niſi aliquot poſt annis contigerant. Neſcio annon & illud κακόπλαςον ſit, quod Dionyſius vnum hominem Ioannem in plurali numero alloqui fingitur, [g] *Equidem haud ita demens ſum (* inquit *) vt arbitrer VOS quicquam pati.* Tum; *Cæterum eos qui VOS iniurijs afficiunt, & perperam ſe ſolem Evangelij exterminare putant, opto ab ijs abſtinere, quæ contra ſe ipſos delinquunt.* Græca eadem in vtroque loco exhibeat; ὑμᾶς μὲν οὖν, & τοὺς δὲ ἀδικοῦντας ὑμᾶς. Fateor poſtea in vſum veniſſe, vt hominem licet vnum, ampliſſimum tamen, & dignitate, aut alia re quapiam excellentem, ita alloquerentur. Sed non memini eum apud Græcos morem Domitianeis jam temporibus obtinuiſſe.

f *Dion. Epiſt. 10. p. 807. 808. D.*

g *Ibid. D.*

Ad hoc quoque κακοπλάςων genus pertinet, [h] quod Dionyſianorum auctor ſcribit ſe & Hierotheum & Timotheum, & multos alios ſanctos fratres *vna cum ipſis ſuis diuino ſpiritu plenis Hierarchis,* ſiue *Antiſtitibus (* id eſt Apoſtolis, quos ita ſcilicet deſcribit, duos ex ijs *Petrum & Iacobum* nominat) conveniſſe omnes Hieroſolymam, ſcilicet ad B. Mariam Virginem viſendam. Hæc uero narratio pugnat cum Hiſtoriæ Sacræ veritate, & apertiſſime negat Areopagitam uere eſſe, qui ita ſcribit. Nam Areopagitam conſtat, vt antea diximus, ad Chriſti fidem non fuiſſe a Paulo conuerſum ante annum Claudij Auguſti decimum, quem Baronius Domini quinquageſimum ſecundum putat. Sed neque eum ad ſacram Virginem ſtatim poſtquam conuerſus fuit, Hieroſolymam ve-

h *Dion. de diuin. Nom. c. 3. §. 2. p. 452.*

CAPVT XX.

niſſe ueriſimile eſt. Aliquod primo tempus in diſcenda accuratius ac plenius cæleſti ſapientia conſumpſiſſe, & fidei tirocinium uel ſub illo ſuo Hierotheo, quem noſter fingit, vel quod verius eſt, ſub Timotheo, ipſoque Paulo, poſuiſſe probabile eſt; vt pote quem ad Epiſcopatum in Eccleſia gerendum inſtitui neceſſe eſſet. Vix ergo ac ne vix quidem iter illud Hieroſolymitanum ante a. D. 54. vel etiam 56. aut 58. ſuſcipere ac conficere potuit. At plærique ſcriptores Eccleſiaſtici B. Virginem tradunt a. D. 48. jam fuiſſe mortuam; quidam vt ex Euodio Nicephorus, a. D. 44. alij vt ex Hippolyto presbyter Epiphanius, a. 43. fuit & qui diceret ſibi cælitus reuelatum fuiſſe eam proximo poſt Chriſti paſſionem anno D. Auguſti menſis 15. ex hac vita migraſſe; vt videre licet apud Baronium.[i] Hæc ſi admittantur, patet Dionyſium Hieroſolymam ad Virginem viſendam, niſi annis poſt eius mortem minimùm ſex, venire non potuiſſe. Epiphanius verò presbyter Conſtantinopolitanus, & Cedrenus Virginem aiunt anno ætatis ſuæ 72 ex terra deceſſiſſe, id eſt anno D. Circiter 58. Neronis ſecundo vt putat Halloixius,[k] qui & hanc ſententiam, licet pauciorum, ſequitur, vt Dionyſianæ narrationis τῷ κακοπλαστίᾳ medeatur. Sed ille fruſtra nititur. Nam narratio, ne hoc quidem admiſſo, conſtabit. Vult enim Halloixius[l] omnes Apoſtolos tum ſuperſtites, adeoque & Paulum illo tempore ad viſendam Mariam conveniſſe, quod ipſe ſane Dionyſianorum ſcriptor ſatis ſignificat. Iam vero Paulus annis Neronis primo & ſecundo captiuus Cæſareæ attinebatur; tertio adhuc vinctus in Italiam nauigauit, quartum & aliquam quinti partem Romæ ſub cuſtodia egit; vt perſpicue eſt a noſtro Cappello demonſtratum.[m] Ergò fieri non potuit, vt Paulus (quod ſcriptor narrat) vel hoc ipſo ſecundo Neronis anno Hieroſolymam venerit.

i *Bar. a.* D. 48. §. 4. 5.

k *Halloix. vit. Dion. cap. 6. p.* 429.

l *ibid. p.* 427.

m *Lud. Cappell. Append. ad Hiſt. Apoſt. p.* 59.

Denique & figmentum noſtri fuiſſe quidquid ille hac de re narrauit, vel vnum Divinorum auctorum ſilentium aperte prodit. Lucas enim, qui ad annum Neronis quintum Apoſtolicorū actuum hiſtoriam pertexuit rem tantam, tamque ſtupendam, illum Hieroſolymitanum omnium Apoſtolorum conuentum, B. Virginis primo Dormitionem, exinde aſcenſionem in cælum, tum Orationes de Dei bonitate ab illis ſummis viris habitas, non tacuiſſet profectò, qui multa etiam minoris momenti atque vſus, narrat, ſi iſta eſſent anno Neronis altero geſta. Adde par omnium qui poſt Apoſtolos vixerunt, ſcriptorum de his ſilentium, quaſi omnes hiſtoriam æterna omnium hominum memoria digniſſimam ingrato ſilentio obruere inito inter ſe conſilio decreuiſſent Quam vero Glycas, ab Halloixio[n] memoratus, huius iſtorum ſilentij cauſam affert, quòd Sanctiſſimi illius primæ memoriæ viri, ea tantum in libris ſuis commemoranda duxerint, quæ eo valebant, vt omnes homines ad puram, ſinceramque fidem perducerent, cætera neglexiſſe; Hæc inquam, cauſa difficultatem non ſoluit. Nam iſta de Apoſtolica B. Mariæ viſitatione, ejuſque dormitione, & aſcenſione narratio

n *Hall. vita Dion. p.* 434. *col.* 1.

ad homines convertendos, vtilis vel eſt, vel non eſt. Si eſt; debuit a Luca in actis memorari; ſi non eſt, neceſſe eſt ſcriptorem, qui eam literis mandauit, eorum vnum nequaquam fuiſſe, qui non alia quam, quæ ad hominum converſionem vtilia eſſent narrantes, hanc hiſtoriam ideo prætermiſerunt, quod ea nullius ſit ad hunc vſum momenti; hunc adeo hominem a Dionyſio plane alium eſſe, qui cum vir eſſet Apoſtolici & ęqui, & ſpiritus, hanc vtique narrationem non minus, ſi quid ſcripſiſſet, prætermiſſurus fuit, quam cæteri ejuſdem ordinis, ac temporis ſcriptores prætermiſerunt. CAPVT XX.

Tria ſuperſunt eiuſdem cum ſuperioribus generis argumenta. Primum quidem ex libro de diuinis nominibus ſumitur, in quo Halloixianus Areopagita quandam Clementis ῥῆσιν laudat; [o] *Si autem vult (* inquit*) Philoſophus Clemens ad aliquod dici exemplaria, quæ ſunt in rebus principaliora &c.* εἰ δὲ ὁ φιλόσοφος ἀξιοῖ Κλήμης καὶ πρός τι παραδείγματα λέγεσθαι τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχηγικώτερα &c. Quæro quis ille ſit philoſophus Clemens? Reſpondet Maximus [p] eſſe B. Clementem, cuius Apoſtolus meminit; nimirum in Epiſtola ad Philipp. cap. 2. illum ſcilicet, qui Eccleſiæ Romanæ fuit Epiſcopus. Pachymeres idem docet in huius loci paraphraſi; [q] *Clemens autem (* inquit*) philoſophus vrbis Romanæ Epiſcopus, vt aiunt quidam interpretes.* Veriſimillima videtur iſtorum ſententia, multa enim huic Clementi jam olim affiᴄta fuiſse ſcimus, etiam quædam, in quibus multa inſunt philoſophica; quale eſt quod etiamnum extat Recognitionum opus fabuloſum fateor, ſed tamen eruditum & diſputationibus e media philoſophia petitis refertum. *Itinerarium Petri* (ſi aliud a Recognitionibus fuit) & prolixa *Petri cum Appione* diſputatio, quæ ſub Clementis quoque nomine ficta erant, ſed quæ nunc deſiderantur, eiuſdem ingenij fuiſſe veriſimile eſt, hoc eſt philoſophia eruditione, & methodo non abhorruiſſe. Ex iſtis probabile eſt Dionyſianorum ſcriptorem illud, quod hic laudat, ſumpſiſſe πρός τι παραδείγματα λέγεσθαι. Clementis enim vnde hæc hauſit, ipſe quidem nullum librum nominatim dicit, quod etiam eſt a Maximo obſeruatum, ποῦ δὲ ταῦτα εἶπεν ὁ ἅγιος Κλήμης, οὐκ ἐδήλωσε. Iam ſi hæc vera ſunt (vt eſſe ſane videntur) aperte produnt ſcriptorem diu poſt Areopagitam vixiſſe; illa enim Clementi diu poſt ejus mortem ſubdita ac ſuppoſita fuiſſe inde ſatis patet, quod eorum nemo ex antiquioribus Theologis ante Origenem meminit, qui Recognitiones, ſiue (vt appellat) *circuitus* περιόδους Petri laudat, & Euſebium qui omnia quidem recenſet, ſed apocrypha & ſuppoſititia eſſe arguit. Neque Clementi vllum aliud, veluti genuinum, opus aſſerit, præter priorem ad Corinthios Epiſtolam. Ergo hæc quidem uerus Dionyſius uidere non potuit, quæ diu poſt eius mortem ex impoſtorum officinis prodierunt. Sed neque ea ſi uidiſſet, pro veris Clementis libris habuiſſet, quæ ipſe etiam Euſebium ſpuria fuiſſe deprehendit; vt illum Areopagiticorum ſcriptorem qui libros huius farinæ Clementis uere eſſe putauit, non Dionyſio tantum recentiorem, ſed

o *Dion. l. de diuin. nom. c. 5. § 9. p. 570.*

p *Maxim. in l. de diuin. nom. c. 5. § 9. p. 185.*

q *Pachym. ad eund. locum Dion. p. 588.*

r *Orig. in philocal. c. 22.*

s *Euſeb. Hiſt. L. 3. c. 38.*

CAPVT XX.

etiam Euſebio, & cæteris eruditis hominibus obtuſiorem fuiſſe neceſſe ſit, qui illa pſeudoclementina ad noſtram vſque memoriam plærique omnes ſpreuerunt ac repudiarunt. Scio Baronium [t] longe aliter de Clemente, in opere de diuinis nominibus citato, ſtatuere; eumque uel Actium Clementem a Plinio iuniore memoratum, uel alium quemvis de Ethnicorum Philoſophorum grege, fuiſſe uelle. Sed Maximi, & Pachymeris, quam huius nuper nati auctoritas potior eſſe apud omnes cordatos debet, quem ſolum cauſæ ſtudium ab illis diſſentire coegit. Nam quod de Actio Clemente turbat, ridiculus eſt. Actium enim Plinius Philoſophum fuiſſe nuſquam affirmat; quem potius credibile eſt adoleſcentem fuiſſe de Romana nobilitate, eius amicum, ingenio litteris ad honores in illa ciuitate conſequendos expoliendo vacantem; qualiter & ipſe [v] Plinius fecerat, & alij per ea tempora nobili loco nati fere ſolebant, quos nemo cordatus inter Philoſophiæ auctores ideo cenſuerit. Nam & hos ad capeſſendam illam ingenii culturam Philoſophiæ magiſtros, maxime qui iidem diſerti eſſent, & honeſti uiri, adhibuiſſe ex Ciceronis libris ſatis notum eſt. Clementem ergo ſuum Plinius his de cauſis hortatur, vt ſe, cum in vrbem uenerit, Euphratæ Philoſopho tum in cæteris excellenti, tum *copioſo ſermone, & vario* abundanti *expoliendum, limandumque permitteret.* Nonne egregius coniector Baronius, qui ex his Actium (neque enim de eo plura habet Plinius) Philoſophum fuiſſe, & in eo ſtudij genere inclaruiſſe, libroſque laudabiles edidiſſe hariolatur? Talem enim fuiſſe eum Clementem neceſſe eſt, quem laudare noſter Areopagiticus, cujuſque ſententias expendere dignatus eſt. Vt aliud abſurdum mittam, quod ille Plinianus Clemens, cum quo tempore ad eum ſcribebat Plinius (id eſt ſub Trajano vt uidetur principe) tiro adhuc fuerit, inclareſcere, & libros de Philoſophia celebres ſcribere, nonniſi conſecutis temporibus potuerit; quos adeo difficile eſt capere, quomodo Dionyſius, pridem ſub Domitiano mortuus, legerit & laudauerit. Quod uero Baronius laudatum ab Areopagita ſuo Clementem Ethnicum hominem fuiſſe pertendit, non Chriſtianum, de eo Maximus, & Pachymeres aliter iudicarunt. Noſter (inquit Baronius) iſtum Clementem *Philoſophum* uocat. Quid-ni vocaret? quem Philoſophum fuiſſe, & de quibuſdam Philoſophicis egregie ſcripſiſſe putaret? Sed *divinum*, ſed *eximium* diceret, ut Ignatium, & Hierotheum, & Bartholomæum dixit, ſi ſcriptorem Chriſtianum fuiſſe ſciuiſſet. Quaſi uero neceſſe ſit Ethnicos fuiſſe eos omnes ſcriptores, quos abſque his; aut ſimilibus elogiis Areopagitici laudant? Sed hæc ſolennis eſt Annaliſtæ Dialectica; vt quidquid ei decernere libuerit, id mordicus acceptum teneat, & vndique ſi qua ſint, quæ vel minimam eius, quod animo præcepit, ſpeciem habeant, ea omnia corradat, atque in vnum comportet, & eo congeſto, veluti ex plumis, agere ſua ſomnia tuta, ac bene munita eſſe ſibi perſuadeat. Mitto, quæ idem contra quoſdam noſtrorum petulantibus conuicijs de more mixta expuit; quod illum Areopagitici

Clemen-

t Baron. ad a. D.109. §. 53.

u Plin. Epiſt. L.1. Ep.10.

Clementem de Alexandrino acciperent. Negat in hoc *quicquam huiuſmodi prorſus inveniri*; eo clamat illos noſtros *manifeſtæ calumniæ teneri.* Certum tamen eſt, & liquidum hæc legi apud Clementem Alexandrinum; [x] τὸ αἴτιον τῶν πρός τι. *Cauſa eſt ex ijs, quæ referuntur ad aliquid.* Item; πᾶν αἴτιον, ὡς αἴτιον, διανοίᾳ ληπτὸν, τυγχάνει ἐπί τινος καὶ πρός τι νοεῖται. *Omnis cauſa, quæ cogitatione tanquam cauſa comprehendi poteſt, eſt alicuius, & verſatur in aliquo.* Hæc cum illis *Exemplaria ad aliquid dici* ab Areopagitico ex Clemente allatis congruere nemo negauerit, niſi qui ex cauſarum cēſu παραδείγματα, *exemplaria* ſuſtulerit; quod quam ſit Platonicæ Philoſophiæ decretis conſentaneum, viderit Baronius. Sed hæc nos, & ab Albertino noſtro [y] jamdudum accuratius diſputata, & Maximi ac Pachymeris ſenſum, quem veriorem putamus, plane nihil lædentia, in medio relinquamus. Ad cætera contra libros Areopagiticos argumenta feſtinantes.

x *Clem. Stromat. L.8. p.785 D. Edit. Pariſ. a.D.* 1629.

y *Alber. de Euchar. l. 2. in Dion. c.1. p.* 266.

CAPVT XXI.

Argumentum XVII. Quod ſcriptor fingit Areopagitam eos, a quibus erat initiatus, infantilis baptiſmi ritum ab antiqua traditione *accepiſſe; abſurde cum recens eſſet adhuc Chriſtianiſmi traditio. Argumentum XVIII. Quod ſcriptor, quo vixit, ac ſcripſit, tempore antiquatum iam fuiſſe Paganiſmum, & eius de ſolis divinitate, reſurrectioniſque abſurditate errores deſiiſſe apertiſsime ſignificat, quod ab Areopagitæ æuo alienum, non alij quam quarto, quintoque Chriſtianiſmi ſæculo convenit. Refellitur impudens Areopagiticorum gloſſa ad hæc ſcriptoris loca,* antiquitatem *pro ſtultis etiam recentibus, &* συγχρόνοις *ineptè interpretantium.*

HOrum librorum ſcriptor ritum quo infantes apud Chriſtianos ſuo tempore baptizabantur, ab impiorum ſannis defendens, ridiculum eſſe obiectantium, quod ea ætate, qua audire & intelligere non poſſent, a Pontifice diuina docerentur, & interrogarentur, & alij pro ijs reſponderent; hunc (inquam) infantilis baptiſmi apud ſuos ritum purgans, doctrinam de infantium ſalute & baptiſmo vocat. *Antiquam traditionem,* & *ab ea* ſuos *præceptores accepiſſe* dicit, quæ *ſe*, & alios docuerant; [z] *hac de re* (inquit) *id quoque dicimus, quod Dei formes præceptores noſtri ab antiqua traditione acceptum nobis præſcripſerunt.* καὶ περὶ τούτου τοῦτό φαμεν, ἅπερ οἱ θεοειδεῖς ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως εἰς ἡμᾶς προήγαγον. Qui ſic loquitur fatetur ſe infra Apoſtolorum æuum vixiſſe. Qui enim ab Apoſtolis ipſis erat inſtitutus, infantium baptiſmus, is eorum temporibus dici non poterat *Antiqua*

z *Dion. de Hier. Eccl. c.7.* §.11. *p.*364. *C.*

CAPVT XXI. *tiqua traditio.* Recens potius adhuc erat, & nupera traditio. Iſte ergo qui ſic, vt audivimus, loquitur Dionyſius, Areopagita non fuit, quem ipſis Apoſtolorum temporibus floruiſſe conſtat; quemque ante vnius ex Apoſtolis Ioannis mortem martyrium feciſſe demonſtrauimus. Quin & hæc ſcriptoris uerba ſi paulò accuratius expendas, facile perſpicies eum illos, quos dicit, ἱεροτελεστὰς *præceptores*, ſiue Myſtas & *initiatores* ſuos, alios ab Apoſtolis intelligere. Quis enim Apoſtolos dixerit infantium baptiſmum, & eius ritum πρὸς τῆς ἀρχαίας παραδόσεως μυηθῆναι *ab antiqua traditione edoctos*, & in eo inſtitutos fuiſſe? Quænam quæſo illa fingi poteſt *antiqua traditio*, ex qua hunc Apoſtoli infantium baptiſmum acceperint? Illi uero quicquid diſcipulos tum de cæteris, tum de hoc nominatim baptiſmo docuerunt, non ab vlla antiqua traditione, ſed a Domino Ieſu, & ab ejus ſpiritu didicerant, & acceperant. Hæc de ſæculis poſt Apoſtolorum mortem Chriſtianorum Epiſcopis & presbyteris dici poſſunt; qui ſanctiſſimi baptiſmi ritum ex Apoſtolica traditione acceptum ad ſuos diſcipulos ipſi quoque, vt iſte loquitur, tranſcripſerunt, ac propagarunt; de ipſis Apoſtolis, niſi falſo & abſurde, & profecto ridiculè dici non poſſunt. At Dionyſius ab Apoſtolo Paulo, non ab alijs Apoſtolico æuo recentioribus, ſuum baptiſmum, ſuumque Chriſtianiſmum acceperat. Hic ergo, qui ſe ſuum ab aliis quibuſdam accepiſſe profitetur, quos, non vt Apoſtolos ab ipſo Chriſto nuper, ſed *ab antiqua traditione* de his inſtitutos fuiſſe dicit, quiſquis de cætero ſit, Dionyſius quidem Areopagita neque eſt, neque vt ſit vlla ratione fieri poteſt. Qua ratione illud recens Areopagiticorum hominum σοφὸν φάρμακον ſoluitur, qui *antiquam traditionem* hoc loco pro ea accipiendam eſſe dictant, non quæ *Vetus eſt*, ſed quæ *ab initio eſt*. Hoc enim ſcriptor ſi uoluiſſet, quis non intelligit ſcripturum fuiſſe. *Suos præceptores ea quæ ſibi tradidiſſent, a Domino Chriſto iam ab initio* ἀπ' ἀρχῆς accepiſſe; qualiter Ioannes in re ſimili illud ἀπ' ἀρχῆς *ab initio* toties in Epiſtolis?[a] Qui vero quod uel ſe, uel alium jam ab initio accepiſſe ſignificare uellet, ipſe aut alium πρὸς ἀρχαίας παραδόσεως μυηθῆναι *ab antiqua traditione eſſe inſtitutum* diceret, equidem neminem Græcum, aut Latinum fuiſſe puto; neque tam mirificæ locutionis exemplum apud ſcriptores vtriuſque linguæ idoneos vllum reperiri arbitror; vt illud mittam hoc quoque mirum ac peregrinum eſſe, quod hic adverſarij, ac præſertim diſputator ille aulicus pertinaciſſime contendunt ἀρχαῖον *antiquum* id Græce dici, quodcunque *ab initio* eſt, ſive illud rei initium vetus, & jam antè nos fuerit, ſive recens & noſtro tãtum tempore extiterit; vt ſiquis olim Iulij Cæſaris temporibus vivens, ac ſcribens leges ab illo Principe initio ſui imperij latas *Antiquas* ἀρχαίους νόμους dixiſset; quod ne ipſe quidem credo, diſputator aulicus perquam ridiculum eſse negaverit. Sed quod ejus hac de re argutias, & vitilitigationes omnes ſatis eliſit noſter Albertinus;[b] verbum non amplius addam. Illud vnum monebo, Morinum verba ſcriptoris eodem,

que

a 1. *Ioan.* 1.3.14. 24. 2. 7. & 3. 11.

b *Albert. de Euchar. L.* 2. *in Dion c.* 1. *p.* 268

quo nos interpretati ſumus, accipere, & ex ijs idem quoque, quod nos concluſimus, argumentari, iſtum nempe alium ab Areopagita fuiſſe, ac denique Latinam Lanſelij interpretationem deridere ac explodere, totum locum ita vertentis, vel vt verius dicam, pervertentis; *Tametſi hoc quoque de hac re dicimus, quod divini noſtri Pontifices Apoſtoli a prima Chriſti traditione Myſtice edocti ad nos vſque perduxerunt.* Interpretem reprehendit Morinus, primo quod *Apoſtolos*, qui apud auctorem nulli ſunt, ſuppleverit, 2°. quod contra verbi notionem ἀρχαίας vertit prima; 3°. denique, quod de ſuo genio addit *Chriſti.* Tum paulo poſt: *Rationem* (inquit) *perverſitatis ſuæ facetam reddit Lanſelius in annotationibus*; Alioquin dubium moveretur de antiquitate S. Dionyſij. Si enim diſcipulus fuerit S. Pauli, quomodo dicit ſuum præceptorem ab antiqua traditione iſta edoctum fuiſſe? *Atqui hoc dicit, nec aliter integro textu explicari poteſt.* Hæc Morinus; quibus dici nihil potuit, neque verius, neque melius contra fictitiam ſcriptoris antiquitatem.

CAPVT XIX.

Morin. Part. 2 de Sacr. Ordin. c. 6. §. 8. p. 50.

Superioris argumenti geminum eſt, quod Dionyſianorum auctor, perſonæ quam aſſumpſit, immemor, vt de Apoſtolorum doctrina loquitur, tanquam de veteri aliqua traditione, quæ jampridem exorta ſit; ita etiam vice verſa de Paganiſmi opinionibus verba facit, veluti de dogmatis obſoletis, & quæ præ vetuſtate defecerint, neque amplius apud hominum genus obtineant. Sic in commentario de diuinis nominibus multa ſane præclara, de ſolis inter cæteras omnes creaturas excellentia locutus; [c] *Non hæc dico* (inquit) *vt antiquitas exiſtimabat, quod ſol ſit Deus, & auctor vniuerſi, qui tunc mundum quem cernimus, proprie gubernet.* καὶ οὐ δήπου φημὶ κατὰ τὸν τῆς παλαιότητος λόγον, ὅτι, θεὸς ὢν ὁ ἥλιος καὶ δημιουργὸς τοῦδε τοῦ παντὸς, ἰδίως ἐπιτροπεύει τὸν ἐμφανῆ κόσμον. Ita & in eodem libro de beata carnis ad immortalitatem reſurrectione, totiuſque hominis ſecundum animum & ſecundum carnem ad divinam vitam tranſlatione, verba faciens; [d] *Quæ res* (inquit) *antiquitati quidem contra naturam eſſe videtur, mihi vero & tibi, & veritati divina & ſupra naturam.* πρᾶγμα τῇ παλαιότητι μὲν ἴσως παρὰ φύσιν δοκοῦν ἐμοὶ δὲ καὶ σοὶ καὶ τῇ ἀληθείᾳ καὶ θεῖον καὶ ὑπὲρ φύσιν. Qui ita vt iſte, in duobus his locis loquitur, plane ſignificat ſe apud eos homines, ijſque in locis vivere, vbi obtinuerint quidem olim hæ duæ de ſole & de corporum reſurrectione opiniones; nunc vero eo quo ſcribit tempore, vigere deſierint, abolitæque, antiquatæ ſint. Teſtor cujuſvis ſiue rudis, ſiue eruditi aures; annon hic ſit vtriuſque ſermonis ſenſus? *Non dico* (inquit) *quod ſol ſit Deus ſecundum antiquitatis opinionem*, ſive *vt antiquitas exiſtimabat.* Non ergo (inquam) hominum tui ſæculi ea opinio, vel exiſtimatio eſt. Fuit tempus, quo hoc apud tuos cives credebatur. Fuit, inquit; ſed olim. Nunc aliud creditur. Antiquitatis iſte error fuit; Non eſt præſentis ævi. Par eſt alterius loci ratio; Reſurrectio carnis (inquit) antiquitati videtur res contra naturam. Præſentis ergo ſæculi hominibus aliud

[c] *Dion. L. de diuin. nom. 4 §. 3 extr. p. 468. A.*

[d] *Ibid. c. 6. §. 2. p. 563. D.*

CAPVT XXI.

videtur. Ita ſenſerunt veteres. Hujus memoriæ mortales aliter de illo myſterio judicant. Quod ſi vterque error etiam iſtius temporibus, & apud ipſius ciuitatem ac gentem obtinebat; ſi regnabat; ſi & multitudinis, & dominantium communis erat, quis eum non intelligit perperam, ac præter omnem rationem dixiſſe. *Eam fuiſſe antiquitatis opinionem,* quaſi non præſentium, ſed præteritorum tantum temporum fuiſſet? & antiquitati *ita videri*, quaſi ea de re ſic quidem vt ille dicit, ſola olim antiquitas judicarit, non etiam id hominum, quòd tum viuebat, genus? hominem hic ſermo arguit, non Apoſtolorum temporibus, cum Gentiliſmi impietas longe lateque apud gentes dominabatur, ueritas tyrannorum crudelitate preſſa atque afflicta diras perſecutiones paſſim patiebatur, ſed diu poſt Conſtantini ipſius imperium vixiſſe. cum Chriſtianiſmus, profligato ac pæne extincto gentiliſmo, vbique florebat. Quod etiam clarius confirmat id quod ſecundo loco dicit; *Carnis reſurrectionem antiquitati viſam eſſe rem contra naturam.* Hoc enim de iis Paganis intelligi non poteſt, qui ante Apoſtolos, & Evangelii prædicationem vixerant, ſed de iis neceſſario intelligendum eſt, qui & ipſo Apoſtolorum ſæculo, & poſtea ad Conſtantinum vſque degebant. Illis enim antiquioribus de carnis reſurrectione, quid videretur, ignotum eſt: quippe quæ nunquam apud ipſos prædicata erat. Facile quidem eſt fateor, ſuſpicari eos myſterium ſi audiviſſent, pro innata humanæ gentis caligine, aſpernaturos fuiſſe, aut irriſuros. Cæterum quod eſſet ſuum de re, quam ne fando quidem audiverant, judicium, nemo eorum palam expoſuerat. Hoc Apoſtolici æui, & proximorum ſæculorum Paganis ſolis convenit; qui carnis reſurrectionem a Chriſto Ieſu in apertam lucem eductam, & vbique Chriſtianorum prædicatione perſonantem, vel riſu & ludibrio, vt ipſi illi Dionyſii cives, cum eam ore Pauli expoſitam primum audiverunt, vel etiam ira, & indignatione, vel denique diſputatione & oppoſitis argumentationibus exceperunt. Tunc enim apertiſſime docuerunt, quid ſibi de eo myſterio videretur. Cum ergo hos ipſos ille ſcriptor *antiquos* nominet, apparet eum nihil minus, quam Apoſtolici temporis hominem fuiſſe; quo huius myſterii, vt prædicatio, ita & refutatio, recens ac novella erat; vt qui illud vel prædicabant Apoſtoli, vel refutabant Ethnici antiquitatis nomine tum quidem cenſeri, & vel illi ἀρχαῖοι, vel hi παλαιοὶ dici non poſſent. Pſeudodionyſij interpretes vtrumque locum de Paganis acceperũt. Sed vt vim obiectionis, quam ſentiebant, declinarent, παλαιότητος antiquitatis vocabulum, quo ſcriptor vſus eſt, mirifice vexarunt. [e] [f] Cum enim id nomen metonymia vſitatiſſima *veteres* ſive *priſcos & præteriti æui homines* ſignificet, hi longè alio detorſerunt. *Antiquitatis opinionem, vel famam, & traditionem* παλαιότητος λόγον, & *id quod antiquitati videtur, ſive antiquitatis dogma & placitum* τῇ παλαιότητι δοκοῦν. ita interpretantur, ac ſi ſignificaret vel Dionyſij, qui loquitur, & Timothei ad quem loquitur, de ſole quod ſit Deus, & de reſurrectionis vltimæ myſterio

e *Maxi. Schol. in L. de diuin. nom. c. 4. §. 3. p. 521. D.*
f *Pachym. ibid. p. 135. D. & 190. A.*

quod

quod contra naturam ſit, priſtinas antequam Chriſti fidem ſuſcepiſſent, opinationes fuiſſe, vel certè ſtultorum ſimpliciter, ſiue ij veteres fuerint, ſive recentes ſint, & ejuſdem cum ijs qui loquuntur, memoriæ, opinionem ac judicium. Perverſiſſima eſt vtraque & prodigioſa gloſſa. Prior falſo ſtatuit Timotheum antequam Chriſto nomen daret, de ſole cum Paganis ſenſiſſe, eumque pro Deo habuiſſe ac coluiſſe, contra diſertiſſima Apoſtoli verba, qui ſuum ipſe diſcipulum tametſi Patre Ethnico natum, a matre & avia Iudæis mulieribus fidelibus *in ſacris literis ab infantia inſtitutum fuiſſe* teſtatur. [g] Sed & eadem gloſſa ſupponit (vt loquuntur) vtrumque hunc virum antequam Chriſto nomen darent, exiſtimaſſe reſurrectionis a Domino promiſſæ myſterium *contra naturam eſſe*; de quo tamen vtpote inaudito, & plane ignoto, ne cogitaſſe quidem eos illis temporibus certum eſt, nedum vt id definiverint contra naturam eſſe. Tum ipſa loquutionis quæ inducitur, abſurditas gloſſam ſatis refellit. Quis enim ſanæ mentis dixerit *ſe non dicere ſolem eſſe Deum ſecundum antiquitatis opinionem* ſive *doctrinam & famam* λόγον, vt ſignificet ſe de ſole aliter nunc ſentire, quam olim ſenſerit? Item *Reſurrectionem antiquitati quidem rem contra naturam videri, ſibi vero rem diuinam videri*, vt ſignificet ſibi quidem ante hæc illud, nunc vero hoc placere? hæc ſermonis monſtra ſunt, quorum neque ratio afferri, neque exemplum poteſt in vlla humani generis lingua. Poſterior gloſſa æque ſtulta prodigioſaque eſt, *Antiquitatis ſermo, eſt* (inquit) *ſtultus Gentilium ſermo*; Veterum inquam, qui ante ſcriptorem vixerant, fateor, nam & horum ſtultiſſimas fuiſſe fabulas facile concedo. Vt vero *Antiquitatis ſermo*, etiam ſtultorum recentium ſit, & eodem quo ſcriptor vivit, tempore viuentium, tu nunquam apud homines non ſtultos obtinebis, ſed (inquit Pachymeres) *Antiquum Græci, id quod fatuum eſt dicebant.* τὸ μωρὸν ἀρχαῖον οἱ Ἕλλωες ἔλεγοι; idemque ſcripſerat, vt videtur, Maximus, cujus hic locus corruptus eſt. Fateor apud Græcos ἀρχαιὸν, eodemque ſenſu παλαιὸν eum interdum hominem dici, qui ſtultus ſit, & incautus, & mente parum validus; quod primorum hominum ingenium nondum iis artibus, quæ poſt inventæ ſunt, excultum, rude eſſet, animuſque adeo improvidus, & ſimplex. Notauit ad vtrumque vocabulum Heſychius; [h] ἀρχαῖον, ἁπλοῦν, ἄκακον, εὐηθες Item παλαιος, ὁ ταῖς φρεσιν ἐξεφθαρμένοι ἤδη ἄφρων, ὁ καὶ ἠλίθιος. Eadem Phauorinus. [i] Sed παλαιότητα *Antiquitatem* (quo nomine ſcriptor in vtroque loco vſus eſt) *pro ſtultitia*, vel certe pro ſtultorum genere apud Græcos accipi, neque Grammatici quod ſciam, obſeruant, neque vllius idonei auctoris exemplum firmat; quod equidem meminerim. παλαιότητος λόγος eſt *Antiquitatis* (id eſt Antiquorum hominum) ſermo. Stultum interdum eſſe eum, qui *antiquitatis* idem eſt, *ſermonem* nihil vetat (vt ſane ſtultiſſimum eſſe concedo eum, quem ſcriptor hic intelligit, antiquitatis de ſolis divinitate deque reſurrectionis abſurditate, *ſermonem*) Sed eo ipſo, quod *Antiquitatis* fuiſſe dicitur, *ſtultum* intelligi; *veterum fuiſſe*, non intelligi,

CAPVT XXI.

g *Tim.* 1. 5. & 3. 15.

h *Heſych. in Lex.*

i *Phaurr. in Lex.*

non concedo;tam inuſitatæ,tamque a vocum etymo,vulgarique vſu alienæ locutionis exempla ex Atticis,aliiſve Græcæ linguæ probatis auctoribus requiro; eſt illud Dipnoſophiſtarum apud Athenæum [k] hic rogo πῦκειῷαι; nam ſi Græca præter ipſum verborum ingenium, & communem linguæ vſum,nulla lege,nullo exemplo,ad tuam libidinem licet interpretari,nihil in veterum libris certi ſupererit. Faceſſat ergo illa impudens Græculorum ex vno Dionyſianorum ſtudio nata gloſſa, *antiquitatis opinionem*, pro hominum etiam recentium, etiam nobis ipſis iuniorum,etiam ſi placet poſt futurorum opinionē, ſtulte & ridicule interpretantium. *Antiquitatem* ſcriptor ex nominis etymo, ex communi,ac legitimo vſu ſæculum ſuo anterius,majorum & qui olim fuerant,ætatem dicit, & quod huic tribuit ſuæ ex ipſa locutionis vi apertiſſime vt oſtendimus,adimit; illaſque adeo *antiquitatis* de ſolis divinitate, deque *Reſurrectionis abſurditate* opiniones ſuo ſæculo apud ſuam gentem, ſuamque civitatem deſiiſſe profitetur; quod cum ab Areopagitæ ævo alienum ſit, nec alij niſi quarto quintove Chriſtianiſmi ſæculo conveniat; illud poſtremò fatendum eſt, hunc qui ita loquitur, ſcriptorem non modo Areopagitam non eſſe,ſed ne tertio quidem poſt eum mortuum ſæculo,ſuos illos libros ſcripſiſſe.

k *Athen. Dipnoſoph. paſſim.*

CAPVT XXII.

Argumentum XIX. Quod ſcriptor arcani, diſciplinam in ſacramentorum, & adminiſtratione, & expoſitione diligentiſſime & ſeruari præcipit, & ipſe ſeruat; quam tamen conſtat, etiam Albaſpineo confitente, non ante quartum ſæculum apud Chriſtianos obtinuiſſe. Argumentum XX. ex ſolemni publicæ pænitentiæ ritu ductum, apud ſcriptorem quidem manifeſto, Apoſtolicis vero & ſecutis ad ſecundum ſæculum adultum, temporibus apud Chriſtianos inuſitato. Argumentum XXI. A baptiſmi ritibus, quos omnes accurate ſcriptor exſequitur, qui qualeſque quarto & quinto ſæculo fuerunt, pleroſque & Apoſtolis, & Iuſtino, & Tertulliano vt apparet, ignotos, vt fontem baptiſmalem, effuſionem vnguenti in aquas, baptizandi ex oleo toto corpore vnctionem, candidam veſtem &c. Argumentum XXII. Quod ſcriptor ſuo ſæculo ſeruatum docet, vt parvuli baptizandi de fide interrogarentur, alijs pro ijs reſpondentibus, quod Auguſtini quidem æuo ſolenne. Apoſtolorum temporibus inauditum.

HActenus ea ſcriptoris hujus ἀνακόπλαςα exſecuti ſumus, quæ ipſe ex ſola animi non ſatis quid diceret attendentis, incogitantia imprudens finxit. Nunc alterum eorum genus multo deterius explicandum eſt,

CAPVT XXII.

dum eſt, quæ prudens ac volens ex certo animi conſilio finxiſſe videtur, dum ea in Eccleſia Chriſtiana jam Apoſtolorum temporibus obtinuiſſe paſſim mentitur, quæ non niſi multis poſt eorum mortem annis reperta, & tradita fuiſſe conſtat. Suum enim Dionyſium iſta noſtis pandentem, exponentem, & commendantem ideo vt liquet, induit, vt hæc ejus ætate, qui Apoſtolos audivit, & eodem cum illis tempore vixit, jam apud noſtros ſolemnia ac in publico Eccleſiæ vſu fuiſſe lectoribus ſuis perſuadeat; atque ita novis & humanis inſtitutis, eam qua carent, antiquitatis & Apoſtolicæ traditionis auctoritatem conciliaret; quæ fraus tametſi hominibus familiaris, peſſima, ac meo quidem judicio capitalis eſt. Multa autem huius ordinis apud Areopagiticum ſcriptorem occurrunt. Nos non omnia, ſed inſigniora tantum ad ſpecimen edemus.

Quale illud eſt in primis, quod hic vbique diligenter præcipit, vt Chriſtianorum ſacramentorum ritus in arcano habeantur, neque vel celebrentur, vel etiam verbis & oratione exponantur, niſi apud homines initiatos hoc eſt baptizatos, & ſacræ Euchariſtiæ participes. Quo illa pertinent, quæ eum paulo ante Timotheo edicentem audiebamus; [l] *ne ſancta ſanctorum exploderet, ſolis verò ſanctis cum ſacra quadam claritate ſancta communicaret, vt Dei arcana profanis inacceſſa & intacta reſeruaret*; ac quandam etiam *ſacratiſſimam ſanctionem* memorantem, *qua res divinas vetaret coram profanis efferre, aut evulgare*: Sic etiam in libro de myſtica Theologia; [m] *Hæc autem vide* (inquit ad Timotheum) *nequis audiat non initiatorum.* τούτων δὲ ὅρα ὅπως μηδεὶς τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ. Eodem ſpectant quæ alibi differit.[n] Profanos vel ipſa ſacramentorum ſigna tangere nefas eſſe, τοῖς ἀνιέροις οὐδὲ τῶν συμβόλων ἅπτεσθαι θεμιτόν; & nefas eſſe ſacrorum adminiſtros τὰς θείας ἱεροτελεστὰς *ſibi manifeſtas ſignorum rationes apud eos efferre*, qui adhuc initiantur; addens hanc diverſorum in Eccleſia ordinum *diſtinctionem ab ipſis ſacrorum divinitus traditorum legiſlatoribus* (Apoſtolos vt liquet, dicit) *fuiſſe conſtitutam*; ſeque librum de Hierarchia ſuum ideo ad Timotheum dono mittere, quod *ſacroſanctis eius pactionibus perſuaſus* confidat tum ipſum, tum alios, quibus hæc ſit traditurus; *ſancta ſancte contrectaturos, ſolis autem deifica divinis, perficientia perfectionis capacibus, ſanctiſque ſanctiſſima communicaturos*. Itaque ipſe quoque ex hac lege ſeſe ad exponendum ſacri baptiſmatis ritum ac myſterium accingens, inprimis ita profatur. [o] *At nemo mihi nõ initiatus ad hoc ſpectaculum veniat.* Καὶ μοὶ μηδεὶς ἀτέλεστος ἐπὶ τὴν θέαν ἴτω. Eandem alibi in vnguenti myſtici, ſiue Chriſmatis conſecratione cautionem adhibendam monet. Hanc nos diſciplinam ſæculo quarto adulto, & quinto toto apud Chriſtianos fuiſſe confitemur, & ex auctoribus eorumdem temporum conſtat. Vnde ſolennes Chriſoſtomo, Theodoreto, Auguſtino & alijs reticentiæ, quoties de ſignis Eccleſiæ myſticis ſermo eſt, & illæ ijs locis paſſim occurrentes formulæ, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. οἱ μυσταγωγούμενοι vel οἱ συμμύσται, vel (quod

l *Dion. Hier. Eccl. c. 1. init. L. de diuin. nom. c. 1. §. 7.*

m *Id. de myſt. Theol. c. 4. §. 2. init.*

n *Id. Hier. Eccl. c. 4. §. 5. p. 202. A. B. C. D.*

o *Id ibid. c. 2. §. 1. p. 21. 4. A.*

p *Ibid. c. 4. part. 1. §. 2. & part. 2. §. 2.*

CAPVT XXII.

idem eſt) *οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον ſciunt initiati*, vel *fideles*, vel *qui initiantur, quid dicam*; & apud Latinos, *Norunt fideles*. Eundem fuiſſe Apoſtolici, & proximi ſæculi vſum; nego; & res clara eſt. Nullæ enim vſquam in horum ſæculorum, ac ne in tertij quidem veris certiſque auctoribus cum verba de ſacramentis faciunt, hujuſmodi reperiuntur apoſiopeſes, ſive reticentiæ; quod ego quidem meminerim. Hi & baptiſmi aquam, & lotionem, & oleum, poſtquam in vſu eſſe cæpit, & vnctionem, & Euchariſtiæ panem, ac vinum, eſum & potum liberrimè quoties fert occaſio, ſine vllis ambagibus efferunt, neque quicquam auditoribus, vel lectoribus ſuis de ijs rebus divinandum relinquunt; vt ex Iuſtini in Apologia locis videre eſt, in quibus vtrumque ſacramentum totum apud homines non modo non initiatos, ſed etiam profanos & Gentiles, Auguſtos ſcilicet & ſenatores Romanos planiſſime expoſuit. [q] Neque Tertullianus aliter baptiſmum in libro, qui totus hujus tituli eſt, explicavit; [r] nullo diſſimulato, aut obſcuris vocibus adumbrato hujus ſacramenti ritu. Sed neque vel in Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, alijſque Græcis, vel in Cypriano, & Latinis anno Domini 260. anterioribus vllum vſpiam deprehenditur illius arcani veſtigium. Vnde certo, ac neceſſario concludimus totam hanc illius arcani, quarto adulto, & toto quinto ſæculo ſolennem ac notiſſimam diſciplinam primis & Apoſtolorum proximis ſæculis nondum apud noſtros fuiſſe cognitam; quam ſcilicet ſi jam tum obtinuiſſet, plane eſt incredibile vel violaturos fuiſſe Iuſtinum, & Tertullianum, homines religioſiſſimos, vel cæteros eorundem temporum ſcriptores, qui ſatis multi ſunt, penitus tacituros, indictamque prætermiſſuros fuiſſe. Albaſpinæus Aurelianenſis non ita pridem Epiſcopus, antiquitatis Eccleſiaſticæ ſolertiſſimus indagator, aſſentitur, [s] ſcribens *primi ſæculi Chriſtianos ſua lubentes myſteria, vt vel ex Iuſtino conſtat, enuntiaſſe*. Atque hinc ille probat Conſtitutiones, quæ vulgo dicuntur *Apoſtolicæ, primis ſæculis factas non eſſe*, qui ſcilicet *poſtremis harum verbis cautum eſt, ne octo earum libri publicentur*. Ergo inquam, qui hoc ſacramentorum arcanum tam diligenter, & alijs præcipit, & ipſe ſervat Hierarchiæ ſcriptor, non modo non Areopagitici, id eſt Apoſtolici, ſed ne tertij quidem ſæculi homo fuit; vel hoc vno indicio ſatis prodit ſe vel quarto exeunte, vel quinto ſæculo vixiſſe; quo maxime illa viguit ſacramentalis arcani religio.

q *Iuſtin. Apol.2.*
r *Tertull. lib. de baptiſ.toto.*
ſ *Albaſp. in obſer.L.1.c.13.p.38.vltr.med.*

Idem ſcriptor in eodem opere ſignificat eo, quo vixit, tempore jam obtinuiſſe eam pænitentiȩ publicæ formam ac rationem, quæ tertio ſæculo & quarto cernitur. Nam & peccatores, qui nondum erant ad pȩnitentiam admiſſi, & duos inde pȩnitentium gradus, quos Græci *ἀκροατὰς Auditores*, & *ὑποπίπτοντας proſtratos* vocabant; apud hunc diſtincte reperire eſt capite Hierarchiȩ decimo ſexto, [t] vt obſervat Petavius, [v] eoſque ſigillatim ſuo quoſque ordine, ſicut & Catechumenos, & energumenos è ſacris Synaxibus dimiſſos. At Apoſtolicis, & proxime

t *Dion. Hier. Eccl.c.3.p.243.A.& ibid. Theor.§.6.7.p.252.a,b.*

ſecutis

CAPVT XIX.

ſecutis temporibus hanc jam obtinuiſſe in Chriſtianorum cætibus diſciplinæ adeo accuratam, ac nonnihil moroſam formam, cum Eccleſiæ conventus ob crebras ac pæne aſſiduas perſecutiones eſſent difficillimi, plane eſt incredibile. Huc accedit quod initio ipſa publicæ pænitentiæ adminiſtratio multo fuerit ſimplicior, vt ex Pauli de Corinthio fornicatore, judicijs, [x] & ex Romanæ vetuſtiſſimæ Eccleſiæ praxi colligitur Marcionem ad pænitentiam iterum admittentis, [y] cum eam ſequentium temporum canon poſt baptiſmum lapſis non amplius, quam ſemel concederet; & hoc ipſum idem quoque Petavius [z] ex duobus iſtis exemplis concludit; & alibi in eodem opere ſe demonſtraſſe dicit. *Publicam pænitentiam, neque primo Chriſtianiſmi ſæculo, neque maiori ſecundi parte præceptam fuiſſe.* At ſcriptoris Areopagitici temporibus *præceptam* fuiſſe ea quum hic ſcribit, pænitentium in ſuos gradus diſtinctio, ſolenniſque eorum in publicis Synaxibus dimiſſio, aperte docet. Scriptorem ergo vel ipſius Petauij judicio longe poſt Apoſtolorum tempora vixiſſe, neceſſe eſt.

u *Petau. de la penit. publi. L.3 c.16. p.114. 115.*
x *1. Cor. 5. & 2. cor. 2.*
y *Tertull. de præſcr. c. 30.*
z *Petau. de la penit. publ. L.2 c.8. p.218. Ibid. L.5. c.9. p.55.*

Sedis quoque baptiſmi ordinem, qui qualiſque quarto ſæculo, & deinceps fuit, totum explicat. [a] Catechumenus cum ſuo fidejuſſore accedit ad Antiſtitē; Antiſtes interrogato, & aſſentienti manum imponit, eumque conſignat, & ejus ſuſceptoriſque nomen in ſacris tabulis a Miniſtris deſcribi, & exui ipſum jubet; Tum ad occidentem ſtare, ter in illam plagam manus averſas protendere, ter in ſatanam exſufflare, eique abrenuntiare, & his peractis hominem ad Orientem transfert, oculis, & manibus ad cælum ſublatis, Chriſto & ſacris ejus eloquijs aſſenſurum. Ter inde repetita profeſſione, prece, & benedictione, & manus impoſitione eum dedicat. Mox veſtibus plane exutum ſacerdotes oleo toto corpore inungunt; Antiſtes [b] vero trino ſignaculo vnctionem auſpicatus ad fontem (vt vocant) id eſt ad baptiſterium procedit, ſacris inuocationibus, & tribus vnguenti in crucis formam effuſionibus ſanctificatum, & initiandum ter in aquas immergit, ad ſingulas merſiones ſingulas ſacroſanctæ Trinitatis perſonas nominans. Exceptum de lauacro ſacerdotes veſte candida [c] induunt φωτοειδεῖς ἐσθῆτας ἐπιβάλλουσι τῷ τελουμένῳ. Lucida veſte amictum Pontifex divino oleo prius, poſtremo Euchariſtia conſignat. Fateor horum plæraque pridem fuiſſe in ſanctiſſimum Domini Chriſti baptiſmum inuecta. Non puto tamen quenquam futurum, qui horum rituum nullum non ab Apoſtolis inſtitutum, nullum non apud Apoſtolicam Eccleſiam ſolennem fuiſſe contendat: Non eſt hujus loci omnes excutere. Mihi ſatis erit ad eradendum hujus ſcriptoris titulum, ſi vel vnum ex his, quos recenſet, ritibus ſerius, neque niſi poſt Apoſtolica demum tempora inventum fuiſſe demonſtravero. Baptiſmum ergo vt vniverſe dicam, primo fuiſſe ſimpliciſſimum, ejuſque (quod eſt prudenter a Valafrido [d] obſervatum) *celebrationem gradatim per temporum augmenta in majus creviſſe*, & paulatim ad eam formam quam noſter tradit, provectum eſſe; liquidò demon-

a *Dion. Hier. Eccl. c.2. §.5.6. 7. p.216.*
b *Ibid. §.7. p. 217.*
c *Ibid. Theor. §.8. p.228. B.*
d *Valafr. ſtrob. de reb. Eccl. c. 26. T. 10 Bibl. Patr. p.690. D.*

CAPVT XXII. monſtrant, & libri divini in Actis Apoſtolorum & Iuſtini, ex indeque Tertulliani ſcripta, & ipſæ Clementis, tametſi Apocryphæ Vetuſtiſſimæ

Iuſt. Iren. Clem. Recogn. tamen Recognitiones. Itaque noſtrum, qui non illam ſimplicem ac primam, ſed novam, illis quas Strabo notat, auerſionibus auctam baptiſmi adminiſtrationem tradit, non Areopagitam, non vnum ex vetuſtiſſimis, ſed recentioris æui puta ſæculi quarti aut quinti, hominem eſſe neceſſe eſt. Nam vt ſcripturę loca omnibus nota mittam, Iuſtinus ſcriptorum noſtrorum fere vetuſtiſſimus, præfatus ſe nihil hujus myſterij *diſſimulaturum*, eos qui Chriſto crederent, orare, & jejunare, vnaque cum ijs plebem tradit; inde in locum aliquem deduci vbi aqua ſit; ibi in nomine patris, & filij, & Spiritus Sancti lauari. Hæc ille omnino de baptiſmo, de illis tam multis, quæ addit noſter, plane nihil; vt illa, ne Iuſtini

Iuſtin. Apol. 2. p. 73. lin. 26. quidē æuo, id eſt a. D. 150. adhuc eſſent; nedū, vt Dionyſij tanto anterioris, memoria jam ſolemnia eſſent. Neque Iuſtini baptiſmo Tertulliani

f *Tertul. de bapt. c. 7. & 8.* lavacrum vlla alia re auctius eſt, niſi *vnctione*, & *manus impoſitione*; [f] ſed quam vtramque *de priſtina diſciplina*, ſiue *de veteri Sacramento* eſse monet; rem adeo non Chriſti, ſed Moſis. Cur cætera ſi fiebant, prætermiſit? maxime cum huic argumento librum vnum, Areopagiticus vnum tantum caput dederit? ſed & cur ſuperſtitioni ſuggeſtum & apparatum in ipſo ſtatim limine aſſerit, & exprobrat? baptiſmo ſimplicitatem vindicat? hic *hominem ſine pompa, ſine apparatu nouo aliquo, denique ſine*

g *Ibid. c. 2. p. 255. D.* *ſumptu in aqua demitti, & inter pauca verba tingi* prædicans? [g] ſi tantum jam norat & baptiſmi noſtri *ſuggeſtum & apparatum*, quantum extruit noſter hierophantes? Ergò & hic Tertulliano ipſo recentior. Sed vt de ſingulis quoque aliquid carpam, ne ipſi quidem vt opinor, Areopagitici negabunt, fontem illum Eccleſiaſticum, in quo ſuos mergitat Atticus Hierarcha, ab alijs paratum eſſe, quam ab Apoſtolis. Ipſe Vicecomes

h *Vicecrom. de Baptiſ. ritib. L. 1. c. 4. Ibid. c. 5.* *inter omnes conſtare* dicit, [h] *primis rei Chriſtianæ temporibus baptiſteria in vſu non fuiſſe; ſed in fluminibus, fontibus, vijs ac carceribus fidei noſtræ proceres baptiſmum adminiſtraſſe.* Quod vero hoc jam Areopagitæ æuo

i *Iuſt. Apol 2.* mutatum, tumque inſtituta baptiſteria hariolatur, id Iuſtini [i] apertiſſimo teſtimonio refellitur; qui baptiſandos deductos fuiſſe dicit ad *locum, vbi aqua eſſet* ἄγεσθαι ἔνθα ὕδωρ ἐστι; id eſt ad fontem, vel flumen, vel lacum, vel mare. Et hæc Tertulliani eundem adhuc ſuo tempore v-

k *Tertull. de baptiſ c. 4. p. 257. A.* ſum manſiſſe ſignificant; [k] *Nulla diſtinctio eſt* (inquit) *mari quis, an ſtagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo diluatur*; Iuſtinum autem & Tertullianum non paucis poſt Dionyſium annis vixiſſe confeſſum eſt. Aquam vero tribus illis Areopagiticis vnguenti in crucis formam priuſquam mergerentur, effuſionibus conſecrari, nondum ſolitam fuiſſe Iuſtini & Tertulliani ea de re talibus in locis ſilentium loquitur. Et hic diſerte aquas de *priſtina prærogatiua ſacramentum ſanctificationis conſequi, in-*

l *Id. ibid. B.* *vocato Deo*, dicit; [l] Ad hoc ter effundi in eas vnguentum non requirit. Sed neque ipſe, neque Iuſtinus, neque quod ſciam, vllus ejuſdem æui vel oleo ante tinctionem toto corpore perunctos, vel candida veſte poſt

tinctio-

tinctionem inductos fuiſſe meminit. Tertullianus *Perungi* ait, [m] ſed *egreſſos de lauacro*; vnctos ante lauacrum nullos dicit. Poſteri id ſunt commenti; vt & candidam; quo Pauli ſententiam, *Chriſtum nos*, ſed Spiritu, *in baptiſmo induere*, docentis, [n] illo fulgente carnis integumento ad-adumbrarent. Qui hæc ergo poſt nata in ſolenni Chriſtianorum baptiſmo exhibet, is Areopagita iampridem mortuus eſſe non poteſt.

m *Ibid. c.7. init.*

n *Gal.3.27.*

Neque verius videtur, quod iſte quoque æuo Dionyſii morem jam *fuiſſe fingit*, vt paruuli in baptiſmo nihil adhuc in illa ætatula intelligentes, *a Pontifice res diuinas docerentur, ac de iys interrogarentur*, alijs eorum loco reſpondentibus, idque Gentiles irriſiſſe. Irriſuros quidem fuiſſe, ſi factum eſſet, non dubito. Nondum illis temporibus aliquid hujuſmodi factum fuiſſe, vel id ipſum argumento eſt, quod hoc nemo illius æui vel a Paganis irriſum fuiſſe prodiderit, vel ne irrideri poſſet ſategerit, mori in ſpeciem abſurdo cauſas aliquas rationeſque (quod iſte hic, quod alibi Auguſtinus, cum res invaluiſſet, facit) [p] vel de ſuo ingenio accommodando. Vnde non immerito hunc ſuſpicor Auguſtino, quocum vnus iſta tractat, haudquaquam vetuſtiorem fuiſſe.

o *Dion. Hier. Eccl.c.7 Theor. B.11.p.360.*

p *Auguſt. Epiſt. 23.*

CAPVT XXIII.

Argumentum XXIII. ab vnguenti μύρου conſeruatione ductum, a ſcriptore accuratiſſime deſcripta, Apoſtolicis & proximis temporibus apud noſtros ignota. Argumentum XXIV. Quod ſcriptor ad Euchariſtiæ & vnguenti ſacri confeſſionem incenſum, & ſuffitum adhibet, Chriſtianis ad a. D. 300. ignotum. Argumentum XXV. ab altaris, & quidem ex Chriſmate, conſecratione ductum quam ſcriptor quidem, vt Areopagita ſæculo ſolemnem, deſcribit; Breuiarium vero Romanum a Syluestro P. R. poſt a. D. 300. primum inſtitutum affirmat. Argumentum XXVII. Quod altaria ſacra ſcriptor apud ſuos in vſu fuiſſe teſtatur; apud Chriſtianos primis tribus ſæculis nulla. Argumentum XXVIII. Quod templa proprie dicta apud Chriſtianos ſcriptorem extent, quæ apud vetuſtiſſimos trium primorum ſæculorum Chriſtianos nondum vlla erant.

IAm, quid illam, quam idem deſcribit, [q] & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ὁμόταγῆ & ταὐτουργὸν, id eſt *Eiuſdem ordinis ac operationis* facit, Vnguẽti τελειουργίαν *Conſecrationem* dicã? Quiſquã ne eſt vel Apoſtolici ſpiritus, vel antiquiſſimorum Chriſtianiſmi temporum ita ignarus, vt huic affirmanti credat, vel viros divinos tradidiſſe, vel eorum diſcipulos accepiſſe, vt Pontifex Vnguentum altari, & quidem *alis* ſiue *pennis*

q *Dion. Hier. Eccl.c.4. Par. 1.§.1.p.280. 281.& part.2. §.3.*

Caput XXIII.

duodecim obuelato imponat, & quibuſdam inde canticis & precibus ſanctificet ad varias conſecrationes vtendum? Atqui nullum hujus tam auguſtæ conſecrationis, nullum altaris alarum-ve duodecim altare obumbrantium, apud omnem intra annum Domini trecenteſimum Antiquitatem reperitur veſtigium. Nam Conſtitutiones, quæ dicuntur Apoſtolorum, vbi hoc vnguenti myſterium extat, inferiorum eſſe temporum opus eodem ingenio, eodemque animo effictum, quo hæc Areopagitica poſtea procuſa ſunt, & eruditi fere confitentur, & nos propria huius argumenti diſputatione demonſtravimus.

* *De Pſeudepigraphis Apoſtol.*

r *Ibid. p. 281. A. & Part. 2. §. 3.*

Illud, vt cætera mittam, vnguentariæ illius conſecrationis nouitatem ſatis arguit; quod in ea noſter Hierophantes memorat. *Sacram per totum Templum cum odoris fragrantia proceſſionem.* τὴν ἱεραρχικὴν ἐπὶ πᾶν τὸ ἱερὸν εὔοσμον περιαγωγήν. *Fragantiam* dicit ob ſuffitus, quos in illa proceſſione æque, ac in Euchariſtiæ ſacro, ſolennes fuiſſe ſignificat. In Euchariſtiæ enim expoſitione Pontificem in primis & ante omnia altare ſuffumigare docuit,[s] ἐξ αὐτοῦ τοῦ θυμιᾶν ἀρξάμενος (inquit) & mox ibidem Antiſtitem dicit *ab altari ad extremitates vſque templi cum odoris ſuauitate prodire.* Atqui incenſi, & thuris, quod ad ſuffitus adoletur, nullum apud veteres ſecundi tertijque ſeculi Chriſtianos in ſacris faciendis vſum fuiſſe, ex Athenagora,[t] Clemente Alexandrino,[v] Tertulliano, & Arnobio manifeſtius eſt, quam vt negari poſſit. Tertullianus;[y] vt illos mittam vnus nunc ſatis eſt, exerte negans *Se Deo offerre grana thuris vnius aſſis, aut Arabicæ arboris lacrymas.* Negans *ſe thura emere,* negans cætera *peregrinitatis Chriſtianis vſui eſſe*, niſi vel *ad pigmenta medicinalia, qua homines ſunt,* vel inſuper, *qua Chriſtiani, ad ſolatia ſepulturæ.* Ergo quis thura & ſuffitus in ſacris ſuis vſurpabat Areopagiticus, etiam Tertulliano recentior eſt; nedum vt Areopagita ſit.

s *Ibid. c. 3. Par. 2. §. 1. Par. 3. §. 3.*

t *Athenag Legat. Bibliot. patr. Gr. Lat. T. 1. p. 59. C.*

v *Clem. Strom. L. 7. p. 717. A.*

x *Arnob. L. 7. p. 291.*

y *Tertull. Apol. c. 30. Ibid. c. 42. Id. de Idol. c. 11. p. 110. c.*

Idem oſtendit ea, quam idem ſcriptor ibidem dicit[y] *Puriſſimis eiuſdem vnguenti affuſionibus perfici altaris conſecrationem.* Atqui Areopagiticos noſtros vel ſuum Breuiarium docet,[z] etſi jam tum ab Apoſtolorum *tempore loca fuerint Deo dicata, non tamen in eis adhuc in titulum erectum fuiſſe altare, quod Chriſmate delibutum Domini Chriſti Ieſu Chriſti, qui altare, hoſtia, & ſacerdos noſter eſt, figuram exprimeret.* Hunc ergo, qui *altare in titulum erectum & Chriſmate* (hoc enim ejus μύρον, ſiue vnguentum eſt) delibutum, ad Chriſtum vt ipſe ibidem exponit, figurandum exhibet, *Apoſtolorum tempore* nondum fuiſſe, imo etiam poſt Sylveſtri Pontificatum, fuiſſe neceſſe eſt, quem Breuiarium ritus in conſecrandis altaribus ſolennes primum inſtituiſſe ibidem affirmat. Idque Areopagitici negare non poſſunt, niſi ſuo ipſi Breviario nuntium remittunt.

y *Dion. Hier. Eccl. c. 4. part 3. §. 12. p. 291. B.*

z *Breuia. Rom. d. 9. Nou. Lect. 4. p. 1128. extr.*

Quid, quod ne altaria quidem apud vetuſtiſſimos Chriſtianos vlla fuiſſe apparet? Halloixius quidem ait[a] fuiſſe. Sed ipſis Antiquitatis monumentis potius quam Halloixio credi verum eſt Cæcilius Paganus

a *Halloix. de oper. Dion. Q. 2. p. 590.*

apud

apud Minutium hoc noſtris objecit; [b] *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla, nota ſimulacra?* Origenes Celſum ipſis illis Hadriani temporibus, quibus Areopagita paſſus fingitur, jam diu ante Cæcilium Chriſtianis exprobraſſe auctor eſt, [c] quod *aras, & ſimulacra, & templa conſtituere refugerent.* Arnobius Ethnicos diu poſt Cæcilium idem adhuc ijſdem objectaſſe teſtis eſt; [d] *In hac* (inquit) *conſueſtis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non deorum alicuius ſimulacrum conſtituamus, aut formam; non altaria fabricemus, non aras.* Si qua noſtris veri nominis altaria fuiſſent cur hoc illis Pagani objectarent? Ieſuitis quidem nunc nullos Iaponas, aut Sinas objeciſſe audivimus, quod nullas aras habeant. Quis enim hoc illis objectaret, niſi inſigniter vel ſtultus, vel impudens? Quid, quod hunc, qui Cæcilio, & Celſo; & Ethnicis ad ea reſpondent, Octavius, & Origenes, & Arnobius, ne ipſi quidem negant? apertiſſimè concedentes nulla ſibi ſuis-ve revera fuiſſe proprie dicta altaria? nulla niſi myſtica, & ob aliquam ſimilitudinem figurate ita dicta memorantes? Scriptorem ergo Areopagiticum, apud quem ueri proprijque nominis altaribus plena ſunt omnia, [e] neceſſe eſt Minutio & Origene & ipſo etiam Arnobio fuiſſe recentiorem.

b *Minut. in Octau p. 25.*
c *Orig. contr. Cels. L. 8. p. 40*
d *Arnob. L. 6. init.*
e *Dion. Hier. Eccl. c 3. p. 242*

Idem ex eo intelligitur, quod iſte *Templi* proprie dicti in Chriſtianorum cultu non ſemel meminit; [f] quod apud noſtros primi & ſecundi, imo & tertij ſæculi homines nullum adhuc fuiſſe tum multa alia, tum hæc ipſa trium celeberrimorum ſcriptorum, quæ adduximus loca clariſſime conficiunt; & Chryſoſtomus, [g] & Iſidorus Peluſiota [h] diſertè affirmant; *Nondum erant* (inquit) *Eccleſiæ & Templa.*

f *Id. ibid. part. 2. & c. 4 par. 2*
g *Chryſ. in Act. hom. 43.*
h *Iſid. Pelus. L. 2. Epiſt. 247.*

CAPVT XXIV.

Argumentum XXVIII. Quod ſcriptor Monachos, ignotum primis ad a. D. 300. Chriſtianis genus, fuſe memoret, & eorum conſecrationem accurate deſcribat. Exploditur ac refellitur craſſum, & impudens Halloixij commentum ſui ſcriptoris de Monachis dicta ad neſcio quos diverſi ab omnibus alijs ſequentium ſæculorum Monachis aſcetas torquentis. Cæteris omnibus Chriſtianis ignotus, huic vni Ieſuitæ notos, & ex ipſius cerebro nunc primum exortos.

SEd & hoc ille ſcriptor novitatem ſuam apertiſſime prodit, quod Monachorum meminit, & eorum conſecrationem fuſe exponit, quorum genus primis tribus Chriſtianiſmi ſæculis plane ignotum fuiſſe ex omni antiquitatis illius memoria certiſſime conſtat. Notum eſt illud Hieronymi; [i] *Monachatum principes habuiſſe Paulos, &*

CAPVT XXIV.

Antonios, Iulianos, Hilarionem, Macarios; non Apoſtolos aut Apoſtolicos viros. Hoc Halloixius telum vt a caro ſuo Dionyſio amoliatur, fingit eum non de eremitis & cœnobitis, aut vllis denique aliis ejus generis Monachis loqui, qui qualeſque & ex Antonii primum diſciplina, & poſtea innumerabiles alii extiterunt; ſed de diuerſo quodam Monachorum genere, quod iis ſæculis floruiſſe vaticinatur, [k] quæ ab Apoſtolis ad Antonium fluxerunt, hujus ante hac inauditi ordinis *Monachos* definit *populi vrbani partem fuiſſe inter laïcos* degentes, Epiſcopis, etiam ſacerdotibus ſubjectos; alios priuatim in ſuis ædibus, alios communiter in collegijs vixiſſe, caſtimoniam, & puritatem a negotiorum ſæcularium tumultu, etiam externo habitu, profitentes, iiſque in Templo primum inter laicos, clericiſque proximum locum eſſe aſſignatum. Duo ſunt autem quæ iſte dicit; vnum quidem ſcriptorem hos Monachos quorum meminit, eos diverſi ab Antonianis, & cæteris poſtea ſubſecutis generis, atque ingenii, & intellexiſſe pſum, & a lectoribus intelligi voluiſſe. Alterum vero eſt hos ipſos, quos qualeſque ſcriptor intelligit, & ipſe deſcribit Monachos, jam ab Apoſtolorum temporibus apud Chriſtianos frequẽtes extitiſſe. Iam vt ab hoc poſteriore eius pronunciato incipiam, ſi quæras vnde ſciat huiuſmodi hominum genus primis illis ſæculis revera apud noſtros fuiſſe, confitetur ſane ingenue eorum nō meminiſſe *ſecundi ſæculi ſcriptores*; quorum enim *cœlibum* illi interdum meminerunt, eos ab his Monachis tametſi in multis ſimiles, diverſos tamen revera fuiſſe. Hoc laudo; illud queror, quod non & primi, & tertii ſæculi ſcriptores vna cum ſecundi auctoribus hic coniunxerit. Neque enim illi iſtorum de nouo Halloixii partu Monachorum magis, quam hi meminerunt. Sed cur iſtos ille omnibus eorumdem temporum hominibus ignotiſſimos, tametſi nullam eorum vſpiam apud veteres reperiebat memoriam, fuiſſe tamen tam confidenter affirmat; dicam. Videbat actum eſse de Dionyſio, magnis ſuis delicijs, niſi aliud olim fuerit diverſum ab Antonianis Monachorum genus; neque enim huius generis ante tertium ſæculum vllos extitiſſe conſtat. Periret Areopagiticus? Abſit, vt hoc Halloixius ſinat. Itaque vt Iupiter Minervam in fabulis, ita hic nouum, & inauditum Monachorum examen ex cerebro ſuo enixus eſt, ad fabulas ſuas tuendas. Nos vno verbo boni hominis, ſed Areopagiticorum nimium ſtudioſi ſomnium refellimus; Tuorum Monachorum, Halloixi, tam ſingularium, tamque memorabilium, ſi revera fuiſſent, aliqua extaret in tam multis quæ ſuperſunt, illius antiquitatis monumentis memoria. Nullam extare confiteris; Illi ergo quicquid tu declamites nulli fuerunt. Id ipſum inde diſcimus, quod hic ſcriptor a ſe memoratos Monachos (quos tu tuos eſſe vis) *a ſuis divinis præceptoribus* (Apoſtolos intelligit) duobus nominibus inſignitos fuiſse dicit, [l] vocatoſque ab aliis quidem *Monachos*, ab aliis *Therapeutas* ſeu *Cultores*; quod ſi verum eſſet, duo illa nomina fuiſſent apud Apoſtolorum & Apoſtolico-

i Hier. ad paulin. de inſtit. Monach.

k Halloix. de oper. Dion. c. 2. p. 567.

l Dion. Hier. Eccl. c. 6. part. 1. § 3.

rum virorum diſcipulos atque ſucceſſores celebria. Atqui tantum abeſt, vt nobilia tum fuerint hæc duo nomina, vt eorum alterum *Monachos* nec ſemel quidem occurrat vel in divinis, vel etiam in Eccleſiaſticis eorum libris; qui intra annum Domini trecenteſimum vere certòque floruiſſe noſcuntur; *Therapeutæ* vero nomen apud vnum tantum Philonem, ſcriptorem Iudæum, non Chriſtianum, reperiatur, de Eſſenis, Iudaïca ſecta, vſurpatum. Sed quid tergiverſatur miſer Halloixius? cur id confiteri refugit, quod clarum eſt, & ab omnibus tum Dionyſij interpretibus Maximo, Pachymere, Corderio, & aliis, tũ a ſuarum partium magiſtris, Bellarmino, & aliis ante ſe confeſſum? qui omnes, quæ Hierarchiæ ſcriptor tradit ad ſuos, id eſt Antonianis, Baſilianis, Benedictinis & cæterorum ordinum Monachis ſimiles, eiuſdemque cum illis generis referunt? Cur ſolus nodum in ſirpo quærit? Vel vnum *Therapeutæ* vocabulũ oſtendis hunc Hierarchiæ ſcriptorem puerile Euſebii [m] ſomniũ ſecutum, cum eo putaſſe deſcriptos a Philone in libello de ſupplicibus *Therapeutas*, non Iudæos Eſſenos, ſed Chriſtianos aſcetas fuiſſe. Itaque fingit duo iis nomina fuiſſe ab Apoſtolis impoſita; quorum alterum *Therapeutas* a Philone ſumpſit, alterum *Monachos* ex communi ſui ſæculi (id eſt quarti vel quinti) vſu & ſermone habuit. Sed (inquit Halloixius) quos ipſe ſcriptor edit Monachos, ii ejuſdem cum Antonianis & cæteris quarti ac quinti ſæculi Monachis generis eſſe non poſſunt. Quidni, inquam? Annon & hi *Monachi* paſſim vulgo ab omnibus, etiam aliquando ab eruditis *Therapeutæ*, ſive *Cultores*, & nunc *Religioſi*, quod idem eſt, vocantur? Annon ſe perfectiſſimum hominum Chriſtianorum genus eſſe gloriantur? Non proximo poſt Clericos, honeſtiori ante laïcos loco ſedent? Non ſingularem vitæ formam ſectantur? Habitu, Capillo, victu, cælibatu, a cæteris diverſi? Non certa quadam ratione in ordinem conſecrantur? Quæ tuus Dionyſius Halloixi, omnia de ſuis Therapeutis dicit? Sed (inquis) ſuos dicit *populi vrbani partem fuiſſe, Epiſcopi, etiam ſacerdotibus* ſubjectos fuiſse, vel privatim in ſuis ædibus, vel cõmuniter in collegiis vitã duxiſse. A ſacerdote cõſecratos dicit, fateor, ſed quarti quintique ſæculi Monachos ab alio, quam a ſacerdote, vel *ſæculari*, ut nũc loquimini, vel ſui certe ordinis, id eſt, Monacho, conſecratos non probas. An tu putas Hieronymi, verbi gratia, gregales Bethlehemiticos Monachos ab alio, quàm ab ipſo fuiſſe conſecratos? Illos Epiſcopo ſubjectos fuiſse apud Dionyſium tuum diſerte poſitum non lego; ſed etiam ſi legerem, non ideo putarem diverſos ab his fuiſse, quos Epiſcopis ſubeſse Synodici & illius, & ſequentis ævi canones [n] jubent. Cætera quæ aſsuis tua ſunt, non ſunt Dionyſii tui, qui nuſquam, quod ſciam, definit Ruſticæ-ne, an vrbanæ plebis pars eſsent ſui illi Therapeutæ; vel privatim-ne in ſuis ædibus, an communiter in collegiis vixerint; vt nihil vetet, quin eos perinde, vt quarti & quinti ſæculi Monachos, vtrjuſque generis fuiſse; quoſdam in vrbibus, multos in agris, etiam in deſertis quoſdam vixiſse

CAPVT XXIV.

m *Euſeb. Hiſt. C.2.c.16.17.*

n *Conc. Clalced. can.3.4.8.23. Concil.6 can. 9.1. 42. Trull. c 2.4.*

CAPVT. XXIV. dicamus; alios ſolos, plæroſque cænobitas. Hoc vnum excipio, quod quoſdam privatim in ſuis ædibus habitaſse vis; cuius generis Monachum nullum memini vel apud tuum Dionyſium, vel apud quarti & quinti ſæculi ſcriptores legere. Quod vero pronuncias [o] tuum Dionyſium ſuos Monachos ita dictos fuiſſe docere, *non quod ſoli habitarent ſed quod vitam ſingularem, vnique Deo intentum agitarent*; id ſic admitto, vt hierophantem Monachos ἐκ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς, *ab indiuidua & ſingulari vita* denominatos, ſcribere concedam quidem; ex hoc vero ſuorum ſenſu, eos excluſiſse, *ſi qui ſoli habitarent*, negem. Neque tu hoc ab eo vſquam factum (vt opinor) reperies deſine ergo, ſi ſapis, te tuoſque lectores inanibus tuis ſomniis vexare, & id quod verum clarumque eſt, vna cum cæteris tuis, noſtriſque hominibus conſiſtere tuum Dionyſium non alios Monachos, quam qui qualeſque quarto & quinto ſæculo extiterunt, intelligere; adeoque quarti, vel quinti ſæculi hominem fuiſse; cum prioribus tribus ſæculis nullos hujuſmodi Monachos fuiſse & conſtet, vt vero tu ipſe diſertiſſime concedas, imo etiam contendas. Sed vt omnis Halloixii fruſtra verſus vera nitentis perviuacia frangatur, afferenda eſt hoc loco Morini, Latini quidem æque cum iſto prebyteri, ſed multo, quam iſte erat, doctioris diſputatio idem hinc nobiſcum concludentis; *Epochen* (inquit) *ſcriptionis Areopagiticæ ſede iſta movendam, & ad poſteriores annos attrahendā, lectorem ſedulum admonere videntur, quæ de Monachis ſcribit Dionyſius. De illis enim loquitur; vt in Eccleſia ſtatum certum & publicum habentibus, primaſque ſuper omnes fideles in ſacra Synaxi de more tenentibus. Eorum conſecrationis ritus enarrat; non ſecus ac ſacerdotum, & reliquorum Clericorum; quaſi non minus eſſent inſignes, ordinarij, frequentes in Eccleſiis Chriſtianorum, quam ipſis ſacerdotes & Clerici. Neque tantum ſcribit eos ſuo tempore cœpiſſe; ſed vult Chriſtianos illos Monachos multo, quam ipſe ſit, antiquiores.* Hinc divini præcepto noſtri (*inquit*) ſanctis illos nominibus appellari voluerunt; alij *Therapeutarum*, alij Monachorum, a puro Dei famulatu, & cultu. *Itaque ex ipſius doctrina Monachi tempore primo Apoſtolico, & in ipſis Eccleſiæ incunabulis fuerunt, non in deſertis locis ſed in medijs Chriſtianorum Eccleſijs conſpicui, a Clero & Plebe diſtincti peculiaribus benedictionibus publice conſecrati.* Tum rem plane aliter habere, neque vllos fuiſse hos primis Eccleſiæ temporibus Monachos probat luculentiſſimis argumentis; inter quæ duo hæc ſunt inſignia; prius inde ductum, quod Cornelius, Epiſcopus Romanus Cypriani æqualis, omnes Eccleſię ordines recenſens ad viduas vſque, pauperes, & afflictos, nullos iſtic Monachos memorat; alterum ex Pari Clementis de his in Conſtitutionibus ſilentio, vbi omnes Eccleſiæ gradus ſigillatim refert, eorumque ordinationis, & benedictionis ritum explicat; Diaconiſsas, Virgines; Viduas memorat; de Monachis ne vnum quidem γρῦ ſcripſit. Cętera, qui volet, apud Morinum legat.

o *Hallo. de oper. Dion. Q. 3. p. 563 col. 1.*

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 5 §. 3. p. 46.

Dion. Hier. Eccl. c. 6.

Cornel. apud Euſeb. Hiſt. L. 6. c. 35.

CAPVT

CAPUT XXV.

Argumentum XXIX, inde ductum, quod ſcriptor Euchariſtiam, etiam parvulis recens natis, baptiſmo tinctis, tradit & communicat; quod ab Apoſtolorum dogmate alienum, nec niſi poſt eos vſitatum fuiſſe reperitur. Argumentum XXX: quod ſcriptor nouum, & ab ipſis Latinis exploſum, mortuos fideles ex oleo inungendi, ritum pro verè antiquo & Apoſtolico obtrudat.

SEd & hinc iſtum non eſse Areopagitam apparet, quod doceat [p] ſuo tempore jam obtinuiſse eum morem, qui tertio ſeculo exortus latiſſime apud Chriſtianos poſtea ſeſe deffudit, & in cęteris Orientis, & Auſtri gentibus etiam hodie manet, apud Latinos ad duodecimum fere ſæculum manſit, vt ſacra ſcilicet Euchariſtia infantibus parvulis, Chriſti baptiſmo tinctis, communicetur. *Pontifex* (inquit) *puerum conſortem facit ſacrorum myſteriorum, vt in iys enutriatur.* Μεταδίδωσι δὲ τῷ παιδὶ τῶν ἱερῶν συμβόλων ὁ ἱεράρχης, ὅπως ἐν αὐτοῖς ἀνατρεφείη. Hic enim de Euchariſtia iſtum loqui, & Pachymeres docet, qui hæc verba ſic παραφράζει; μετέχει δὲ καὶ τῶν μυστηρίων τὸ βρέφος, *Puerum autem myſteriorum participem facit*; Et per ſe clarum eſt ex hujus ſcriptoris Stilo, qui *Symbolorum* nomen abſolutè, vt hoc loco poſitum, intelligit Euchariſtiæ ſacramentum, vt Balthazar Corderius [r] vere obſervauit, & ex hoc ſeptimo, & tertio Hierarchiæ Eccleſiaſticæ capite firmavit. Iam vero Euchariſtiam Apoſtolos, quam ad mortem Domini commemorandam proprie inſtitutam, neque niſi *facta ſui ipſius probatione* ſumendam diſertiſſime docent, [s] pueris hujus vtriuſque actus per ætatem nondum capacibus, tradidiſſe, incredibile eſt a divina eorum ſapientia alienum, idque ipſi Tridentini ſatis fatentur, dum diverſum tot ſæculorum vſum abrogant, [t] & qui neceſsario retinendum putant, eos anathemate percutiunt; quod non videntur facturi fuiſse, ſi eum ab ipſis Apoſtolis inſtitutum, & traditum fuiſse putaſsent. Ex quibus patet ſcriptorem, qui Euchariſtiæ paruulis rationis vſu carentibus communicandæ morem Chriſti Apoſtolis tribuit, eum Areopagitam Pauli diſcipulum nequaquam eſse poſse.

p Dion.Hier. Eccl c.7.Part. 3.§.11.p.362. C.

q Pachym. in loc.p.373.C.

r Corder. in Onomat.Dion. ad Σύμβολον.

s 1.Cor. 11.

t Concil. Trid. Seſſ.21.c.4.& can.4.

Quo & illud accedit, quod hic inter cætera ſacra Chriſtianorum mortualia, Antitiſtem facit defuncti hominis corpus oleo inũgere; *Poſtquam* (inquit) *omnes defunctum ſalutarunt, eum Hierarcha oleo perfundit.* [v] ἀσπασαμένων δὲ πάντων ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης. Quin & in hoc ritu myſteria haud vulgaria venatur; eo ſignificari docens, [x] eum qui mortuus eſt, ſacris certaminibus peractis eſse functum; qualiter illo alio oleo, quo baptizandum primò inungi tradidit, vult baptizandum ad ſacra illa certamina vocatum fuiſſe. At Apoſtolos huius

v Dion.Hier. Eccl.c.7. Part. 2.p.351.C.

x Ibid.Part.3. §.8.p.359.C.

hujus myſterii auctores minime fuiſſe, neque id eorum temporibus in vſu fuiſſe & ipſa rei vanitas, & Tabithæ mors in actis docet; [y] cujus corpus lotum quidem fuiſſe ex communi ſcilicet illius ſæculi apud Iudæos, & Gentiles more memorat Lucas; inunctum fuiſſe non memorat. Ne ipſos quidem Latinos ſuo huic Dionyſio de illa mortuorum ex oleo vnctione credere, & Synodi Florentinæ actis patet; vbi eos inter cætera a Græcis quæſiuiſſe legimus, [z] διάτι χρίουσιν ἔλαιον τοὺς νεκροὺς πρὸ τοῦ ἐνταφιάσαι αὐτούς; *quare mortuos antè ſepulturam oleo inungant?* Abſurde hoc quærerent, ſi Dionyſio eum ritum ab Apoſtolis traditum, & Apoſtolico jam ævo receptum, ac ſolennem apud noſtros fuiſſe teſtanti fidem habuiſſent. Non eſt ergo hic Dionyſius ueri nominis Areopagita Dionyſius; quem nemo dubitat res poſterioris memoriæ, veluti ſua, id eſt Apoſtolica, jam vſitatas, nequaquàm fuiſſe commemoraturum.

y *Act.8.37.*

z *Synod.Flor. in Act. poſt. Seu.25. T.8 Conc.p.859.* C.

CAPVT XXVI.

Argumentum XXXI. Quòd ſcriptor quædam vel apertè falſa, vel certe mendacij valde ſuſpecta tradat, vt quod Dionyſium facit prædicere ſe Ioannem exilio Patmenſi ſolutum viſurum eſſe liberum. Ille vero fallitur. Apoſtolus enim ſub Nerva ſolutus eſt; Dionyſius ſub Domitiano jam paſſus erat. Argumentum XXXII. Quod ſcriptor multa mirabilia de quodam Hierotheo, veluti de Divino & viro, & ſcriptore, & apud Chriſtianos longe celeberrimo prædicet; cæteris tamen omnibus ignoto. Hunc non alium fuiſſe videri, quam ipſum qui eum celebrat, ſcriptorem. Quo conſilio ſcriptor heroem hunc ſuum finxerit.

HÆc quibus, & alia fortaſſe ejuſdem generis non pauca addere poſſem, ſi noſtri Hierophantæ libros diligentius legere, & expendere liberet, ad inſtitutum noſtrum ſatis ſunt. Quædam tantum antequam hinc diſcedam in illius operibus vel aperte falſa, vel certe merito ſuſpecta annotare placet, quod iſta & ejuſdem pæne cum ſuperioribus κακοπλάστοις generis ſint, & hunc alium ab Areopagita eſse evidentiſſime arguant, uiro, ut ex uetuſtiſſimorum traditione conſtat laudatiſſimo & Pauli diſciplina digniſſimo adeoque uerace & a mendaciis, & fabulis alieno.

Primum in hoc cenſu id colloco quod Hierophantes, vt ſe ſe prophetiæ donum a Deo accepiſſe perſuadeat, ad Ioannem Apoſtolum in Patmo exulantem ſcribens, prædicit eum ex illo exilio liberatum iri, & in Aſiam reverſurum; quod quia vere factum fuiſſe ex Eccleſiæ hiſtoria didice-

didicerat, facilè fuit ueluti futurũ, prædicere; & ſi hic conſtitiſſet, nihil eſſet quo mẽdacii poſſet argui; ſed his non contentus, aliud etiã vaticinatur haudquaquàm ejuſdem fidei, ſe nempe cum Ioanne ex Patmo in Aſiam reverſo futurum, eiuſque colloquio fruiturum; [a] *Nos nihil* (inquit) *lucidiſſimo Ioannis radio privabit; in præſentiarum quidem fruituros memoria & renovatione veriſſimæ Theologiæ tuæ; paulò poſt verò (auſim dicere licet confidentius) nobis ipſis conjungendos.* Μικρὸν δὲ ὕστερον ὑμῖν αὐτοῖς συναφθησομένους. Ille verò falſus uates fuit, cum is Dionyſius, quem ſe eſſe fingit, ſub Domitiano paſſus, Ioannem ex Patmo ſub Nerva tantum liberatum, in Aſiam reducem videre, & ei præſenti conjungi nulla ratione potuerit. Hæc ad illum locum Baronii verba ſunt; [b] *Cum in ea* (inquit) *Epiſtola dicat Dionyſius ſibi divinitus revelatum breui illum fore* (Sic enim Annaliſta loquitur) *ab ea relegatione ſolvendum, ac mutuo fruituros eſſe congreſſu; ſi dixerimus Dionyſium ſub Domitiano ſuſcepiſſe martyrium, ipſum ea de mutuo congreſſu eſſe mentitum, & vana illuſione deceptum (quod nefas eſt dicere) neceſſe eſſet affirmare. Nam omnium teſtificatione Ioannem Evangeliſtam nonniſi poſt obitum Domitiani ſub Nerua eſſe ſolutum exilio, exploratiſſimum eſt.* Hæc ille. Aſſume jam ex ijs, quæ ſupra ſunt a nobis demonſtrata. At Dionyſium martyrio ſub Domitiano conſummatum eſse, & ex prima traditione, & ex veterum teſtificatione exploratiſſimum eſt. Ergo Hierophantem illa de Dionyſii cum Ioanne congreſſu ſcribentem mentitum eſse, & deceptum neceſse eſt. Sed (inquit Baronius) *Nefas eſt dicere Dionyſium* ſanctiſſimum virum illa eſſe mentitum. Ego vero toto capite aſſentior; ideoque hunc, qui mendacij manifeſtus eſt, alium eſſe a veraciſſimo Dionyſio plane certum ac perſuaſum habeo.

CAPVT XXIV.

a *Dion. Ep.* 10 *ad Ioan. p.* 810.

b *Bar. a.* 109. §. 39.

Sed & ille Hierotheus, quem idem ſcriptor paſſim jactat, & quibuſdam operum ſuorum partibus inſerit, valde ſuſpectus eſt. Hunc Pauli diſcipulum fuiſſe ait, [c] ſuum vero præceptorem, cuius ſe poſt divinum Paulum ſermonibus, inſtitutum in Theologiæ elementis ſcribit ἐκ τῶν ἐκείνου λόγων στοιχειωθέντα. Hunc in promulganda apud omnes fide, & attrahendis ad eam quamplurimis, præ multis alijs ſanctis doctoribus excelluiſſe, [d] *eoſque ſuperaſſe cum vſu temporis, tum mentis puritate, tum acumine demonſtrationum, cæteriſque ſacris inſtitutis.* Itaque narrat [e] hunc ipſum Hieroſolymis vna cum Apoſtolis, & Timotheo & aliis ſanctiſſimæ Virginis corpus, vt ille loquitur, θεοδόχον viſiſſe, & in eodem conventu *de divinæ imbecillitatis bonitate,* id eſt, ni fallor, de Domini in aſſumenda carne mirabili φιλανθρωπίᾳ, ita dixiſſe, vt poſt Apoſtolos cæteris omnibus ſacris laudatoribus. (De eodem enim argumento & alii quotquot aderant, ipſi quoque dixerant) cæteris, inquam, *antecelleret, totus excedens, totus ſe deſerens, rerumque quas laudabat conſortium patiens, ac denique hujuſmodi, a quibus audiebatur ac videbatur, notis iuxta & ignotis, divino numine afflatus, divinuſque plane laudator cenſeretur:* & hæc viri eximia Timotheo inprimis notiſſima fuiſſe. Eundem litteris

c *Dion. de divin. Nom. c.* 2. §. 11. *p.* 428. *C. ibid. c.* 3. §. 2 *p.* 451. *C.*

d *ibid.* §. 3.

e *Ibid* §. 1. *p.* 452. *C. d* 453.

V non

Caput XXVI.

non pauca mandaſſe diviniſſima refert, & præ cæteris nominatim edit τὰς θεολογικὰς στοιχειώσεις, *Theologicas Inſtitutiones*,[g] ſiue *Theologica elementa, rudimenta* aut *principia*, in quibus compendio ſubtiles quædam definitiones multa in vnū complectentes graviter ac diuine explicatæ continebantur, eumque librum Timotheum legiſse, & *quod ſupra captum aſcenderet atque attolleretur*, remiſiſse ad hunc ipſum Dionyſium, rogantem *vt res eaſdem ſermone magis ad captum noſtrum accommodato explanaret.* Ipſe vero Dionyſius librum tanti facit, vt eum vocet, [h] *Quemdam perfectorum ſeniliumque ſenſuum magiſtrum, quaſdamque veluti ſecundas ſcripturas, diuinitus afflatorum hominum ſcripta proximè adſequentes.* ὥσπερ τινὰ δεύτερα λόγια, καὶ τῶν θεοχρίστων ἀκόλουθα. Et in iis quædam eſſe ab eo *celebrata* λίαν ὑπερφυῶς, *Valdè ſupra naturæ modum*, alio jam in loco dixerat; [i] ibidemque [k] inſignem inde de Ieſu ῥῆσιν deſcripſerat. Eiuſdem *hymnos* quoque *amatorios* ἐρωτικοὺς ὕμνους recenſet, [l] in quibus quædam de Dei amore divinitùs ἐνθέως expoſita eſſe dicit; & tria ex illo opere loca recitat. Hunc paſſim vocat τὸν κλεινὸν καθηγεμόνα, *inclytum ſuum præceptorem, doctorem, & amicum*: διδάσκαλον καὶ φίλον *divinum illum ſuum magiſtrum* τὸν θεῖον καθηγεμόνα; *inclytum ſuum in ſacris initiatorem* κλεινὸν ἱεροτελεστήν; *Solem* & quidem tantum [m] *vt in eum ipſe contra intueri ne conatus quidem fuerit vnquam.* οὐκ ἄν ποτε πρὸς οὕτω μέγαν ἥλιον ἀντωπεῖν ἐνεχειρήσαμεν. Hujus denique & contemplationem, & expoſitionem celeberrimam, vel valde inclytam dicit τὴν κλεινοτάτην αὐτοῦ θεωρίαν καὶ ἔκφανσιν. Quam Græci tantam Hierothei in omni laudum genere excellentiam cum intuerentur, & apud ſe expenderent, indignum rati virum tam ſingularem abſque vllo honore inornatum apud noſtros vitam degere, eum homines æquiſſimi, divinique, ac humani juris obſervantiſſimi, Athenarum Epiſcopum, & quidem primum, tametſi paulo ſerius, multis ſcilicet poſt mortem ipſius ſæculis, de ſuo fecerunt. Neque ſane negari poteſt, ſi quis Areopagitæ temporibus fuit, qui qualiſque hic fuiſſe dicitur, Hierotheus, quin is primum illum Athenienſis Eccleſiæ Epiſcopatum mereretur, vt ei nemo citra inſignem injuriam alius candidatus præferri potuerit. At conſtat ex veriſſimis certiſſimiſque antiquitatis monumentis primum Athenarum Epiſcopum non Hierotheum quemquam, ſed hunc ipſum Areopagitam fuiſſe Dionyſium. Ergo ne vllum quidem illo ævo extitiſſe Athenis Hierotheum confitendum eſt; quem ſi quis fuiſſet, Athenarum primum futurum fuiſſe Epiſcopum vel ipſi Græci recte ſane meritòque judicarunt. Quid, quod iſte Hierotheus in omnibus veteris ad quingenteſimum Chriſti annum, Eccleſiæ annalibus, tabulis, libris, atque monumentis plane nullus occurrit, neque alibi vt breuiter dicam, vſpiam reperitur, niſi in vnis noſtri huius Hierophantæ & jam olim ab initio, & nunc quoque valde ſuſpectis commentariis? Nulla vero ratione fieri potuit, vt vir tam ad miraculum excellens, tantæ in divinis ſapientiæ, tantiſque in promovendo Chriſti regno rebus pollens; ad hoc, qui Eccleſiæ non

f *Ibid. p.* 453. *B.*
g *Dion. ibid. c.* 3. §. 2. *p.* 451. *A. d.*
h *Ibid. p.* 432. *A. Ibid. c.* 4. §. 14. 15. 16. 17.
i *Id. de diuin. Nom. c.* 2. § 9. 10.
k *Ibid. c.* 3. §. 2. *Ibid. p.* 452. *c.*
l *Ibid. c.* 4. §. 14
m *Ibid. c.* 3. *init.*

non prædicatione tantum, & operibus,ſed & libris eximiis, & poſt divinos ſecundis tam benè eſſet meritus; qui denique in Chriſtianiſmo *ſol ita magnus.* ἔτω μέγας ἥλιος eſſet, vt in eum oculos intendere nemo quantumvis acutus, auderet; fieri inquam, non potuit ut vir hujuſmodi non eſſet apud omnes noſtros clariſſimus atque illuſtriſſimus multoque adeo minus vt obſcurus, & innominatus nulli ſuorum, niſi vni iſti Dionyſio, notus deliteſceret. Lucas in primis, qui Pauli omnia ad priorem Romanum captivitatem acta accuratiſſime eſt exſecutus, viri tanti converſionem ad Chriſtum dixiſſet; neque hunc potiùs, quam Dionyſium prætermiſiſſet. Cur enim præceptorem tacuiſſet, qui diſcipulum memoravit? Cur de *Sole* nihil ſcripſiſſet, qui tantulæ præ hoc Sole Stellæ meminit? Eadem de Dionyſio Corinthio, deque Ariſtide, viris pæne eorumdem temporum, clariſſimis obſervanda ſunt, quos Areopagitæ quidem mentionem præclaram; Hierothei nullam feciſſe audimus; Papiæ, Hegeſippi omnium denique Apoſtolici ævi propiorum ſcriptorum eadem ratio eſt; apud quos nihil de Hierotheo extitiſſe, & Euſebii, & aliorum, qui eorum opera legerant, de iſto ſilentium docet. Illud vero quantum quæſo, prodigium eſt, quod hujus litterariæ lucubrationes ita eximiæ ac divinæ, vt *ſecunda quædam ſcriptura* Apoſtolicis pæne pares, certe proximæ eſſent, plane penituſque ſic a priſcis illis omnibus ſpretæ contemptæque fuerint, vt nullum de iis verbum apud quemquam extet? Atqui hic ipſe noſter Hierophantes ſuum illum Hierotheum non alio magis nomine vocat, quam κλεινὸν, id eſt Inclytum, nobilem, ac glorioſum, & ejus *contemplationem atque expoſitionem* κλεινοτάτην *celeberrimam ac glorioſiſſimam* dicit. Nimirum ſenſit ipſe ſuum Hierotheum, ſi quis vere fuiſſet, κλεινὸν celebrem & inclytum apud omnes Chriſtianos; ejus pariter libros celeberrimos, ac nobiliſſimos futuros fuiſſe. Cum ergo neque viri, neque vllius ab eo ſcripti operis vllum apud quemquam veterum κλέος, vlla gloria, imo vel vlla quantumvis tenuis mentio aut memoria? fateri, velis, nolis, ô Hierophanta, cogeris tuum illum Hierotheum nihil minus fuiſſe, quàm κλεινὸν & κλεινότατον; κλεινὸν nullum adeo vnquam tuo ipſius indicio in rebus extitiſſe, quem ſi quis extitiſset, κλεινὸν & κλεινότατον neceſſario futurum ipſe judicaſti. Vnde jam vides, quam ridiculus homo ſis, qui eum virum κλεινὸν tam ſæpe vocas, qui ex toto mortalium genere nemini, niſi tibi vni notus erat, & κλεινότατα illa volumina dicis, de quibus nemo præter te vnum, quicquam vnquam inaudiverat. Hic quoque Morinum Hierotheus commovit. *Quis iſte eſt* (inquit) *apud Dionyſium ſolum tam famoſus, Hierotheus?* & explicatis ſuæ admirationis cauſſis; *Nulli* (inquit) *Catholici, nulli hæretici illius vnquam meminerunt. Stilus tamen Magiſtri, Stilo diſcipuli ſimillimus, vt ex pauculis, quæ ex eo refert Dionyſius evidenter colligitur. Ovum ovo, lac lacti vix eſt ſimilius, ita vt videantur in eodem ludo inſtituti.* Melius, ſiquid judico, dixiſſet, quod & fortaſſe intellexit ambos in eadem pelle habitare videri. Illa enim Hierothei, quæ

CAPVT. XX.

κλεινὸς ἔνδοξος ἀπὸ τῶ κλέυς. *Suid.*

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 6 §. 10. p. 50. extr.

Capvt XXTI.

nobis noſter Hierophantes exhibet, ſpecimina, ſi quis ea ſimplici, & a prejudiciis libero animo inſpexerit, liquido oſtendunt Hierotheum eſſe αὐτὸν ἱεροφάντην, & ἱεροφάντην eſſe αὐτὸν ἱερόθεον. Quatuor omninò ſi benè memini, ex eo loca attulit ac deſcripſit; primum ex Theologicis Elementis; [n] tria reliqua ex hymnis Eroticis. [o] Vide quæſo, & excute. Hujus ſenſus cum Hierophantæ ſenſibus, verba cum verbis; orationem cum oratione compara, ac contende. Reperies neminem vnquam hominem ſui ipſius tam fuiſſe ſimilem, tam ſecum (vt ſic dicam) eundem, quam eſt iſte Hierotheus hujus noſtri Hierophantæ ſimilis, quàmque cum eo vnus atque idem. Nullum alterius ab altero in quoquam diſcrimen eſt. Eadem vtrobique & ſenſuum, & verborum Pompa, atque Magnificentia; idem exceſſus, eædemque hyperbolæ; ijdem vocum grandium ac ſingularium bombi perſonant, ac perſtrepunt; eædem ſupra vulgarem hominum modum, ac vſum audaces audiuntur ſententiæ. Eundem ergo eſſe vtrumque, ne dubitaveris. Sed qui vnus erat Hierophantes, duos ſe videri diverſis aſſumptis perſonis ad pompam maluit; qualiter & plures alibi fingit fuiſſe ſcripturarum interpretes, qui aliquem eorum locum bifariam interpretarentur; tametſi parùm ſit veriſimile, quo ille tempore hæc a ſe ſcripta fuiſſe videri vult, multos jam apud noſtros fuiſſe ſcripturarum interpretes. Quamquam ſuum quidem Hierotheum non ad Pompam tantum, ſed etiam ad ſuum quemdam vſum conſulto videri poſſit fabricaſſe, & oſtentaſſe. Cum enim novam ipſe, & ab Apoſtolorum & Apoſtolicorum uirorum vſu plane penituſque alienam dicendi rationem ſecutus ſit ne ea novitas offenderet, ac lectores non ſtupidos de auctore ſuſpicari cogeret, quod is Apoſtolorum diſcipulus, quem ſe videri uellet, nequaquam revera eſſet; homo minime ſtultus ad eam ſuſpicionem ex hominum animis mature evellendam, videtur de induſtria id conſilij cepiſſe, vt virum nobis excellentem, & Apoſtolorum parem effingeret, eumque ſublimi quadam ac pene divina auctoritate armaret, qui eodem dicendi genere in tractandis rebus divinis jam ante ſe eſset uſus; cuiuſque adeo exemplo ſe tueri ac purgare poſſet; ne a noſtrorum more atq; ingenio primus diſceſſiſſe, & inſolentem ac ſæcularibus, quam Chriſtianis hominibus digniorem loquendi, ac ſcribendi rationem vſurpare videretur. Hæc ratio fuiſſe videtur, cur non modo ſuum illum Hierotheum, omnibus iis donis atque virtutibus, quæ in hominem ſummum, & ſane ſingularem cadere poſſunt, ambitioſiſſimè exornaret, & laudibus ad cælum efferret; ſed etiam aliquot ejus ῥήσεις Studioſe deſcriberet, ex quibus, veluti ex aliquo uiri ſpecimine, de ejus dictione ac phraſi judicare, eamque ſuæ ſimilem, imo geminam eſſe perſpicere poſſemus. Sed hominem ſua ipſum techna prodidit, & in id ipſum quod uitare cupiebat, invitum ac reluctantem impegit. Neque enim fieri poteſt, vt qui mentitur ſibi ab omni parte caveat; ne-ve ullum ueritati ad ſe oppugnandum ad revincēdum locum relinquat. Quod & huic noſtro Areopagitico Hierophantæ

n *Libr. de diuin. Nom. c. 2. p. 426.*
o *Ibid. c. 14. §. 14. 15. 16.*
p *Id. Hier. Cæl. c. 15. §. 1.*

phantæ in ſuo Hierotheo accidit. Dum enim hominem ea quam diximus, gratia, cupidiſſime ſupra cæteros mortales evehit, & ex homine ſolem fulgentiſſimum facit, non uidit ſe rem eo ipſo incredibilem fingere; quia ſcilicet cum primos noſtri generis homines proximoſque eorum poſteros *Sol* iſte ſi quis apud eos uere fuiſſet latere nō potuerit, neceſſe eſt profecto hunc Hierotheum, qui omnes primi, ac ſecundi, tertiique ſæculi Chriſtianos ita latuit, vt ab iis non dico celebratus, aut laudatus, ſed ne ſemel quidem memoratus, vel etiam nominatus fuerit, non modo *Solem* (quod iſte dicit,) ſed ne minimæ quidem magnitudinis ſidus fuiſſe in illo primi Chriſtiani ſæculi, vt ita dicam, cælo.

CAPVT XXVII.

Argumentum XXXIII. Quod ſcriptor quædam, velut a Iuſto, & Bartholomæo, ſcripta, laudatque falſa fictaque videntur. Argumentum XXXIIII. Quod Hierarchiam ſuam cæleſtem idem affirmet ſe a Paulo accepiſſe; quod falſum eſſe liquido demonſtratur.

HVc quoque pertinet quod idem Hierophantes vetuſtiſſimos Chriſtiani nominis viros quædam ſcripſiſſe fingit, quæ ſunt cæteris omnibus ipſo, uel antiquioribus uel recentioribus ignota. Quale eſt, quod ex Iuſto quodam (quem Pachymeres [q] *Juſtum* illum in Actis Apoſtolicis commemoratum intelligi putat) nonnulla citat; vbi *de pace, ac tranquillitate divina* uerba faciens, *Eam* (inquit) *ſacer Iuſtus inſonantiam vocat, & immobilitatem ad omnem emanationem, quæ cognoſcitur*, ἣν ὁ ἱερὸς Ἰοῦστος ἀφθεγξίαν καλεῖ, καὶ ἐπὶ πᾶσαν γιγνωσκομένην πρόοδον ἀκινησίαν. Alibi vero hæc quoque, uelut ex Bartholomeo (quem Apoſtolum fuiſſe ſcimus) recitat; [r] *Sic igitur* (inquit) *divinus Bartholomæus ait & copioſam eſſe Theologiam, & minimam; atque Evangelium, tum amplum & magnum tum rurſus conciſum.* οὕτω γοῦν ὁ θεῖος Βαρθολομαῖος φησι καὶ πολλὴν τὴν θεολογίαν εἶναι καὶ ἐλαχίστην καὶ τὸ εὐαγγέλιον πλατὺ καὶ μέγα καὶ αὖθις συντετμημένον. Prius dictum Hierophantæ involucris gaudentis, quam Iuſti vel Apoſtolici cuiuſquam, ingenio dignius videtur; Poſterius egregium eſſe fateor; ſed quod & eiuſdem ſcriptoris acumen ſapit, antitheta & in ſpeciem incredibilia fere venantis. Vtcunque ſit, libros fuiſſe, vel Iuſti, vel Bartholomæi aliquos, e quibus iſte hæc deſcribere vult videri, Parùm eſt credibile. Cum enim quæcunque ſcripta vel Apoſtolorum, uel Apoſtolicorum uirorum nomina proferebant, ueteres magno ſtudio colligerent, & quæ vera quidem eſſent, ea cupidiſſimè ſervarent, & memorarent; quæ falſa, diligenter notarent, & ſpu-

q *Dion. de diuin Nom. c. II. §. I. p. 669. A. & Pachym. in loc.*

r *Dion. de Myſt. Theol. c. I §. 3. p. 706. B.*

CAPVT XXVII.

& ſpuria eſſe admonerent; Iuſti iſtius & Bartholomæi nuſquam ab iis ullos memorari libros, ullaſve ῥήσεις & traditiones uidemus. Iſta Euſebius Petri, [a] Pauli, [b] Ioannis, [c] Matthæi, [d] Iacobi, [e] Iudæ, [f] Marci, [g] Lucæ, [h] Clementis Romani, [i] Hermæ; [k] Ignatii, [l] & aliorum ſcripta recenſet, & veterum de iis judicia ac cenſuras diligentiſſime obſervat, ac refert; quæ uera eſſent a ſuppoſititiis, quæ canonica ab Apochryphis magna-cura-diſtinguens, ac diſcernens. Cæterum neque Iuſti, neque Bartholomæi ullum uel uerum, ac ſincerum, uel fictum & ſpurium ſcriptum memorat. Fateor quoddam nomine *Bartholomæi Apoſtoli Evangelium* a Gelaſio P. R. [m] memorari; ſed quod ipſe *Apocryphum* pronuntiat, & in Apocryphorum cenſum reiicit. Si hinc Hierophantes ſuam illam Bartholomæi ῥῆσιν deſcripſit, eo ſe nihil minus, quam Apoſtolicum uirum fuiſſe prodidit, qui mendacem Apocryphi libri ſcriptorem θεῖον *divinum* vocat, & pro uero Apoſtolo habuit; ut illud mittam quod Bartholomæi memoratum a Gelaſio Evangelium videtur ipſo Gelaſio non multò fuiſſe antiquius, cuius ſcilicet neque Euſebius, neque Hieronymus; neque denique vllus vetuſtiorum meminit.

a *Euſeb. Hiſt. L.3.c.3.& L.6. c 14.*
b *Ibid.L.3.c.4.*
c *Ibid.L.3.c.24 & l.5.c.25.*
d *Ibid.L.3.c.25*
e *Ibid.L.2.cap. 23 24.*
f *Ibid. & L.6. c.13.*
g *Ibid.L.2.c.15*
h *Ibid.L.3.c.24*
i *Ibid.c.16. 38.*
k *Ibid.c.3.*
l *Ibid.c.36.*
m *Gelaſ.Concil.Rom.1.a.D. 494.notit.apocryph.T.3. Concil. p.663. A.*

Hujus quoque illud-cenſus eſt, ab eruditiſſimo Morino jure obſeruatum, quod noſter Areopagiticus de Matthiæ ad Apoſtolatum electione diſſerens, *De divina autem ſorte* (inquit) *quæ divinitus Matthiæ obtigit, alij alia dixerunt, non recte, mea quidem ſententia. Ego vero meam etiam ſententiam exponam. Atqui difficile creditu eſt* (inquit Morinus) *tam multos tum temporis de hac ſorte diverſa ſenſiſſe. Initijs Chriſtianiſmi, & toto illo ſæculo Apoſtolico curioſitatibus hujuſmodi non vacabant Chriſtiani, & ſiqui ijs vacaſſent, numero erant pauciſſimi. Eiuſmodi curioſitates frequentes fuerunt tertio, & quarto ſæculo. Itaque perſonæ, quam induerat, oblitus ſupponit quæſtioni ſuæ ea, quæ tantum tertio, aut quarto ſæculo fieri poterant.* Tum; *Si de hoc aliqui dubitabant* (inquit) *poterant Apoſtolos conſulere, cum quibus familiariter verſabantur, & ab ijs diſcere, quid illa Matthiæ ſors fuiſſet.* Optimæ rationes, & quæ ſcriptoris hoc loco τὸ κακόπλαςον arguunt. Par ejuſdem eſt in alio opere peccatum; vbi quod Eſaias de Seraphim labia ſua calculo tangente ſcripſit, id noſter ait a Theologis non vno modo explicari; apertiſſimo mendacio aliorum fuiſſe eas interpretationes fingens, quæ ſuæ vnius, non cujuſquam alterius erant; non modo, quod vt recte obſervat Morinus, nondum *his curioſitatibus noſtri vacabant*; ſed etiam quod difficultas, ad quam diſſolvendam iſta alios aliter commentatos eſſe dicit, ea non ex Iſaiæ dictis, ſed ex vna ipſius de Angelorum ordinibus matæologia exoritur; quæ cum cæteris omnibus Chriſtiana quinque tota Eccleſiæ prima ſecula plane ignota & inaudita fuerit, fieri profecto non potuit, vt ſiqua ex illa naſcitur dubitatio, ea in cuiuſquam animum toto illo tempore veniret.

n *Dion.Hier. Cæl.c.6.§.2. init.*
o *Maxim.Pachym.Corder. in loc.*
Morin.de Ordin.Part.2. §. 9.p.50.
Dion.Hier. Eccl.c.5.
Id ibid.c.13. §.1.

Sed neque hoc de Hierothei ingenio & rebus, deque Iuſti & Bartholo-

CAPVT XXVII.

tholomæi libris figmento illa veriora, uel ſaltem probabiliora ſunt, quę de Apoſtolis non vno in loco noſter Hierophantes tradit; confidentiſſime narrans eos ſuorum quorumdam tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis inauditorum dogmatum auctores fuiſſe. Verbi gratia, Hierarchiam illam, quam in Cælis primus fabricatus eſt, Paulo tribuit, atque inſcribit; *Subſtantias* (inquit) *Cæleſtes* (id eſt Angelos) *divinus noſter initiator* (id eſt Paulus , ut aſſentiunt interpretes) *in tres ternarias diſtinxit diſtributiones* (id eſt in novem ordines.) *Ac primam quidem ait eſſe illam quæ circa Deum aßiduè verſatur, illique iugiter inhæret, ac præ cæteris immediatius vniri traditur.* Hoc autem Angelorum ternione Thronos, Cherubim, ac Seraphim contineri fingit. Tum de Paulo iterum ſic loquitur; *Hanc igitur ternariam diſtributionem, vt vnam, æqualemque, ac primam revera Hierarchiam inclytus præceptor noſter memoravit*; Et paucis interiectis; *Secundam vero eam eſſe dicit, quæ poteſtatibus, Dominationibus, Virtutibuſque completur. Tertiam denique eamque cæleſtium Hierarchiarum vltimam eſſe dicit Angelorum , Archangelorum , atque Principatuum diſtributionem.* Hæc ille. Quis uero ita ſimplex, facilisve fuerit, qui hæc Paulum ita *diſtinxiſſe*, ac dixiſſe iſti affirmanti credat? Non objiciam, quod tamen ita clarum eſt, vt in ipſos legentium oculos pæne incurrat, hanc de Angelorum ordinibus, ac inter ſe diſtinctionibus philoſophiam cum multis ſcripturæ, id eſt diviniſſimæ ueritatis locis ita vehementer pugnare, vt & hic, & cæteri, qui eandem ſequuntur, fruſtra in iis conciliandis laborent; vnde certiſſime intelligere poſſumus fieri non poſſe, vt Paulus, accuratiſſimus cæleſtis ſapientiæ præco, quemquam iſta vnquàm docuerit. Sed ne hoc quidem hic afferam, quod tamen eſt validiſſimum , nihil de iſtis apud Paulum in divinis ejus Epiſtolis, quæ ſunt omnes quatuordecim, uſpiam legi. Angelorum quidem ille nomina plura, diverſaque paſſim uſurpat; novem autem eſſe eorum ordines, in tres Spirituum claſſes ita diſtributos , ut tres ſingulis claſſibus contineantur, uel quicunque prima continentur, eos uel Thronos eſſe, uel Cherubim, uel Seraphim, & cætera , quæ ad eumdem modum philoſophatur cæleſtis noſter Hierarcha; ea inquam, Paulus nuſquam ita definit , ac ne leviſſime quidem uel uno uerbo ita definienda decernit; & quæ Halloixius ad hæc ex Paulo myſteria exculpenda convaſavit, ea tam ſunt aliena, tam frivola, ac futilia, ut uel flatu ſolo diſiiciantur. Neque eſt quod hoc nunc urgeamus. Hæc enim Hierarcha noſter, quæ ſcribit, ſibi a Paulo fuiſſe tradita intelligit, [p] non divinis, quæ in canone cenſentur, Epiſtolis, ſed uiva uoce; cujus generis dogmata (quæ *Traditiones* vulgo uocantur) quædam apud Chriſtianos eſſe non ſemel alibi affirmat, [q] tametſi aliud interdum loqui videatur , ſentireque Evangelicam , ac ſalutarem fidem omnem divinis ſcripturarum libris explicatam contineri. [r] Sed iſta nunc diligentius perſequi nihil neceſſe eſt. Has enim Areopagiticas Angelorum Hierarchias Paulum non uiva magis, quam ſcripta uoce, neque lingua uerius , quam ſtilo

p *Halloix. de Dion. Quæſt. 2.p.* 548.

q *Dion. Cæl. Hier.c.*1.§.3. *Hier. Eccl. c.*1. §.4.§ 5.*p.*202 6.*&* c.7.§.6. *extr. Epiſt.*9. *ad Tit.* §. 1.*p.* 298.D.

r *Id. Hier. Eccl.c.*6. *Part.*3. §.7.*init.*

CAPVI XXVII. ſtilo ſuos diſcipulos docuiſſe manifeſtum eſt. Nam iſta ſi ad aliquam cognitionis de rebus diuinis noſtræ perfectionem pertinerent, (pertinere autem, ſi uera ſunt, nemo negaverit) Paulus omnes ſuos diſcipulos docuiſſet, quos quidé in Chriſtianiſmo plane, ac penitus erudiuit. Is enim ſe ſuis non mutilam, ac dimidiatam, ſed plenam, perfectamque rerum divinarum notitiam tradidiſſe ipſe teſtatur; [s] *Chriſtum (*inquit*) nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes OMNEM hominem in OMNI ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.* Si ergo cæleſtis illa Hierarchia divinæ *ſapientiæ* pars aliqua uere eſt; dubitandum non eſt, quin eam Paulus, qui homines *in OMNI ſapientia omnes* docebat, eam cum omnibus ſuis diſcipulis communicaverit, Titoque uerbi gratia ac Timotheo, Clementique, ac Marco, & cæteris ſuis familiaribus, non autem ſoli Areopagitæ tradiderit. Hanc autem Hierarchiam non fuiſſe iſtis a Paulo traditam, inde certiſſime conſtat, quod nullum ejus in tota ante annum domini quingenteſimum Chriſtiana, antiquitate ueſtigium reperitur, ut eſt a nobis jam ſupra alio in loco demonſtratum. Nam ſi hæc Hierarchiæ cæleſtis myſteria vel Titus, vel Timotheus, vel Clemens, vt cæteros mittam, a Sanctiſſimo Paulo accepiſſent, ea profecto illi & aliis diſcipulis, quos habuerunt pæne innumerabiles, & ſuis præſertim tradidiſſent Cretenſibus, Epheſiis, ac Romanis (quorum inſtitutioni ac gubernationi cum Epiſcopali munere propriè fuiſſe affixi feruntur.) At nihil ab iſtis hujuſmodi factum fuiſſe, indè liquido intelligimus, quod antequam vulgata eſſent Dionyſiana, per annos quingentos apud Chriſtianos plane penituſque ignota fuerint hæc cæleſtis Hierarchiæ myſteria, quæ ſi fuiſſent apud omnes illas Eccleſias ab illis Pauli diſcipulis, & apud Athenienſes ab hoc ipſo Dionyſio, & apud alios ab aljis Apoſtolorum ſucceſſoribus prædicata, fieri profectò non poterat, ut ea non eſſent apud illos, & cæteros Chriſtianos notiſſima, ac celeberrima, æque, ac cætera fidei ab illis traditæ capita. Nihil his, vt iſta ſcirent, Hierophantæ noſtri libris opus erat; quæ ſcilicet a ſuis præceptoribus ac patribus uiva uoce tradita accepiſſent. Vt autem hæc non ſecùs ac alia Chriſtianæ fidei dogmata, nota quidem habuerint, de iis vero in libris, qui ab ipſis de re Chriſtiana ſcripti tam multi ſuperſunt, nullam uſpiam mentionem fecerint, qui cætera tàm ſæpè memorarunt; id longe abſurdiſſimum eſt, ac plane incredibile. Ex quibus ita explicatis jam patet falſo ſcripſiſſe Hierophantam ſe hæc, quæ de novem Angelorum ordinibus, deque ſingulorum a cæteris diſtinctione philoſophatur, a Paulo præceptore accepiſſe.

[s] Col. 1. 28.

CAPVT

CAPUT XXVIII.

Argumentum XXXV. Quod ſcriptor Areopagiticorum tradat Apoſtolos Monachi & Therapeutæ *nomen tribuiſſe aſcetis. Id vero liquido falſum eſſe oſtenditur. Argumentum XXXVI. Quod ſcriptor ſuæ ex Chriſmate vnctioni*, μύρου τελετῆς *nomen ab Apoſtolis impoſitum fuiſſe ſcribat; quod vehementer falſum eſſe apparet, & Demonſtratur. Argumentum XXXVII. Inde ductum quod ſcriptor Zachariam, Baptiſtæ Patrem, Iudæorum Pontificem ſive (vt loquitur) Hierarcham fuiſſe putaverit.*

SEd & illud quoque falſum eſt, quod eundem in alio opere prædicantem audivimus, nimirum *divinos ſuos præceptores* Paulum & Apoſtolos,& Hierotheum ſuum dicit) ſacra *Monachorum* & *Therapeutarum*, ſive *Cultorum nomina*, aſcetis illis ſingularibus impoſuiſſe, quos eorum ævo jam apud noſtros extitiſſe fingit; οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν ἐπωνυμίαν αὐτοὺς ἱερῶν ἠξίωσαν, οἱ μὲν θεραπευτὰς, οἱ δὲ μοναχοὺς ὀνομάζοντες. Mitto quod abſurdiſſimum, ac ſtultiſſimum eſt Apoſtolos fingere nomina ejus ordinis hominibus impoſuiſſe, qui nulli tum adhuc erant; qui ducentis poſt eorum mortem annis emerſerunt,& extare noſcique cæperunt, quod ſupra jam diximus. Non fuiſſe a Paulo, aliiſque ejus collegis inventa,aut vſurpata *Therapeutarum, & Monachorum* nomina, & ipſorum & ſucceſſorum ad a. D. 300. ſcripta ſatis docent, in quibus neutrum vocabulum uſpiam occurrit. Epiſcoporum quidem, presbyterorum,Diaconorum inſtitutæ ab iis appellationes,& in Apoſtolis,& in Eccleſiaſticis libris affatim omnibus locis paſſim occurrunt. De Monachis, & Therapeutis, conſtans apud vtriuſque generis ſcriptores ad illum, quem dixi annum; ſilentium eſt. Cur quæſo illorum tam ſæpe,horum nunquam,ne ſemel quidem meminerunt? Ratio clara eſt; illa quidem nomina vere erant ab Apoſtolis inſtituta; hæc ab eorum poſteris longo poſt eorum dormitionem tempore inventa ſunt. Tum denique,non ante,vocabula vna cum ipſis rebus extiterunt. Therapeutas fateor, apud Philonem legimus, Apoſtolorum σύγχρονοι; ſed Iudæum hominem,non Chriſtianum,& de ſuis Eſſenis,non de Chriſtianis Monachis, qui diu poſt fuere,verba facientem; ſed Therapeutas quidem apud Paulum, apud Petrum, aut Ioannem, aut Lucam, apud Clementem Romanum,aut Iuſtinum, Irenæum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Cyprianum, apud vllum denique vel Apoſtolici, vel Eccleſiaſtici ante a. D. 300. ordinis ſcriptorem, plane nullos invenimus. *Monachorum* vero nomen non tantum apud hos,

t *Dion. Hier. Eccl. c. 6. Part. I. §. 3. p. 331. B.*

CAPVT XXVIII. ſed etiam apud Philonem, & cæteros exoticos auctores, quicunque illis temporibus ſcripſerunt, conſtanter deſideratur. Ergo qui vtrumque vocabulum ab Apoſtolis inſtitutum affirmat noſter Hierophantes, rem non modo falſam, ſed etiam abſurdiſſime, ac præter omnem veri ſpeciem confictam dicit, adeoque a Dionyſio Areopagita plane alius eſt; a cujus non modo veracitate, ſed etiam ævo hujuſmodi figmentum abhorret. Quo loco manifeſta Hierophantæ fraus obſervanda eſt. Ille enim *Epiſcopi, & Diaconi* vocabula nuſquam dicit, quod veriſſimum eſt ab Apoſtolis fuiſſe in Eccleſiæ miniſtris, qui ita vocantur, impoſita; imo ea ipſe, quod merito mireris, ne ſemel quidem in omnibus libris ſuis vſurpavit. Idẽ *Therapeutæ, & Monachi* nomina (quod lõge falſiſſimum eſt) ab iiſdem inſtituta, & iis qui nunc ſic dicuntur, donata narrat. Cur tam diſpar fuit ſcriptoris conſilium, vt quod verum eſt, id non modo dicere, ſed etiam vel innuere refugerit; quod falſum eſt, idem liquido, diſerteque affirmare non dubitauerit? Hic vero ſe aperit, ac prodit hominis dolus. Nimirum, qui vellet rebus ſui ſæculi Eccleſiaſticis antiquitatem ita affingere, vt eæ ab ipſis Apoſtolis omnes traditæ, nullæ a poſteris inventæ viderentur; de *Epiſcoporum quidem ac Diaconorum* nominibus, nihil neceſſe habuit dicere, quod ea ab Apoſtolis vſurpata ex ipſis eorum libris ſatis ſuperque notum ſit. Itaque vocabula vulgaria a quibus ipſe, niſi aliud neceſſitas aliqua ſuadeat, ſedulo cavet, veluti aliquos ſcopulos vitavit, quod ſibi ſcilicet iis abſtinere nulla ſui conſilii, & inſtituti fraude licere intelligebat. In *Monachorum*, & *Therapeutarum* nominibus aliud ſequi coactus eſt. Cum enim *Monachorum* nulla in ſcripturis vſpiam mentio fiat, veritus ne hanc ob rem monaſticum inſtitutum novum, & poſt Apoſtolos repertum videretur, audendum ſibi aliquid, quo ſuſpicionem haud abſurdam diſcuteret, putavit; eo mentitus eſt vtramque appellationem ab Apoſtolis auctoribus eſſe profectam; ſperans ſe lectoribus facile perſuaſurum *Monachatum*, tametſi in publicis Apoſtolorum litteris nuſquam memoratum, ab ipſis tamen in arcano fuiſſe traditum, ejuſque traditionis Areopagitam, veluti ejuſdem ævi fuiſſe conſcium. Hac itaque neceſſitate compulſus *Monachi* nomen, tametſi apud ſuæ memoriæ homines vulgare, vſurpavit tamen præter ſuum morem; nonnullaque etiam de eo philoſophatus eſt. Cæterùm ne hoc quidem loco plane a ſuo illo inſtituto deſcivit, quo ſingularia, & invſitata vocabula communibus, ac vſitatis præfert: Nam notiſſimo, ac tritiſſimo *Monachorum* nomini alterum *Therapeutarum* adjecit, minime vulgare; quo illi ipſi parce, ac fortaſſe nunquam vſi ſunt, qui poſt inventum, ac jampridem in vſum receptum Monachorum ordinem vixerunt. Id verò noſter ab vno Philone habuit. Hoc ejus in iſtis conſilium, hæc mens, hic animus fuiſſe videtur. Illud vero admirabili Dei providentia ad patefaciendam veteratoris fraudem accidit, vt quæ ille ab Apoſtolis tradita *Monachorum*, & *Therapeutarum* vocabula narrat, ea Apoſtolorum nemo vſurpaverit, nemo

ſucceſſo-

ſucceſſorum & Eccleſiaſticorum ante quarti ſæculi initia ſcriptorum quæ ſi Apoſtolos, quod iſte dicit, auctores haberent, haud dubie futura erant (vt cætera fuerunt Apoſtolica) apud illos omnes auctores frequentiſſima ac celeberrima. CAPVT XXVIII.

Paris eſt veracitatis, quod idem ſcriptor de ſui Chriſmatis τελειουργία *Conſecratione*, loquens, [v] quam Euchariſtiæ facit ὁμοταγῆ (id eſt ejuſdem cum ea ordinis) *Eam (*inquit) *vnguenti* (id eſt Chriſmatis) *myſterium præceptores noſtri appellant* , μύρου τελετὴν αὐτὴν οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ὀνομάζουσι. Quos *præceptores ſuos* dicit, Paulum & alios Apoſtolos vna cum Hierotheo vult, vt ſolet, intelligi. At Apoſtolos nunquam id nominis vſurpaſſe conſtat, non modo ex divinis eorum libris, in quibus nullum de μύρου, ſive unguento illo uerbum legimus; ſed etiam ex Eccleſiaſticis ad a. D. 300. ſcriptoribus; qui hoc μύρου vocabulum nuſquam memorant; quod tamen apud eos ſolenne ac celebre futurum erat, ſi eſſet ab Apoſtolis uel litteris, uel etiam uiva uoce traditum; ut in aliis puta *Epiſcopi, presbyteri, Diaconi, baptiſmi, manus impoſitionis*, & cæteris ejuſdem cenſus uocabulis factum uidemus; quæ ab Apoſtolis tradita, apud omnem illius memoriæ Eccleſiam ſolennia, & paſſiuo ſcriptorum eiuſdem ævi uſu trita, ac celebria fuiſſe ſcimus. Idem ergo & μύρου nomini accidiſſet, ſi id (quod affirmat Hierophantes) eſſet ab Apoſtolis profectum, atque uſurpatum. Fateor ſecundi, ſed duntaxat præcipitis, & tertii totius ſæculi ſcriptores, vt Tertullianum, & Cyprianum, tradere inungi poſt tinctionem ſuo ſæculo ſolitos, qui baptiſmum ſuſciperent. Sed primo non conſtat eum ritum primo jam ſæculo, imo ne ſecundo quidem adulto in vſu apud noſtros fuiſſe; Non fuiſſe inde apparet, quod vbi de baptiſmo ſermo eſt in illius memoriæ libris, vt in actis Apoſtolicis, & aliis Novi Teſtamenti auctoribus, & in Iuſtini (qui a. D. 150. floruit) Apologia, in qua baptiſmi celebratio ſigillatim deſcribitur, nullum iſtic oleum, nulla plane vnctio memoratur. Secundo obſervandum eſt ne ipſos quidem tertii ſæculi ſcriptores, dum de ſui temporis baptiſmali vnctione loquuntur, ullam μύρου, quod nomen ab Apoſtolis eſſe fingit noſter, mentionem uſpiam facere; *oleum* id, vnde baptizati ungebantur, vocant; μύρον nunquam, vt res apud Tertullianum, & Cyprianum manifeſta eſt, qui ſcribunt, [x] *oleo* baptizatos *vngi*, etiam *apud ipſum Marcionem*, & *oleum* [y] id eſſe *vnde baptizati vnguntur*; μύρου, *vnguenti* non meminerunt. Quod vt intelligatur, animadvertendum eſt μύρον & huic noſtro Hierophantæ, & cæteris ſane Græcis aliud eſſe, quàm oleum. Noſter id, unde baptizandus toto corpore vngebatur τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον *ſacrum vnctionis oleum*; [z] Id, quo tinctus, non toto corpore, ſed fronte, & certis duntaxat corporis partibus linebatur, conſtanter μύρον *vnguentum* uocat. Sic & vetus conſtitutionum Apoſtolicarũ auctor, [a] qui tingendum τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ *ſancto oleo*, ab Epiſcopo uel presbytero; tinctum τῷ μύρῳ *myro* , *vnguento* ab Epiſcopo inungi præcipit. Sed ipſe Hierophantes, quid ſibi ſit μύρον , &

v *Dion. L. de Hier. Eccl.* 1. 4. *init.* §. 1.

x *Tertull. de baptiſ.* c. 7. & *contr. Marc.* L. 1. c. 14.

y *Cypr. Epiſt.* 71. *ad Ian.*

z *Dion. Hier. Eccl.* c. 2. *Part.* 2. §. 7.

a *Conſt. Apoſt.* L. 3. c. 26.

CAPUT XXVIII.

quam ab oleo ſimpliciter dicto diverſum, diſertiſſime nos docet; [b] *Dicamus vnguenti compoſitionem collectionem quandam eſſe fragrantium materiarum, quæ in ſe affatim ſuave olentes continet qualitates.* λέγομεν τοίνυν ὡς ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις συναγωγή τίς ἐστιν εὐπνόων ὑλῶν ἐν ἑαυτῇ πλουσίως ἐχοῦσα ποιότητας εὐόσμους. Vides huic μύρον eſſe non ſimplicem olei ſpeciem, ſed materiarum fragrantium, vt balſami, & aliorum aromatum, arte confectam mixturam, indeque ei nomen μύρου, quod in eo ſenſu vulgare ac proprium Græcis erat vocabulum, ex rei ipſius ingenio, Apoſtolos dediſſe, ſcilicet: Atqui ex iis quæ diximus, conſtat & id quo vetuſtiſſimi ungebantur (a quo quidem vngi apud noſtros receptum eſt eos, qui tincti erant) *oleum* ſimplex fuiſſe; nullam fuiſſe ex pluribus aromatis mixturam; & id ipſum quamvis aliud fuiſſe finxeris, quam merum olei liquorem, *oleum* tamen ſimpliciter, non μύρον ab illis vocitatum fuiſſe, neque μύρου quemquam veterum intra a. D. 300. Scriptorum meminiſſe. Cum ergò appareat ne vnctionem quidem in primorum ad a. D. 150. Chriſtianorum baptiſmo vllam fuiſſe adhibitam, & cum poſtea adhiberi cæpit circa a. D. 200. Oleo qui tincti eſſent litos fuiſſe ſimplici, non autē μύρῳ, & denique ne tum quidem id vnde vngerentur, μύρον, aut aliter quam *oleum* dictum eſſe; nemo non intelligit quam falſum id ſit, quod Hierophantes ſcribere non dubitavit Apoſtolos hoc ſuum myſterium μύρου τελετὴν *myri* (id eſt vnguenti ex pluribus aromatis confecti) *myſterium nominaviſſe.* Vt illud jam mittam quod plane ſit incredibile, quod idem ille tradit, ipſis Apoſtolorum temporibus in vſu apud noſtros ſolenni jam fuiſſe, vt hoc ſive ἔλαιον, ſive μύρον tam multis, tamque vt ſimpliciter dicam, inanibus ac puerilibus cærimoniis ab Epiſcopis conſecraretur, quot iſte, qualeſque deſcribit; ne hoc quidem prætermittens, [c] vt altare, cui conſecranda ſpecies imponitur, *duodecim alis obvelatum ſit*; περικεκαλυμμένον ὑπὸ δύο καὶ δέκα πτέρυξιν; quod ne ab ipſis quidem nunc Latinis cæremoniarum alioqui, etiam vaniſſimarum, ad prodigium avidis, obſervari lego; [d] nedum vt hanc plumeam, & ipſis volucrium, quibus conſtat pennis, leviorem ac futiliorem religionem a viris longe graviſſimis, ſapientiſſimis ac ſimpliciſſimis inſtitutam fuiſſe putemus.

Huc quoque pertinet manifeſtus de Zachariæ Baptiſtæ Patre error quem hic ſcriptor *Pontificem* ſive *ſummum ſacerdotem* fuiſſe ſomniavit. *Ita*(inquit) [e] *diviniſſimus Gabriel Zachariam Pontificem initiabat, vel ſacra docebat.* οὕτω γοῦν ὁ θειότατος Γαβριὴλ Ζαχαρίαν μὲν τὸν ἱεράρχην ἐμυσταγώγει. Nemo dubitat, quin iſte ἱεράρχην dicat, quem cæteri mortales ἀρχιερέα vulgo dicere ſolent; id eſt *Pontificem*, vel *ſummum ſacerdotem*. Ergo eum Zachariam de quo loquitur, Iudæorum *Pontificem* ſive ſummum ſacerdotem, & Iudaicorum ſacerdotum caput fuiſſe putavit. Atqui *Satis ſuperque apparet*, inquit Baronius, *Zachariam ſacerdotem ſolummodo, & non ſummum Pontificem extitiſſe*; idque ipſe luculentis rationibus demonſtrat, & quæ contra objici poſſe videntur, omnia fuſe

diſſoluit.

b *Dion. Hiſto. Eccl. c. 4. Part. 3. §. 4. p. 286. a.*

c *Dion. Hier. Eccl. c. 4. Par. 2*

d *Vid. Pontif. Rom. Part. 3. Tit. de Chriſm. confect. p. 414. ad 426.*

e *Dion. Cæl. Hier. c. 4. §. 4. p. 49. D.*

CAPVT XXVIII.

diſſoluit. [f] Idemque ante ipſum jam fecerat Maldonatus,[g] Ieſuitarum acerrimus; & res eſt adeo vulgata, vt Caſaubonus Baronium judicet [h] *hominem occiſum occidere*, cum paratu tanto eorum ſententiam oppugnat, qui Zachariam prodiderunt fuiſſe ſummum ſacerdotem, quos vel Pontificum, qui illis temporibus Iudæorum ſacris præfuerunt, Catalogus apud Nicephorum C.P. Epiſcopum, [i] & apud Anaſtaſium Bibliothecarium [k] ſuperſtes, & ipſa quoq; Ioſephi [l] hiſtoria abunde refellit, in quibus non Zachariam, ſed vel Simonis ſucceſſorem Matthiam Theophili filium, vel certe huius ſucceſſorem Ioazarem, ſub quo Chriſtus natus eſt, Pontificatum tum geſſiſſe reperimus, cum Zachariam Gabriel divinitus eſt allocutus. Hunc vero errorem tantum incredibile eſt errare potuiſſe Dionyſium, qui cum adhuc eſſet recens rerum Iudaicarum illius temporis memoria, non ignoravit profecto, an Baptiſtæ parens ampliſſimam Pontificatus dignitatem apud ſuos geſſiſſet, idque ſi neſciret, facile poterat vel a Paulo præceptore, vel a Luca condiſcipulo diſcere. Poſterorum vt Ambroſij,[m] Auguſtini,[n] Chryſoſtomi alia ratio eſt; quos oblitterata longiſſimi temporis decurſu rerum Iudaicarum memoria, adhæc cæco quodam, ac vt mihi videtur, puerili res noſtras amplificandi ſtudio ardentes, facile fuit decipi, & ex ijs, quæ de Zacharia apud Lucam extant, perperam acceptis, imaginari ipſum ſummo apud ſuos ſacerdotio functum eſſe; neque mirum eſt horum auctoritate ſcriptores ſequentium ſæculorum in eundem errorem poſtea abreptos fuiſſe, Bedam, Theophylactum, Strabum, alios. Ergo & hunc noſtrum Areopagiticum iiſdem temporibus, id eſt quarto vel quinto ſęculo vixiſſe veri mihi ſimillimum ſit, cum jam exorta eſſet, ac ſparſa apud noſtros illa de Zachariæ Pontificatu fama.

Denique neque illud ſatis ſcio, τῶν Cherubim etymon, an probaturus fuerit verus Dionyſius, quod apud ſcriptorem Areopagiticorum legimus; qui hoc nomen χύσιν σοφίας, id eſt *profuſionem* ſive *effuſionem ſapientiæ* interpretatur. *Sed ea* (inquit Petavius) *vocabuli notio perobſcura eſt, quam nec Hebraicæ, nec Chaldaicæ linguæ proprietas ſuſtinet.* Veriſſime dictum. Vnde quivis intelligit abſurdam eſſe illam Cherubim Originationem. Sed eam apparet iſtum ex poſteriorum ſcriptorum vt Clementis, & aliorum, hoc fere ipſum de iſto vocabulo ſomniantium, ſcriniis habere; adeoque poſt tertium Chriſtianiſmi ſæculum vixiſſe. Morinus hoc quoque notavit. *Vnde* (inquit) *Dionyſio Cherub plenitudinem ſcientiæ ſignificet, divinare difficile eſt, Grammaticæ legibus non abutenti. Paraphraſtæ omnes interpretantur ſtatuas adoleſcentium figuram imitantes. Chaldæis enim* רבין, *& emphatice* רביא, *pueri adoleſcentes. Talmudicis* רובין *ſunt adoleſcentes. Cherubim itaque ſonat velut adoleſcentes, aut velut pueri, appellatione petita a figura, qua eiuſmodi Angeli juſſu Dei pingebantur.* Atque hoc a Magiſtris Ebræorum tradi docet vocis *Cherubim* etymon; prolatiſque Talmudicorum, & Salomonis Iarki, Kimhi, & Levi ben-Gerſom teſtimoniis id firmat; poſtremoque con-

f *Baro. Appa. ad Ann.* §. 75.
f *Id. ibid* §. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75.
g *Maldon. in Luc.* 1. 8.
h *Caſaub. Exer.* 1. *ad Bar.* §. 26.
i *Niceph. C.P. ad calcem. Chron. p.* 408.
k *Anaſt. ad calcem Hiſt. Eccl. p.* 186.
l *Ioſeph. Antiq. L.* 20. *c.* 8. *& L.* 1. *de bell. Iudaic.*
m *Ambro. L.* 1 *in Luc.* 1. 8.
n *Auguſt. in Ioan. Tract.* 49. *fol.* 75.
o *Chryſoſt. Hom.* 26. *T.* 1. *quæ* 1. *de incompreh. p.* 342 *B. & Hom in natal. Chriſti Hom.* 31. *T.* 1. *p.* 473 *D.*
p *Dion. de cæl. Hier. c.* 7. §. 1.
q *Peta. Theo. Dogm. T.* 3. *L.* 2. *de Ang. c.* 3 §. 4 *p.* 112.
Clem. Strom. L. 5 *p.* 563. *C.* ὅτι τὸ χερουβὶμ δηλοῖ ἐπίγνωσιν πολλήν.
Morin. de Ordin. Part. 2. *Annot.* 22 *in Syr. ordin p.* 492. *C. D.*

* Vide de his Buxtorf. De arca foed. c.9. p.99. Morin. vbi ſupr. p. 492. B.C.

cludit *hanc dictionem nullo modo pertinere poſſe ad ſcientiæ & cognitionis copiam, & abundantiam.* Ex his quivis intelligere poteſt noſtrum hierophantem, cum hanc tametſi fictam & perabſurdam nominis Cherubim Originationem apud ſcriptores, veteres quidem illos, ſed tamen Apoſtolis & vero Dionyſio haud Paulo recentiores, bonum hominem, Ebraiſmi, vt apparet, non admodum gnarum, illam pro vera ſinceraque etymologia habuiſſe.

Sed & in nomine *Seraphim* itidem lapſum eſſe arguit Morinus; *Naturam* (inquit) *& proprietates τῶν Seraphim & Cherubim ſola etymologia Ebraica, nulloque alio fundamento ſubnixus, nobis explicat. At ſane a Judæo aliquo, aut Christiano Ebraïzante deceptus eſt. Ita c.7. Cæleſtis Hierarchiæ; Sanctorum Seraphim nomen* (inquit) tradunt ii, qui Ebraïce ſciunt vel incenſores, vel calefacientes declarare. Morinus notat שרף, vnde Seraphim ducitur, apud Ebræos *combuſtionem* quidem & *incendium*, ſæpiſſime & paſſim; *calefactionem* vero nuſquam ſignificare.

Capvt XXVIIII.

De Areopagitici λέξει. Argumentum XXXVIII. Quod ſcriptor Iacobum ἀδελφόθεον, & Dauidem θεοπάτορα, nominibus Apoſtolico quidem æuo ignotis, poſt Epheſinam vero Synodum in vſum receptis vocarit. Argumentum XXXIX. Quod ſcriptor Filij œconomiam plane ex Synodi Chalcedonenſis definitione expreſſit, eoque ſe poſt eam vixiſſe arguit.

Atque hæc quidem hactenus de rebus & temporibus diximus quę Dionyſianorum ſcriptorem alium ab Areopagita fuiſſe arguunt. Nunc de ejus ſermone, dicendique charactere paucis agamus. Nam & hunc *ipſa loquela*, ſi vel ſola ſit, *manifeſtum facit.* [r] Primo enim vocabula quædam vſurpat quæ non ſunt Dionyſiani ſæculi, ſed diu poſt Areopagitæ mortem inventa ſunt. Mitto quæ jam ſupra obſervata ſunt, hypoſtaſeos, † *Monachorum, & Therapeutarum* * nomina, quæ nonniſi duobus pæne totis poſt Apoſtolos ſæculis, apud homines Chriſtianos innoteſcere, & frequentari cæperunt; & tamen apud iſtum leguntur. Iacobum, non vt ſcriptura *Domini*, [s] ſed *Dei fratrem* ἀδελφόθεον vocat; eodemque exemplo Davidem alibi dicit [v] θεοπάτορα *Dei Patrem*, vt vnum ex Chriſti ſecundum carnem majoribus ſignificaret. Hæc ego confiteor commode accipi poſſe, veluti per communicationem idiomatum dicta; neque de re, aut ſenſu pugno. Ipſa quidem vocabula nuſquam (quod ſciam) in veris trium primorum ſæculorum auctoribus reperiuntur; Neque hujus formæ nomina ante Concilij Epheſini tempora in vſum apud noſtros recepta fuiſſe videmus. Tum enim ad pro-

r Matt. 26.73.
† Supr. c. 5.
* ſupr. c. 24.
s Gal. 1. 19.
t Dion. de divin. Nom. c. 3. §. 2. p. 452. D.
u Dion. Epiſt. 8. §. 1. p. 778. D.

terendum

terendum Neſtorii errorem duas Domini naturas ita dividentis, vt duas ex iis perſonas faceret; quarum vna Deus, altera homo eſſet, ſuaſque vnaquæque appellationes ſeorſum ab altera haberet, nulla inter ſe perſonali vnione conjunctæ; B. Mariam θεοτόκον *Deiparam* dixerunt; eo ſcilicet nomine ſignificantes illum ipſum hominem, quem Maria peperit, vere quoque Deum eſſe. Inde & Iacobus ἀδελφόθεος vocari a noſtris cęptus, cum Neſtorius Mariam non ideo *Matrem* Dei appellandam eſſe contenderet, quod Chriſtũ peperiſſet; cum Iacobum, quod frater Chriſti fuerit, nemo vocet *Dei fratrem. Neque Divinitas* (inquit) *Iacobum fratrem habuit.* οὐδὲ θεότης ἀδελφὸν τὸν ἰάκωβον ἔσχεν. Hinc (vt obſervat doctiſſimus Michael Falcarius noſter,[x] ὁ μακαρίτης) omnino videtur primum apud noſtros orta illa Iacobi nomenclatura, vetuſtiſſimis ignota. Sed & longiùs itum eſt. Pari enim de cauſa & Davidem θεοπάτορα *Dei Patrem* (vt noſter) & Annam B. Mariæ Matrem θεοπρομήτορα *Dei aviam* (vt Græci in Menologiis)[y] dixerunt, ignotis & quantum memini inuſitatis primæ antiquitati nominibus; eodemque pertinere videtur, quod ipſum Sanctiſſimæ Virginis *corpus* noſter alibi vocavit [z] θεόδοχον. Omnia arguunt hominis novitatem; clareque eum docent poſt Epheſinam adverſus Neſtorium Synodum id eſt poſt a. D. 403.) Argumento huius gemino Bellarminus [a] probat non eſſe Athanaſij homiliam, quæ de *Sanctiſſima Deipara* circumfertur. Nam inter cætera, quibus id opuſculum refellit, hoc etiam attulit, quod *eius auctor, diſputet de appellatione Deiparæ, quod Virgini ea appellatio iure conueniat.* Quo conficit Bellarminus ſcriptorem Concilii contra Neſtorium Epheſini decreta vidiſſe; adeoque Athanaſio, qui diu ante id Concilium mortuus erat, multo recentiorem fuiſſe.

Sed & poſt ipſam Chalcedonenſem Synodum (id eſt poſt a. D. 451.) [b] ſcripſiſſe hunc auctorem, produnt verba, quibus vtitur in exponenda duarum in Chriſto naturarum vnione. Sic enim hoc myſterium eloquitur; *Simplex Ieſus ineffabili modo ex humana humilitate compoſitus eſt, & qui æternus eſt temporalem ſumpſit extenſionem, & qui vniverſum totius naturæ ordinem ſupereſſentialiter tranſcēdit, intra naturam noſtram factus eſt, cum immutata & in confuſa ſuarum proprietatum conſtitutione.* μετὰ τῆς ἀμεταβόλου καὶ ἀσυγχύτου τῶν οἰκείων ἱδρύσεως. Et iterum in eodem opere; [c] *ſine ſui mutatione & inconfuſe nobis communicauit.* ἀναλλοιώτως ἡμῖν καὶ ἀσυγχύτως κεκοινώνηκε. Hæc autem Eutychem apertiſſime reſpiciunt, eiuſque blaſphemiam, Chriſti naturas confundentem, feriunt, & ex Chalcedonenſi definitione, qua illa hæreſis damnata eſt; liquido ducta ſunt; cujus illa pæne iiſdem verbis, plane eodem ſenſu, dicta omnibus notiſſima ſunt, [d] Chriſtum ex duabus naturis *inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum;* ἐν δύο φύσεσιν ἈΣΥΓΧΥΤΩΣ, ἈΤΡΕΠΤΩΣ, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον. Noſter vt vides, ἀσυγχύτως ex Synodo ſumpſit; cætera, ſed læuiter, immutavit; pro ἀτρέπτως (quod erat apud Synodum) ἀναλλοιώτως, & ἀμεταβόλως, re eadem, licet

ſono

CAPVT XXVIIII.

x le Faucheur de l'Euchar. l. 2. c. 8. p. 143. init.

y Menol. D. 9. Decemb.

z Dion. de divin Nom. c. 3. p. 452. D.

a Bell. de ſcrip. Ecc. in Athan. ad T. 3.

b Dion. de div. nom. c. 1 §. 4. p. 379. D.

c Ibid. c. 2. §. 10 p. 427. A.

d Definit. Syn. Chalco. Act. 5. extr. T. 3. Concil. p 540.

c Baron d.48. §.20.21.

ſono alia, vſurpans. Ita & Baronius [c] de Homilia illa diſputans, quæ de *Sanctiſſima Deipara* inſcribitur, & Athanaſio vulgo, ſed perperam, tribuitur, eam Athanaſij eſſe non poſſe inde argumentatur, quod ſcriptor prædicet, *duas in Chriſto naturas in vna perſona INCONFVSE, INDIVISE, & INCONVERTIBILITER, ſimul vnitas. Quas voces* (inquit) *ad inſinuandas naturæ divinæ cum carne vnionis proprietates a Patribus* (in Conciliis ſcilicet Epheſino & Calcedonenſi) *tum primum inventas nemo res illas exactius perſcrutatus inficias ierit.* Ergo qui illis in hoc argumento vocibus vſus eſt, Dionyſius, is poſt Concilium Epheſinum atque Chalcedonenſe æquè ac ille alter de *Sanctiſſima Deipara* ſcriptor, vixiſſe, ex ipſa Baronii ratiocinatione atque hypotheſi liquidò deprehenditur.

Capvt XXX.

Dionyſiani ſermonis idea a Caſaubono notata. Argumentum X L. Quod ſcriptor anxie refugit nomina, non modò apud Apoſtolos, ſed etiam apud Eccleſiam ſequentium ſæculorum vſitata. Quod baptiſterium, *vel* fons *dicitur, id ille* matrem adoptionis *dicit. Qui cæteris ſunt Epiſcopi, ij huic ſunt* Hierarchæ. *Sic etiam* Hiereas, *ſacrificos, pro presbyteris :* Therapeutas *pro* Monachis *dicit.* Hierarchas *etiam pro* Ponticfiibus *Veteris Teſtamenti;* Theologos, & Hypophetas, & entheos noſtros initiatores *pro Apoſtolis, & Prophetis;* ſacrum & Hagiographum codicem, *pro ſcriptura,* Epopſiam *pro* Apocalypſi *&c. quod cum puerile & ineptum ſit, & ad ſolam oſtentationem faciat Dionyſio Apoſtolorum diſcipulo, & Epiſcopo indignum videri.*

ALia ejuſdem generis mitto. Ipſa totius ſermonis idea hominem clamat nihil minus fuiſſe, quam Apoſtolicum. Apoſtolorum enim diſcipuli a divinis præceptoribus ſpiritum cæleſtis illius ſimplicitatis hauriebant, qui in eorum & ſenſibus, & oratione elucet, ab inani ſæculi tumore ac pompa, imo & ab iis ornamentis aliena, quæ eruditionis ſtudium ſapiunt, niſi ſiqua ſint adeo vulgaria, vt ea etiam homines rudes, natura duce, per ſe invenerint, & vſurparint. Specta mihi Clementis, Pauli, & Petri diſcipuli, ad Corinthios epiſtolam, & Polycarpi ſiquid verum ſupereſt, & Iuſtini quæcunque ſunt genuina opera. Sermo ſimplex eſt, & inaffectatus, qui Apoſtolorum diſcipulos indicare poſſit. Noſtri Hierophantæ non modò diverſa, ſed planè adverſa omnis elocutio; qui nihil æque cavet, ac ne ſimplex & ineruditus fuiſſe videatur;

adeo omnia artis a vulgo remota, etiam inepta ac putida, cupide conſe- CAPVT XXX.
ctatur. Quo loco iſti idem, quod plæriſque aliis eiuſdem ingenii ſcriptoribus, accidit, vt dum nimirum diſertus vellet videri, non modo obſcurus, ſed etiam ineptus fieret, dumque ſublimitatis ſpeciem captaret, enormem quamdam grandiloquentiam nactus ſit, etiam a ſæcularibus artis magiſtris damnatam; vtque pro argutiis nugas, pro rebus verba ut plurimum funditarit. Caſaubonus, legitimus talium arbiter; recte de hoc cenſuit, quem tametſi ſcriptorem eſse dicat *antiquiſſimum* & *elegantiſſimum*, fatetur tamen *de ſacramentis nouo quodam, & inuſitato dicendi genere ſcripſiſſe, quod a cothurno tragico, vel dithyrambicis ampullis non multum videatur diſtare*; ſed & cauſam cur ſic inſtituerit, aperit. *Sciebat* (inquit) *Dionyſius tali genere dicendi gentium myſteria tractari conſueſſe Demetrius Phalereus*; τὰ μυστήρια ἐν ἀλληγορίαις λέγεται πρὸς ἔκπληξιν καὶ φρίκην, ὥσπερ ἐν ἀδύτῳ καὶ νυκτί. *Myſteria allegoriys exprimuntur ad terrorem & horrorem, tanquam in adyto & nocte. Prorsùs ad hanc ideam totus Dionyſii liber de ſacramentis, & reliqui etiam ſunt compoſiti. Fingit voces novas, & compoſitiones format inuſitatas, inauditas, mirificas; quæ ſimpliciter verbo vno aut altero dici poterant, diffundit in plures voces admodùm ſonoras & magnificas; Atque vt verè obſervat* Maximus διὰ πολυπληθείας λέξεων σκοτοῖ τὸν λόγον, *congeſtis verbis multis obſcurat ſermonem; conſueta & vſu Eccleſiæ recepta vocabula artis (vt ſic dicam) ſtudioſe refugit, tanquam ad illum, quem quærebat,* ὄγκον *parum accommodata.* Hæc Caſaubonus; veriſſime omnia; niſi quod difficile eſt capere cur hunc *ſcriptorem* vocet vel *antiquiſſimum*, quem conſtat non ante quinti ſæculi extrema ſcripſiſſe, vel *elegantiſſimum*, quem his vitiis, & quæ ipſe numerat, & aliis etiam plurimis ſcatere planum atque apertum eſt. Neque aliter Morinus de hujus ſcriptoris ſtilo judicavit; *Ille* (inquit) *oratione ſemper vtitur pluſquam Aſiatica, hoc eſt ſuper omnem modum inflata, redundante, alta, exaggerata, & vbique circumfluente verborum compoſitionibus, ordinariys, novis, plærumque tumidis, atque inſolentibus. Nihil vnquam illi nimium eſt. Verba ſemper ſunt magnifica, oratio grandiloqua, amplificatio tragica; in re humili, hoc eſt ad doctrinam ſpectante, ſæpe Cothurnos & dithyrambos longe ſupergrediens. Ei rariſſime rectus ſermo eſt, & ſecundum naturam enuntiatus; ita vt ſtilo Attico, & Areopagitico nihil omnino fingi poſſit diſſimilius.* Iterum alibi de eodem; *Stilus* (inquit) *novis verbis, & affectata vocum efficacium, & divina ſumme ſignificantium expreſſione perpetuo luxuriat. Periodi longæ, & epithetorum, diverſorumque membrorum congerie perplexæ; Nominum mirifica compoſitio; quam nulla lingua aſſequi poteſt; ejuſdem compoſitionis ſine modo repetitio. Nihil vnquam illi ſignificanter ſatis, & ornate dictum eſt; ita vt videatur auctor ille maxime abhorruiſſe proprium, communem, perſpicuum, & Atticum loquendi modum. Nullum ſimilem ſcribendi ſtilum continuũ natura humana hactenus enixa eſt.* Atq; hęc quidem ita de Areopagitæ ſtilo cenſet Morinus. Quod vero ait Caſaubonus eum ita de ſacramen-

c *Caſaub. Exerc 16. ad Baro. §. 43. p. 565.*

Morin. de Ordin Part. 2. c. 2. §. 7. p. 33. Id. ibid. c. 5. §. 13 p. 51.

CAPVT XXX.

cramentis ſcripſiſſe, *quod ſciret tali genere dicendi Gentium Myſteria tractari conſueſſe*;id etiamſi valeret ,hominem tamen non vſquequaque purgaret.Hæc enim ratio ſi vera eſt, conficit de Chriſtianorum ſacramentis ſcribenti illo dicendi genere vti licere. Noſter vero eo vſus eſt etiam alibi,in libris de *Angelis,* de *divinis nominibus*,de *myſtica Theologia*;imo etiam (quod planè ridiculum eſt) in ipſis ad familiares ſuos Epiſtolis ; Et monet ipſe Caſaubonus hujus non librum modo de ſacramentis, ſed etiam *reliquos* ad tragicam hanc & Dithyrambicam *ideam eſſe compoſitos.* Sed & hoc ipſum quod noſtrum ſtatuiſſe & Caſaubonus dicit, & uero apertiſſimum eſt,ſacramenta allegoriis, vt Paganorum myſteria, exprimi decere ſermone ad terrorem & horrorem compoſito ; præterquàm quod uanum & falſum per ſe eſt ; procul etiam abeſt ab Apoſtolicorum & vetuſtiſſimorvm ad a. D. 300. Chriſtianorum judicio ac more;quos vt ſupra oſtendimus,nulla hujuſmodi religio tenuit, quo minus ſua ſacramenta clare ac plane, vſitatoque & familiari ſermone uel apud ipſos Paganos exponerent; ut hunc qui aliter & ſenſit, & inſtituit neceſsè ſit alterius, quam primi ſecundi-ve ſæculi hominem fuiſſe. Illa vero de occultandis tegendiſque ſacramentis ſententia quarti & quinti ſæculi demum fuit eoque adeo tempore floruiſſe hunc, qui ita ſenſit, demonſtrat. Iam ut Caſauboni obſeruationes exemplis& ab ipſo allatis & aliis inſuper firmemus, noſtrum hunc *conſueta & vſu Eccleſiæ recepta* rerum *vocabula* ſtudioſe refugere, nemo eorum eſt vſque adeò imperitus, qui ſi hominem legat, non ſtatim ſit animadverſurus. *Huic lauacrum regenerationis,non baptiſmus* (inquit Caſaubonus) *dicitur*, ſed θεογενεσία, *generatio aut natalis Dei* ; neque *Communio* cæna Domini,ſed τελετῶν τελετὴ init. c.3. & ἡ ἱερωτελεστικωτάτη εὐχαριστία, & μυστήριον τῶν πάντων ἱεραρχικώτατον. Huc & cætera pertinent Eccleſiaſticorum & hominum & (vt ſic dicã) negotiorum huic vſurpata nomina. Factum manu ad baptizandos catechumenos lacum noſtri, poſtquam in vſũ eſſe cæpit, *fontem* aut *baptiſterium* vulgo dicebant. Quid noſter ille vero notum, & vulgare rei nomen aſpernatus μητέρα υἱοθεσίας *matrem adoptionis* vocarit ; *Pontifex* (inquit,baptiſmi myſterium enarrans) *inchoata trino ſignaculo vnctione ad adoptionis matrem vadit*; ὁ δὲ τῆς χρίσεως ἱεράρχης ἄρχεται τοῦ σφραγίσαι τρὶς ἀπαρξάμενος ἐπὶ τὴν μητέρα υἱοθεσίας ἔρχεται. Hoc uero quin & nove, & putide, & inepte ita dictum ſit, nemo vt opinor, cordatus negabit; quod pueros & *ſtolidos* illos,quos denotavit Lucretius, non modo ut belle, ſed etiam ut divine dictum admiraturos non neſcio.Iam non modo omnis Eccleſia,ſed ipſi etiam Apoſtoli eos qui Chriſti greges paſcunt,*epiſcopos*, plane optimo nomine appellabãt;Noſter ſi bene memini,ne ſemel quidem,eo vſus eſt in tam multis,quæ ſcripſit; hos *Hierarchas,* & τοὺς τῆς ἱεραρχίας ἐπωνύμους *ab Hierarchia cognominatos* nove,ſed conſtanter,& vbique dixit;plane præter Apoſtolorũ & Apoſtolicorũ hominũ morem; qui *Epiſcopos* nuſquã ἀρχιερεῖς,*Põtifices* vocaſſe reperiuntur.Itaq; ſi Apoſtolici ęvi fuiſſet

Dion. Eccleſ. hier. c.2. Part. 2. §.7 p.217. A

Dion. Hier. Eccl. c.2. §.2. extr.

poterat

CAPVT XXX.

poterat illi ſuo vocabulorum apud Eccleſiam inuſitatorum ſtudio ſatisfacere, ſi eos non *Hierarchas*, ſed *Archiereas* vocaret. Hoc enim apud Græcos quidem multo eſt, quam illud, notius & familiarius; apud Apoſtolicos, vtrumque in hoc quidem ſenſu, æque ignotum & inuſitatum. Cur ergo *Hierarchæ* nomen, quod rarius eſt, ἀρχιερέως nomini, quod eſt & communius, & rectius, prætulit? Dicam, Ille nimirum ſecutis poſt primum, & ſecundum ſæculum temporibus vixit, quibus præter Apoſtolicum morem receptum eſt, vt epiſcopis etiam ἀρχιερέων *Pontificum* nomen uulgo in Eccleſia tribueretur. Ἀρχιερέως ergo nomen noſter, ut pote ſuo ſæculo vſitatum, pro ſuo ingenio, & more merito faſtidivit; *Hierarchæ*, ævo etiam ſuo inuſitatum, nomen vſurpavit. Sed & quos Eccleſia paulo poſt Apoſtolos, ab epiſcopis diſtinxit, & ſecundi ordinis fecit ſacerdotes, noſter eo, quo vulgo apud noſtros gaudebant, *presbyterorum* nomine, nunquam quod meminerim, uocat; ſed ἱερέας *ſacrificos* perpetuo dicit; neque *presbyteri* vocabulum, niſi ter aut quater vſurpauit, in librorum fere, titulis; in quibus ſe *presbyterum* inſcribit, Timotheum *ſympresbyterum* ſalutat. Neque in libris modo myſticis, ſed etiam in Epiſtolis familiaribus, his nominibus utitur. Sextam uerbi gratia Soſipatro, non *presbytero*, ut mos erat, ſed ἱερεῖ *ſacrifico*, ſive *ſacerdoti* inſcribit; ſeptimam item *Polycarpo*, non *epiſcopo*, quod tum quidem rectum erat, & ſolenne; non ἀρχιερεῖ *Pontifici*, quod etiam poſtea in uſu eſſe cœpit, ſed *Hierarchæ* ἱεράρχῃ; neque aliter Titum nona, quam *Hierarcham* in titulo præſcribit. Eadem ludit in *Diaconorum*, & ab ipſis Apoſtolis inſtituto, & ab Eccleſia tota recepto ordine. Hos enim iſte non *Diaconos*, vt Apoſtoli, & omnis poſt eos Eccleſia, uocat; ſed λειτουργοὺς *miniſtros*; (quod etiam eſt ab eodem Caſaubono obſervatum) & ad *Dorotheum* quemdam, huius cenſus hominem, ſcribens, non alium, quam hunc epiſtolæ titulum præſcripſit; *Dorotheo* λειτουργῷ *miniſtro*. Idem fecit & in Monachorum novo, ſuique, non Apoſtolici ævi, ordine. Nam quos a Chriſtianis illorum temporum omnibus *Monachos* vocatos fuiſſe conſtat, eos novus hic, planeque mirificus nomenclator *Therapeutas*, ſed ſolus dicit; & quas eius inſtituti hominibus Caio, & Demophilo nuncupat epiſtolas, eas Caio θεραπευτῇ, & Demophilo item θεραπευτῇ inſcribit. Quid his uel peruerſius, uel ineptius fieri poteſt, ut quod honoris cauſa iis ad quos ſcribit, uel munus, uel inſtitutum adſcribis, id tu, non vocabulis notis, communique uſu receptis, ſed aliis a te præter cæterorum, qui tecum uivunt, conſuetudinem fictis, enunties, atque ſignifices? Sane ſi quis hodie ad aliquem Latinæ communionis, uel Epiſcopum, uel Diaconum, uel Archidiaconum, uel Monachum ita ad iſtius exemplum ſcriberet; *Illuſtrißimo Domino N. Reverendißimo Patavij* aut *Eugubij Hierarchæ*; *Venerabili N. Romanæ Eccleſiæ Miniſtro* uel *Miniſtrorum Cœnomanenſis Eccleſiæ principi*, uel *Rev. Patri ordinis Sancti Franciſci Therapeutæ*; ſi quis inquam, nunc ita ſcriberet; non eſt dubitandum, quin omnes hominem vel delirare, vel certe io-

Dion. de cod. & de Eccl. hier. & de diuin. Nom. in titulo.

Caſaub. Exer. c. 16. vbi ſupr. p. 535.

Id. hier. Eccl c. 2. Part. 2. & c. 5. Part. 1. §. 6. & epiſt. 5.

Id. Ep. 1. 2. 4. 8.

CAPVT XXX. cari exiſtimarent; qui hæc nominum monſtra pro notis & ſolennibus
ſui ſæculi vocabulis uſurparet. Atqui noſter iſte Dionyſius, ſive tu eum
Apoſtolicis tẽporibus, ſive quod uerius eſt, quinto ſæculo vixiſſe dixe-
ris, plane idem nobis ludibrium debet, qui quos *Epiſcopos*, vel *Diaconos*,
vel *Monachos* uult ſalutare, eos *Hierarchas*, & *Miniſtros*, & *Thera-
peutas* ineptiſſime (ſi verum licet dicere) appellat, vocabulis ſcilicet ab
vtriuſque illius temporis, non minus quam a noſtri uſu in eo quidem
ſenſu, alienis. Neque vero epiſcopos ſolos (qui ἀρχιερεῖς nũquam ab Ec-
Dion. Hier. cæl. c. 4. §. 4. cleſia Apoſtolica dicti ſunt) ſed etiam veros Iudaïcæ gentis Pontifices
Hierarchas vocat; quod eum ſupra nomen Zachariæ tribuiſſe obſer-
Id. Hier. cæl. c. 9. § 3. vauimus, quem ſcilicet non ſimplicem ſacerdotem, ſed Pontificem fuiſ-
ſe ſomniabat. Sic etiam alibi Melchiſedecum ἱεράρχην φιλοθεώτατον
Hierarcham Dei amantiſsimum, vel (ut maluit interpres) *Deo cariſſi-
mum* vocat. Sic quos ſcriptura, & omnis ex ea Eccleſia *Apoſtolos* &
Prophetas dicit, hic fere *Theologos* vocat. Apoſtolos quidem, & vbique
fere alios, & Petrum in illo nominatim loco, quo eum, ut ſignifica-
Id de divin. Nom c. 2. § 2. ret Apoſtolorum primum, ſive, ut alii ueteres loquuntur, *principem*, di-
cit τὴν κορυφαίαν καὶ πρεσβυτάτην τῶν Θεολόγων ἀκρότητα, *verticalem & ve-
tuſtiſsimam Theologorum ſummitatem*; ibidemque ſuum Hierotheum
ſcribit poſt *Theologos* (id eſt poſt Apoſtolos) cæteris omnibus antecel-
luiſſe. Prophetas vero paſſim eodem nomine donat. Et omnes in gene-
a De Hier. cæl. c. 8. §. 2. re, & ſingulos proprie, ut Zachariam, [a] Ezechielem, [b] Iſaiam. [c] Hunc
b Ibid. ſæpius & c. 20. §. 2. & c. 15. §. 9. etiam aliquãdo ὑποφήτην dicit. *Prophetæ* ſolenne noſtris omnibus, & ſa-
cris, & Eccleſiaſticis ſcriptoribus, vocabulum adeo ſprevit, ut id om-
nino non ſæpius, quam bis aut ter ſi bene memini, uſurpaverit. Eſt &
c Ibid. c. 13. §. 2 3 4. vbi pro vtriſque (id eſt Apoſtolis & Prophetis) τοὺς ἐνθέους ἡμῶν ἱεροτελε-
d Ibid. c. 13. § 1 ςὰς *divinos noſtros in ſacris initiatores* dicit. Eodem quoque pertinet,
e Id. Hier. Eccl. c. 1. p. 200. a. quod idem auctor *ſcripturæ*, ſolenni divinorum & Eccleſiaſticorum
ſcriptorum uſu tritum nomen parcius uſurpat, rem fere longo aliarum
f Ibid c. 3. Par. 3. § 4. vocũ circuitu deſcribens; ut cũ eius libros recenſet; πᾶσα μὲν γὰρ ἱερὰ καὶ
ἁγιόγραφος δέλτος, *Omnis enim ſacer & hagiographus liber.* Singulos libros
eodem modo περιφράζει, nomina quibus vulgo appellantur, diſſimulans;
ut Moſis, quam omnes Geneſim uocant, ipſe *ſubſtantiæ ac diſpoſitionis
rerum a Deo conditarum expoſitionem*, ἢ τὴν ἐκ Θεοῦ τῶν ὄντων γενητὴν
ὕπαρξιν καὶ διακόσμησιν (ὑφηγουμένη) vocat; neque cæterorum librorum
vllus eſt, cujus notũ & vulgare nomen ponat; tam putida affectatione
ut, cum *Ioannis Apocalypſim* ſignificare vellet, proprium & appoſitum
apocalypſeos vocabulum refugerit, exoticum & profanum nefando-
rum ſacrorum apud Paganos nomen maluerit, librum ita deſcri-
g Ibid. bens, [g] τὴν κρυφίαν καὶ μυστικὴν ἐποψίαν τοῦ τῶν μαθητῶν ἀγαπητοῦ καὶ
θεσπεσίου, *arcanam & myſticam dilecti divinique diſcipuli epopſiam*.
Cætera eiuſdem generis apud hunc ſcriptorem pæne innumerabilia
mitto. Hæc ſatis ſunt, ut quivis videat, quanto iſte ſtudio vocabula
quædam Apoſtolica & Eccleſiaſtica vitaverit. Non jam urgeo, quam

ſit ine-

ſit ineptum, quamque puerile voces communi tuorum vſu notas & & receptas faſtidire ac reſpuere; quaſi id vel ad ipſam rerum demonſtrationem, vel etiam ad veram eloquentiam (quod ipſi Ethnicorum ſapientes negant) magnopere interſit; ac non potius ad vanam neſcio cujus febriculoſæ eruditionis oſtentationem pertineat, animique a vulgaribus abhorrentis, & ſingularitate gaudentis morbum prodat; quo laboraſſe verum Dionyſium, incredibile eſt virum, ut omnes fatentur, gravem ac ſanctum. Illud vnum contendo Apoſtolorum diſcipulis, Eccleſiæque Chriſtianæ præfectis plane indignum videri, rerum vocabulis & illorum auctoritate, & huius uſu conſtitutis abſtinere; alia vel tuo arbitrio ficta, vel ab exteris accepta malle; & in his noſtrum Hierophantam eo largius ac gravius peccaſſe, quod quas refugit Eccleſiæ voces, vt verbi gratia *Epiſcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, Et cæteras quas edidimus, hæ illis, quas vſurpavit, *Hierarchæ*, *Sacerdotis*, *Miniſtri*, vocibus non modo non deteriores, ſed etiam meliores; certe apud eos, ad quos ſcribit, multo clariores ac dilucidiores eſſent; ut huius ſane inexcuſabilis temeritas fuiſſe videatur, qui poſita ab Apoſtolis, recepta ab omnibus Chriſtianis rerum ſuarum nomina, & ea quidem optima, ſive Græcæ linguæ, vnde nata ſunt, genium, analogiam, & vſum, ſive etiam vocum per ſe notarum, & ad ea, ad quæ aſſumptæ ſunt, ſignificanda vim ſpectes. Cur enim quæſo, *Hierarcham* noſter, aut ἱερέα, aut *Miniſtrum*, quam *Epiſcopum*, aut *Presbyterum*, aut *Diaconum* cum Apoſtolis & eorum diſcipulis dicere maluit? Quid ei in illis diſplicere, vel in his placere tantum potuit, ut illis abſtinendum, his vtendum putaverit? Nihil cum omnia excuſſeris reperies. Quid ergo eſt? Omnino hominem putaverim has ſui ingenii copias ad pompam explicare voluiſſe; ut plane alius a ſui ævi mortalibus eſſe videretur, qui aliter ſcilicet loqueretur, eoque pro antiquo ſcriptore, quod ille cupit, facile ab imperitis lectoribus haberetur. CAPVT XXX.

Capvt XXXI.

Argumentum XLI. A totius Areopagiticæ orationis forma ductum; vocibus, compoſitionibus, & figuris tragicis, & dithyrambicis conſtante, longis & involutis periodis, antithetis, & homæoteleutis, & cæteris affectati generis ornamentis ſcatente, & plane ad pompam efficta. Hanc vero ideam ne ab ipſis quidem de ſæculo magiſtris probatam; ab Apoſtolica vero ſimplicitate & gravitate ita eſſe alienam, vt ſanctiſſimum Martyrem eam eſſe conſectatum plane ſit incredibile. Caſtigatur Halloixij temeritas Areopagiticam orationem Paulinæ abſurdiſſime comparantis; & refellitur huius ideæ adductum ab eo, velut ex Auguſtino, exemplum.

HVc & illa alia accedunt, quæ a Caſaubono diximus in hoc ſcriptore vere fuiſſe obſervata; atque id in primis, quod iſte *voces fingit nouas, & compoſitiones format inuſitatas, inauditas, mirificas.* Voces quam multæ illius cenſus apud hunc occurrunt? ὀντότης, *entitas* ἕνας *pro unitate* ϖρακλικεύεσθαι *pro facturire*, & *opus parturire* (ut Corderius in Dionyſiano Gloſſario eſt interpretatus) θέωσις *deïficatio* θεοῦσθαι, *deïficari*, & alia id genus ſexcenta? *Compoſitiones* vero, & nominum & verborum, apud eundem plane ſunt, quod merito ait Caſaubonus, *mirificæ.* Nominum quidem; vt ἐξουσιαρχία, ἐξουσιοποιὸς, ὑπεράρχιος, πανόλβιος, θεομίμητος, jam a Caſanbono notatæ, quibus aliæ ſunt, his etiam mirabiliores, innumeræ; ut πολυκίνησια, οὐρανοποεία, θεοπτία, φωταγωγία, φωτοφάνεια, οὐσιωνυμία, ἀφθεγξία, ὑπερπληρότης, παγκλησία, ἱεροπλαστία, ἀνδροπλασία, φωτοχυσία, ἀληθογνωσία, ἐκφάντωρ, ἐκφαντορία, φωτοδοσία, ὑπερουσιότης, ὑπεραγαθότης, ὑπερύπαρξις, Et quod portenſoſum eſt, ὑπερθεότης; & hæ de Platonico genere, αὐτοκάλλος, αὐτοζωὴ, αὐτοσοφία, αὐτομοιότης, αὐτόταξις, αὐτοένωσις, αὐτομετοχὴ, αὐτοϋπεραγαθότης, αὐτοδύναμις, αὐτοισότης, αὐτοειρήνη, αὐτοθεότης, αὐτοουσίωσις, αὐτοζώωσις, αὐτοθέωσις, αὐτοαγιότης, αὐτεξουσιότης. Neque noſter in *adjectivorum* (vt vocant) *nominum* compoſitionibus modeſtior, vel parcior eſt; vt ſunt iſta; ἀειφωτὸς, ἀρχίφωτος, πνευματοκίνητος, οὐσιοποιὸς, ἀρχισυναγωγὸς, καλλοποιὸς, ἀγαθοεργὸς, ὁμοιαγαθὸς, ἀγαθοφυὴς, ὁμοθεὸς, σοφόδωρος, πατραπαράδοτος, ἀρχίζωος, ὑπεράρχιος, θεάρχικος, ἱεροτελέστης, ἱεροτελέστικος, θεόγραπτος, ἱερομύστης, ἱεροποιὸς, φωταγωγὸς, φωταγωγικὸς, φωτοδότις, τελεσιουργὸς, τελεσιουργικὸς, ἀγγελοπρεπὴς, σωματοπρεπὴς, εὐοδοποιὸς, χρυσοειδὴς, ταυτοειδὴς, ἡλιοειδὴς, ἑνοειδὴς, ἀεικίνητος, ὁμοπορευτὸς, θεοπαράδοτος, ἀπειροσαλπιγκτὸς, ἀπηροδύναμος, δυναμόποιος, τελειοδύναμος, εἰρηνόδωρος, εἰρηνόχυτος, ἀπειρόδωρος, κρυφιόμυστος. In verbis eadem quoque luxuries cernitur; qualia de multis hæc pauca ſatis erunt

erunt; ὑπερεῖναι, αὐξεῖναι, ὑπερβλύζειν, ὑπεραπλοῦσθαι, ὑπερπληροῦν, ἐνοποιεῖσθαι, εἰδοποιεῖσθαι, ἱερογράφεσθαι, σοφοποιεῖν. Ita noſter ſuam illam, quam Maximus dicit, λέξεων πολυπληθίαν adeo ſtudioſe conficit, vt nihil aliud penſi habuiſſe videatur, quam vt ex *ſonoris* imo & *terrificis*, plæriſque prælongis, ac vt ait Poëta, *ſeſquipedalibus* verbis compoſita oratio, multiſque (vt ſic dicam) foliis res pauciſſimas obumbrans, inani magnificentiæ ſpecie lectorem percelleret, ac deluderet. Eſt autem operæpretium huic paulo diſtinctius eius artem conſiderare, & quibus rationibus totam illam orationis ſuæ molem conſtruxerit, explicare. Ille ergo ad hoc opus epitheta inprimis (vt vocant Grammatici) creberrima adhibuit, & quæ ſapientes condimenti, vel ſalis inſtar, orationi parce ac raro inſpergi præcipiunt, ea ipſe larga manu paſſim ac pæne vbique effundit, vt pauca ſint nomina, quæ non ſuis, & quidem luculentiſſimis, ac ſplendidiſſimis epithetis ambitioſiſſime veſtiverit, atque ornaverit. Præter illa adiectiva, quæ modo exhibuimus, alia ejuſdem fere modi innumerabilia apud hunc ſingulis pæne, non paginis modo, ſed etiam verſiculis vibrant, æque grandia, ac ſonora; qualia de multis hæc pauca ſunt, quæ ad ſpecimen edimus; ἱερὸς, ἱερώτατος, ἱεραρχικὸς, ἱερατικὸς τελεστικὸς, τελειώτατος, τελειωτικὸς ζωογονεὺς, ἔνθεος, θεοειδὴς, θεόσοφος, θεουργικὸς, θεοπέσιος θεόληπτος, θεογέννητος, φωτιστικὸς, φανότατος, φωστηρικὸς, μεγαλόδωρος, ἅγιος, ἁγιόγραφος, φθοροποιὸς, ἐπιστρεπτικὸς, φιλοθεάμων, ἀγαθοῦργος, ἀγαθοδότις, σοφοδότις, κακρεγέτις, ἀρχέτυπος, αὐτοκίνητος, αὐτεν ἔργετος, μακαριστὸς, σεβάσμιος. Ingens eſt eorum agmen, quæ in ικος deſinunt; ἀρχηγικὸς, μορφωτικὸς, εἰσαγωγικὸς, ἐκφαντορικὸς, θεόπτικος, ἀνακινητικὸς, ἐπιστημονικὸς, ἀφοριστικὸς, ἐκθεωτικὸς, μεταβατικὸς, ἁπλωτικὸς, ἀνανεωτικὸς. Sed neque contemnenda eorum, eſt copia, quæ ab *α* privativa particula incipiunt; ἀδιάφθαρτος, ἀδιάγραπτος, ἀπαρέγκλιτος, ἀπερικάλυπτος, ἀσίγητος, ἀκάματος, ἀκατάληπτος, ἀνεπίστροφος, ἀλαμπὴς, ἄϋλος, ἀϋλώτατος, ἀπειροπρόσωπος, ἀσύμφυρτος, ἀσχημάτιστος, ἀμιγέστατος. Neque pauca ſcriptori ſuffecit nomen εἶδος; ἀγαθοειδὴς, φωτοειδὴς, θεοειδὴς, σταυροειδὴς, σωματοειδὴς, ἑλικοειδὴς, & quæ nuper exhibebamus, χισοειδὴς, ἡλιοειδὴς, ταυτοειδής. Scriptor iis quoque gaudet, quæ fiunt a verbo πρέπει *decet*, ἀγαθοπρεπὴς, ἱεροπρεπὴς, μεγαλοπρεπὴς, ἀγγελοπρεπὴς, σωματοπρεπής. Iam vero, vt iſte nominibus epitheta; ita & verbis ſua adverbia perpetuo fere adjungit, ipſa quoque vel ſyllabarum numero, vel ſono, vel novitate, vel originis, aut compoſitionis ſingularitate conſpicua, adeoque orationi ὄγκον, & molem dare idonea; qualia ſunt, quæ vel ab adjectivis, quæ exhibuimus, vel aliunde ad eandem formam effingit; αὐτοκινήτως, περιεκτικῶς ἐπιστημονικῶς, ἐπιθετικῶς, ἀγαπητικῶς, ἀφθέγκτως, ἁγιάστως, θειωδῶς, ἐκφαντορικῶς, ὑμνητικῶς, θεομιμήτως, ἀγγελομιμήτως, ὑπεροχικῶς θεωνυμικῶς ἀπαρατηρήτως, ἀγαθοειδῶς, ἐνθέως, ἀνθρωποπρεπῶς, ἁγιοπρεπῶς, ἱεροπρεπῶς, ἡλιοειδῶς, ἑνιαίως, θεοπαραδότως, ἀναλλοιώτως, ἀμεταστρέπτως, πανιερῶς, ἀπερικαλύπτως, ἀνεκπομπεύτως, ἀπαραλλάτως, ἀδιαφθάρτως, εἰσαγωγικῶς, ἐκφαντορικῶς, ἱεραρχικῶς, φωτωνυμικῶς.

CAPVT XXXI.

CAPVT XXXI.

νυμικῶς, κυκλικῶς: ἑλικοειδῶς, ὑπερουσίως, ὑπεραληθῶς. Hoc & artis eius eſt, quod nihil fere loquitur, quod non vltra legitimum rerum modum extollat, exaggeret, amplificet. Hyperbole apud eum longe lateque regnat; magnum fateor, orationis ornamentum, ſi parce, ſi caſte, modeſteque vtaris; ſin aliter, & magiſtri tradunt, & vel ineruditi ſentiunt nihil eſſe vel frigidius vel moleſtius. Noſter vero vt ea, de quibus agit, ad hanc non tam magnitudinem, quam granditatem evehat, primo adjectiva (vt vocant) nomina præfixis particulis quibuſdam αὐξητικαῖς componit, atque ita eorum ſenſum vel intendit, vel extendit; qualia ſunt, quæ ex ὑπὲρ *ſuper* vel *ſupra* innumerabilia effingit; ὑπερκόσμιος, ὑπερουράνιος, ὑπεράρχιος, ὑπερφυὴς, ὑπερφανὸς, ὑπέρφωτος, ὑπερφανὴς, ὑπερώνυμος, ὑπερτελὴς, ὑπερούσιος, ὑπερηπλωμένος, ὑπερηνωμένος, ὑπέρζωος, ὑπέρσοφος, ὑπερευρὺς, ὑπερλαμπρὸς, ὑπεραγαθὸς, ὑπεράρρητος, ὑπερπλήρης, ὑπεράπειρος; denique ne quid deſit, etiam ὑπέρθεος. Quædam hujus generis etiam ex πολὺ componit; vt πολυύμνητος, πολυθεάμων, πολύφωνος, πολύχυτος. Multo plura ſunt, quibus præfixo τῷ πᾶν, eo majorem conciliat ſignificationis amplitudinem, quo *omnes multis* plures ſunt. Hujus ſunt apud iſtum generis, πανιερὸς, παναυτοκρατορικός, πανεπίσκοπος, πάναγνος, πανόλβιος, πανάιτιος, παμμεγέθης, πάνσοφος, παναγέννητος. Eandem vim illa quoque habent, quæ ſunt formæ τοῦ ὁλολαμπὴς. Sed ne hæc quidem ſcriptori ſatis ſunt. Et aliorum, & horum ipſorum vim, & molem alia quoque ratione auget, dum ea in ſuperlativum gradum, quo creberrime vtitur, extendit. ἱερώτατος, ἁγιώτατος, τελειώτατος, θεαρχικώτατος, ἐναγέστατος, ἀπειρότατος, ἀϋλώλατος, φιλανθρωπότατος, μακαριώτατος, φανώτατος, θεοπρεπέστατος, θεοειδέστατος, πολυπαθέστατος, παναγέστατος, πανιερώτατος, παναγιώτατος. Adverbiorum eadem quoque apud noſtrum ratio eſt; vt ὑπεραρρήτως, ὑπεραγνώστως, &c. quæ nuper exhibuimus. Omnia vt vides, & nomina, & epitheta, & verba, & adverbia grandia ſunt, & ſyllabarum numero, & ſoni majeſtate, & compoſitionis mole, & vel novitatis, vel antiquitatis, vel peregrinitatis ſingularitate mirifica; quędam pæne ſtupenda. Hæc Areopagitici ſermonis ſylva eſt; His varia inter ſe arte contextis, ac compoſitis, veluti ſpecioſiſſimis quibuſdam quadrigis, invecta Hierophantæ noſtri oratio exultat, & a calce ad carceres, hinc Latinis, inde Græcis plaudentibus, decurrit. Pompæ magnificentiam auget perſonæ, ſub qua ille ſuos ludos latens agit, antiqua, & toto orbe Chriſtiano venerabilis facies atque dignitas. Cæteras eius artes, quæ multæ ſunt, mitto. Vnam a Caſaubono ſupra notatam, quæ ad amplificandam & diſtendendam orationis molem plurimum valet, & apud hunc creberrima eſt, non tacebo. Is ergo noſtro mos eſt, vt pro ſimplicibus rerum nominibus ſplendidas aliquas, & ex metaphoris plærumque in ænigmatis modum allegorice contextas deſcriptiones exhibeat, quale id eſt, quod ſupra attulimus, vbi cum vellet ſiſignificare Pontificem *ad baptiſterium accedere*, pro baptiſterio ænigmaticam eius deſcriptionem poſuit, ſcribens *Pontificem ad regenerationis ma-*

CAPVT XXXI.

nis matrem vadere. Ita pro ſimplici, & omnibus noto *ſcripturæ* nomine, alibi quidem *ſupramundana, & ſacerrima oracula* dicit, ὑπερκόσμια καὶ ἱερώτατα λόγια; alibi vero τὴν ἱερὰν καὶ ἁγιόγραφον δέλτον, *ſacrum & hagiographum codicem.* Eſt etiam vbi ad hoc ipſum ſignificandum *hierographicas* dicit *oraculorum ſyntheſes*, id eſt *contextus* vel *compoſitiones.* τὰς ἱερογραφικὰς τῶν λογίων συνθέσεις. Pro *fidelibus*, quod ſimplex erat, facile, & obvium, longo ac lacinioſo verborum ambitu eos dicit, *qui ex hierarchicis myſterijs, & traditionibus ſacræ ſunt myſtagogiæ myſterio initiati.* τοὺς τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας τὴν τελετὴν ἐξ ἱεραρχικῶν μυστηρίων καὶ παραδόσεων τετελεσμένους. Cætera de hoc genere mitto, quæ apud iſtum ſunt innumerabilia. Iam de horum inter ſe nexu, & compoſitione multa quidem dici poſſent; ſed ad inſtitutum noſtrum pauca quædam libare ſatis erit. Noſter ergo ſuæ orationis partes inter ſe operoſiſſime contexit, vt membra membris plærumque accurate reſpondeant, iſocola, antitheta, homoeoteleuta, & alias puerorum delicias ſtudioſiſſime vt apparet, conſectans. Exemplum vnum ex eo loco afferam, in quo ſingulos ſcripturæ libros recenſet. Πᾶσα μὲν γὰρ (inquit) ἱερὰ καὶ ἁγιόγραφος δέλτος, ἢ τὴν ἐκ θεοῦ τῶν ὄντων γεννητὴν ὕπαρξίν τε καὶ διακόσμησιν, ἢ τὴν νομικὴν ἱεραρχίαν καὶ πολιτείαν, ἢ τὰς τοῦ θείου λαοῦ κληροδοσιῶν διανεμήσεις καὶ κατασχέσεις, ἢ κριτῶν ἱερῶν, ἢ βασιλέων σοφῶν, ἢ ἱερέων ἐνθέων σύνεσιν, ἢ παλαιῶν ἀνδρῶν ἐν ποικιλίᾳ καὶ πλήθει τῶν ἀνιώντων ἀκατάσειστον ἐν καρτερίᾳ φιλοσοφίαν, ἢ τὰς πρακτέων σοφὰς ὑποθήκας, ἢ θείων ἐρώτων ᾄσματα, καὶ ἐνθέους εἰκόνας, ἢ τὰς ἐσομένων τὰς ὑποφητικὰς προαναῤῥήσεις, ἢ τὰς ἀνδρικὰς Ἰησοῦ θεουργίας, ἢ τὰς τῶν αὐτοῦ μαθητῶν θεοπαραδότους καὶ θεομιμήτους πολιτείας καὶ ἱερὰς διδασκαλίας, ἢ τὴν κρυφίαν καὶ μυστικὴν ἐποψίαν τοῦ τῶν μαθητῶν ἀγαπητοῦ καὶ θεσπεσίου, ἢ τὴν ὑπερκόσμιον Ἰησοῦ θεολογίαν τοῖς πρὸς θέωσιν ἐπιτηδείοις ὑφηγήσατο, καὶ ταῖς ἱεραῖς τῶν τελετῶν καὶ θεοειδέσιν ἀναγωγαῖς συνεῤῥίζωσεν. Locum Latine ſic reddunt noviſſimi interpretes. *Omnis namque ſacræ ſcripturæ textus, vel conditam a Deo rerum ſubſtantiam ac diſpoſitionem, vel legalem hierarchiam ac politiam, vel hæreditatum divini populi diſtributiones ac poſſeſſiones, vel ſacrorum judicum, Regumve ſapientum, atque ſacerdotum divinorum prudentiam, vel priſcorum virorum in triſtium varietate, ac multiplicitate caſuum inconcuſſam tolerantiæ philoſophiam, aut ſapientes rerum gerendarum præceptiones, vel amorum cantica divinorum, imagineſque divinas, vel præſagas futurorum prædictiones, vel viriles Ieſu Dei operationes, ejuſdemque diſcipulorum divinitus tradita, & ad Deum imitandum conducentia vitæ inſtituta, doctrinaſque ſacras, arcanamve illam myſticamque viſionem diſcipuli dilecti divinique, atque ſupermundialem Ieſu Theologiam ijs, qui divinitatis capaces ſunt expoſuit; ſacriſque cum ſacramentorum, tum ad Dei formam conſequendam aptis inſtitutionibus confirmavit.* Atque ita quidem noſter Hierophantes. Primo vides immanem ac plane improbum lacinioſæ orationis ambitum; & inter prima nomina τὴν [illegible] ὄντων γένεσιν, & verbum a quo illa reguntur, ὑφηγήσατο, plures o[illegible] interiectas voces; quo fit vt omnia diu pendeant,

Dion. Hier. Eccl. c. 2. Part. §. 7.
Id. Hier. Eccl. init.
Ibid. c. 3. Part. 3. §. 4.
Ibid. c. 1. init.
Ibid c. 3. Part. 3. §. 4. p. 246. 247.

Capvt XXXI.

deant, & legentis animum diſcrucient, moleſte expectantis, quonam tandem illa tam multa evaſura ſint. Tum ſcriptoris ſtomachum cernis, qui vna periodo omnes veteris ac Novi Teſtamenti libros ſigillatim complecti, tantamque rerum ſylvam in tam arctum gyrum cogere ac includere non dubitavit. Vnde fieri non potuit, quin & periodus præter modum excreſceret, & res tam multæ ita inter ſe convolutæ ac congeſtæ malignius lucerent, & quandam nobis caliginem offunderent. In his vero, quod dixi, cola colis ad amuſſim plæraque congruunt. Nam & hæc ἡ ἐκ θεοῦ τῶν ὄντων γεννητὴ ὕπαρξίς τε, καὶ διακόσμησις. illis quæ ſequuntur, ἡ νομικὴ ἱεραρχία καὶ πολιτεία, reſpondent; & cætera deinceps ſimili inter ſe ratione dimenſa ſunt. Ac vt illorum; ὕπαρξίν τε καὶ διακόσμησιν ἱεραρχίαν καὶ πολιτείαν, par idemque eſt finis; & ambo illa quidem in σιν; hæc vero in ιαν deſinunt; qualiter & proximi coli duæ extremæ voces, διανεμήσεως, καὶ κατασχέσεως, ipſæ quoque fine congruunt. Iam in illis, ἢ κριτῶν ἱερῶν, ἢ βασιλέων σόφων, ἢ ἱερέων ἐνθέων, ipſa ſtatim vel ineruditorum hominum auris deprehendit, tum nominum, tum epithetorum accuratam paritatem & manifeſtum homœoteleuton. Anthiteta vero a ſummo ad imum amice inter ſe vibrant; *rerum creatio & ordinatio* cum *legis hierarchia & politia* compoſitæ; *hæreditas* cum *viris Iudicibus*, *Regibus*, *Sacerdotibus*, & horum *prudentia* cum aliorum *conſtantia*; Inde *præceptiones* cum *canticis*, *prædictiones* cum *hiſtoriis*; *viſio* denique cum *theologia* comparatæ. Sed & aliquod eorum quæ ſupra in hoc authore notavimus, pæne omnium ſpecimen hic vnus locus exhibet. Nam & γένεσιν & ἀποκάλυψιν (quod ſolenne eſt ac legitimum, illud primi hoc vltimi Bibliorum voluminis, nomen) dicere conſulto cavit; pro priore τὴν ἐκ θεοῦ ὕπαρξιν, pro poſteriore ἐποψίαν vſurpans. Ita & *prædictiones*, quæ *propheticæ* ab omnibus Chriſtianis dicuntur, noſter repudiato hoc veluti nimis vulgari nomine ὑποφητικὰς vocare maluit. Ibidem quoque voces Paganicas pro Apoſtolicis vſurpat, divinam, Iobi quidem patientiam, τὴν ἐν καρτερίᾳ φιλοσοφίαν; revelationem vero Ioannis, τὴν κρυφίαν ἐποψίαν; nomine vtroque quidem apud Apoſtolos inuſitato, hoc vero poſteriore, etiam ob nefanda ſacra, quorum erat apud Paganos proprium profano atque execrabili. Sed & iſta, quæ ibidem vſurpat, μυστικὸς, θεσπέσιος, τελετὴ, ἀναγωγὴ, Paganicæ omnia ſunt originis, neque vſpiam, quod ſciam, apud divinos illos ſcriptores reperiuntur, quos iſte præceptores ſuos eſſe gloriatur, τελετὰς ſcio ſemel atque iterum in veteri inſtrumento vſurpari; ſed in vtroque loco pro impiis & Paganicis; nuſquam pro legitimis & a Deo inſtitutis ſacris. Neque vero hic deſunt voces, & compoſitiones, vel fictæ, vel apud noſtros certe novæ; θεουργία, ἔνθεος; θεοπαράδοτος, θεομίμητος, θέωσις, ὑπερκόσμιος, ἀναγωγή. Sed ibidem quoque illam cernere eſt, quam diximus, profuſam epithetorum copiam, ἱερὰ καὶ ἁγιόγραφος δέλτος, θεῖος λαός, κριταὶ ἱεροὶ, βασιλεῖς σόφοι, ἱερεῖς ἔνθεοι ἀκατάσειστος φιλοσοφία, σοφαὶ ὑποθῆκαι, ἔνθεοι ἐκλήσεις, ὑποφητικαὶ προαναῤῥήσεις, ᾠδαὶ καὶ θεουργίαι, θεοπαράδοται καὶ θεομίμηται

1. Reg. (Græc. 3.) 15.12. Amos 7.9.

CAPUT XXXI.

μύηται, πολιτείαι, ἱεραὶ διδασκαλίαι, κρυφία ἐποψία, μαθητοῦ θεσπεσίου, ὑπερκόσμιος θεολογία, θεοειδεῖς ἀναγωγαί; vt vix toto loco vnum aut alterum ſuperſit nomen, quod non ſuo epitheto gaudeat. Denique & hic pro ſimplicibus rerum nominibus adhibitas eſſe earum deſcriptiones; vt pro *ſcriptura* τὴν ἱερὰν καὶ ἁγιόγραφον δέλτον; pro Apocalypſi τὴν κρυφίαν καὶ μυστικὴν ἐποψίαν, jam ſupra obſervauimus; quibus & hæc addenda ſunt, pro *Ioanne* poſitum eſſe τὸν τῶν μαθητῶν ἀγαπητὸν καὶ θεσπέσιον; pro piis & fidelibus, τοὺς πρὸς θέωσιν ἐπιτηδείους. Atque hæc quidem de hac Hierophantæ periodo dicta ſatis ſunt. Plures deſcribere nihil neceſſe eſt. Sunt enim cæteræ pæne omnes hujus ſimillimæ; neque tu apud iſtum facile alium parem locum reperies, qui iſto non ſit etiam deterior; quæ ratio me impulit, vt eum potiſſimum ſeligerem, quod hinc nullo negotio, qui; qualiſque ſcriptor iſte ſit, veluti compendio diſcere ac intelligere liceat. Vnam tantum addam plane vt mihi videtur, ſingularem noſtri elocutionem, ex qua patet quam ille mirabilis in hoc genere fuerit artifex. Ea autem extat in libro de divinis nominibus; vbi negat quicquam eſſe, quod, ἐξάγειν *educere, aut explicare poſſit*, τὴν ὑπὲρ πάντα καὶ λόγον καὶ νοῦν κρυφιότητα τῆς ὑπὲρ πάντα ὑπερουσίως ὑπερούσης ὑπερθεότητος. Etiam qui Græce neſciunt, orationis hujus vel ex Latina interpretatione admirabilitatem aſſequentur; *Nihil* (inquit) *explicat illud omnem rationem & mentem ſuperans ſuperdeitatis arcanum* (græce eſt *occultum & abditum*) *ſupereſſentialiter ſupra omnia ſuperexiſtentis.* Neque his minus turgida, & ſpumoſa eſt illa Iacobææ ſententiæ a Caſaubono merito notata apud eundem paraphraſis; πᾶσα δόσις ἀγαθὴ (inquit) καὶ πᾶν δώρημα τέλειον; Hæc hactenus Iacobus; Noſter paraphraſtes de ſuo addit; ἐκ πάσα πατροκινήτου φωτοφανείας πρόοδος εἰς ἡμᾶς ἀγαθοδότως φοιτῶσα. Hæc vero omnes dithyrambos ſuperant. Ex hoc, quod hactenus edidimus, dictionis & orationis ſpecimine, ſatis ni fallor, intelligunt omnes artis periti, primo quidem quam falſus ſit ille eloquentiæ color, quo hic ſcriptor multis imponit, ex iis rebus conſtans, quæ ab ipſis de ſæculo magiſtris Ariſtotele, Cicerone, Dionyſio Halicarnaſſeo, Quintiliano, Longino, & aliis reprobatæ ſunt. Dionyſius ne ipſius quidem Platonis ſublimitatem probavit; ſed eam περιεργείας, & nimiæ, præſertim in philoſopho, curioſitatis & affectationis damnavit. Quanto minus frigidam illam inanem & inſolentem noſtri hierophantæ ſub Theologi perſona grandiloquentiam ferret? Caſtam enim & ſobriam & ſanam decet eſſe etiam oratoris, qui ſit gravis, eloquentiam; non audacem, non temulentam, & inſanam. Ac Senecam quidem *vitijs abundare* ſcribit Quintilianus; ſed *dulcibus*. Noſtri vero *vitia* nulla dulcedo ſolatur. Tetrica enim ſunt, & moleſta. Quam mentitur magnitudinem, ea vero magnitudo non eſt, ſed inanis tumor, & pumilionis ſeſe vltra ſuum modum efferentis aggeſta ex cothurno & calceis proceritas. Multa magnaque minatur; ſi hominem excuſſeris, verborum & foliorum abunde reperies; rerum & veræ frugis pæne nihil. Sub illis

Dion divin. dom. c. c3 §. 3. p. 694.

Caput XXXI. tam grandibus dithyrambicæ pompæ verbis ſenſus vulgares latent. Nihil fere rarum, aut reconditum; nihil tanto apparatu hiatuque dignum; pauca ſunt, quæ non norint Chriſtianarum ſcholarum tirones. Sed & hinc ſecundo clare liquidoque perſpicimus, quam non modo vanum falſumque, ſed etiam ſtultum & impudens ſit Halloixii de hoc authore judicium, in cujus libris negat *alium ineſſe ſpiritum, aliam apparere eloquentiam quam in Pauli nonnullis epiſtolis*. Tantum-ne de hominum ſtupore ſperaſſe hunc Ieſuitam, vt ſe perſuaſurum putaret res tam inter ſe diverſas, atque contrarias eaſdem eſſe? Si Pauli in hoc ſcriptore ſpiritus eſt, ſi eſt eloquentia; cur ergo Halloixi, ipſa rerum & perſonarum, quæ ille & poſuit, & nunquam non vſurpavit, nomina, tuus iſte alter Paulus ſcilicet, cane pejus & angue refugit? Cur quos ille *epiſcopos, presbyteros, Diaconos, Apoſtolos, Prophetas* vocat, tuus hic febriculoſus Apoſtolicus ſemper aliter vocat? Cur quibus hic nos vbique obtundit atque obruit novis & mirificis epithetis, eorum ille nihil habet? Cur illa ad terrorem & pompam efficta tui ſeſquipedalia verba nulla apud noſtrum ſunt? Cur cætera, quæ apud tuum abundant, apud noſtrum deſiderantur? Attici hominis hæc eſſe dices. Viderint magiſtri; num in verbis pueriliter ludere, num dithyrambica profundere, & vltra omnem decori modum turgere atque efferri, id ſit *Atticiſmus*; quod ſcio Halicarnaſſeum quidem illum, haud paulo meliorem Halloixio Atriciſtam, nunquam eſſe conceſſurum. Sed eſto; Tui Areopagitæ morbum Atticiſmum eſſe, quod ridiculum & inſanum eſt, concedamus. Hic ipſe inquam Halloixi, tui ſcriptoris Atticiſmus clamat hominem nihil habere Paulini ſpiritus, Paulinæve eloquentiæ, cum qua nihil æque pugnat, ac fictitius ille Dionyſii tui Atticiſmus. Sed & poſtea quemdam Auguſtini ex ſoliloquiis locum Halloixius deſcribit, in quo ille ſcribit ſcilicet, *Trinitatem eſſe ſupermirabilem, & ſuperinenarrabilem, & ſuperinſcrutabilem, & ſuperinacceſſibilem, & ſuperincomprehenſibilem, ſuperintelligibilem, ſupereſſentialem, ſupereſſentialiter exuperantem ſenſum omnem, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam; omnem eſſentiam ſupercæleſtium animorum*. Hic exultat Halloixius; & hæc aut *vel e Dionyſio, vel ex eodem certe ſpiritu hauſta ſcriptaque videri* poſſe. Ego rem ipſam divinæ ſcilicet naturæ immenſam, & omni creata mente infinito ſpatio celſiorem ac ſublimiorem majeſtatem, ex eodem Scripturæ fonte ab vtroque ſcriptore hauſtam eſſe confiteor. Rei vero moroſam ac turgidam illam, & ex vocabulis fictis atque apud homines inuſitatis, eadem abſque vlla neceſſitate ſæpius inculcantibus conflatam elocutionem, vel vterque a ſuo ingenio habuit, vel a Græco fortaſſe Latinus hauſit. Non enim iſte Soliquiorum ſcriptor, quem nos Halloixius *audire & obmuteſcere* jubet, Auguſtinus eſt; ſed alius ignotus auctor. Auguſtini *ſoliloquia* ſunt; ſed alia, in duos libros diviſa, quæ & ipſe, & Poſſidius diſertiſſime memorant. *Soliloquiorum*, ex quibus iſta habet Halloixius, vnus liber eſt; cuius neque Auguſtinus,

Hall de aper. Dion. Quæſt. 2. p. 536.

Hall. ibid. p. 546. Aug. Solit. c 31. T. 9. Append. p. 318. A. col. 2.

guſtinus, neque Poſſidius, neque vllus alius idoneus vetuſtatis auctor meminit. Itaque librum & Bellarminus inter eos cenſet, de quibus fatetur *ſe nihil certi habere*; & Lovanienſes, ac Pariſienſes in Tomi noni appendicem rejecerunt, qua ipſi illa *contineri* nos admonent, *quæ conſtat non eſſe B. Auguſtini, etſi in eius tomo nono extare ſoleant.* Halloixius vel falſus eſt, qui pro Auguſtinianis ea accepit, quę Auguſtiniana nequaquam eſſe vel ipſi ejus Theologi *conſtare* affirmant; quod non eſt acuti & docti diſputatoris; vel certe nobis imponere voluit; quod non eſt viri boni. Vtcumque ſit, alios Dionyſianæ grandiloquentiæ patronos quærere debet, quam Auguſtinum; Quamquam ne hoc quidem ad eam purgandam ſatis futurum ſit, ſi vel vnus, aut alter ex Auguſtino huius generis locus afferretur. Auguſtino enim, ſi ſemel, & iterum in tam multis voluminibus aliquid turgidius excidiſſe deprehenderetur, venia concedi facile & poſſet, & deberet; nulla Halloixiniano Dionyſio debetur, qui totus, quantuſcumque eſt, ex illa idea conſtat; neque ſolum, vbi de Deo ſermo eſt, cuius ſublimitas ipſa per ſe orationem attollit, ſed & vbique alias ita profecto loquitur, vt furentem Tragædum te audire putes. Neque enim ille, dum Eccleſiæ quotidianos, & captu facillimos ritus enarrat, hilo eſt modeſtior, aut verecundior, quam dum Dei & Trinitatis myſteria (vt eius verbo utar) ὑμνεῖ, id eſt canit, ac celebrat; ac ne in epiſtolis quidem ad familiares ſuis ſummiſſior aut humilior eſt, quam in libris Theologicis; Quicquid ille agat, ac vbicumque ſit, ſemper eſt in cothurno tragico; & ampullas dithyrambicas conſtanter profundit. Denique & illud tertio ex his quæ diſputavimus, certo non eſſe hũc vel Pauli diſcipulum, vel Apoſtolicorum hominum vnum; cuius omnis ſcilicet oratio tam & ab illius, & ab horum vſu ac conſuetudine aliena eſt; qui in verbis fingendis, in epithetis expoliendis, in ſenſibus exaggerandis, in periodis ſtruendis, in omnibus vltra modum amplificandis, in ſermone ad pompam, imo & ad terrorem componendo tantum operæ ac temporis poſuiſſe cernitur; a quo omni ſtudio viros Apoſtolicæ memoriæ & ſponte plurimum abhorruiſſe ſcimus, & vero aliis multo maioris momenti laboribus ac certaminibus ita occupatos fuiſſe, vt etiamſi ad has nugas animo propendiſſent, ne ſic quidem videantur ſatis ad hæc vana aſſequenda otii habituri fuiſſe.

CAPVT XXXI.

Bell. de ſcript. Eccl. in Augu.
obſeru. 3. ad Tim. 9.
Aug. T. p. 352.

Caput XXXII.

Refellitur inerudita Halloixij pro ſuo Dionyſio obiectio, a quo Gregorium Nazianzenum & Clementem Alexandrinum quædam ſublegiſſe vult, quæ illum ab his eſſe furatum & probabilius & verius eſt. Aliorum Areopagiticum a Nazianzeno quodam loco intelligi hariolantium obiectio ab ipſo Halloixio confutata. Concluſio diſputationis ſuperioris, veriſſime de libris Areopagiticis judicaſſe Hypatium a. D. 532.

Halloix. de Dion. op. Q. I. p. 532. 533.

Atque ex his quæ hactenus diſputavimus nullo negotio diſſolvuntur quædam ab Halloixio, & aliis pro ſui Dioniſii antiquitate obiecta; quæ a nobis ea de cauſa in hunc locum conſulto dilata ſunt. Ac illud quidem primo, quod nonnulla interdum apud Gregorium Nazianzenum occurrunt iis ſimillima; quæ in Areopaticis leguntur; qualia hæc ſunt ab eruditiſſimo viro Iacobo Billio obſervata. Gregorius Orat. II. de Paſcha, de Deo loquens; ὅλον (inquit) ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι. *Eſſe totum in ſe ipſo comprehenſum habet.* Horum plane gemina nemo illa eſſe negaverit, quæ apud noſtrum capite V. de divinis nominibus habentur, ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφώς. Eodem loco Gregorius dicit Deum eſſe πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον, *immenſum & infinitum eſſentiæ pelagus.* Dionyſius eadem capite IX. cœleſtis hierarchiæ, θεαρχικοῦ φωτὸς ἄπειρόν τε καὶ ἄφθονον πέλαγος. *Divino-principalis lucis infinitum eſt, & largum copioſumque pelagus.* Plura apud Billium exempla extare ait Halloixius; in quibus, (neque enim librum Billii habeo) neſcio an illud ſit, quod ego vtrumque ſcriptorem in verborum aucupes invehi, & in eos ſimilia dicere obſervaui. Iſtos Gregorius dicit *relictis rebus ſyllabas conſectari,* συλλαβαῖς ἀκολουθεῖν ἀφέντας τὰ πράγματα, Hierophantes vero μὴ τῇ δυνάμει τοῦ σκόπου προσέχειν, ἀλλὰ ταῖς λέξεσι, *non vim ipſam inſtituti attendere ſed verba;* Negat *eos res divinas intelligere cupere. ſed exiles ſonos aucupari,* οὐ τὰ θεῖα νοεῖν ἐθέλειν, ἀλλ᾽ ἤχους ψιλοὺς εἰσδέχεσθαι; *elementis denique ac lineis non intellectis, & ſyllabis & verbis ignotis addictos eſſe.* προσπάσχειν στοιχείοις καὶ γραμμαῖς καὶ ἀνοήτοις, καὶ συλλαβαῖς καὶ λέξεσιν ἀγνώστοις. Eos Gregorius quidem ſic vrget, *Quod ſi te bis quinque, aut bis ſeptem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem, an tibi nugari viderer?* εἰ δὲ σοῦ τὰ δὶς πέντε λέγοντος, ἢ τὰ δὶς ἑπτὰ, τὰ δέκα συνῆγον ἢ τέσσαρες καὶ δέκα, ἆρα ἂν τοι ληρεῖν ἐνομίσθην; Suis quoque noſter ſimile objicit exemplum; *Quaſi non liceat* (inquit) *quaternarium numerum per bis duo ſignificare.* ὥσπερ οὐκ ἐξὸν τὸν τέσσαρα ἀριθμὸν διὰ τοῦ δὶς δύο σημαίνειν. Ex his & aliis horum duorum ſcriptorum inter ſe comparatis locis, probabile eſt ea, quæ vtriuſque communia ſunt, alte-

Bill. obſeru. ſacr. T. I. c. 23.

Greg. Naz. Orat. 37. quæ eſt de Sp. S. p. 606. D.

Dion. de divin. nom. c. 4. §. 11.

rum

rum ab altero accepiſſe;neque ego contra tendere velim. Quæritur v- ter ab vtro ſit mutuatus. Halloixius Gregorium a ſuo Areopagitico ſumpſiſſe, veluti rem apud omnes confeſſam, pro eximio ſuo acumine ponit ; & ſtatim , vt eſt imaginoſus,& ad prodigium ſagax conjector, vaticinatur.*Gregorium,cum Athenis ſtudiorum cauſa degeret, & præcipuorum inibi philoſophorum ac Theologorum familiaritate vteretur , in Areopagiticos libros , tanquam altiſsimæ philoſophiæ plenos,incidiſſe, eoſque pervolutaſſe.* Ita apud hunc, & apud eiuſdem ordinis patres, ex conjecturis,& ex ſomniis fiunt vaticinia;ex vaticiniis,fabulæ;ex fabulis poſtremo obſtetricante pia divi Ignatii ſocietate, hiſtoriæ venuſtiſſimæ. Quis enim dubitat,quin hoc Halloixiani cerebri ſomnium Societas,ſi eam quidem fata ſinant rerum potiri, brevi ſit in Annales relatura? Proque vera & certa narratione apud omnes ſuos promulgatura?Sed ad rem. Gregorium Athenis ad capeſſenda litterarum ſtudia aliquandiu vixiſſe ſcimus ; neque Halloixium neceſſe erat nos ad fabuloſiſſimas *de vetuſtiſſimorum auctorum vitis & operibus* commentationes ſuas amandare,vt hoc diſceremus, quod ab ipſo jampridem Gregorio accepimus. At vero cum claris certiſque argumentis ſupra ſit a nobis demonſtratum Areopagitica nonniſi poſt quintum ſæculum fuiſſe edita,ac cognita,ſtultum & abſurdum eſt quod fingit,Gregorium a. D.389. mortuum hos libros vel *reperiſſe*, vel *pervolutaſſe* Athenis,qui centum, & amplius poſt eius mortem annis erant naſcituri. Verius eſt librorum auctorem,& hæc & alia, ſi qua ſunt ejuſdem generis,ex Gregorii operibus apud omnes noſtros eo quo ipſe vixit , tempore celeberrimis, ſublegiſſe,& operi ſuo inſerviſſe.Et quod ineluctabilis temporum ratio fateri cogit, id res quoque ipſa ſuadet. Cur enim Gregorius, ſi iſta a Dionyſio (quod Latini ſuſpicantur) eſſet mutuatus,auctorem ingrato ſilentio diſſimularet? Cur non ejus nomen ederet,apud omnes venerabile?Et ſibi & ſuæ orationi magnum pondus adjecturum ? Nam Areopagiticum quidem nemo mirabitur Gregorii eo Dionyſio , quem ſe videri volebat,ducentis annis junioris,nomen tacuiſſe.Et ad fraudem tegendam multo feciſſet conſultius , ſi vt Gregorii , ita neque Timothei, neque Ignatii,neque Clementis nomen libris ſuis inſerviſſet. Sed non omnia ſcilicet vel meminerunt, vel cavent mendaces.

CAPVT XXXII.

Eadem eſt eorum ratio, quæ Clementem Alexandrinum Halloixius ex ſuo Areopagita imitatum eſſe putat.Illa,quæ deſcribit,apud vtrumque ſimilia eſſe concedo.Eo fieri vt illo prior ſcripſerit Areopagiticus, nego;Verius eſt quod dixi. librorum auctorem vt pote multo recētiorē hacce apud Clemētem nactum,inde in ſuos vſus abduxiſſe.Mitto quod nonnulli perperam hariolantur Areopagitici noſtri Hierarchiam Cœleſtem a Gregorio Nazianzeno indicari ac intelligi , quo loco dicit *quemdam alium,qui ante ſe fuit, pulcherrime ac ſublimiſſime philoſophatum eſſe* de trina Seraphinorum apud Iſaiam glorificatione. Nam præterquam quod hæc mera eſt iſtorum hariolatio nulla ratione nixa;

Halloix.de oper.Dion. Q.1. p.534.

Greg.Naz. Orat. εἰς τὰ γενέθλια

(neminem

CAPVT. XXXII.

Athan. in Math. 12. omnia mihi a patre tradita sũt. Halloix. de oper. Dion. Q. 2. p. 540.

neminem enim Gregorius nominatim ſignat, & indefinite dicit *alium quendam qui ante ſe fuit*) hunc, quem iſtic Gregorius intelligit, Hierarchiæ ſcriptorem eſſe non poſſe, ſed Athanaſium revera eſſe, qui trinam iſtam Seraphinorum glorificationem ad perſonarum divinarum trinitatem refert; ipſe ille acerrimus Areopagiticorum patronus Halloixius defendit, & ſententiam hanc ſuam luculentius probavit, quam vt in eadem confirmanda immorari neceſſe ſit.

Sic ergo depulſis aduerſariorum his paucis non tam argumentis, quam ſuſpicionibus, & temporum, & rerum, & ipſius ſermonis, ſiue elocutionis ratio clariſſime id, quod nos contendimus, demonſtrat, hunc ſcriptorem, qui vulgo Dionyſij Areopagitæ nomine circumfertur, non modo Areopagitam Dionyſium, Pauli diſcipulum, vel alium Apoſtolici ævi hominem nequaquam eſſe; ſed ne ſecundi quidem, aut tertii, imo ne quarti quidem, aut quinti, certe ineuntis, ſæculi auctorem eſſe; omninoque videri iſtum, quiſquis de cætero ſit, vel quinto præcipiti ſæculo, vel etiam ineunte ſexto vixiſſe, neque ante an. D. circiter 520. fœtus hos ſuos, Dionyſio immani fraude ſuppoſitos edidiſſe. Vnde conſtat vt eo, vnde ſumus digreſſi, redeamus, Hypatii Epheſini Archiepiſcopi, imo Catholicæ totius Eccleſiæ, Hypatii ore, loquentis, de his libris ſententiam, cum ex iis hæretici Severiani quædam a. D. 532. objectarent, rectiſſimam, ſapientiſſimam ac modeſtiſſimam fuiſſe: hanc nimirum, *oſtendi non poſſe iſta vera eſſe, quæ nullus antiquus memoraverit.* Dixi *modeſtiſſimam*; quia verum eſt, non modo id quod ipſa ponit, *oſtendi non poſſe hæc opera eſſe Dionyſii*; Sed hoc etiam, quod multo majus atque amplius eſt. *Oſtendi poſſe*, certis & validis argumentis, *iſta non eſſe* Dionyſij Areopagitæ; vt nunc quidem ex tota hac ſuperiori noſtra diſputatione ſatis ſuperque patet.

Collat. Cathol. cum Sever. Concil. T. 3. p. 853. D. col.

CAPVT

CAPUT XXXIII.

Quæ Catholicorum fuerit poſt a. D. 532. de libris Areopagiticis opinio. Sententiam de iјs Hypatiј ad a. D. 553. ex Liberato patet conſtitiſſe, ſed & ad ſæculum ſeptimum manſiſſe. Eius ſæculi initio nonnullos Catholicos Areopagitica pro veris ſuſcepiſſe, ex Gregorio probatur; qui rem ipſe in medio reliquit. Eodem mox ſæculo Leontium Bizantinum, Anaſtaſium Sinaitam, & Maximum Monachum Areopagitica aperte agnoviſſe; hunc poſtremum etiam ſcholiis illuſtraſſe. Fuiſſe tamen etiam iiſdem temporibus, qui Areopagitica exploderent, idque ex ipſo Maximo oſtenditur. Hos tres ſæculo ſeptimo poſt Gregorium vixiſſe adverſus Latinos de duobus primis aliud tradentes aſſeritur, & probatur. Maximi pro Areopagiticis inanis obiectio diſcutitur; eiuſdemque ad ea tuenda error de Ignatii martyrio immanis.

SEd tametſi hoc veteris ante annos 1127. Eccleſiæ rectiſſimum atque æquiſſimum de his libris judicium poſteros conſtanter ſequi, & opera iſta Areopagitæ præter omnem rationem afficta eo, quo digna ſunt, loco inter apocrypha, & incerta cenſere atque habere par erat; fateor tamen longe aliter factum eſſe, & quidem nimium mature. Vix dum enim anni centum effluxerant poſt latam eam, quam diximus, Hypatii ore, ab Eccleſia ſententiam, cum nonnulli ex poſteris vel ſpreta, vel ignorata vetuſtiorū auctoritate, impoſtoris arte, & coloribus capti, a veris majorum placitis incaute deſciverūt, & hæc ſubdititia pro germanis ac genuinis Dionyſij operibus habere cæperunt; qui poſtea error in denſa ſecutorum temporum ignorantia atque caligine latiſſime diffuſus ad Latinos noſtros manavit. Id vero quando, & quibus auctoribus, & quo ſucceſſu factum fuerit, placet antequam hanc diſputationem concludo, breviter, & quatenus ex ipſis veterum monumentis conſtare poteſt, clare ac perſpicue demonſtrare.

Primo ergo ad a. D. 553. & vltra etiam manſiſſe apud Catholicos veram Hypatii de afflictis Dionyſio libris ſententiam; conſtat tum ex ſcriptorum illius temporis ſilentio, quorum nullus eos probaſſe vel laudaſſe reperitur, tum ex eo, quod alibi ſupra deſcripſimus, Liberati Archidiaconi teſtimonio. Hic enim vt ex eius breviario patet, paulo poſt Synodum V. a. D. 553. Conſtantinopoli habitam ſcribens, narrat cum *Acephali* hæretici (iidem cum Severianis) quatuor quoſdam libros nomine Cyrilli Alexandrini editos ſpargerent, in quibus teſtimo- *Liberat. Brev. c. 10. Concil. T. 4. p. 386.*

Caput XXXIII.

nia veluti *Dionyſii Areopagitæ*, & aliorum antiquorum Patrum habe-rentur; Acephalis hæc jactantibus reſpondiſſe Catholicos illos libros non eſſe Cyrilli, neque ei nota fuiſſe, quæ in illis reperiebantur, Dionyſii & aliorum teſtimonia; quibus ſcilicet nunquam ipſe adverſus Neſtorium eſſet vſus. Ex quibus videre eſt hæreticos tunc temporis non modo eadem, quæ ante ſub Hypatio, fraude, ſed etiam impudentiori graſſantes, Areopagitica pro veris Dionyſii operibus & habuiſſe, & objeciſſe, & quo iis auctoritatem conciliarent, Cyrillo Alexandrino libros ſuppoſuiſſe, in quibus Dionyſium inter Antiquos Patres laudari ac citari finxerunt; Catholicos vero & libros Cyrillo ſubditos repudiaſſe, & teſtimonia quæ iſtic Dionyſii nomine erant intexta, veluti Cyrillo ignota, adeoque dubia & incerta nihili feciſſe; quæ ipſiſſima eſt Hypatii, vt oſtendimus, de his ſententia. Eadem ad ſexti ſæculi ſuprema perſeveraſſe apud Catholicos videtur. Certe nullus extat verus & indubitatus illius memoriæ ſcriptor, quem aliter ſenſiſſe deprehendamus. Primus ab hoc maiorum iudicio non nihil deflexiſſe videtur Gregorius. P. R. I. qui anno ſeptimi ſæculi quarto vivere deſiit. Is enim hunc ſcriptorem *Dionyſii* quidem nomine laudat; ſed non præſtat; rem non ex ſuo, ſed ex alieno judicio referens, adeoque in ambiguo relinquens. *Fertur vero* (inquit) *Dionyſius Areopagita, antiquus videlicet & venerabilis Pater, dicere, quod ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum miniſterium vel viſibiliter, vel inviſibiliter mittuntur.* Hæc ille; Non ait, non definit, hunc qui de Angelis ita philoſophatur, vere Dionyſium eſſe; ne ſe quidem ita ſentire, aut probabile eſſe putare ſignificat; ſed de ſe nihil; ex fama tantum rem narrat, *Fertur* (inquit) *Dionyſius dicere.* Imo quod de re tanta, tam dilate tamque vage loquitur, eo ipſo ſatis fatetur ſe aliud ab iis ſentire, qui *ferebant* hæc dicere Dionyſium. Obſecro enim tuã fidem, ſi ſciviſſet hunc verum eſſe Dionyſiũ, ſi alios vulgo Catholicos ita exiſtimare comperiſſet; an ita loquutus eſſet? *Fertur Dioniſius dicere*? an non potius rem ipſe affirmaſſet, & abſque dubitatione dixiſſet, *Dionyſium iſta dicere*; nunquid eſt diffidentis & ambigentis, *Fertur Dionyſius dicere*? Id ipſum inde confirmatur, quod Gregorius Dionyſii de Angelis dogma non vſquequaque ſequitur; vt Ribera, magni inter Ieſuitas nominis, fatetur. Gregorium vero ab eius viri ſententia fuiſſe diſceſſurum, quem Pauli diſcipulum vere fuiſſe exiſtimaret, plane eſt incredibile. Itaque omnino recte Cajetanus ex his verbis argumentatur incertum eſſe, an libri quos habemus, vere ſint Dionyſii; *Gregorius* (inquit) *non audet aſſerere authorem horum librorum fuiſſe Dionyſium Areopagitam, ſed dicit; Fertur vero Dionyſius* &c. Ita & Petavius, Ieſuita noſtra memoria nobiliſſimus, de his Areopagiticis loquens; *Quos quidem libros* (inquit) *ne ipſe quidem Gregorius Papa legerat, qui eos citat. Nam ſic eorum meminit, vt ex aliorum fide referat quod inde promit.* Recte ille, ac vere. Fortaſſe hæc Gregorius ab aliquo litterato Græculo, inaudiverat, dum Conſtantino-

Gregor. M. homil. 34. in Evang. fol. 334. E.

Ribera in Hebr. § 99.

Caiet. in Act. 17. extr.

Petav. l. 1. de Ang. c. 1. § 12.

poli

CAPVT XXXIII.

poli pridem Romani Epiſcopi, anteceſſoris ſui, Nuntius degeret, quæ referre ſatis habuit; credere aut affirmare, cavit. Iſte ergo ab Hypatio hactenus deflectit, quod Dionyſium, non vt ille, velut antiquioribus ignotum repudiat; hactenus vero cum Hypatio conſenſit, quod ſcriptorem ne ipſe quidem affirmat, ſed in medio velut dubiuum & incertum relinquit. Vides, quo adhuc loco fuerint Dionyſiana noſtra, iis, quibus Gregorius Romæ ſedebat, temporibus, id eſt, ſæculi vel ſexti ſupremis, vel etiam ſeptimi primis annis. Primus ex Catholicorum patribus quod equidem ſciam, ſcriptorem hunc pro certo ac vero teſte, citavit Leontius Byzantinus adverſus Neſtorium & Eutychetem diſputans; *Dionyſii (*inquit*) Areopagitæ ætatis Apoſtolorum ex illo de divinis nominibus.* Idem alibi Dionyſium inter Chriſtianorum *doctores & Patres,* vna cum multis aliis, Conſtantino Auguſto vetuſtioribus recenſet, de ſcriptis vero ejus nullum verbum facit; vt fruſtra hunc Halloixius eius locum in hac cauſa attulerit. Idem Leontium ſub Iuſtiniano, id eſt ante a. D. 563. quo Princeps ille mortuus eſt, floruiſſe ſcribit; ſecutus, ut puto, ſuæ ſocietatis purpuratum ſcriptorem Bellarminum, qui Leontium ad a. D. 540. refert, & paulo ante quintam Synodum floruiſſe videri dicit. Sed vterque multum fallitur. Leontius enim in libro de Sectis, Alexandrinorum epiſcoporum a Dioſcoro ad *Evodium* ſeriem recenſet. *Evodium (* quem Gregorii Romani ad eum epiſtolæ iiſdem temporibus vixiſſe declarant *)* a. D. 608. quatuor poſt Gregorium annis, mortuum eſſe narrat Baronius; Euodiani autem epiſcopatus annos Nicephorus C.P. putat, non 27. (quod perperam legitur apud Baronium) ſed 17. Ergo ante a. D. 591. non fuit Epiſcopus. Vnde nemo non videt Leontium, qui eum Ioanni in Alexandrino epiſcopatu ſucceſſiſſe tradit, poſt a. D. 591. ſcripſiſſe, ac floruiſſe annis minimum triginta poſt Iuſtiniani Auguſti mortem. An vero hoc etiam quod diximus, recentior fuerit, non liquet. Ex his quæ dicit, conſtat eum de Sectis non ante a. D. 591. ſcripſiſſe, quoto Eulogiani epiſcopatus anno ſcripſerit, non conſtat. Ego vltimis viri temporibus ſcripſiſſe verius puto. Certe ſi hic Leontius Byzantinus idem eſt cum Leontio Neapolis apud Cyprum epiſcopo (quod admodum probabiliter ſentit vir longe doctiſſimus Gerardus Ioannes Voſſius) etiam ſub Heraclio, & quidem diu vixerit. Cum enim hic Neapolis epiſcopus Ioannis Alexandrini Epiſcopi, cognomento Eleemoſynarii, vitam ſcripſerit, ut ex Sigeberto, & ex ipſa Synodo VII. conſtat; Ioannem vero illum Alexandriæ epiſcopum vitam ad a. D. 616. produxiſſe conſtet; nemo non videt Leontium, qui iſtius vitam litteris mandauit, etiam poſt annum ſeptimi ſæculi decimum ſeptimum, aut viceſimum; & fortaſſe etiam triceſimum ſcripſiſſe. Iiſdem circiter temporibus vixit Anaſtaſius Sinaita, qui hunc Areopagiticorum ſcriptorem Dionyſium ipſe quoque vocat *celeberrimum doctorem, & rerum divinarum myſtam Apoſtolicum.* Falluntur enim in hoc quoque, vt in Leontio, Halloixius & Bellarminus, qui hominem volunt ſub

Leont. L. 1. contr. Neſt. & Eutych. in Bibl. Patr. T. 4. Part. 2. p. 998. E.

Idem. de ſect. Act. 3. Bibl. Patr. Græc. Lat. T. 1. p. 503. D.

Halloix. de op. Dion. Q. 1. p. 532.

Leont. de Sect. Act. 3. vb. ſup. p. 513.

Bar. a. D. 608. §. 9. Niceph. C. P in Chron. compen. p. 417.

Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 4. c. 18. p. 489.

Sigeb. Catal. c 57.

Syn. 7. Act. 4.

Nic. CP. Chro. comp. p. 417.

Anaſt. Act. contempl. Anagog. L. 7. init.

Hallo. Q. 1. de

Caput XXXIII.

op. Dion. p 532. Bell. de Script. Ecc. in Anaſt. Antioch. Anaſt. Hodegi. c. 10.

ſub Iuſtiniani imperio floruiſſe. Ipſe vero, certiſſimus ſuorum temporum teſtis, reclamat, qui quo tempore *Hodegum* ſuum ſcribebat, eo jamdudum mortuum eſſe Eulogium illum Alexandrinum, de quo modo dicebamus, Epiſcopum indicat. Iſtic enim tradit ſe quædam ab Alexandrinis civibus, dum apud eos eſſet, accepiſſe, quæ qui narrabant, aiebant *ſatis diu poſt tempora Eulogij Alexandrini* ibidem contigiſſe. Eulogium vero a. D. 608. mortuum eſſe paulo ante ex Baronio audivimus. Anaſtaſium ergo ſatis diu poſt a. D. 608. ſcripſiſſe verum ac liquidum eſt; non adeo Iuſtiniano imperante; cui jampridem circiter a. D. 563. mortuo ſucceſſerant primo Iuſtinus, inde Tiberius & poſt hunc Phocas, & ex inde Heraclius; ſub quo Anaſtaſius ōnino videtur, & Hodegum, & cætera opera ſua elucubraſſe atque edidiſſe, a. D. circiter 633. aut 634. ut optime vidit, & validiſſime demonſtravit Albertinus noſter ὁ μακαρίτης. Neque ut aliud credamus, perſuadent illa, quæ ex Evagrii hiſtoria quarta extrema obiectat Bellarminus de Iuſtiniani paulo ante mortē ſuā odio & perſecutione adverſus Anaſtaſiū Antiochenū. Cōſtat enim ex Chronico Nicephori Cōſtātinopolitani, & ex aliis, Euphramiū Euphraſii ſucceſſorē, Antiochiæ ſub ipſis Iuſtinianei imperii initiis ordinatum epiſcopum, ſedem octodecim annis tenuiſſe; huic ſucceſſiſſe Domnum; Domno illum Anaſtaſium, de quo Evagrius; poſt annos 11. Gregorium; Gregorio poſt annos totos 24. ſuffectum iterum Anaſtaſium; eumque mox annos ſex excepiſſe alterum ejuſdem nominis Anaſtaſium, qui annis novem ſederit. Iam vero Anaſtaſium illum Antiochenum a. D. circiter 594. ſedente Alexandriæ Eulogio, ad ſedem ſuam reductum eſſe & conſtat, & tradit Baronius. Itaque cum hic ipſe ab Evagrio memoratus Anaſtaſius, annos tantum ſex ſederit a. D. 564. mortuus, fieri non poteſt vt ſit noſter ille Hodegi auctor Anaſtaſius. Sed neque is eſſe poteſt alter huius ſucceſſor Anaſtaſius, a. D. 609. vno non amplius poſt Eulogii mortem anno, a Iudæis occiſus, vt tradit Baronius. At quæ in Hodego narrantur *ſatis diu poſt tempora Eulogij acciderant*; diu ergo poſt annum 610. qui mortem Eulogii continentur eſt ſecutus. Ex his apparet & Bellarminum, & Gretſerum, & Halloixium, & cæteros largiter falli, qui Anaſtaſium *Hodegi & Contemplationum* auctorem Antiochenum epiſcopum fuiſſe crediderunt; cum Patriarchæ huius nominis Antiocheni ambo ſatis diu mortui eſſent antequam ille noſter Hodegum ſcriberet. Neque ſane Sigebertus in Catalogo hos libros Antiocheno Anaſtaſio tribuit, Eum tantum tradit Paſtoralem librum Gregorii *in Græcam linguam* tranſtuliſſe. Itaque perperam Bellarminus, quæ de Antiocheno ſcribit Evagrius, ad Hodegi auctorem detorſit; quem neceſſe eſt eo recentiorem fuiſſe; qui ſua illa opera inter a. D 630. & 640. ſcripſit, cum Antiocheni eiuſdem nominis Pontifices jampridem eſſent mortui prior a. D. 599. alter a. D. 609. Ex quibus illud poſtremo quod nunc agimus, conficitur, adverſarios ſcilicet neminem habere ex Catholicis ante a. D. 630. qui Areopagiticorū auctorem verum

Albert. de Euch. l. 3. init. p. 903. 904. Euagr. Hiſt. l. 4. c. 39. 40.

Bar. ad. a. D. 544. §. 29.

Id. a. D. 604. § 3.

Sigeb. Catab. c. 42.

eſſe

eſſe Dionyſium crediderit aut affirmarit. Vnde videre eſt quantopere delirarit Halloixius, cum ſcripſit ante duos iſtos auctores, *Leontium* & *Anaſtaſium*, illa pro Dionyſii operibus habita fuiſſe. Ab hæreticis fateor, a. D. 532. id eſt centum annis antequam duo iſti ſcriberent, & iterum ab iiſdem paulo poſt a D. 563. eo nomine Catholicis obiecta erant, ſed a Catholicis veluti incerta, & ignota iiſdem temporibus repudiata; a Gregorio magno triginta annis ante Leontii & Anaſtaſii editos libros, in incerto ac dubio relicta. hi duo cum neque fortaſſe Hypatii de his Dionyſianis cenſuram vidiſſent, neque ipſi cauſam, vt par erat, expendiſſent, titulo ſpecioſo, oratione grandiloqua illecti, adhæc ea antiquitate capti, quæ novis Eccleſiæ ritibus, tametſi falſo, per illos libros aſtruitur, facile eos, & quod inſcriptio præ ſe ferebat, & quod ipſi optabant, Areopagitæ eſſe ſibi perſuaſerunt. Præter hos duos tertius quoque illis temporibus extitit Sophronius Hieroſolymorum Epiſcopus, qui (vt mox dicemus) Dionyſium vere fuiſſe Areopagiticorum parentem exiſtimavit. Sed is error plurimum paulo poſt confirmatus eſt in Synodo Romæ a. D. 649. a Martino P. R. celebrata. In ea enim cum recitata eſſent quædam Cyri Alexandrini Patriarchæ Monotheletæ, [a] & Themiſtii [b] Agnoetarum auctoris ſcripta, in quibus illi ad hæreſeon ſuarum præſidium locum ex Areopagiticis *de Chriſti Dei virili θεανδρικῆ operatione* torquebant; Martinus libros, non rejicit (vt ante annos centum Hypatius & Catholici fecerant) ſed pro veris ſinceriſque admittit, & allatum ex iis locum ſolvit; [c] & ipſe pro ſua ſententia quædam ex iis viciſſim citat. [d] Idque Anaſtaſius [e] Bibliothecarius notavit, & ad Laudem Pontificum Romanorum traxit; glorians a nemine ante Gregorium, Martinum, & Agathonem, factam fuiſſe Areopagiticorum mentionem. Ille vero multum fallitur. Hæc laus Severianis hæreticis debetur; qui annis ante Gregorium quidem ſexaginta, ante Martinum vero centum & Septemdecim Areopagitica citaverant, & citare adhuc a. D. 560. pergebant; vt ſupra ex Hypatii cum illis Collatione & ex Liberati Breviario oſtendimus. Neque hic prætermiſerim, quod eſt a Baronio ex Theophane, & ex Actis Maximi traditum; nempe hunc Maximum Abbatem *ad Synodum illam cogendam induxiſſe Martinum Pontificem.* Cum enim iſte Maximus Areopagiticorum defenſor ſtudioſiſſimus, ſcholiaſteſque celeberrimus fuerit, veri mihi ſimillimum videtur eius maxime opera ac commendatione ſuſcepta fuiſſe a Martino, ac pro veris agnita Dionyſii opera; quæ Gregorius, vnus ex ejus deceſſoribus, & quidem præcipui nominis, ante annos 50. in medio reliquerat. Hujus ergo Synodi auctoritate, & Maximi teſtimoniis ac patrocinio factum eſt, vt Areopagitica paſſim a multis pro veris admitterentur, & huc atque illuc diſſeminarentur; quam ad rem momentum eo majus Maximi nomen attulit, quod in magna eſſet apud Catholicos eruditionis & ſanctitatis opinione. Hac enim ille ſpecie multos vt credibile eſt, in ſuam ſententiam pertraxit; præſertim cum eum intelligerem non leviter

CAPVT XXXIII.

a *Synod. Later. Mart. P. R. Sect. 3. T. 4. Concil. p. 693. col. 1. c.*
b *Ibid. p. 694. E.*
c *Ibid. p. 693. B. C. 644. B.*
d *Ibid. p. 691. C. & Secret. 5. p. 7. 22. B. C.*
e *Anaſt. Epiſt. ad Carol. Calv. Reg. p. 67.*

Bar. a D. 649. ſ. 5. 6.

CAPVT XXXIII.

leviter aut perfunctorie Areopagiticum hunc ſcriptorem obiter & aliud agentem laudare; ſed hominem tantopere admirari, vt omnia ejus opera ſcholiis ſuis illuſtrare non ſit gravatus. Sed Maximi auctoritas, variis primo adverſus hæreticos certaminibus, & ipſo poſtremo martyrio conſecrata, multo etiam poſt viri mortem potentior at efficacior fuit ad commendanda plæriſque Areopagitica. Mors autem ejus incidit in a.D. 660. Quis enim quod vir & doctus, & Martyr admiratus eſt, facile contempſerit? Inde ergo magno in pretio hæc quamtumvis falſi nominis Areopagitica paſſim eſſe cœperunt. Non ſic tamen antiquitati novitas, aut rerum veritati iſtorum auctoritas prevalere potuit, vt plane nulli eſſent, qui vel fucum deprehenderent; vel a ſe deprehenſum profiteri auderent. Ipſe Maximus teſtis eſt, ſuo id eſt ſeptimo illo ſæculo, quo & ipſe & ante eum Anaſtaſius, & Leontius Areopagitica pro veris Dionyſii libris approbaverant) *fuiſſe quoſdam, qui dicerent, hoc opus non Sancti* (id eſt Dionyſii) *ſed alicuius ex recentioribus revera eſſe.* τίνες φασι μὴ εἶναι τοῦ ἁγίου τὸ σύγγραμμα, ἀλλὰ τινὸς τῶν μεταγενεστέρων.

Maxim. Prol. in Scol. Dion. p. 45.

Hos autem Areopagiticorum reprobatores Catholicos fuiſſe vel inde conſtare nobis debet, quod Maximus ſemel atque iterum eos memorans, nunquam hæreticos vocat, non omiſſurus hoc elogium, ſi id eſſent meriti. Huc & illud accedit, quod cum illius tempeſtatis hæretici, Severiani, ſive Acephali, & Monotheletæ, Areopagiticæ plurimum laudarent ac vſurparent, vt ex Hypatio, & Liberato, & Synodo Martini Romana didicimus, non ſit veriſimile ex eorum cenſu fuiſſe, qui eadem repudiarent. Cæterum iſtos Maximus quo refelleret, nihil plane habuit, præter futile; & quod pace viri docti dictum ſit, puerile, ac ridiculum Sophiſma; quo id ipſum gratis ſumens quod quæritur, ſtatuit in primis horum librorum auctorem *virum* fuiſſe non ſcientia modo, ſed & moribus adeo ſublimem, vt ſupra res omnes ſenſiles erectus intelligibiles pulchritudines complecteretur, & cum iis ſeſe conjungeret, & per eas quodammodo Deus eſſet, quatenus quidem id homini aſſequi licet. Quaſi vero quiſquam tam ſtultus ſit, vt quem virum in manifeſto mendacio, turpiſſimaque impoſtura deprehendit, eum credere vel concedere poſſit moribus eſſe emendatiſſimis; vel quod longe abſurdiſſimum eſt, *Deum* etiam quemdam eſſe, a cujus ſanctitate nihil magis alienum eſſe novit, quam fraudem & impoſturam, cujus iſtum quamtumvis decora pelle ſpecioſum, reum, & quidem convictum teneri videt. Hoc ergo quod Maximus præter omnes rectæ diſputationis leges ſibi ſumit, in primis probandum, ac demonſtrandum erat; iſtum ſcilicet ſcriptorem ſanctiſſimum, & Angelorum cœleſtium familiariſſimum, ac Dei denique ſimillimum virum fuiſſe; quod ſi ſemel conſtaret, nemo eſſet credo, qui ei impoſturæ dicam ſcripturus eſſet. Sed caveat Maximus, ne ſe nobis hujus ſcriptoris ſanctitatem inde perſuaſurum putet, quod ille de pietate multa graviſſime præcipiat; aut quod non pauca de Deo & Angelis ſonore & tragice philoſophetur, eo ſe effecturum ſperet,

ſet, vt illum Dei amātiſſimum, & Sanctorum Angelorum familiariſſimum fuiſſe credamus. Verba a rebus longe diſtant, & ſcimus intus eſſe aliquando turpiſſimos, qui foris plurimum nitent. Etiam teterrimi dæmones lucidiſſimorum interdum Angelorum ſpeciem induunt. Denique cum omnia de tuo illo auctore ſumma Maxime, dixeris; cogita hæc eſſe non poſſe impoſtoris. In hos ſanctiſſimos mores, quibus tu illum ambitioſiſſime exornas, tum turpe crimen non cadit. Ergo vel impoſturæ crimine, cujus manifeſtus eſt, hominem purga; vel deſine tuas illas de ejus ſanctitate ſuaſorias declamitare. Sed de hac nugatoria pſeudo-Dionyſii defenſione, qua nos poſt Maximum, etiam Halloixius obtundendos putavit, pluribus vbi ad eum locum ventum erit, dicemus. Nunc quidem hoc nobis ſatis eſt, quod ne Maximi quidem temporibus deeſſent, qui de Areopagiticis cum Hypatio & veteribus, & noſtris ſentirent. Ac vt iſtos ſcias non temere in hanc ſententiam deſcendiſſe; ne hoc quidem diſſimulavit Maximus eos rationibus nixos fuiſſe; quarum vnam inde ſumptam ipſe attulit, quod hic ſcriptor quandam ex Ignatii epiſtolis ῥῆσιν laudaverit, ita validam, vt eam Scholiaſtes vnicus non aliter ſolvere potuerit, quam affirmando, *Ignatium ante Domitiani Auguſti tempora martyrium feciſſe*; quo vix quicquam dici potuit abſurdius, aut infantius, vel ab omni antiqui Chriſtianiſmi hiſtoria magis alienum; vt eſt ſupra fuſius a nobis demonſtratum. *Maxim. Schol. in L. de divin. Nom. c. 4. p. 144.*

Capvt XXXIIII.

Errorem de Areopagiticorum veritate Leontij, Anaſtaſii, & Maximi præſertim auctoritate firmatum longe lateque apud Græcos ſeptimo, octavo, & nono ſæculo manaſſe, Sed neque tum defuiſſe, qui Areopagitica repudiarent; Id demonſtratur ex ijs, quæ a Photio traduntur de cuiuſdam presbyteri, nomine Theodori, libro ea de re ſcripto. Photium ipſum videri Areopagitica aſpernatum; Diluuntur quæ Halloixius contra obiecit. Sophronium Hieroſol. Epiſcopum ſeptimo ſæculo Areopagitica pro veris habuiſſe.

Hic novus de Areopagiticorum librorum antiquitate præter veriſſimam vetuſtioris Eccleſiæ Hypatii ore prolatam ſententiam, a tribus illis ſeptimi ſæculi hominibus temere inductus, & a Maximo nominatim prave & infœliciter aſſertus error, quos habuerit deinceps in Græcia ſectatores vere certoque conſtituere atque affirmare difficile eſt; niſi quod & gentis inanium ſuopte ingenio avidiſſimæ vanitas; ad hæc Leontii & Anaſtaſii, præſertim vero Maximi, apud ſuos auctoritas cogit ſuſpicari pronis auribus atque animis auditam acceptamque fuiſ-

Caput XXXIIII.

ſe paſſim ab eorum poſteris fabulam; tametſi ne oppreſſam quidem penitus, aut indefenſam jacuiſſe veritatem non obſcura argumenta ſint. Fuiſſe enim apud Græcos etiam poſt Maximum, qui Areopagitica oppugnarent, falſique nominis eſſe ſtrenue defenderent, ex Theodori Presbyteri commentario apparet; a Photio in Bibliotheca memorato, quem ille Maximi errorem ſequens pro librorum Dionyſii nomen præferentium antiquitate ac veritate adverſus aliter ſentientes ediderant, horum adverſus ſuos neque paucas, neque contemnendas objectiones referens, & in iis pro captu ſuo diſſolvendis laborans. Nam ſi illa pars; nullos Theodori memoria ſectatores, aut aſſertores Græcos habuiſſet, quid hunc opus erat propriam adverſus eorum ſententiam diſputationem ſcibere atque edere? ac tam multas, tamque graves contra ſuam opinionem rationes ipſum excogitare, & peculiari libello explicatas obtrudere? Maximus eos, qui a ſe diſſentiebant, memoraverat; vnumque, & alterum ipſorum contra libros, quos ipſe aſſerit, argumentum ſolvere conatus erat; ſed aliud agens, in ſcholiis ad eum ſcriptoris locum, vnde argumentabantur adverſarii; nullum ea de re proprium volumen confecerat. Quod ergo Theodorus neceſſe eſſe putavit huic vni argumento librum ſingularem ſeorſum impendere, id ſi quid judico, ſatis clare arguit adverſariorum ſi non numerum, certe vires a Maximi temporibus creviſſe; ac tum fuiſſe ejus, quam tuebantur, ſententiæ rationes ab ipſis, & plures excogitatas, & ordinatius diſpoſitas, & copioſius atque accuratius explicatas, quam antea cum primum Maximus Leontium & Anaſtaſium ſequens turbare, & Eccleſiæ vetuſtioris de Areopagiticis cenſuram convellere coeperat; omninoque crediderim ſcriptam ab iſtarum partium aliquo de hoc argumento diſputationem Theodori iſtius temporibus extitiſſe; quam nequid libris noceret, ſuo illo commentario refellendam eſſe exiſtimarit. Nam tametſi Theodori huius, neque patriam Photius, neque ſæculum denique quicquam aliud, niſi hoc vnum demonſtret, quod presbyter fuerit; eum tamen poſt Maximi tempora ſcripſiſſe, vel id nos docet, quod hic illius nullam vſquam mentionem fecerit, quem profecto non erat indictum & illaudatum prætermiſſurus, ſi hic eius liber tum extitiſſet; præſertim cum eius memorandi cauſam non vno in loco idoneam, ac pæne neceſſariam, habuiſſe comperiatur. Nam & ipſo ſtatim operis in Dionyſium ſui limine, vbi eorum, qui hunc vere Dionyſium eſſe negabant, ſententiam cubito pellere, ſtrictimque rejicere ſatis habet, lectorem non dubito quin ad Theodorum fuerit amandaturus, ſi eum ipſe ſciviſſet in hoc argumento vberius fuiſſe verſatum. Ibidem quoque, vbi objectionem ab Euſebii, & Origenis de Areopagiticis ſilentio ductam tangit; quæ apud Theodorum prima erat; omnino videtur cum huius librum, ſi noſſet, fuiſſe tali in loco memoraturus, & ſcriptoris ſolutionem, ſi placeret, commendaturus; ſi non placeret, confutaturus, vel ſaltem repudiaturus. Denique in ipſis ſcholiis, vbi ſumptam ab Ignatii epiſtolis citatis, objectionem, paucis

Phot. Bibl. Cod. 1.

Maxim. Prol. in Dion. p. 4.

CAPVT XXXIIII.

paucis vt ſcholiorum breuitas ferebat, diluere tentat; quis hic Theodori diſputationem, in qua ipſa illa objectio quarta erat, Maximum fuiſſe prætermiſſurum putet; ſi librum cognitum habuiſſet? Sed ipſum Photii de Theodoro locum hic exhibere operæ pretium videtur, vt & de re ipſa, & de Photii ſententia melius, ac certius judicari poſſit. Sic ergo ille in ipſo ſtatim ſtupendæ ſuæ Bibliothecæ limine; *Lectus eſt (* inquit *) Theodori Presbyteri liber; quo docet germanum eſſe S. Dionyſii opus. Solvebantur autem in eo quatuor potiſſimum objectiones. Prima quidem hæc erat; Si genuinus eſt liber, cur ex eo nemo Patrum æui poſt ſecuti ſunt, ſententias, aut teſtimonia memoravit? Altera vero, inde ducta erat, quod Euſebius Phamphili libros a beatiſſimis Patribus ſcriptos recenſens, nullam hujus mentionem fecerit. Tertia. Cur hic liber eas traditiones ſigillatim enarrat, quæ in Eccleſia pro eius progreſſu longo paulatim tempore excreverunt? Magnus enim Dionyſius Apoſtolorum, vt ex Actis patet, æqualis fuit; Quæ vero liber continet, plæraque earum traditionum deſcriptionem exhibent; quæ poſtea longo rerum ac temporum progreſſu in Eccleſia auctæ ſunt. Non eſt ergo, inquit, veriſimile, imo falſo ac perperam fictum eſt, ea Dionyſium exiſtimare deſcripſiſſe, quæ longo poſt Dionyſii mortem tempore orta in Eccleſia excreverunt. Quarta; Quomodo liber meminit epiſtolæ Deiferi Ignatij? Dionyſius enim Apoſtolorum temporibus floruit; Ignatius vero ſub Traiano martyrij certamen certavit, qui & hanc, cujus liber meminit, epiſtolam paulo ante mortem ſcripſit. Has igitur quatuor dubitationes diſſolvere contendens, confirmat, quantum quidem in ipſo ſitum eſt Dionyſii genuinum hunc eſſe librum.* Ἀνεγνώσθη Θεοδώρου πρεσβυτέρου, ὅτι γνησία ἡ τοῦ ἁγίου Διονυσίου βίβλος. διελύοντο δὲ ἐν τῷ λόγῳ ἐνστάσεις τέσσαρες. μία μὲν, ὅτι εἰ ἦν γνησία, πῶς οὐκ ἐμνήσθησαν τῶν ἐν αὐτῇ ῥητῶν τε καὶ χρήσεών τινες τῶν μεταγενεστέρων πατέρων; δευτέρα δὲ ὅτι Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἀναγραφὴν ποιησάμενος τῶν συγγεγραμμένων τοῖς μακαρίοις πατράσιν ἡμῶν βιβλίων, οὐδεμίαν ταύτης μνήμην ἐποιήσατο. τρίτη δὲ, ὅτι πῶς τῶν κατὰ προκοπὴν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ διὰ μακροῦ τοῦ χρόνου αὐξηθέντων παραδόσεων ἡ βίβλος αὕτη λεπτομερῆ τὴν ἐξήγησιν ποιεῖται; ὁ μὲν γὰρ μέγας Διονύσιος σύγχρονος ἦν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν πράξεων, τοῖς ἀποστόλοις. ἃ δὲ καὶ βίβλος περιέχει, τὰ πλεῖστα τῶν κατὰ προκοπὴν καὶ εἰ ὕστερον αὐξηθέντων παραδόσεών ἐστιν ἀναγραφή. ἀπίθανον οὖν, φησι, μᾶλλον δὲ κακόπλαστον, τὰ μετὰ πολὺν χρόνον τῆς τελευτῆς τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντα, Διονύσιον ὑπολαμβάνειν ἀναγράψαι. τετάρτη δὲ, πῶς μέμνηται τῆς τοῦ θεοφόρου Ἰγνατίου ἐπιστολῆς ἡ βίβλος ὁ μὲν γὰρ Διονύσιος τοῖς τῶν ἀποστόλων ἐνήκμασε χρόνοις. Ἰγνάτιος δὲ ἐπὶ Τραϊανοῦ τὸν διὰ μαρτυρίου ἤθλησεν ἀγῶνα, ὃς καὶ πρὸ βραχὺ τῆς τελευτῆς ταύτην ἐπιστολὴν, ἧς ἡ βίβλος μνημονεύει, γράφει. ταύτας οὖν τὰς τέσσαρας ἀπορίας διαλῦσαι ἐπαγωνισάμενος, βεβαιοῖ, τό γε ἐπ᾽ αὐτῷ, γνησίαν εἶναι τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν βίβλον. Atque hæc quidem de Theodori diſputatione Photius. Ex quibus primo illud quod diximus, intelligitur, non ſegniter, neque oſcitanter agitatam jam tum fuiſſe (id eſt etiam poſt Maximi tempora) illam de Dionyſii libris controverſiam; adeoque neque paucos, neque contemnendos viros apud Eccleſiam fuiſſe qui hos fœtus

CAPVT XXXIIII.

Dionyſio abjudicarent. Quatuor enim illis, quæ referebat Theodorus, objectionum capitibus illa fere omnia continentur, quæ libros falſi tituli, ac novitatis arguunt; quæ quam ſint valida, quamque invicta, nos ſupra abunde demonſtravimus, & quæcumque ad ea diſſolvenda fruſtra afferunt adverſarii, clare liquidoque refutavimus; vt nihil nunc opus ſit in iis immorari, quæ ad hunc Photii locum effutit Schotus. Nam vt cætera mittam, quod hic iſta ſcribere non dubitavit, Areopagitica & Cyrillum Alexandrinum, & ipſum etiam Origenem *laudaſſe*, & quidem *frequenter*; id quam temere, quam falſo, quamque impudenter dictum ſit, ſatis ex ſuperioribus patet; vt illud item alterum, quod non minori cum inverecundia ab eodem Ieſuita affirmatur, cæremonias & traditiones Eccleſiaſticas, quæcumque in illis libris memorantur, eas iam inde ab Apoſtolorum temporibus exortas omnes eſſe; quod quam prodigioſæ ſint vanitatis, & ſciunt qui vetuſtiſſima Patrum, qui tribus primis ſæculis floruerunt, monumenta legerunt, & nos non paucis exemplis ſupra oſtendimus. Alterum vero ex his Photii apparet, ne eius quidem ſæculo hoc eſt nono jam adulto, defuiſſe viros eruditos, qui vana Maximi figmenta contemnentes, Areopagitica vera ac germana Dionyſii opera eſſe negarent. Ipſe enim Photius ita hoc loco ſe gerit, vt is quoque in illorum numero videatur. Nam ſi aliter hac de re judicabat, cur quæſo objectiones quidem contra Dionyſiana tam diligenter tamque dilucide expoſuit? ſolutionum vero nullam ne leviter quidem indicavit? cur ſaltem objectionum infirmitatem, ſi eas nihil valere putabat, vel vno verbo non notavit? quod ea, quæ non probat, alibi referens ſæpiſſime feciſſe reperitur? vt docere poſſunt Philoſtorgii, & aliorum damnatorum ſcriptorum exempla; de quibus nihil fere quod ipſe quidem repudiet, deſcribit, quod non aliqua ſui de eo judicii nota perſtrictum ſugillarit? Sed hoc ipſum id confirmat præſertim, quod de Theodori opere ac labore in calce ita judicat; eum dicens quatuor illas a ſe propoſitas dubitationes, non *diſſolviſſe* (quod plane erat dicendum, ſi iſtius ſolutiones ipſe idoneas eſſe putaſſet) ſed *διαλῦσαι ἐπαγωνίσασθαι, diſſolvere magnopere contendiſſe*; vehementique animi ſtudio conatum eſſe. Tum & illa quæ ſequuntur, etiam clariora, Theodorum *hunc eſſe genuinum Dionyſii librum, confirmaſſe*, ſive *ſtabiliviſſe* non ſimpliciter (quod omnino ſic erat eloquendum, ſi rem vel ab ipſo demonſtratam, vel ab alio demonſtrari poſſe judicaſſet) ſed cum hac reſtrictione, ſive diminutione. *QVANTVM QVIDEM IN IPSO SITVM ERAT.* ΤΟ ΤΕ ΕΠ' ΑΥΤΩ; quarum particularum hæc manifeſta (quod omnes intelligunt) vis eſt, vt ſignificent non præſtitiſſe Theodorum quod cupiebat; ſtudium quidem & laborem in eo perficiendo adhibuiſſe, vt librorum auctor ſit Dionyſius; hoc tamen minime perfeciſſe. Eadem occurrit ad eundem exprimendum ſenſum phraſis apud hunc ipſum Photium, vbi de auctore Apologiæ Origenis loquutus; καὶ τό γε (inquit) *ἐπὶ τῇ αὐτοῦ σπουδῇ, ἐκκλησιαστι-*

κὸν καὶ

κἂν καὶ τῶν ὀρθοδόξων ἀποφαίνεται τὸν ἄνδρα; *& QVANTVM IN IPSIVS* CAPVT
STVDIO SITVM EST, *virum* (Origenem) *Eccleſiaſticum &* XXXI.
Orthodoxum declarat ac definit. Photius ergo, vt Origenem ipſe mini- Phot. cod. 117.
me putavit *Eccleſiaſticum*, *& Orthodoxum virum fuiſſe*, etiamſi ab illo extr.
auctore in hunc cenſum vindicatum & aſſertum; ita etiam libros, qui
Dionyſii nomine circumferuntur, veros genuinoſque Dionyſii fœtus
eſſe, quod conſtituebat Theodorus; ipſe nequaquam exiſtimavit. Par
idemque eſt vtriuſque loci ſenſus; Vidit Poſſevinus; & *opera* (inquit) Poſſev. Appar.
Dionyſii, vt pſeudepigrapha, videntur a Photio notari. Quod vero Hal- ſacr. verbo Photius.
loixius garrit *Photium expenſis vtriuſque opinionis rationibus ac mo-* Hall. deſcript.
mentis tandem iſtos libros ſancto Dionyſio Areopagitæ, vt proprios adjudi- Dion. Q. 2. p.
caſſe, eo inquam, lectoribus imponit. Nam Photius neque iſtic neque 556.
vſpiam alibi reperitur illa, quæ iſte dicit, *rationum momenta expendere*;
vel *libros Dionyſio adjudicare.* Hæc mera Halloixii figmenta ſunt; ea
quæ cupit, de more fabulantis, & audaciſſime iis, quibus vult, auctori-
bus imputantis. Photius loco citato, id eſt codice 231. Sophronii Hie-
roſolymitani Epiſcopi ſub Heraclio Imperatore, & Honorio Pontifi-
ce Romano, Synodicam ad hunc miſſam epiſtolam recenſet; notatoque
ejus ſtylo, quem *pullo laſcivienti & ſaltibus gaudenti* comparat, & qui-
buſdam ex ejuſdem opuſculo excerptis, tandem quæ de eo animadver-
tenda habebat, his verbis concludit. *Atque hæc quidem in hoc libro di-* Phot. cod. 231.
cebat epiſtola ſanctiſſimi Sophronij Synodica. Hinc alia, quæ in eodem vo-
lumine continebantur, enarrans; *In eodem autem* (inquit) *codice conti-
nebantur teſtimonia Sanctorum & variorum Patrum, tum eorum qui ante
quartam Synodum, tum aliorum, qui vel cum ea, vel poſt eam floruerunt
teſtimonia.* Tum auctorum nomina vna cum elogiis, quibus in illo codi-
ce ornati erant, fuſe omnia recenſet, ac inter cæteros ſeptimo loco
Dionyſium quoque cum his titulis, ex libro ſcilicet deſcriptis, edit; καὶ
Διονύσιος ὁ πολὺς μὲν τὴν γλῶσσαν, πλείων δὲ τὴν θεωρίαν ὁ μαθητὴς Παύλου,
καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς, καὶ τῶν Ἀθηναίων ἐπίσκοπος. *Et Dionyſius copioſus qui-
dem verbis, copioſior tamen contemplatione, Pauli diſcipulus, & Chriſti
Martyr, & Athenienſium Epiſcopus.* Hæc ergo teſtimonia ab eodem
Sophronio, cujus erat Synodica epiſtola, collecta digeſtaque fuiſſe in
eum ordinem, iiſque verbis expreſſa, quæ ſunt a Photio deſcripta, dubi-
tandum non eſt, ad eorum ſcilicet quæ in Synodica expoſuerat, confir-
mationem; plane vt a Gelaſio P. R. in libello contra Neſtorium & Eu-
tychem, factum videmus, ad cujus calcem plurima item Patrum de eo
argumento, quod tractarat, teſtimonia leguntur. Itaque ex eo, quod iſtic
legitur, Dionyſii elogio, valide quidem colligitur, commentarii ſcri-
ptorem Sophronium in eo Leontij & Anaſtaſii, æqualium ſuorum, er-
rore fuiſſe, vt Dionyſium librorum, qui ejus nomine extant, verum eſſe
auctorem crederet; Photium vero, cujus illa de Dionyſio verba non
ſunt, idem quoque eſſe opinatum ineptiſſime, vt liquet, ac plane pueri-
liter argumentatur. Halloixius; Photium aliud ſenſiſſe, ejus & judicium

Caput XXXIIII.

de Theodori presbyteri in vindicandis Areopagiticis conatu vincit, & magna ac ſingularis eruditio. Sophronium vero hunc errorem erraſſe etiam aliunde ſcimus, ex ejus nimirum altera ad Sergium P. CP. Synodica, quæ in Synodo quinta habetur; vbi eum reperimus hujus Areopagiticorum ſcriptoris teſtimonium de *operatione Dei virili* θεανδρικῇ laudaſſe ſub *Dionyſii deiloqui, divinitus a divino Paulo ex Areopago capti* nomine; τοῦ ἐξ Ἀρείου πάγου Παύλῳ τῷ θείῳ θείως ζωγρηθέντος θεηγόρου Διονυσίου. In qua ad Sergiũ Synodica clariſſime perſpicitur ille Sophronianæ dictionis, juveniliter exultantis, character, qui in elogijs Patrum a Photio ex alterius ad Honorium Synodicæ volumine deſcriptis apparet; & a ſummo illo critico vere & eleganter ibidem in his verbis notatus; ἐννεωτερίζει (inquit de Sophronio loquens) πανταχοῦ τοῖς ῥήμασι, καθάπερ τις πῶλος ἐπιγαυρούμενος τοῖς σκιρτήμασι. Neque mirandum eſt, quod homo eorumdem cum Leontio & Anaſtaſio temporum eumdem quoque cum iis de Dionyſio errorem erraverit. Hunc enim Sophronium anno Heraclij viceſimo ſexto (id eſt Chriſti 630. vel vt Baronius 631.) in Hieroſolymitanæ Eccleſiæ epiſcopatu mortuum eſſe, & conſtat & diſerte tradit Miræus. Firmum ergo & inconcuſſum maneat, quod diximus, Photium Conſtantinopolitanum Patriarcham, virum & ſui ævi, & ſequentium ſæculorum longe eruditiſſimum, libros, qui Dionyſij nomine circumferuntur, ſpurium incerti parentis fœtum cenſuiſſe, adeoque veram de his ſententiam quæ noſtra eſt, apud Græcos ipſos ad a. D. 870. ſectatores nobiliſſimos habuiſſe. Iam ex his, vt obiter hoc dicamus quivis intelligere poteſt, quam non modo falſo, ſed etiam inverecunde ſcripſerit Baronius, *a majoribus ſive Orthodoxis, ſive hæreticis, ne minimum quidem dubitatum eſſe num ea* Areopagitica, quæ circumferuntur, *vere Dionyſii antiqui Theologi eſſent ſcripta genuina, vereque germana, nec alterius, quam Areopagitæ, eiusdemque Epiſcopi Athenienſis.* Quibus & hæc ſtatim addit; *Vt jure* (inquit) *mirari debeas perfrictam frontem recentiorum hæreticorum pro arbitrio cuncta maiorum ſive ſcripta, ſive traditiones negantium.* Hæc ille; Ac id quidem, quod ait, in primis concedo, nunquam a veteris memoriæ hæreticis dubitatum eſſe de ſuis illis Dionyſianis libris; ſi de ijs temporibus intelligit, quibus Areopagitica extare cœperunt; id eſt de ſæculo ſexto ineunte. Ante id tempus fruſtra vel Catholicos, vel etiam Hæreticos quæſieris, qui Areopagitica vel admittant, vel repudient. Nullos totis illis quinque Chriſtianiſmi ſæculis reperies. Ab illo tempore, quo ſcilicet & ſcripti, & editi ſunt hi libri, eos ego confiteor & a Severianis a D. 532. fuiſſe primum laudatos, & ab Acephalis eorum ſucceſſoribus circa a. D. 560. vſurpatos, & a Themiſtio Agnoeta, & a Cyro Monotheleta poſtea ad eandem cauſam allatos; neque ex omni hæreticorum, qui tum fuerunt, cenſu quemquam reperio, qui de Dionyſianis *dubitaverit.* Catholicorum alia plane ratio eſt; idque a Baronio negatum non poſſum ſatis mirari. Nam vt Maximum & Theodorum illum Photianum mittam,

Conci. V. Act. 11. T. 5. Concil. p. 173. F.

Phot. cod. 231. init.

Miræus Auctor de Script. Eccleſ. c. 181. p. 216. Bar. Ann. T. 8.

Bar. a. D. 649. §. 19.

qui liquido teſtantur ſuo vterque ſæculo fuiſſe, qui Areopagitica illa Dioniſii eſſe negarent, qui factum eſt, vt Baronius illam Conſtantinopolitanam Hypatii cum Severianis, & quidem proxime in ſuperiori anno a ſeipſo editam Collationem obliviſceretur, in qua objecta ab hæreticis Areopagitica Catholici, vt dubia; & incerta repudiant? etiam velut ſpuria refellunt? Quid iſto tu homine feceris, qui veritatem non modo apud alios, ſed etiam apud ſe ipſum extantem, negare tam audacter, tamque improbe ſuſtinet? quique cum ipſe ſingularis cujuſdam atque invſitatæ impudentiæ manifeſtus ſit, audet aliis vera ſentientibus, *frontem perfrictam* exprobare? Sed nos hoc miſſo Annaliſta vaniſſimo, pergamus.

apud Bar. a. D. 531. §. 31. 39.

CAPVT XXXV.

Ad Latinos ſerius perveniſſe Areopagitica. Gregorio, & Agathoni Epiſcopis Rom. Septimo ſæculo, Bedæ octavo, de fama tantum nota fuiſſe videri. Ea Græca poſt a. D. 757. Paulum P. R. ad Pippinum Regem miſiſſe; Eadem apud nos Latine eſſe interpretatum Joannem Erigenam circa a. D. 866. Vnde refellitur obiter Halloixij ſomnium eos libros in Gallia ab Areopagita ſcriptos, & expolitos fuiſſe fabulantis.

AD Latinos, libri Areopagitici ſerius pervenerunt; vtpote in Græcia nati. Gregorium P. R. I. ea verba, quæ ſupra ex eo deſcripſimus, ſatis docent Dionyſiana ex fama accepiſſe; non legiſſe ipſum. Martinus a D. 649. Areopagitica (vt diximus) laudaverat; ſed (vt videtur) ex Maximi Monachi Græci monitis, & fide. Agatho ejuſdem Sedis epiſcopus in epiſtola ad Imperatorem ſcripta a. D. 680. quo habita eſt ſexta Synodus, librum de divinis nominibus Dionyſii Athenienſis nomine laudat quidem, & locum ex eo recitat; ſed an ipſe librum legiſſet, an verba ab aliis accepta referret, incertum eſt. Beda his tribus recentior, Dionyſii quidem libros memorat; ſed ex ſola ipſe quoque vt videtur fama cognitos & inſigniter de iis loquens hallucinatur, dum Areopagitam Dionyſium eundem vult (*Corinthiorum glorioſe Eccleſiam Epiſcopum rexiſſe*; duos Dionyſios Athenienſem & Corinthium abſurdiſſime confundens. Ad Francos vero noſtros etiam ſerius, quam ad Italos, perlati ſunt hi libri, regnante apud nos Pippino, ad quem eos miſit Paulus P. R. vt ex ejus ad Regem epiſtola diſcimus, in quo ait ſe ad eum mittere Græcos Dionyſij Areopagitæ libros. Paulum autem anno octavi ſæculi 57°. Stephano fratri in Romano epiſcopatu ſucceſſiſſe conſtat. Sed & poſt annos circiter quadraginta miſſa, & delata ad Ludovicum Pium Regem fuiſſe eorumdem librorum authen-

Greg. homil. 34. in Evang.

Agatho. in Syn. 6. Act. 4. p. 48. B.

Beda in Act. 17. extr.

Paul. ep. ad Pipp. 25. T. 3. Franc. Cheſn. p. 743. extr.

CAPVT XXXV.

Bar.a.D.824. §.30. Halloix. Vita. Dion. c.30.p. 519.col.A. Nicol.ep. extat.T.3. Conci. Gall.p. 352.

tica exemplaria; Michaëlis C P. Imperatoris dono, narrant & Baronius, & Halloixius; cujus rei fides penes eos eſto. Sequenti vero tempore imperante Carolo Calvo, à Ioanne Erigena, id eſt Scoto, in Latinum ſermonem tranſlatos apud nos fuiſſe duos ex his libris *de divinis nominibus, & de cœleſtibus ordinibus,* docet nos Nicolaus P.R.I. ad Carolum ſcribens *id relatum eſſe Apoſtolatui ſuo;* & opus *iuxta morem ſibi mitti, & ſuo debuiſſe judicio approbari* dictitans. Vnde vt hoc obiter dicam, ſatis patet, quam falſa, & inſulſa ſit Halloixii, & aliorum delirario, qui iſtos libros a Dionyſio in Gallia vel ſcriptos, vel certe retractatos, & noviſſima lima expolitos fuiſſe fabulantur. Nam ſi id verum eſſet, nemo non videt eos in Gallorum noſtrorum manus in primis, & ante cæteras gentes venire debuiſſe; apud quos erant ſcilicet ab auctore vivente editi, iiſdemque a moriente traditi. Atqui plane aliter accidiſſe videmus. Nam & quadringentos totos annos & Gallos, & cæteros iuxta omnes Chriſtianas gentes latuerunt; & poſtquam emergere cœperunt, Græcis quidem primis revelati ſunt circa ſexti ſæculi initia; miſeris vero Gallis hoc, & ſequenti ſæculo plane ignoti fuerunt, etiam ſuis Pariſienſibus, quos mirabile eſt ſui in Chriſto præceptoris, atque auctoris ſcilicet, ne vnum quidem, exemplar habuiſſe. Ac multo etiam diutius eo theſauro cariturос fuiſſe probabile eſt, niſi bonus ille Romæ antiſtes Paulus, indignatus, vt opinor, Gallos nobiliſſima illa Dionyſianæ, hæreditatis parte fraudari, codices iis, ſed Græcos duntaxat miſiſſet. Ac vt ſcias quam parum eſſent noſtri majores de Dionyſii libris ſolliciti, jacuit apud eos Papale munus annis centum iners, & ignotum (neque enim noſtros illos octavi ac noni ſæculi mortales Græca multum lectitaſſe quiſquam credo, contenderit) donec ex linguæ ignotæ tenebris in Latinam eduxit, Ioannes ille Erigena; cui quod ob bonam ſuis navatam operam, adeo graviter Nicolaus ſuccenſeret, cauſæ equidem nihil admodum fuiſſe video. Ioannes enim, non duos modo quod ait Nicolaus, ſed quatuor, id eſt plane totidem quot nunc habemus, Areopagitici libros, decemque eius epiſtolas ſe Latine edidiſſe, ipſe teſtis eſt locupletiſſimus in ea epiſtola, qua hoc ſuum opus Carolo Calvo Regi offert atque inſcribit; quamque Reverend. Vſſerius vna cum cæteris Hibernicis publicavit. Adjecit idem & Anaſtaſii Bibliothecarii ad eundem Principem epiſtolam; multa de Dionyſio, non pauca de Scoto ſcribentis, quem non inſcite dicit ita ſe geſſiſſe, *vt quem ſcriptorem interpretaturum ſe ſuſceperat, adhuc redderet interpretandum.* Se quoque mittere ad Regem ſignificat ſcholia in Dionyſium Latine a ſe ex Græco interpretata eaque ait partim eſſe Maximi; partim Ioannis cuiuſdam Sycopolitani. Exire inde in vulgus, & noſtrorum hominum manibus teri cœpit Dionyſius. Nam a. D.859. opus de Hierarchia cœleſti, & de divinis nominibus, paucis annis poſtquam vtrumque a Ioanne Erigena Latina lingua donatum erat, ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo citari videmus. In prolixo de Prædeſtinatione commentario vnum ex

Vſſer. in Syll. Epiſt. Hibern. ep.23. Ibib.ep.24.

Hierar-

Hierarchiæ capite decimo quinto, & alterum ex Hierarchiæ cœleſtis capite ſecundo; tertium denique ex epiſtola ad Demophilum deſcribit. Sed in alio opere poſt a. D.870.ſcripto, Areopagitica diſerte memorat; B. (inquit) *Dionyſius Areopagites, antiquus ſcilicet & venerabilis pater, ſicut didicit a Paulo Apoſtolo, qui raptus vſque ad tertium cœlum, vidit ſecreta cœleſtia, duos libros de Angelico, & Eccleſiaſtico principatu ſcripſit.* Atque hæc quidem Hincmarus. Neque vero mirandum eſt quod idem de Areopagiticis error invaluerit ſæculo decimo, vndecimo; duodecimo, & ſequentibus, quæ omnium temporum caliginoſiſſima fuerunt, cum homines veri Chriſtianiſmi, litterarum, & antiquitatis admodum incurioſi, ea quæ nulli intelligebant, pauci vel legebant, mirarentur ac ſtuperent, & ipſa pro veris certiſque Dionyſii operibus haberent.

Hincmar. de Prædeſt. c. 33. p. 248. & ibid. Epilog. c. 5. p. 379. & ibid. c. 25. init. pag. 191.

Id. in Libr. 55. capitum c. 12. p. 422.

CAPVT XXXVI.

Sæculo demum XV. detectum Maximi, & aliorum de Areopagiticis errorem; veramque de hinc emerſiſſe Hypatii de iis ſententiam. Virorum doctorum, qui inde ad nos apud ipſos Latinos floruerunt, teſtimonia; Laur. Vallæ, Theodori Gazæ, Ant. Faventini, Gulielmi Grocini (cuius obiter ex Eraſmo aſſeritur adverſus Halloixium auctoritas) Eraſmi (cuius inſignis in eam rem locus a Biblomaſtigibus Hiſpanis eraſus repræſentatur) Beati Rhenani, Roffenſis, Caietani Cardinalis, Coel. Rhodigini, Georg. Caſſandri, ipſius Bellarmini, Gabr. Albaſpinei, Iacob. Sirmondi, Dionyſ. Petavii, Ioann. Launoy, Anton. Mornaci, Nicolai Fabri, & Antonii Godelli; ex quibus primo caſtigatur Bellarmini inverecundia negantis doctos Catholicos dubitare de Areopagiticorum veritate; & conficitur argumentum pro noſtra ſententia XLII. & vltimum.

NOx illa longiſſima noſtro Occidenti ad decimum quintum ſæculum incubuit; quo litterarum & honeſtarum artium amor caput efferre, lucemque & haurire, & aliis præferre, ac oſtentare liberius cœpit. Hic autem de Dionyſianorum antiquitate error in illo primo (vt ſic dicam) eruditionis ac humanitatis diluculo ſtatim eſt ab hominibus litteratis animadverſus. Nam Laurentius civis, & Patricius Romanus, qui a. D.1410. floruit in annotationibus ad Novum Teſtamentum ſuis, ad Actorum Apoſtolicorum caput XVII. ea de re liberrime quid ſentiret, profiteri, & publicum errorem caſtigare minime eſt veritus. Primo enim refutat ſparſas de Dionyſio fabulas, *quod philoſophiæ profeſſor Athenis eſſet*; item quod eclipſin ſolis, quæ Chriſto patiente contigit, obſer-

Caput XXXVI.

obſervaſſet, dixiſſetque *aut rerum naturam pati, aut mundi machinam deſtructum iri.* Tum de libris; *Denique* (inquit) *hic Dionyſius an aliquid ſcripſerit incertum eſt, cuius neque Latini, neque Græci meminerunt,* Addit quoſdam ætatis ſuæ eruditiſſimos Græcos colligere horum *librorum auctorem fuiſſe Apollinarem.* Sed & horum falſam eſſe conjecturam, & Apollinari longe recentiorem fuiſſe Areopagiticorum parentem, ſatis vt opinor, ex iis quæ ſuperius diſputavimus, patet. Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, vir Græce Latineque doctiſſimus, idem quoque de Dionyſianis ſenſiſſe videtur quidem; ſed ſuam tamen de illis ſententiam non evulgaſſe ob Nicolai. P.R.V. reverentiam, qui *libros de Hierarchia auctoris eſſe Dionyſii Athenienſis volebat, ne quid religioni derogaretur*; Hoc enim ipſe Theodorus ſatis clare innuit in Præfatione ad Nicolaum, quem Alexandri Aphrodiſæi Problematis a ſe Latine interpretatis præfixit. Antonii Faventini, inſignis ſuperiore ſæculo philoſophi, eadem quoque fuiſſe videtur de Areopagiticis ſententia. Ioannes enim Picus in quadam de litteris controverſia quæ ipſi cum Antonio fuerat; *innuebat eum inter diſputandum Dionyſii dicta* (*a* Pico ſcilicet allata) *non magnopere libenter admiſiſſe.* Quo factum eſt, vt Franciſcus Picus, Ioannis nepos, qui hæc narrat, patrui ſententias defendens, quædam hoc loco ad aſſerendam Areopagiticorum auctoritatem Antonio objicienda putaverit, fruſtra, niſi adverſarius Dionyſiana vel certe exiguæ auctoritatis eſſe cenſuiſſet. Sed Gulielmum Grocinum, ejuſdem, vt videtur, ætatis hominem narrat Eraſmus etiam multo apertius Areopagitica, veluti ſpuria & ſubdititia, & Dionyſio affiIcta judicaſſe; quod cum eſset Latinis a Sculteto noſtro in hac cauſa objectum, Halloixius ita reſpondet; *Albus-ne an ater fuerit iſte Grocinus, qui ita crocitavit quis novit?* Noverat inquam, Eraſmus, & ex eo (Scultetus enim indicarat) noſſe poterat Halloixius. Sed huic venia danda eſt, qui fortaſſe cum Eraſmi codicem habuit, ex quo de Grocino nihil addiſcere potuit. Totum enim hunc ejus locum Biblo-maſtiges Hiſpani ex Eraſmi codicibus eraſerunt; neque vbi dominantur, alii, quam ab iis mutilati, vitiatique libri væneunt; dominantur autem apud Ieſuitas maxime. Hujus farinæ libris fretus Halloixius illa quæ poſuimus, de *Grocino,* ſane inſolenter & impudenter quærit. Ego in ejus, & ſimilium Hiſpanicæ in libros carnificinæ obnoxiorum gratiam, Eraſmi de Grocino locum deſcribam, nequis iſtorum putet *corvum* eum fuiſſe *crocitantem* a noſtris pro ſua libidine confictum. Ita ergo de Grocino ſcribit Eraſmus; *Ante complures* (inquit) *annos, vt memini, VIR INCOMPARABILIS Gulielmus Grocinus; vt Theologus ſummus, ita in nulla diſciplina non exquiſite doctus, & exercitatus, auſpicaturus Londini in æde Divo Paulo ſacra enarrationem cœleſtis Hierarchiæ, meditata præfatione multum aſſeveravit hoc opus eſſe Dionyſii Areopagitæ, vehementer deſtomachans in eorum impudentiam, qui diſſentirent. At idem, priuſquam operis dimidium confeciſſet, vbi guſtum attentius cepiſſet, ingenue*

Valla in Act. 17. extr. p. 183. 184.

Gaz. Præfat. in Alex. Problem. fol. 93. B.

Ioann. Franc. Picus Miran. Defenſ. de vno & ente p. 127.

Halloix. de op. Dion L. 2. p. 246. col. 2.

Eraſ. Annot. in Act. Ap. c. 17. extr. p. 331.

coram

coram auditorio faſſus eſt, ſibi verſo calculo non videri id opus eſſe Dionyſii Areopagitæ. Hæc ille; quæ cum anno 1515. primum ediderit, nemo ſuſpicabitur Lutheranum fuiſſe eum Grocinum, qui annis ante id tempus pluribus Theologiam Londini in æde S. Pauli docuerat. De cætero hinc diſcent Halloixiani hunc, qui illa de Areopagiticis *crocitavit*, virum fuiſſe *incomparabilem*, Theologum ſummum, nullius diſciplinæ, vel eruditionis rudem; Areopagiticorum ſectæ, & opinioni primo vehementer addictum, & quod iſti liberaliſſime ſolent, in diſſentientes vehementer primo deſtomachatum eſſe, *impudentiaque* eos accuſaſſe. Hunc hominem poſtea ipſum Dionyſii opus, diu accurateque meditantem; vt eum facere neceſſe erat, qui id publice frequenti auditorio enarrabat, vi veritatis victum Areopagiticorum fabulas recantaſſe, & quo candore, quaque animi magnitudine erat, non erubuiſſe id opus ex eodem illo loco negare ſibi Dionyſii videri, ex quo paulo ante adverſam ſententiam tam vehementer aſſeveraverat. Tales credo, animas Ieſuitæ paucas apud ſe habent; &, ſi quando habent, vix ferunt. Ego vero iſtum *Grocinum* non profecto *atrum*, ſed plane *album*, *candidumque* hominem ex Eraſmo novi; ego nunc vnum centum Halloixiis facile equidem prætulerim. Hiſpani vero Inquiſitores tam acriter hujus notæ homines oderunt, vt hujus ne vmbram quidem, aut veſtigium in libris, qui apud ſuos habentur, reſidere paſſi ſint. Locum enim, quo hæc quæ deſcripſi, & alia non pauca in eandem ſententiam, quæ mox recitabo, egregia continentur, cenſura Annotationum Eraſmi in Acta, vna litura expungi jubent. *Cap.* (inquiunt) 17. *ad verba illa*, (In quibus & Dionyſius) *p.* 312. *a medio poſt illud*, ἐν οἷς, *dele vſque ad illud pagin. ſequentis, ſub initium*; Demiror autem cur, *excluſive*. Qui his vtuntur libris eos non eſt mirum Grocinos nullos noſſe. Licebat iis eodem jure & ipſius Eraſmi de Areopagiticis judicium ignorare; quod eadem ſpongia Hiſpani ibidem delent. Sic enim habent prima loci ejus, quem totum obliterant, verba; *Laurentius* (Vallam intelligit) *hoc* (inquit) *loco refellit eorum opinionem qui putant hunc Areopagitam fuiſſe auctorem eorum librorum, quos habemus de Hierarchiis ac divinis nominibus, & eundem eſſe, qui apud Lutetiam Pariſiorum martyrio fuerit laureatus, e tribus, ni fallor, Dionyſiis vnum reddentes. Primum Areopagitæ judices erant, non philoſophi. At iſti Dionyſium ſummum faciunt philoſophum qui ex eclypſi ſolis deprehenderit periclitari rerum naturam, cum conſentaneum non ſit eas tenebras Athenas* * *vſque perveniſſe. Nam quod ait Evangeliſta tenebras factas ſuper vniverſam terram, ejus regionis terram intellexit, aſſentiente & D. Hieronymo, & aſſeverante Origene in homiliis, quas ſcripſit in Mathæum; vbi plane negat eas tenebras e ſolis accidiſſe deliquio, ſed aut nubibus intercedentibus, aut alioqui aëris denſitate coacta. Quod ſi hæ tenebræ tanto ſpatio contigiſſent per vniverſum orbem, aliquis certe ſeu Latinus, ſeu Græcus ſcriptor ejus rei meminiſſet. Iam epiſtolam ſuper hac re, velut Dionyſii nomine confictam deridet Laurentius. Mihi non videtur*

CAPVT XXXVI.

Ind. Exp. Sandov. in Eraſm. anno. in Act. p. 127. col. 2.

Ibib.

* *Heliopolim debuit dicere.*

Caput XXXVI. *priſcis illis temporibus tantum fuiſſe Chriſtianis cæremoniarum, quantum ille deſcribit. Deinde mirum ſi tam priſcus auctor fuit, & tam multa ſcripſit, a nemine veterum ſeu Græcorum, ſeu Latinorum fuiſſe citatum; non ab Origene, non a Chryſoſtomo, ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit. Quin & Gregorius ipſe, vir probæ fidei, citans hujus litteras, non indicat eum fuiſſe Dionyſium Areopagitam. Porro cum in hiſtoria Eccleſiaſtica multa fiat mentio de libris Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, non eſt probabile taciturum fuiſſe Euſebium de tanto Pauli diſcipulo, ſi tantum voluminum reliquiſſet. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium vnum, aut alterum Dionyſium recenſet; hujus libros non recenſet. Laurentius indicat fuiſſe ſuæ ætatis doctiſſimos viros, qui judicaverint, eos libros eſſe Apollinarij. Tametſi ejus nominis duos commemorat Hieronymus, alterum Hierapolitanum Epiſcopum, qui floruit ſub Marco Antonino *ſecundo alterum Laodicenum in Syria Epiſcopum; neutri tamen huiuſmodi quicquam tribuit operum. Neque enim hæc opinor, hæretico Apollinari tribuenda.* Hæc Eraſmus; libros non eſſe Dionyſii, non modo pronuntians, ſed etiam multis validiſſimis rationibus confirmans, quibus illa de Grocino a nobis nuper deſcripta continenter ſubtexuit; Ea gratia Areopagitici expurgatores omnia a primo verbo ad vltimum vna eademque ſpongia induci, ac deleri decreverunt. Hæ ſunt Latinorum artes ad ſuas confirmandas, propagandaſque traditiones; vt ſi quid iis apud vetuſtiores ſcriptores adverſetur, id ex libris ita eradant, vt nihil extet in hominum monumentis, quo ipſorum errores coargui poſſint; Qua fraude quid ſceleratius, quid impudentius, aut amentius dici queat, non equidem video; niſi tu aliam eorumdem impoſturam objectes, quæ libros, veterum a ſe nomine, confictos edunt, in quibus viros antiquæ Eccleſię de ijs loqui, & affirmare faciunt, quæ iis, ne ſomniantibus quidem in mentem venerant; qualis ille repente nuper extitit ſupra a nobis memoratus Dexter, ab Hiſpanis non alia de cauſa fabricatus, quam vt de Iacobo ſuæ gentis Apoſtolo, deque aliis prodigioſis, omnique veræ antiquitati ignotis fabulis teſtem haberent, Hieronymi æqualem, Sed ad rem redeo, Eraſmi Beatus Rhenanus; viri amiciſſimi judicium de Areopagiticis ſecutus eo arguitur, quod ſcriptorem laudans, non *Dionyſium Areopagitam* ſimpliciter appellat, ſed *Dionyſium Græcum* (inquit) *auctorem, quem Areopagitam vocant.* Et alibi; *Eo* (ἀκακίας vocabulo) *vtitur etiam Dionyſius, quem Areopagitam vocari* dicit, ſi veré eſse Areopagitam putaret?

* Antonino.

Rhenan. in. Tertull. de Cor. mil. c. 2. p. 434. Id. ad Tertull. de Cult. fœmi. p. 510.

Roffenſis eadem eſt de libris dubitatio.

Roffenſ. contr. Valen. de ea. vill. 4.

Thomas de Vio, Eccleſiæ Romanæ nobiliſſimus Cardinalis, acerrimi vir judicij, Theologus in ſchola Latina longe celeberrimus, de librorum auctore ambigit, & rationes cur ambigat, veriſſimas profert, vbi de Dionyſio a Paulo ad fidem converſo verba faciens; *An iſtemet* (inquit)

(inquit) *ſit ille Dionyſius, qui ſcripſit libros de divinis nominibus, & de cœleſti ac Eccleſiaſtica Hierarchia, certum non eſt; tam quia Hieronymus de viris illuſtribus iſtius non meminerit; ſed Dionyſii Epiſcopi Corinthiorum; referendo multas illum ſcripſiſſe epiſtolas, & ad quos; nunquam tamen ſcripſiſſe hos libros de divinis nominibus.* Quibus illa ſubjungit, quæ nos jam ſupra exhibuimus, de Gregorio Romano, Dionyſiana quidem memorante, ſed duntaxat ex fama, & auditu non ex certa ſcientia. Similis eſt Cœlii quoque Rhodigini de iſtis ſententia, non ignoti apud eruditos ſcriptoris, negat Halloixius *plurimæ lectionis varietate parem ſcire.* Is certe rem in medio veluti dubiam & incertam relinquit. Cum enim de Angelis verba faciens Cœleſtis Hierarchiæ caput decimum Dionyſii Areopagitæ nomine citaſſet. *Quod* (inquit) *Dionyſium advocavimus, ſciendum amplius, doctis ambiguoſum fieri, ecquid ex Areopagitæ officina prodierit lucubratio ea, quando tres leguntur Dionyſii.* Georgii Caſſandri idem quoque de his judicium fuiſſe inde apparet, quod cum veterum de infantium baptiſmo teſtimonia, ex temporum, quibus ſinguli vixerunt, ſerie atque ordine quodam loco diſponeret; quæ Irenæi, Tertulliani, & Origenis deſcripſit, ea prima omnium collocarit; tum poſt illa continenter exhibuerit quæ ex Dionyſio de eodem argumento attulit. Idque ipſe diſerte ita explicat in litteris ad Veltium ſuis, *Inter eos* (inquit) *quorum aperta teſtimonia baptiſmi infantium extant, vetuſtiſſimi ſunt Irenæus, Origenes, Cyprianus, & Dionyſius, de Cuius ætate non ſatis convenit, quem qui Areopagitam illum temporibus Apoſtolorum fuiſſe, negant, nonnulli ſub tempus Clementis Alexandrini cuius cognomento Philoſophi in libro de divinis nominibus meminit, vixiſſe arbitrantur, hoc eſt poſt annum ducenteſimum a natali Chriſti.* Horum vt liquet, ipſe opinionem ſequitur, qui Dionyſium ſtatim poſt Origenem; ſed tamen ante Cyprianum poſuit, quo fuiſſe haud paulo recentiorem, ſatis ex iis quæ diſputata ſunt, patet. Denique tantus ille Areopagiticus Bellarminus, qui ſolos vel *Lutheranos*, vel *ſciolos* de his libris dubitare ait, ne ipſe quidem ſatis certo conſtituiſſe videtur, an ii Dionyſii vere ſint. Equidem vix oculis meis credidi, cum a Roberto Coco in ſua Dionyſii cenſura, ea de re admonitus, quẽ ille annotat Bellarmini locum adii; vbi hunc ad Kemnitij exceptionem, quoſdam veterum nomina præferentes libros, & hos nominatim Areopagiticos, apocryphos & ſuppoſititios eſſe affirmantis, ita diſertiſſime ac totidem verbis reſpondere comperi; *Etiamſi* (inquit) *epiſtolæ citatæ Melchiadis, Euſebij, & Vrbani, nec-non liber Dionyſii AREOPAGITÆ, homiliæ Euſebij Emiſſeni, & ſermones Cypriani de operibus Cardinalibus Chriſti, ſint apud nonnullos dubiæ ſcripturæ, vel etiam ſuppoſititiæ; tamen multos habemus alios certiſſimos, & probatiſſimos auctores; & ISTI IPSI ſunt antiquiſſimi & optimi, licet NON SIT CERTVM, an ſint illi, quorum nomina præferunt.* Hæc Bellarminus; Iam ſi vera ſunt, quæ idem alibi dixit, *de Dionyſii operibus nihil dubitare viros Catholicos, &*

CAPVT XXXVI.

Caiet. in Act. 17 extr.

C. Rhodiginus Antiq. lect. L. 2 c. 3 p. 57. f.

Halloix de oper. Dion. Q. 2. p. 537.

Caſſand. Præf. L. de Bapt. infant. p. 682. 683.

Id. ep. 47. p. 1142.

Bell. de Confir. L. 2. c. 7. §. Iam vero.

Ib. L. de ſcript. Eccl. in Dion.

Capvt XXXVI. *doctos*; non poteſt negare ſe, cum illa quæ recitavi, ſcriberet, virum *Catholicum & doctum* non fuiſſe; adeoque vel *Lutheranum*, vel *ſciolum* fuiſſe; cujus generis homines ſolos aliter ſentire ibidem pronuntiaverat. Et hos quidem de proximo retro ſæculo noſtræ de Dionyſianis ſententiæ teſtes, fautoreſque habemus. Noſtra vero memoria, tametſi multum confirmatis, ac pæne obſtinatis partium animis, veritatem tamen a non paucis extorſit illa, qua nunc gaudemus, lucis copia. In eorum numero dubito, quin ſit in primis cenſendus vir priſci juris, & antiquitatis Eccleſiaſticæ conſultiſſimus Gabriel Albaſpineus, Aurelianenſis non ita pridem Epiſcopus, qui cum, vt ſupra obſervavimus, confiteatur ac doceat Chriſtianos Apoſtolici, & ſequentis ad Iuſtinum ævi ſacra & myſteria Chriſtianiſmi *libenter etiam apud infideles enuntiaſſe*, is Areopagiticum Hierophantam, eadem ſtudioſiſſime celantem ac occultantem primo illo ſæculo ſcripſiſſe, niſi ſecum ipſe pugnaret (quod eruditi, ac ſapientis non eſt) concecedere profecto non potuit. Doctiſſimum ac candidiſſimum Sirmondū Ieſuitam jam ſupra edidimus, non modo confitentem ſed etiam pugnantem, ac veris validiſque argumentis vincentem Dionyſii martyrium ſub Domitiano Principe contigiſſe. Vnde evidenter, ac neceſſario illud eſſe conſequens omnes intelligunt, vt Areopagiticorum ſcriptor, qui Evangelium a Ioanne ſub Nerva, Domitiani ſucceſſore; ſcriptum atque editum pluribus locis citat, Dionyſius jam ante mortuus eſſe nequaquam poſſit. Qui Sirmundi vel acumen & judicium, vel candorem & fidem norit, non dubitabit, quin ille hæc, & uiderit, & ſecutus ſit; ac ne hoc quidem obſcurum, vel apud cordatos ambiguum eſt hunc virum, ſive eruditionem, ſive judicium ſpectas, pluris eſſe vnum, quam trecentos ſive Delrios, ſive Halloixios. Hujus contubernalem Petavium, neque minoris ipſum vel eruditionis, vel famæ, eadem quoque ſenſiſſe, illud a nobis ſupra obſervatum efficit, quod iſte deſcriptum in Areopagiticis pœnitentiæ ritum, atque ordinem alium ab eo fuiſſe demonſtrat, qui Apoſtolico ævo erat. Ille vero acutior fuit quam vt auctorem alios, quam ævi ſui ritus deſcripſiſſe putaverit. Ergo neque hoc ille; quod inde exiſtit, neſciebat, hunc ſcriptorem non fuiſſe Dionyſium, ævi Apoſtolici hominem. Sed Petavium ita judicaſſe etiam alia oſtendunt; vt quod in Indice auctorum in Theologicis dogmatis a ſe laudatorum, hunc *Dionyſium* ſimpliciter vocat; ſed *Dionyſium, cui vulgo* (inquit) *nomen Areopagitæ tribuitur.* Huc accedit, quod in diſputatione de Angelis, cum certos eſſe eorum ordines ex veterum ad quintum ſæculum Patrum teſtimoniis conſtituiſſet, tametſi ex ipſorum ſententia non ſit certus, & exploratus Angelicorum ordinum, & nominum numerus; tum ita pergit; *Primus* (inquit) *Dionyſius novem Angelorum ordines & gradus, diſtincte ac definite poſuit; idque ſe a magiſtro ſuo & initiatore didiciſſe confirmat.* Quod hunc *primum* hæc docuiſſe dicit, eo oſtendit ſe eum exiſtimare poſt alios, qui aliud docent, docuiſſe. Et cur

Albaſp. obſer. L.1.c.13.

Sirmond. Diſſert de duob. Dion. c.8.

Petav. de la penit. publ L.1. 1.c.8.& 5.c.9. & 3 c.16.

Id.T.1.3. de Theol. dogm.

Id. de Ang. L.1 c.1.§.12.T 3. Theol dogm.

non

non a *Paulo* hæc iſtum didiciſse dicit, ſed *a ſuo magiſtro*, ſi ejus magiſtrum Paulum fuiſſe exiſtimavit? Mox diſerte negat *quinque primis ſæculis adhuc extitiſſe ſcripta* Dionyſii, & eorum ita *meminiſſe Gregorium Papam* dicit *vt ex aliorum fide referat, quod inde promit.* Ex his non eſt puto obſcurum, quod vir ille doctiſſimus de ſcriptis Areopagiticis ſenſerit. Eruditiſſimum vero Sorbonæ Doctorem *Ioannem Launoyum* idem quoque de his judicare etiam clarius eſt; quod is, vt ſupra ſuis locis docuimus, non modo vna cum Sirmondo ſentiat ſub Domitiano paſſum eſſe verum Dionyſium; ſed etiam & Hypatii de his libris cenſuram, & rationem qua cenſura nititur ſatis aperte probet. Neque hic omiſerim inſignem Antonii Mornaci, recentis Iuriſconſulti locum, qui non ejus duntaxat, ſed & Fabri, & multorum aliorum ſententiam continet. *Librum* (inquit) *de divinis nominibus & alterum de cœleſti Hierarchia S. Dionyſio tribuendum non eſſe inter litteratos omnes, vereque Orthodoxos conſtare ſemper vidimus, qui ſtudio non ſcribunt, ſed judicio. Ita vere ſenſit, ac conſignavit litteris piſſimus ille, ac doctiſſimus Nicolaus Faber, optimi fœliciſſimique Ludovici XIII. Galliarum & Navarræ Regis præceptor, cujus memoria in benedictione eſt. Et cum in hanc ipſam eruditorum diſceptationem totum opus ſtudioſe perlegiſſem, miratus ſum non ſemel, cur tantopere nitatur magnus Baronius adverſus ſcriptores veteres; vt adſtruat ad 9. Oct. quod nullo antiquitatis veſtigio fieri poſſit veriſimile. Si enim Athenienſis Epiſcopus Dionyſius Areopagita divinum hoc opus condidiſſet; quis vnquam dixerit ſuppreſſum nihilominus fuiſſe nomen tanti cœleſtium interpretis ab ijs, qui Græce & Latine olim de Chriſtiana fide ſcripſerunt?* Addit his & alia quædam, & illud, quod nos quoque ſupra attigimus, Auguſtinum hiſtoriam de Pauli apud Athenas prædicatione tractantem non fuiſſe tam ſicco pede, quod iſtic de Dionyſio narratur, tranſmiſſurum, ſi tot tantaque ab eo ſcripta ſciviſſet. Nam de eo hoc vnum Auguſtinus, *vt de gregario* (inquit) *Chriſtiano dicit; Neque defuerunt qui crediderunt, atque in ijs nominatur quidam Dionyſius Areopagites, id eſt Athenienſium principalis.* Sed & hic inprimis audiendus num vir & facundiſſimus, & humaniſſimus, & eruditione, & morum ſuavitate, non minus quam infulis, & dignitate apud ſuos clariſſimus Antonius Godellus, Graſſenſis nuper, nunc Vencienſis, qui hanc de Dionyſianis quæſtionem, ſic definit; *De libris* (inquit) *qui Dionyſii nomine circumferuntur, valde diverſa ſunt hominum judicia. Mihi docti pene omnes dubitare videntur, an vere ſint Dionyſii. Negari profecto non poteſt, quin ab Apoſtolici illius ſæculi ſimplicitate magnopere ſit alienus ſcriptoris ſtilus ſequiorum temporum Platoniſmum redolens. Sed neque facile fuiſſe videtur, vt illius ævi, quo vixiſſe auctor dicitur, Eccleſia omnes illas cærimonias jam vſurparit; quas ille narrat atque exponit admirabiliter; quod eam diſciplinam & ab initio ſtatim coortæ perſecutiones obſervari prohiberent, & ſerius revera inſtitutam fuiſſe ex ſcriptoribus appareat.* Atque hæc quidem hactenus Vencienſis Epiſcopus; recte ſane ac ſapienter;

CAPVT XXXVI.

Launoy Vita Dion. Areop. p. 277.
Id. Diſcuſ. diſcuſſ. c. 16. & de argum. neg. p. 8.
Ant. Mornac. ad L. 1. §. ſed neque Cod. de Veteri iure.
Aug. Tract. de Epic. & Stoic. T. 6 p. 363. col. 1.
Godell. Hiſtoir. de l'Egl. L. 1. an. de Chr. 99. p. 125.

Caput XXXVI.

pienter; pauciſſimis verbis multa complexus. Sed nemo Latinorum eſt, qui quæ de hac quæſtione vera ſunt vel clarius, atque copioſius explicavit, vel liberius defenderit, vel denique conſtituerit, & confirmarit accuratius, quam Morinus. Eum equidem; fateor, diu neſcivi quicquam de hoc argumento in alterutram partem ſcripſiſſe; jamque noſtra hæc omnis diſputatio ad vmbilicum perducta, & ad prælum parata erat, cum ab eruditiſſimo quodam, atque humaniſſimo viro, cum de ea forte ſermo inter nos incidiſſet, monitus requiſitum Morini de ſacris Ordinationibus, multiplici eruditione refertum, volumen nactus ſum, quo inſpecto nihil propius factum eſt, quam vt me ſuſcepti, & quidem jam exacti operis pœniteret; adeo ille totam hanc cauſam dilucide ac fortiter egit, ac illuſtravit, & quæ nos adhibueramus argumenta, tametſi non omnia, plæraque tamen vel vrgens, vel ſaltem indicans, & alia etiam quædam, de quibus nihil nobis in mentem venerat, promens. Id certe feci, quod eſſe ingenii & candidi hominis cenſeo. Diſputationem hanc meam, antequam in publicum exiret, recenſui, ac recognovi totam, & quæ quidem mihi cum eruditiſſimo viro communia fuiſſe perſpexi, illa addito ejus teſtimonio firmavi; quæ vero illius erant propria, hæc noſtris ſingula ſuis cum honorifico auctoris elogio adjunxi. Ac tametſi nunc ejus ſenſus ex teſtimoniis, quæ ſupra ſigillatim non pauca attulimus, ſatis perſpici poſſit, hic tamen placuit aliquas illius de vniverſa quæſtione definitiones referre. Ille ergo in primis ſtatuit his Dionyſii libris, *hæreticos primum vſos eſſe ad ſuam defendendam hæreſim, ideoque auctori nomen Areopagitæ primos indidiſſe*; *Catholicos vero eorum operum antea* (ad ſæculi ſexti initia) *inſolentes & ignaros ea tum repudiaſſe, cauſſantes perſonam fœtumque ſuppoſita eſſe.* Alibi ait auctorem iſtum *de quibuſdam interdum non ſecus loqui ac ſi ſæculo quinto ſcripſiſſet*; imo ſtatim decernit † *quinto illo ſæculo ſcripſiſſe.* * *Non* (inquit) *improbabiliter mea quidem ſententia, ſuadetur auctorem iſtum longo tempore poſt Concilium Nicænum ſcripſiſſe.* Tum in eodem capite; † *Dionyſius ille* (inquit) *manifeſte oſtendit imprudens ſe vixiſſe, non modo poſt Alexandrinum Concilium* (a. D. 362. habitum) *Sanctoſque Baſilium, Nazianzenum, & Nyſſenum, ſed etiam poſt exactum ſæculum quartum.* Denique, eo propendet, vt hunc poſt damnatum in Epheſina Synodo Neſtorium (id eſt poſt a. D. 431.) ſed tamen ante Synodum Chalcedonenſem, quæ annis poſt Epheſinam viginti habita eſt, vixiſſe ac ſcripſiſſe ſtatuat. * Atque hæc quidem doctiſſimus Morinus hactenus. Iam ex iis, quæ proxime diſputavimus, patet primo quam temere, falſoque Bellarminus ſcripſerit *de Areopagiticis neminem doctorum, & Catholicorum dubitare, quin ea vere Dionyſii ſint*, & qui *id negant non alios eſſe quam Lutheranos & ſciolos quoſdam*, vt Eraſmum & Vallam, & paucos alios. Atqui plane contra ſibi videri ait Vencienſis, *pæne omnes doctos dubitare, an Dionyſii ſint*; & Mornacus ſcribit *ſe conſtare ſemper vidiſſe inter litteratos omnes, vereque Orthodoxos*, libros non eſſe Areopagitas tri-

Morin. de Ordin. Part. 2. c. 1. §. 5. p. 28.

Id. ibid. c. 5. §. 10. p. 45.

† Ibib. § 10. extr.

* Ibid. 6. 6. §. 1. p. 47. D.

† Ibid. § 5. p. 48. C.

* Ibid. § 11. p. 51. C. D. E.

tas tribuendos. Solos eos aliter ſentire, *qui ſtudio ſcribunt, non judicio.* CAPVT XXXVI.
ipſe quinimo Bellarminus alibi quod ſupra oſtendimus, hunc ipſum ſcriptorem qui vulgo *Dionyſius* dicitur, inter illos auctores diſerte recenſuerat; qui licet antiquiſſimi ſint & optimi, an tamen illi ſint *quorum nomina præferunt*, certum non eſt. Ergo ex Bellarmino *certum non eſt*, an iſte ſcriptor is ſit, cujus nomen præfert, Dionyſius. *Viri autem Catholici & docti de iis dubitare*, quæ *non eſt certum* vera eſſe, nemo, vt opinor, ſanus dixerit. Ergo ex ipſo Bellarmino decebat omnes doctos, & Catholicos de libris iſtis dubitare, an ii ejus auctoris ſint, cujus nomen præferunt; quod omnes vident quam belle cum altero illo ejus dicto congruat, quo narrat de iiſdem libris *viros doctos & Catholicos nihil dubitare.* Sed & res ipſa oſtendit, quam vere hoc Bellarminus affirmarit Veteres mitto, quorum ante Leontium & Anaſtaſium, ſeptimi ſæculi homines, nemo reperitur, qui iſta Dionyſii opera vera eſſe putarit. Illa quinque prioribus ſæculis ita ignota fuiſſe demonſtravimus, vt nemo Catholicus, nemo hæreticus toto illo tempore reperiatur, qui de libris quicquam vel dicat, vel ſciat. Sexti demum ſæculi initio reperti ſunt qui ea aſſererent, & pro veris obtruderent; ſed hæretici Severiani: Erant & qui rejicerent, ac repudiarent; Sed Catholici; Vt niſi illius temporis omnes Catholicos *vel Lutheranos, vel ſciolos*; Severianos vero *doctos & Catholicos* fuiſſe finxeris, nihil falſius dici de illius temporis Chriſtianis poſſit; quam quod ait Bellarminus. Poſt a. D. 600. & ſequentibus ſæculis Catholicos fuiſſe, qui de librorum veritate nihil dubitarent, confiteor; nullos fuiſſe qui dubitarent, ne Bellarminus quidem dixerit. Nam a quibus rejectos libros, & teſtatur Maximus, & ſignificat Theodorus, ii certe neque *Lutherani* erant, neque *ſcioli*; omnium vero minime Photius; qui & hujus ſectæ fuiſſe videtur, quæ libros negabat. Sed quod dixi, Bellarminus videtur de his noſtris noviſſimis temporibus dicere. Atqui ne de his quidem vere vt patet, hoc dixit. Vallam quidem, & Faventinum, & Grocinum, qui ante Lutheri initia floruerunt, Lutheraniſmi non eſt accuſaturus. Eraſmum, & Rhenanum, & Caſſandrum Catholicos fortaſſe negabit; ſemi catholicos fuiſſe non negabit; Lutheranos quidem non fuiſſe concedet. Sed de *Cajetano* & *Roffenſi* Cardinalibus, de *Godello* Epiſcopo, de *Launoyo* Sorbonicæ domus Magiſtro de *Sirmondo*, & *Petavio* Ieſuitis, de Morino Presbytere, *Cœlio Rhodigino*, de *Nicolao Fabro*, de *Antonio* denique *Mornaco*, quid eſt dicturus? Hos enim, etiam Cardinales, etiam Epiſcopos, etiam Sorbonicos, etiam Presbyteros, Ieſuitas, vel *Lutheranos*, vel *ſciolos* fuiſſe ex Bellarmino neceſſe eſt; quorum neutrum de illis viris abſque craſſiſſimo mendacio dici poſſe, ne ipſe quidem credo, ſi viveret, Bellarminus negaret. Quod vero *Eraſmum & Vallam ſciolos* dixit; id convitium eſſe, & quidem impudens, omnes ſciunt, quibus duo illi viri vel ex vngue noti ſunt; optime ſuo ſæculo de litteris ſacris, profaniſque meriti, Et, ſi Bellarmini libri perennaverint, omnes poſteri os hominis mirabuntur,

buntur,

Caput XXXVI.

buntur; qui *ſciolos* eos vocare auſus eſt, quorum & ingenium plane eximium fuiſſe, & animum in inſtaurandis litteris maximum, & labores fœliciſſimos, & rerum denique divinarum atque humanarum ſtupendam, pro illius præſertim temporis captu, cognitionem, quæ diutiſſime (ſi quid conjicere liceat) ſupererunt, ipſorum opera loquentur. Sed viros egregios hac contumelia affici, a quoquam quidem indignum eſt; a Bellarmino vero indigniſſimum; quem nemo opinor, eruditus negavegaverit *ſcioli* nomine multo eſſe, quam Eraſmum, & Vallam digniorem. Hunc enim opera fatentur humana illa, ac politiori eruditione admodum leviter imbutum fuiſſe, a cuius mediocritate homines nunc *ſcioli* vocantur; vt eum tenuitatis ſibi ſuæ conſcium parcius id nomen aliis objectare deceret, quod ipſi multo melius, quam illis congruit. Atque id ſane, Bellarminiani dicti inſolentia commotus, repercuſſit eruditorum ſuæ memoriæ princeps Caſaubonus; cum recitatis his Bellarmini verbis, de *ſolis Lutheranis, aut ſciolis* Dionyſiana, veluti ſpuria, repudiantibus. Addit; *Eſt* (inquit) *ridicula plane res, hominem Græcarum litterarum plane ἀμύητον (quod omnia Bellarmini ſcripta oſtendunt, eximie vero ipſe ille liber noviſſime ab eo profectus) judicare velle de ſcriptore Græco.*

Caſaub. Exerc. 16. adv. Baron. §. 150. 711.

Caput XXXVII.

Refellitur ineptiſſima Halloixij argumentatio, ſua & ſuorum a mille annis maiorum de Areopagiticorum veritate, opinione & credulitate, ita præſcriptum eſſe, vt nemo nunc niſi vel imprudens, vel impudens rem in dubium revocare poſſit.

SEcundo ex iis, quæ proxime diſputavimus, etiam patet quam vana ſit & futilis prima Halloixii pro librorum Areopagiticorum veritate, & antiquitate demonſtratio; inde petita, quod *ab immemorabili* (vt iſte quidem dicit) *tempore habita ſunt hæc opera pro rebus Areopagitæ, cum non queat aſſignari ſpatium, quo ipſa alterius, & non illius habita ſint. A mille enim* (inquit) *retro annis, eoque amplius laudatus nominatim reperitur Dionyſius Areopagita, vt horum auctor operum, & fuit nemo hactenus tam imprudens aut impudens, tam audax, aut temerarius, qui alieno ſub nomine ea opera evulgarit.* Et addit qui illa vel Appollinari, vel Dionyſio ſive Corinthio, ſive Alexandrino, pauci tribuerunt, eorum inanis, ac plane contemnendas eſſe conjecturas. Huic autem mirificæ argumentationi hoc inprimis veluti fundamẽtum præſtruit, *quia ſi in re dubia & incerta melior eſt conditio poßidentis; quanto magis ex tanto tempore & a tot ſæculis, defenſo ſemper jure ſuo, bona fide poſſidentis?* Primo tota hæc Ieſuitæ demonſtratio, quam per ſe infirma atque inepta, imo etiam periculoſa, ac exitialis ſit, patet. Extant quædam in Paulum

Hall. de oper. Dion. Q. 1. p. 532.

imo

CAPVT XXXIIII.

ſub Ambroſii nomine vulgata commentaria, quæ & in omnibus illius ſcriptoris editionibus habentur. Hæc omnes vtrarumque partium hodie eruditi conſentiunt nequaquam eſſe Ambroſii. Latini, quidem (vt noſtros taceam) quotquot in hoc ſtudii genere aliquid operæ potuerunt, Maldonatus,[a] Lucas Brugenſis,[b] Theologi Lovanienſes,[c] Poſſevinus,[d] Salmero,[e] Bellarminus,[f] Baronius.[g] At ex Halloixio dubitare nefas eſt alterius hæc, quam Ambroſii eſſe vera ſinceraque commentaria, quæ ſcilicet *ab immemorabili tempore habita ſunt pro rebus Ambroſii.* Hæc ante iſtos nuper natos, quos dixi, eruditos pro vere Ambroſianis omnes laudabant, vt ex Theologis Scholaſticis patet; Quid dico Scholaſticos? Etiam Hincmarus, etiam Prudentius Tricaſſinus circa a. D. 860. Et Patres ipſi Aquisgranenſes a. D. 862. eadem jampridem Ambroſii nomine citarant; etiam iſtis vetuſtiores Pariſienſis Synodi Patres a. D. 824. idem fecerant, imo iſtis omnibus haud paulo vetuſtior Caſſiodorus, qui annum ſexti ſæculi decimum quartum ſuo nomine Cõſul ſignavit, huic ſeu opinioni, ſeu famæ facere videtur. Certa ab illo tempore, id eſt a mille retro annis, & eo amplius, nemo interceſſerat, quominus iſti commentarii Ambroſii eſſent; neque quiſquam toto eo tempore fuerat tam vel *imprudens* vel *impudens*, qui eos ſub alio nomine evulgaſſet, aut citaſſet. Ergo ex his boni Halloixii legibus vel *impudentes* vel certe imprudentes ſunt non modo Maldonatus, & Poſſevinus, ſed etiam illi duo majorum gentium auctores Bellarminus & Baronius, qui totum opus non eſſe Ambroſii non modo pronuntiant ac definiunt, ſed etiam accerrime pugnant & contendunt. Eadem lege & Chryſoſtomo imperfectum in Matthæum opus, & Hieronymo Symbolum ad Damaſum; & Auguſtino librum Quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti aſſeret Halloixius; contra communem & ſuorum, & noſtrorum ſententiam. Primum enim opus ſub Chryſoſtomi nomine etiam ante annos 792. Hincmarus,[a] & omnes inde ſequentium ſæculorum ad avorum noſtrorum memoriam citarant; ſecundum vero ſub Hieronymi nomine, & a. D. 794. Carolus Magnus,[b] & a. D. 850. Remigius Lugdunenſis,[c] & ab eo ſæculo ad noſtrum omnes laudarant; tertium denique Auguſtino, & Synodus Pariſienſis a. D. 824. habita,[d] & omnes inde ſequentium ad nos temporum tribuerant. Tempus me deficiet, ſi omnia eiuſdem generis referre velim. Sed multo etiam latius ſerpit Halloixianæ argumentationis peſtis; ex qua & Mahumedanis licet ſuum Alcoranum Dei auctoris eſſe credere, & Paganis fabuloſiſſimas ſuarum religionum quiſquilias cœlo impune imputare. Ita enim ſibi vtrique *ab immemorabili tempore* traditum fuiſſe a majoribus dictitabunt; illi mille, hi etiam multo plurium annorum ſpatium iactabunt; hanc fuiſſe de iſtis apud ſuas gentes fidem; ſe legitimo tam longæ profeſſionis iure niti. Quæ ſi abſurda, & ſtulta omnia; ſi hæc etiam impia, & exſecranda eſſe, vt ſunt ſanè, fatetur Halloixius; debeat ergo ipſe ſuam pro Dionyſianis argumentationem, & eam quæ nititur, le-

a *Mald in Math.* 19. 9.
b *Luc. in* 1. *Tim.* 2. 6.
c *Theol. Lovan. in Aug.*
d *Poſſev. Appar. Ambr.*
e *Sal. n. in ep. Paul. diſp.* 19.
f *Bell. Cath. ſcript.*
g *Bar. a. D.* 397. §. 38.
Hincm. L. de Prædeſt c. 33. *& paſſim p.* 255. 403.
Prud. Tric. contr. Ioan. Scot. p. 456. 499. 512. 519. 548.
Caſſ. L. 1. *init. c.* 8.

a *Hinc marus de Prædeſt. c.* 25. *p.* 180. 181.
b *Carol. M. de Imag. l.* 3. *c.* 1.
c *Remigius de trib. ep. p.* 134.
d *Syn. Par. ſub Ludou. a. D.* 824.

CAPVT XXXVII.

gem abroget, atque antiquet. Neque ſane inique fecerit; ſi hoc fecerit. Ex poſſeſſione ſcio de fundis & aliis huius generis valide præſcribi. Sed adverſus ipſam rerum veritatem nulla præſcriptio eſt; & plane ſtultum eſt, quod hic Halloixius ſomniaſſe videtur, longa hominum credulitate vera tandem fieri, quæ aliqua gens, aut ſecta per multa ſæcula conſtanter retinet. Tu vero Halloixi, longiſſime a veri regionibus aberras, ſi hoc putas. Quod verum nunc eſt, id verum & ſemper antea fuit, & in æternum erit. Opinionum veritas ab hac æterna, & immutabili rerum ipſarum veritate tota pendet. Nihil opinantem conſentientium vel multitudo, & antiquitas iuvat, vel paucitas, & novitas lædit; vere opinari cenſendus ſit; qui ea ſentit, quæ multi quoque plurimis ante ſe ſæculis ſenſerunt; falſo, qui vel nullos vel certe paucos habuit ſuæ ante ſe ſententiæ auctores. Quæritur an iſti libri Dionyſii Areopagitæ ſint. Demonſtra eos ab initio, temporibus ſcilicet Apoſtolicis, & in rerum natura jam tum fuiſſe. Demonſtra ab Areopagita ſcriptos eſſe. Hoc ſi confeceris, nihil neceſſe erit ſequentia tempora interrogare. Qui enim vere Dionyſii tum fuerunt, fieri nulla vi poteſt, vt Dionyſii aliquando non ſint; etiamſi non decem, ſed mille ſæculis aliud de iis, non tantum Latinos, Græcoſque, ſed etiam omnes vniverſi orbis gentes credidiſſe finxerimus. Tu vero plane ridiculus es, qui omiſſo hoc diſputationis fonte, homines annis quingentis ea re, de qua quærimus, recentiores interrogas, quaſi vel iſtos de re tam longo ante ſe temporis ſpatio geſta falli, aut impoſſibile, aut etiam difficile ſit; vel iſtud de quo hos interrogas, verum horum aſſeveratione fieri poſſit, etiamſi id aliquando minime verum eſſet. Hic inprimis valet illud Iuriſconſultorum ſolenne verbum, *quæ ab initio non valuerunt tractu temporis convaleſcere non poſſunt.* Mitte tuas præſcriptiones, in hoc veritatis foro vanas & ſupervacaneas; Noli ea te quæ opinaris *poſſidere* putare, niſi eadem quoque vera ſint. Si erras, & falleris, nihil poſſides. Eſt enim omnis error falſum quid, & aliquod mendacium; adeoque nihil vere eſt, etiamſi tu id eſſe aliquid falſo putes. Non autem credo *poßidentur*, vel poſſideri dicuntur, quæ nihil ſunt. Si legitime progredi velles, antequam tuam illam *poſſeſſionem* crepares, inprimis erat demonſtrandum id, quod tu te credere profiteris, verum eſſe; vt judicare poſſemus, an tua revera ſit aliqua poſſeſſio. Quanto melius hic Baronius, qui hanc ipſam quæſtionem exordiens, cum frigida illa ac puerilia, quæ de præſcriptione garris, initio obtendiſſet, iis ſtatim dimiſſis; *Cæterum* (inquit) *quod jura veritatis ſint ampliora omni antiquitate; quippe quæ nulla primorum ſæculorum valeant præſcriptione lædi, nec innumera teſtium multitudine obrui atque labefactari; ſic de his agendum nobis proponimus, vt rei veritati ac dignitati ſit omni pariter ex parte conſultum; cum alioqui nullus ſit reliquus fidei locus, niſi ipſi in omnibus veritas ſuffragetur.* Sed vt ea quæ ponit Halloixius, ſingula breviter conſideremus, falſiſſimum primo eſt, quod iſte in tota hac ſua argumentatione ſupponit, demonſtrari ſcilicet non poſſe hos

Baron. A. D. 109. §. 51.

ſe hos

ſe hos de quibus quærimus libros non eſſe Dionyſii, niſi cujus alterius ſint oſtenderimus. Fieri enim facillime poteſt, & vero fit ſæpiſſime, vt conſtet cuius non ſit aliquis liber; neque tamen conſtet, cuius ſit; vt verbi gratia, certum eſt, & confeſſum non eſſe Ambroſii eos in Paulum commentarios, qui ſub eius nomine circumferuntur; cujus alterius ſint, non eſt evidens, neque apud omnes confeſſum. Id vero in iis præſertim vſuvenit, quæ alienis nominibus finguntur, & quorum auctores ſe quidem latere, eos vero quibus opera ſua ſupponunt, extare cupiunt; ſua adeo nomina quam diligentiſſime poſſunt, occultant. Recognitionum libros non eſſe Clementis, cuius nomine circumferuntur, omnes ſciunt; neque id intelligere difficile eſt. Quis verus ſit operis auctor, nemo ſcit, nemo hactenus edidit, nemo edere vel ſcire poteſt. Atqui libri de quibus quæritur, ſunt hujus generis; alieno auctori Dionyſio affictì ac ſuppoſiti, eiuſque nomine falſo a ſcriptore editi; ſua quidem omnia, maxime ſi qua eſſent propria, vt familiam, ætatem, nomen &c. accuratiſſime quo ad ſe fieri potuit, occultante. Non eſt ergo mirandum, quod ignotum, latentem, ac ſe conſulto occultantem hominem cognoſcere, ac quis proprie fuerit, deprehendere, certoque explorare ac comperire nemo hactenus potuerit. Id tantum inde in genere ex opere licuit intelligere, hominem fuiſſe, & Græcum, & eruditum, & quinti a Chriſto nato ſæculi ſcriptorem; vnde certiſſime colligitur nihil minus eum fuiſſe, quam quem ſe videri voluit, Dionyſium. Vanæ ſunt (inquit Halloixius) eorum coniecturæ, qui hos libros vel Apollinari, vel alteri ex aliis duobus Dionyſiis, Corinthio, aut Alexandrino, tribuerunt. Vaniſſimæ ſunt (inquam) neque meliores, vt ex iis, quæ hactenus diſputavimus, facile poteſt demonſtrari quam tua, tuorumque deliratio, qui hoc Dionyſii vere opus eſſe, tametſi rebus ipſis, argumentiſque clariſſimis convicti, ſomniare tamen pertinaciſſime contenditis. Non enim ſi illi aberrant, vos recta ſequi neceſſe eſt. Verius eſt vtroſque falli, ſed vos etiam gravius. Sed neque me quod Dionyſium operi auctorem falſo præſcribi contendo, & vero claris ac liquidis rebus demonſtro; eo neceſſe eſt, vt cauſam hanc vincam, veri auctoris nomen edere. Non hoc, quod neſcire me vltro fateor, ſed illud duntaxat demonſtrandum ſuſcepi. Tu vero ridiculus es, qui me hæc Areopagitæ affiсta eſſe contendentem, ac perſpicue demonſtrantem vrges, vt inſuper doceam, quis ergo verus ſit eorum auctor, ſi is Dionyſius non eſt. Plane autem ſic agis ac ſi me nummos, quos mihi numeras, adulterinos eſſe affirmantem idque ex eorum, & colore, & forma, & pondere & ipſo denique metallo docentem ac comprobantem, eo refellere te poſſe putares, quod ego eius monetarii, cujus arte ac manu cuſi ſunt, nomen edere, aut expedire non poſſem. Quaſi vero id mea multum interſit ſcire; vel quaſi ſatis non ſit, quod nummum conſtat eſſe adulteratum, niſi & a quo fuerit adulteratus, reſcivero. Mihi vero vt nummum repudiem, ſatis eſt, quod adulterinum eſſe comperio; de eo a quo eſt cuſus, noſcendo, neque me, CAPVT XXXVII.

Caput XXXVII. neque te laborare neceſſe eſt. Tu mihi librum Dionyſii nomine inſcriptum obtrudis. Ego Dionyſii eſſe & nego, & argumentis non modo probabilibus ſed etiam neceſſariis vinco. Hoc abunde eſt, vt ab eo diligenter caveam; & ſi de eo hoc vnum ſciam, impoſtorem fuiſſe, quiſquis de cætero fuerit. Deinde, quod Areopagiticorum ætatem Halloixius ac mille retro annis numerare incipit, id quoque abſurdum eſt. Si is cuius nomen ſcriptor aſſumpſit, Dionyſius quinto Chriſtianiſmi ſæculo eſſet natus, laudarem. Nunc cum eum omnes primo, ſive Apoſtolico ſæculo floruiſſe confiteantur; quæ iſta eſt adverſarii ineptia, vt & ipſum hominis ævum, & ea, quæ proxime conſecuta ſunt, tempora mittat, quinque ſolida ſæcula tranſvolet; in ſeptimo, operis auctorem quærat? Quaſi vero & auctorem (ſi Dionyſius eſt) & auctoris opus, non multo certius ac melius noſcere debuerint primorum ſæculorum homines, quam eorum poſteri, a Dionyſiano ævo tot ſæculis remoti. Sed (inquis) primis ſæculis latuit, Sexto demum innoteſcere cœpit. Hoc vero ipſum certiſſimo argumento eſt non eſſe hæc Dionyſii opera; quæ ſi eius eſſent, primis illis ſæculis latere noſtros non potuiſſent; vt ſupra eſt a nobis fuſe demonſtratum. Tertio quod dicit Halloixius *ab immemorabili tempore habita eſſe hæc opera pro rebus Areopagitæ*; id inquam, pariter quoque falſum eſt. Quingentos totos annos ne nota quidem fuiſſe, initio ſexti ſæculi noſci, & *a quibuſdam haberi pro rebus Dionyſii* cœpiſſe; ſed ab hæreticis; a Catholicis vero conſtanter toto illo ſæculo reiecta eſſe, ſupra ex veris oſtendimus. Septimo ſæculo & ſequentibus, etiam a Catholicis quidem non paucis a priſtina ſuorum maiorum ſententia deſciſcentibus pro germano Dionyſii fœtu per errorem accepta fuiſſe; ſed ita tamen, vt iiſdem quoque temporibus Catholici eſſent, qui ea reſpuerent; vt ex Maximo & Photio docuimus. Vnde liquet, ſi prima, & antiquiſſima novis, & recentioribus antehabenda ſunt, eæque traditiones certiſſimæ cenſendæ, quæ vetuſtiſſimæ ſunt, nihil eſſe dubitandum, quin Areopagitica veluti ſubdititia repudiantium pars, altera eadem pro genuinis amplectentium, parte potior ſit; illorumque adeo ſententia horum opinione melior, ac verior cenſenda ſit; Vt illud taceam ne nunc quidem apud iſtos deeſſe tametſi oppreſſa per Papæ Romani imperium omni pæne opinandi libertate) viros ingenio, litteris, & dignitate excellentes, qui opera iſta contra communem ſuorum ſymmyſtarum errorem, alterius eſſe quam Dionyſii, & ſentire, & profiteri aperte, etiam in libris publice non dubitarunt; vt ex iis apparet, quorum teſtimonia paulo ante adduximus.

Caput

CAPVT XXXVIII.

Solvitur alia quædam Halloixii obiectio; inde petita, quod ſcriptorem, virum vt apparet, pium, gravem, ac ſanctum, incredibile ſit hanc mundo impoſturam facere, voluiſſe. 1. *Ieſuitis non videri flagitium eſſe huiuſmodi impoſturam facere;* 2. *quod in his ſcriptis omnia pietatis plena ſint, eo non effici, vt vere planeque ex Chriſti diſciplina pius ſcriptor fuerit. Etiam olim apud noſtros mature fuiſſe id genus impoſtores.*

SEd hic ſolvenda eſt & alia quædam Areopagiticorum objectio, iam olim a Maximo allata; noſtris vero temporibus a Leſſio primum repetita & noviſſime ab Halloixio magno cum hiatu expoſita. *Argumentum enim hoc* præfatur *eſſe contra adverſarios ſuos validiſſimum*; eoque paulo poſt negat *vllum eſſe fortius, & inexpugnabilius; ita vt nihil* (inquit) *videam, quod ſaltem probabiliter ad eius refutationem adferri poſſit.* Hæc ille de ſuo Achille; magnifice ac ſpiritu plane Ignatiano; quæ ſi vt affirmat, vera ſunt, fatendum eſt (quod eſt profecto veriſſimum) totam illam Areopagiticam cauſam infirmiſſimis niti præſidiis. Hoc enim, quod cæteris præfert Halloixius argumentum, ita imbelle ac futile eſt, vt id, niſi ille tanti feciſſet, ne refutatione quidem dignum fuerim exiſtimaturus. Sic ergo duo illi Ieſuitæ ratiocinantur; *Si opera illa* (inquit Halloixius) *non ſint Dionyſii Areopagitæ, fateri neceſſe eſt illorum auctorem operum plenum mendacij, fallaciæ, & ſacrilegæ ſimulationis extitiſſe.* Hoc vero dictu abſurdiſſimum eſſe putat. Quare? *Quia* (inquit) *ſcripta illa meram ſapiunt & ſpirant pietatem, modeſtiam, gravitatem ſanctimoniam.* Itaque putat eſſe incredibile, vt vir adeo doctus, & pius, & illuminatus, qualem ſe hic auctor in ſcribendo præſtat, hæc quæ narrat finxerit ac commentus ſit; nimirum quod Pauli diſcipulus fuerit, quod Virginis Mariæ funeri adfuerit, & cætera ejuſdemmodi non pauca. Hæc vero minime facturum fuiſſe Dionyſium, vel Corinthium, vel Alexandrinum. Sed hos quidem purgare; nihil neceſſe fuit, quos ſi qui ſint, qui putent Areopagitica compoſuiſſe, nos certe iis minime aſſentimur, qui ſcimus hunc ſcriptorẽ plurimũ ab vtriuſque illius Dionyſii & ingenio, & ævo abeſſe. Ad reliquũ argumentũ ita reſpõdeo; Scriptorem fortaſſe ipſum, vt hanc criminationem anteverteret, conſulto providiſſe. Hic enim, quem hæretici Eutychiani & Monotheletæ, quem & Catholicorum pars longe major ab a. D. 600. Dionyſium Areopagitam vno conſenſu vocant, Athenienſium, etiam nonnemo Corinthiorum, Epiſcopum; ipſe tamen (quod eſt ab erudiſſimo Morino totidem pæne verbis obſervatum) diligenter cavit, ne ſe vſquam Areopagitam, aut Epiſcopum Athenienſem diceret; tametſi

Halloix. de Dion. op. Q. 2. p. 537.

Morin. de Ordin Part. 2. c. 1. §. 14. p. 31. E.

CAPVT XXXVIII. quædam in ejus Scriptis loca occurrant, vbi opportuna erat his de ſe affirmandis occaſio. Ille fortaſſis, vt erat vafer, his abſtinuit, nequis eum mendacii poſtulare poſſet, quod *Areopagitæ & Athenienſis Antiſtitis* titulos, qui alterius erant, non ſui, invaſiſſet, ac vſurpaſſet. An id fuerit hominis in his tacendis elogiis conſilium; equidem neſcio; Hoc ſcio, largiter eum falſum eſſe, Si ſperavit hoc ſibi præſidium ad purgandum mendacii & ſimulationis crimen ſatis futurum, cujus in toto opere manifeſtus eſt, dum ſe hominem, vt ſupra apertiſſimis argumentis vicimus, quinti ſæculi Apoſtolico ſæculo vixiſſe, & Pauli Apoſtoli diſcipulum fuiſſe videri vult, multaque paſſim ad hoc lectoribus perſuadendum mentitur, & quidem hujuſmodi, quæ ſignificant hoc eum animo quod accidit, concupiviſſe, vt pro Dionyſio Athenienſi Areopagita apud Chriſtianos haberetur, tametſi his ipſe nominibus perpetuo abſtinuerit; futurum putans, vt hoc ipſum ſibi homines modeſtiæ ac verecundiæ darent, facileque crederent, in quem tam multa Areopagitæ concurrere viderent, eum revera Areopagitam fuiſſe, tametſi ſe hoc ipſe nomine nuſquam ſit dignatus. Itaque aliter Leſſio & Halloixio ſatisfaciendum eſt; ac primo quidem de ipſis hominibus, qui ita diſputant, aliquid dicendum videtur. Nam hoc, quæ iſti objiciunt, alterius ſectæ viros objicere, equidem non mirarer; Objicere duos Ieſuitas, non poſſum non mirari; quos fama eſt fallendi, mentiendique. Et homines ſimulatione, ac *æquivocationibus* deludendi artem adeo non ſpernere, vt eam ipſi ſentiant interdum magna cum laude, atque vtilitate factitare licere. Hoc vnum, quo iſta legitime fiant, requirunt; vt ejus qui iſtis dolis vtitur animus ſit innoxius, ac per eas artes, divini nominis non probrum, ſed honorem; Eccleſiæ non detrimentum, ſed incrementum, ac proximi denique non exitium aut infamiam, ſed commodum moliatur. Ex hac diſciplina non equidẽ video, cur ſcriptoris, qui aſſumpta veteris Dionyſii perſona iſta ad aliquam veri ſpeciem finxit, vel conſilium, vel opus iſtis tantopere diſplicere debeat. Clamant eum plenum eſſe *fallaciæ, mendacii, & ſacrilegæ ſimulationis*; clamant *putide mentiri, & abſurda hypocriſi mundo impoſturam facere*, quia ſcilicet ſe fuiſſe *Pauli diſcipulum* & Virginis funeri interfuiſſe, & hymnos Hierothei audiviſſe, & alia quædam hujuſmodi fingit. Atqui Hieronymum Xaverium, nobilem de Ieſuitarum Sodalitio virum, *in Hiſtoria Chriſti* ſua, quæ Achabaro, Mogholi inſcripta Perſice edita eſt, notum eſt de B. Maria multa, de Apoſtolis multo plura tradere incerta, fabuloſa, apocrypha, falſa; Chriſto ipſi non pauca affingere, ab omni Evangelica narratione & antiquorum traditione aliena; vt cum eum verbi gratia, *aliquando mendicaſſe* dicit; cum quod dixerat, *ſi vultis accipere, ille* (Ioannes) *Elias eſt qui venturus erat*; affirmat *ipſum poſtea ſic declaraſſe, vt ſenſus ſit, ſicut ſcriptum eſt fore, vt antequam Chriſtus ad judicium mundi veniat, & adverſus Antichriſtum doceat, ſic Ioannes eadem potentia jejunium venit ante Chriſtum, qui* nunc

Leſſ. de ep. ad Lanſſel. præfixa op. Dion.

Hier. Xaver. Hiſt. Chr. Perſica p. 110.

p. 245.

nunc vobiſcum eſt; cum eundem alibi ſic ſuis præcipere facit; *Dic prima-rio Eccleſiæ*; pro eo quod eſt apud Matthæum, *Dic Eccleſiæ*; & de Petro hæc loqui; *Nunquam fides Petri, qui primus ſucceſſor eſt deficiet*; cum id, quod dixerat in cruce, *Sitio*, poſt reſurrectionem explicaſſe, & dixiſſe refert; *Mens, ſitis dolorum erat; quoniam enim pro Dei gloria, hominum-que ſalute dolores iſtos patiebar, etſi graviſſimi viderentur, nondum tamen ſatur eram*; cum idem in operis epilogo aſſeverat *quæcumque in eo libro ſcripſit, ea ſe e ſacro evangelio, & aliis libris Prophetarum collegiſſe*; cum tamen manifeſtum ſit plurima iſtic ab eo narrari mirifica, apocrypha, fabuloſa, quorum in Evangelio, vel Prophetis neque vola neque veſti-gium cernitur; Vide ſi lubet, de his animadverſiones doctiſſimi viri *Lu-dovici de Dieu*, qui Xaverii opus Perſice & Latine in Occidente publi-cavit. Hæc quidem Xaverius; quem tamen ob eam rem nullius a ſuis *fal-laciæ, mendacij, ſimulationis, vel abſurdæ hypocriſeos* damnatum, vel etiam leviter inſimulatum ſcimus. Atqui nemo negaverit falſa Chriſto, quam Mariæ aut Dionyſio, longe flagitioſius atque improbius affingi. Neque vero id Ieſuitis damnare licet, quod ſcriptor Areopagiticorum vetus quæ dicit, ea ſub Dionyſii perſona dicit omnia. Hos enim nemo neſcit iſtam aſſumendæ alienæ perſonæ artem non modo non damnare, ſed e-tiam factitare; quorum in ædibus adoleſcentes perſonati quam ſæpe fabulas agunt, concurrente ad ſpectaculum non modo civium, & pro-cerum magna multitudine, ſed etiam ſanctiſſimorum totius Sodalitii Patrum cohorte? Quin & ſe hoc apud gentes barbaras artificio ad in-eſcandos, & alliciendos ad Latina ſacra eorum animos, aliquando vſos eſſe ipſi gloriantur, & quidem tam fœlici ſucceſſu, vt cum pueri Luſita-ni eorum diſcipuli, Gorgoræ in Æthiopia lepidiſſimum quoddam dra-ma, & quidem non ſemel, ſpectante gentis Imperatore, omnique ejus aula, belliſſime egiſſent; cæteris lętiſſime plaudentibus, Doctor quidam Æthiops, vir gravis, etiam in hanc exclamationem proruperit; *Quid li-bris amplius, vel argumentis opus eſt ad firmandam Patrum doctrinam? Hoc ſatis eſt.* Itaque etiamſi ſtatuerimus, quod eſt ſane veriſſimum, ſcri-ptorem illum veterem alium a Dionyſio fuiſſe; etiamſi quod eſt incer-tum, donaverimus, eundem virum bonum & ſanctum fuiſſe, non ideo tamen ſequetur iſtum, quod quædam de Apoſtolis & de B. Virgine fin-xerit, & quod ipſe Dionyſii perſonam ſcribens aſſumpſerit; eo quic-quam admiſiſſe, quod ſit ex Ieſuitarum quidem diſciplina & praxi, viri boni & ſancti officio indignum, niſi illi Xaverium ſuum, & plæroſque alios ſocietatis Patres *viros bonos & ſanctos* fuiſſe negent; Abſit vero vt hoc negent. Fuerit hæc ſcriptoris fraus, ſed pia; fuerit hypocriſis, ſed ſancta; fuerit ſimulatio, ſed ſalutaris; fuerit denique mendacium ſed ele-gans & vtile ad religionem. In his Ieſuitæ quidem nihil quod merito re-prehendant, reperiunt. Faceſſant ergo Leſſius & Halloixius cum *vali-diſſimo* illo ſuo argumento, neque nos invidioſis *mendacij & hypocri-ſeos* vocabulis terreant; quaſi ſic ludere virum bonum nefas putent,

CAPVT XXXVIII.

p.370.

p.446.

p.483.

Epiſt. Ieſuit. Æthiop. a. 1624.1625. p.58.

Che occocrono più libri, o raggioni della dottrina de' Padri? Queſto baſta.

quali-

CAPVT XXXVIII. qualiter nos ſcriptorem luſiſſe putamus. Caveant, ne dum iſtum eſſe Dionyſium nimium volunt, ſuam illam, vt aiunt, ſanctiſſimam ac vtiliſſimam, cœlituſque ad ſe delapſam diſciplinam pulſent, apud quam *virum bonum & ſanctũ* iſta quoties id ad gloriam Dei expedit, facere, quę cæteri mortales, ſimplices animæ, *mentiri, & fallere & imponere*, vulgo vocant, adeo nefas aut flagitium non eſt, vt etiam aliqua ſit interdum præcipuæ ſanctitatis ac pietatis pars. Sed neque ſoli apud Latinos Ieſuitæ in ea ſunt ſententia. Sunt etiam alii, qui ludos iſtos, & *pias* (vt vulgo vocant) *fraudes* non damnant. Mitto *legendas*, & alios eiuſdem farinæ de ſanctorum vitis & mortibus apud totam Latinorum gentem vulgares libros; quos fabulis fictiſque ad legentium voluptatem narrationibus ſcatere, nemo non plane ſtultus dubitat. Neque Breviarium tango, in quo non ſemel purgato multa parum ſevera, quædam aperte non vera adhuc ſuperſunt. Certe auctori alicui ſui animi ſenſus, ſuoſque ſermones detrahere non eſt multo levius, quam alienos commodare. In vtroque manifeſta eſt vel ſimulatio, vel diſſimulatio. Qui ergo maxima nunc ſunt apud Latinos in opinione ac gloria librorum expurgatores, ſi Leſſii & Halloixii argumentum ſequimur, totidem cenſendi erunt impoſtores; qui ſcilicet ita auctores quos edunt, inſtruunt, vt ea quæ vere ſenſerunt, minime ſenſiſſe videantur. Nam ſi noſter Areopagiticorum ſcriptor , quod Dionyſium nobis exhibuerit ea ſcribentem & narrantem, quæ ipſe revera nunquam ſcripſit, vel narravit, *eo abſurda hypocriſi mundo* (quod ait Leſſius) *impoſturam feciſſe* cenſendus eſt; non video cur non paria de eminentiſſimi Cardinalis Bernardi de Sandoval miniſtris dici poſſint, qui eius juſſu, & quidem ex Pauli P.R.V. ſententia & mandato, plurimos auctores, & quidem Catholicos, orbi exhibent plane aliter, quam ipſi ſcripſerant in libris ſuis loquentes. Obſecro enim tuam fidem, nonne hoc eſt *mundo impoſturam facere*, Eraſmum verbi gratia, Renanum, Vivem, Thuanum, alios quorum in Indice Sandovalliano opera recenſentur, ſic ornare, ſic ſecare, & mutilare, vt qui plurima ſcribunt a communibus Latinorum placitis aliena, eorum nihil ſcripſiſſe vnquam, vel a præſenti Romæ *Catholiciſmo* in vlla re, etiam leviſſima, deſciviſſe, videantur? Non eſt alienam iis perſonam induere? Non iſti quot auctores caſtrant, totidem mundo perſonatos homines, totidem hiſtriones exhibent? Quod ſi Papæ Paulo, & Cardinali Sandovallio eos ludos facere impune licet, non modo abſque vlla vel Pontificatus, vel epiſcopatus invidia, ſed etiam magna cum vtriuſque laude, non video, cur ſcriptori ſi iſti credimus, ſapientiſſimo, atque eruditiſſimo fraudi eſſe debeat, quod ei ita in vno ludere, & Dionyſium nobis alia, quam quæ locutus eſt, loquentem inducere aliquando libuerit. Sed aliquis hic forte paulo ſeverior iſta quidem nunc, & a Ieſuitis, & ab aliis etiam Latinis ita, vt diximus, fieri fatebitur; apud veteres, quorum ſæculo ſcriptor vixit, eadem factitata eſſe negabit. Itaque vt huic ſatisfaciamus, miſſis Ieſuitarum & Latino-

rum

rum recentium moribus, res ad prima Chriſtianorum ſæcula revocanda atque exhibenda eſt. Hic ego inprimis confiteor totam hanc novitiam iſtorum fallendi diſciplinam, a ſapientiſſima Chriſti Domini & Apoſtolorum diſciplina plane penituſque eſſe alienam; quibus nihil potius, aut inviolabilius fuit, quam ſimplex ſinceraque, ac nuda abſque fucis veritas, nihil tetrius & magis inviſum; quam mendacium. Caſtiſſimæ diſciplinæ capitales erunt ac inviolabiles hæ regulæ; *Deponentes mendacium loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Item. *Non eſſe facienda mala, vt veniant bona.* Hunc ergo Areopagiticorum ſcriptorem quiſquis de cætero fuit, & quocunque in loco, & tempore vixerit, graviter eo peccaſſe non nego in Evangelicam pietatem, quod aſſumpto Dionyſii nomine, alius quam qui revera erat, videri voluerit; multo etiam gravius, quod Dionyſio, ſub cuius perſona loquitur, multa & a doctrina, & ab oratione eius viri, quædam etiam ab eius ævo & hiſtoria valde aliena, præter verum a ſe (vt videtur) excogitata affinxerit; quæ res præterquam quod per ſe Chriſti præceptis adverſatur, multis inſuper non leve ſcandalum attulit, qui plurimas traditiones, & cærimonias, novas revera & inanes, iſtius figmentis decepti, antiquas & Apoſtolicas eſſe per ſummum & periculoſiſſimum errorem ſibi perſuaſerunt. Ergo ſi libere id quod res eſt, eloqui licet, fatendum eſt iſtum *putide* in iis, quæ narrat, plæriſque eſſe *mentitum*; *& mundo impoſturam*, quod ait Leſſius, *abſurda hypocriſi feciſſe*; adeoque quod dicit Halloixius, *fallaciæ, mendacij, etiam ſacrilegæ ſimulationis* reum eſſe, & quidem manifeſtum. Nam quæ de iis rebus fit *ſimulatio*, quas ſacras & inviolabiles eſſe decet, ea quin *ſacrilega* ſit, non equidem abnuo. Si quis vero ſit; qui abſurdum & quinti ſæculi moribus & fama indignum eſſe putet, virum aliquem, iam tunc apud Chriſtianos repertum eſſe, qui aſſumpta Dionyſii perſona, ea quæ diximus, fingere & mentiri auſus ſit; cum ego ad ipſorum veterum monumenta amandabo; ex quibus facile intelliget, quanto in errore & ipſe, & alii verſentur, quorum oculos veneranda antiquitatis ſpecies ita præſtringit, vt olim nihil niſi pie, caſteque ac veraciter, & plane ex Chriſti diſciplina factum fuiſſe ſomnient. Fateor nondum iſtis temporibus eo ventum fuiſſe impudentiæ, vt fraudes defenderentur, & quædam impune mentiendi ac fallendi ars & diſciplina conſtitueretur. Ea laus noſtri, id eſt vltimi ſæculi, homines manebat. Cæterum mature hunc errorem in quorumdam animos irrepſiſſe, vt exiſtimarent non eſſe flagitium quædam ad capiendos hominum, maxime exterorum, animos fingere; clarius eſt quam, vt negari poſſit. Nihil de hæreticorum prodigioſis in hoc genere commẽtis, ac figmentis dicam; Eorum enim non magis facta ac mores, quam dogmata & errores ad Eccleſiam Chriſtianam pertinent. Sed fuiſſe etiam non pauca Catholicorum in ea parte peccata, oſtendunt Sibyllarum oracula ſecundo jam ſæculo tam avide a noſtris excepta, quam erant inverecunde ficta; quorum illud magnæ imprudentiæ, hoc fraudis nimiæ

CAPUT XXXVIII.

Eph. 4. 25.

Rom. 3. 8.

CAPVT XXXVIII.

fuit;oſtendunt & Hermæ,Pauli diſcipulo,ſubditæ eodem fere tempore viſiones ; Clementi multa iam ante Origenem & Euſebium ſuppoſita. Morbum quarto quintoque ſæculo non imminutum,ſed auctum,& noſtrorum proſpera, proſperorumque luxuria comes ſuadent, & hiſtoriæ veteres teſtantur; in quibus non vnum reperias , qui ſibi etiam viventi ac valenti,ſuppoſitos alienos partus queritur. * Nihil ergo magnopere mirandum eſt quinto ſæculo,quo pręcipiti elucubratum,ac forte etiam editum Areopagiticorum opus cenſemus,extitiſſe hominem qui id ſibi negotii ſumeret , vt Dionyſii, jampridem mortui, nomine libros ipſe quoque conſcriberet,ac vulgaret; quemadmodum alii ſub aliorum nominibus jam antea luſerant. Sed Halloixius abſurdum, & incredibile putat *hominem doctum,& pium,& illuminatum* illa,quæ apud Areopagiticorum ſcriptorem leguntur,mentitum eſſe;quæ niſi vera ſint,aliud eſſe non poſſe exiſtimat,quam *impia ſomnia*,& *inuſitata mendacia*.Primo iſta *mendacia & ſomnia* eſſe facile concedo , eo ipſo quod ea non eſſe vera deprehendo; *Impia* cur ſint,non video;niſi forte,quod *impium* ſit de Deo , deque rebus divinis ſcribentem aliquid narrare, quod verum non ſit. Cæterum res ipſæ,quas iſte narrat, huiuſmodi ſunt, quæ per ſe ex Latinorum judicio,nihil de Deo , deque religione alienum continent;quæque ad pietatem,ſi veræ eſſent, conducerent, potius quam ab ea abducerent;ex eorum falſorum genere,quæ Mariana, etiamſi ea non credat,tradere tamen ſe in hiſtoria Hiſpaniæ profitetur, quod ea credi ad pietatem expedire putet. Fortaſſe idem fuit noſtri Areopagitici de iis quæ ſcribit,*ſomniis* judicium. Ejuſdem mendacia *inuſitata* eſſe fateor apud eos,qui integram & incorruptam Evangelii normam arcte tenēt; non apud eos certe,qui ſibi aliquid, quod fingi vel vtile, vel ſuave eſſe, putant,fingendum propoſuerunt;vt ex tam multis Poëtarum,Legendariorum, & aliorum id genus fabulatorum mendaciis patet. Iam neque illud vſquequaque verum eſſe, quod Halloixius fieri poſſe negat, vt homo *doctus & pius* talia litteris mandet.*Doctum* quidem non video,quid eum eſſe prohibeat,qui fabulas & fabuloſa ſcribit; neque Halloixium puto negaturum vel doctum fuiſſe Homerum & Ouidium , vel inſignem vtrumque fabulatorem;nequid de Valentino, & aliis quibuſdam Gnoſticis & Fauſto Manichæo dicam;quos fabulas cum eſſent doctiſſimi,innumerabiles ſcripſiſſe conſtat. Vere, & plane ex Chriſti norma *pium* , mendacia minime ſcripturum,qualia ſcriptoris noſtri ſunt, Halloixio aſſentior;*Pium* ex vulgi ſenſu, id eſt hominem non modo a religione, quod impiorum eſt, non abhorrentem, ſed etiam aliquo in eam zelo tametſi quod ait Paulus;*non ſecundùm ſcientiam*; eum inquam hominem a fingendo, & fabulando non poſſe nón abſtinere adeo falſum eſt, vt nulli fere ſint ad fingendum promptiores, quam qui ſunt huius cenſus;a quibus maxima earum fabularum pars reperta & ſata eſt, quæ Græcorum, Latinorumque Legendas, & pæne totam eorum religionem inundarunt. Hoc vel iſte vnus nos Halloixius, ſi aliunde neſcire-

*Vt Hier. Apol. contr. Ruff. L.2. vt Greg. I. Epiſt. L.10. ep.69.

Mariana Hiſt. Hiſp. L.15. c.6. & L.30. c.15. & L.10. c.4

Rom. 10.2.

mus,

mus, nunc abunde docere poterat; qui quam ſit φιλόμυθον illud *piorum* quorum ipſe vnus eſt; genus, fatetur grandi illo de *Vita Dionyſii* conſcripto volumine, quod pæne totum fabulis vt ad faſtidium ineptis, & ad indignationem impudentibus, opplevit. Sed hoc quoque in iſtius argumento perridiculum eſt; quod hominem cætera plane ignotum, eo duntaxat excepto, quod eum hos libros ſcripſiſſe ſcimus, certiſſime affirmat non ſimpliciter, ſed valde *doctum & pium & illuminatum fuiſſe*. Vnde enim hoc ſcit? Vbi legit? A quo didicit? *Scripta ejus* (inquit) *meram ſpirant pietatem, modeſtiam, gravitatem, ſanctimoniam*; & mox; *Ille ſe* (inquit) *doctum, & pium, & illuminatum ſcribendo præſtat*. Quaſi vero hominum ſcriptis mores ſemper congruant; ac non ſæpe a ſermone vita plurimum diſſentiat! quaſi quis ſe pium *ſcribendo*, ac non potius *vivendo* præſtet! Nam illud quidem, quod iſte dicit ſuum pſeudo-Dionyſium *ſe illuminatum ſcribendo præſtare* fateor me neſcire quid ſit. Fortaſſe hoc obſcuri ſermonis vitium a ſuo Dionyſio contraxit. Sed hoc a ſcriptis ad vitam, & ad mores argumentum eo minus in Areopagiticorum opere valet, quod ea quæ ſcripſit, Dionyſii nomine ſcripſit; quem cum ſanctiſſimum virum fuiſſe ſciret, non aliter ſimulare, ac affingere ſe poſſe intelligebat, quam ſi ſanctitatis ſingulare vbique ſtudium præ ſe ferret: Itaque qui hoc haberet in his ſcribendis libris animo propoſitum, eum profecto neceſſe fuit ſi vel profanus & impius ipſe eſſet, virum bonum, & pium toto opere adumbrare, ac ſimulare. Quod ergo hæc ejus ſcripta *meram ſpirant pietatem, gravitatem, & ſanctimoniam*, *neque vllum prorſus aut levitatis aut vanitatis ſeu fumum, ſeu fimum redolent*; id inquam, arguit auctorem non fuiſſe ſtultum, aut imperitum hac in parte fingendi & ſimulandi artificem; non arguit bonum & ſanctum virum fuiſſe; & qui hoc ex illo colligit Halloixius, perinde mihi facere videtur, ac ſi pictorem, a quo egregie in tabula penicillo, & coloribus expreſſa, ſimulataque eſſet religioſi ac ſancti alicuius hominis modeſtia, humilitas, pietas; & religio, ex eo opere argumentaretur *valde pium, modeſtum, religioſum*, ac *humilem ipſum fuiſſe*. Neque hæc eo dico, quaſi horum librorum ſcriptorem profanum & atheum, vel perditum aliquem moribus diſſolutis decoctorem, aut nebulonem fuiſſe putem. Abſit; Tam multa, quæ compoſuit, & quidem omnia de Chriſtiana religione, oſtendunt hominem fuiſſe & eruditum & Chriſtianorum ſacrorum ſtudioſum, & zelotem; non tamen tantæ vel doctrinæ, vel eloquentiæ, quantam iſti in eo fuiſſe putant, neque zeli ſatis recti, qui illiberali, & a Chriſtianiſmi ſimplicitate aliena fraude, ſe alium eſſe finxit, quam qui revera erat.

CAPVT XXXVIII.

CAPVT XXXIX.

Solvitur Leſſij objectio; cur ſcriptori ſua illa opera, in alterius potius quam in ſuum nomen tranſcribere libuerit, ex quibus ei magnam laudem & gloriam ſperare licebat?

SEd hic quærit Leſſius cur *& quo fine hoc fecerit*? Et cur ſub alieno potius nomine deliteſcere, quam ſuum edere maluerit? Potuiſſe enim eum qua erat doctrina & facundia; *veritatem patefaciendo maximam ſibi gloriam toto orbe, & omnibus ſæculis duraturam comparare*.

Bar. a. D. 109. §. 58. Hæc ille. Baronius ante Leſſium eadem objecerat. Ego vero primo reſpondeo fruſtra nunc quidem quæri quo conſilio ſcriptor fecerit, quod feciſſe eum tenemus. Eſt enim invictis, perſpicuiſque rationibus demonſtratum, non eſſe hunc, quem ſe videri vult, Dionyſium. Neque ſi nullam conſilii huius rationem afferre potuero, eo fiet, vt factum ab eo non fuerit, quod factum eſſe conſtat. Leſſius opinor, concedit, quod Bellarminus, & Baronius, & omnes eruditi magno conſenſu confitentur, ſpurium & falſi nominis eſſe id *Recognitionum*, ſive περιόδων opus, quod jampridem ab ipſis Origenis temporibus, ſub Clementis nomine circumfertur. Auctorem apparet fuiſſe doctiſſimum; in philoſophia, & in liberalibus diſciplinis egregie verſatum, eloquio facilem, quod vel ex Latina interpretatione, quam nunc duntaxat habemus, judicare licet. Nam Græca, ſi extarent, non dubito, quin multo etiam certius atque evidentius de auctoris ingenio & eloquentia teſtimonium nobis præbitura eſſent. Photius certe, qui viderat, judicat id opus *perſpicuitate ac gravitate, adhæc paritate & vehementia, alijſque orationis dotibus, rerum item variarum doctrina tantum Conſtitutiones Apoſtolicas ſuperare, nulla vt hos inter libros comparatio, quod ad ſermonem, vel quod ad litteras, & eruditionem pertinet, fieri debeat.* συγκρίσει τῇ κατὰ τοὺς λόγους.

Phot. Bibl. cod. 112. 113.

Quæro nunc a Leſſio, cur, & quo fine operis ſcriptor Clementis nomen, ſuo occultato ijs libris præſcripſerit; vnde gloriam non mediocrem ſperare poterat, iis quas diximus, dotibus inſtructus, ſi nomen ſuum edidiſſet? Nam eruditione, & facundia, quin Dionyſium longe ſuperet, non puto quemquam dubitationem; ſi eos exceperis, qui ſpumis, ſoniſque dithyrambicis, & grandi, ſed inani verborum pompa, & frigidis huiuſmodi puerorum deliciis capiuntur. Fallor; aut difficile erit veram conſilii in ſpeciem abſurdi rationem reperire; Neque tamen quisquam ambigit, quin iſte, quiſquis ſit, Clementi opus ſuum ſuppoſuerit. Hæc quidem ad ſolvendam Leſſii objectionem ſatis ſunt; maxime cum obſcuræ ſint, & indagatu difficiles humanorum conſiliorum rationes; præſertim eorum, quæ ex errore aliquo proficiſcuntur, atque ſuſcipiuntur. Nemo enim neſcit quam ſit error multiplex, & vagus, ac pæne infinitus. Hoc autem libros hujuſmodi ſub alieno nomine ſcri-

bendi conſilium, ab aliquo mentis errore eſſe profectum, conſtat; quod nulla ſit ſcilicet mentiendi vera ac legitima ratio. Nequid tamen omittam dicam paucis, quid mihi hac de re attentius cogitanti vtrumque ſcriptorem eo impuliſſe videatur, vt *Clementis* alter, alter *Dionyſii* nomen, ſuo vterque ſuppreſſo, operibus ſuis præſcripſerint. Vetus illa fuit Paganorum, vt ex Origene, & aliis conſtat, in Chriſtianum nomen obtrectatio, quod noſtræ diſciplinæ auctores ac principes, illiterati ac rudes homines fuerint; vt ex ipſis eorum libris apparet, ſimpliciſſime, ac idiotarum pæne in morem ſcriptis; quo fiebat, vt cœleſtem ſapientiam homines ingeniis cultiſſimis, & longo artium ſæcularium ſtudio expolitis aſſueti, faſtidirent ac deriderent. Noſtri, vt huic Gentilium faſtidio occurrerent, & ſi poſſent, mederentur, multa moliti ſunt. Alii quidem, quod res eſt, hoc ipſum quod crimini vertebatur, clariſſimum Evangelicæ divinitatis argumentum eſſe demonſtrabant; Alii vt Origenes, multis de copioſiſſimo ſuæ omnijugæ eruditionis pænu comportatis, diſſerebant ſub hoc ſimplici divinorum ſcriptorum cortice immenſas cœleſtis ſapientiæ opes latere, & noſtra rationibus e media philoſophia petitis illuſtrabant. Hi duo, quod ne ſic quidem Paganis plane ſatisfieri cernerent, vt omnem de eorum animis ſcrupulum eximerent, rem alia via aggreſſi ſunt; profeſſi, ne primis quidem Chriſtianiſmi præconibus ſæculi vel ſapientiam, vel facundiam defuiſſe; quod vt hominibus perſuaderent, libros eorum nomine, ſed ad philoſophorum morem erudite & diſerte ſcriptos ediderunt; vt ex his omnes intelligerent primos illos nominis noſtri propagatores non fuiſſe omnes illiteratos, & rudes. Ac prior quidem *Clementi* ſuum opus, velut auctori, tribuit; quem ſcilicet hominem Romæ, & quidem in honeſtiſſima familia natum, ac educatum probabile erat illis ſæculi diſciplinis fuiſſe exultum. Noſter vero *Dionyſii*, & Athenienſis, & Areopagitæ nomen, veluti ſuo inſtituto conſentaneum ſelegit, quod viro in vrbe & philoſophiæ, & eloquentiæ, & omnium denique litterarum principe, dignitatem haudquaquam vulgarem aſſecuto, illam Platonicæ ſapientiæ, & quæſitiſſimæ elocutionis ideam, quam diligenter ac plane anxie conſectatur, maxime convenire arbitraretur. Alia præterea ſunt, quæ homines ad hoc alieni nominis furtum impellunt. Narrat Tertullianus extitiſſe jam ante ſuam memoriam quandam *Scripturam Paulo perperam adſcriptam*, *presbyterum in Aſia convictum, & confeſſum eſſe eam a ſe conſtructam*, *quaſi titulo Pauli de ſuo cumulatam*, idque *ſe amore Pauli feciſſe*. Addit hominem ob eam culpam *loco deceſſiſſe*; id eſt presbyterii honore, ac munere multatum eſſe. Vtinam eadem diſciplinæ ſeveritas in ejuſdem criminis reos conſtanter apud Chriſtianos manſiſſet! Sed illud quod ad rem noſtram eſt, duntaxat nunc obſervo, fieri potuiſſe, vt ſcriptorem illum noſtrum ſimilis Pauli amor ad hoc ſuum inſtituendum drama commoverit, ſperantem fore, vt aliquid ad Apoſtoli gloriam accederet, tum ex illa ſingulari ſapientiæ, atque eloquentiæ forma, qua ſpe-

CAPVT XXXIX.

Tertull. de Bapt. c.17. p. 263. c.

CAPVT XXXIX. ctandum Dionyſium potiſſimum exhibet, & ex iis laudibus, quibus Timotheum paſſim ornat, diſcipulorumque decora magiſtri nomini novum lumen adjectura. Denique tanta eſt animi humani vanitas, tam vaga, tamque late patens libido, vt quid quemque ad aliquid gerendum aut moliendum exciverit; non in iſtis modo, quæ rara ſunt, & præter conſuetum ordinem, ſed etiam in quotidianis & familiaribus rebus, nemo etiam acutiſſimus, non dico aſſequi & certo comperire, ſed ne conjicere quidem, aut ſuſpicari poſſit. Dicat nobis Leſſius quid majorum noſtrorum memoria Annium quemdam Viterbienſem commoverit ad ſuos partus antiquiſſimo auctori Beroſo Chaldæo ſupponendos? Expediat, ſi poteſt, tam abſurdi figmenti rationem? Cur *& quo fine* homini ignoto, remotiſſimi & loci, & ſæculi, ſuas lucubrationes commodare in animum induxerit? Cur operis & laboris ſui laudem & gloriam ſi qua erat id conſecutura (quod iſte proculdubio futurum ſperabat) alieno nomini ceſſit? ſuo invidit? Nullam inveniet tam ſtulti, tamque abſoni in ſpeciem facti rationem probabilem. An ideo illa ſcripſiſſe Annium negabit? Beroſum affirmabit? Non faciet. Illa enim Beroſum minime ſcripſiſſe apud omnes cordatos ex rebus ipſis certiſſimum ac compertiſſimum eſt. Atqui plane eadem eſt Leſſii nobiſcum de Areopagiticis ratio. Quæ nos certis & claris argumentis non eſſe Dionyſii, non oculis modo cernimus, ſed etiam manibus (vt ſic dicam) tenemus & palpamus, ea iſte Dionyſii eſſe decernit, niſi rationem aliquam certam, & quidem juſtam ac legitimam attulerimus, qua ille, qui libros ſcripſit, merito fuerit permotus ad ſurripiendum & operi ſuo præfigendum Dionyſii nomen. Hac lege non modo Beroſo Anniana vindicabit; ſed & Proſpero Fæſulano, viro ſcilicet Ciceroniani ævi, aſſeret illa, quæ ejus nomine inſcripta ante paucos annos apud Hetruſcos in agro Fæſulano a Curtio Inghiramio reperta, & oſtenſa ſunt. Etruſcarum antiquitatum fragmenta; neſcio cuius maleferiati hominis arte, ac manu multis loculis, multiſque integumentis atque involucris ſepulta. Quid iſte quæſo ſibi volebat? Quid quærebat? Quid petebat? Quod ſibi triſtiſſimi, ac ineptiſſimi laboris præmium expectabat? Gloriam-ne? An lucrum? An aliquam voluptatem? Difficile eſt dicere. Quid enim inde gloriæ aut lucri, aut voluptatis ad ſe rediturum ſperaret, qui & opus totum, & omnes operis fructus abdicarat, & in alienum neſcio cujus veteris Fæſularum civis omnibus hominibus ignoti, nomen ſuo plane penituſque ſuppreſſo, tranſcripſerat? Quid ergo fuit? Nam aliquid fuiſſe, quod iſte ſpectarit, neceſſe eſt; neque enim aliter homines, mentis quidem compotes, ad quidquam gerendũ cientur. Fateor aliquid fuiſſe. Quid fuerit, neſcio; neque enim divinus ſum, qui quid homines in pectore clauſum geſſerint, aperiam; præſertim vero iſti, quorum abnormis, & a communi ratione, toto quod aiunt, cœlo remota fuit ſapientia. Niſi forte hoc ipſum iſtos juvaret, quod fallerent; eoſque jam animo præcepta hæc ſpes delectaret, fore vt populo imponerent, & *Dionyſii*

Athe-

Athenienſes, *Beroſi* Chaldęi, *Proſperi Fæſulani* eſſe viderentur, qui longe alii erãt. Ea enim humani ingenii vanitas eſt, vt multi ſe cæteris præſtare putent, ſi eos fefellerint. Eo fit, vt ſe gaudeant aliis impoſuiſſe; hoc veluti quodam ſuæ præ iis excellentiæ argumẽto fruentes. An quod nemo fere eſt, cui dulce non ſit ſua laudari, iſti ſuis operibus ea nomina dederunt, quæ majorẽ iis quam ſua, gloriã allatura putarunt? Quæ ſane ſpes, atque cogitatio, noſtrum Areopagitam, ſi eſt ejus animo aliquando obverſata, minime fefellit. Quę enim opera, ſi cũ auctoris nomine eſſent edita, vel ob tetrã illã, qua laborant, obſcuritatem, vel ob elocutionis vitia quibus ſcatent, a plæriſq; ſpreta, viluiſſent, breviq; vt probabile eſt, ingloria intercidiſſent, ea vnũ Dionyſii præfixũ nomẽ eo gloriæ evexit, vt ſi Apoſtolicos exceperimus, nulli fere libri ſint majoris apud pleroſque Chriſtianos pretii, quã iſti. Fateor hunc honorẽ Dionyſii verius eſſe quã auctoris; vt Iſidis erat, nõ aſini, qui eã vectabat, religioſus Iſiacorũ cultus. Sed nemo neſcit noſtrum genus falſis ſæpe nõ minus, quam veris honoribus capi. Quamquã neque negari poteſt hanc qua libri fruuntur, gloriã, non ita eſſe Dionyſii, vt nõ ſit etiam auctoris. Quicquid enim dixeris, auctoris, nõ Dionyſii, ſunt ipſa illa, quæ laudantur; quæ Gręci Latinique veluti quædã oracula ſuſpiciunt, ac venerantur. Auctor ſi nunc viveret, res ſuas ſub illa, quã iis impoſuit, Dionyſiani nominis larva recognoſceret. Sibi tã fœlicem dolũ gratularetur, Gauderet ſui conſilii, eũ quem optaverat, fuiſſe exitum; ſibi id ingenii, ſolertiæque fuiſſe, vt vnus omni pæne hominũ generi imponere potuerit; lætus iis honoribus frueretur, quos ſibi ſub alieno nomine tribui paſſim cerneret; Dionyſios Rhetoras, Maximos Pachymeras, & alios de ſuis cõmentantes, myſteria in ſingulis venantes, ſuorũ dictorũ ſapientiã admirantes; omnes vbique ſuis ſacris applaudentes, jucunde neque invitus credo, neque triſtis cerneret; Noſtra etiã de ſe certamina, & Ieſuitas, invictos gladiatores, pro ſuæ mentis gloria animoſiſſime pugnantes, & ſciſſũ in contraria ſtudia orbẽ de ſuis opuſculis acriter cõfligere, quanto cũ pectoris gaudio tacitus ipſe, & ignotus ſpectaret? Iſta fateor; nõ vidit; ſed aliquid tamẽ ſimile jam tũ animo præcipere, ac ſperare potuit. Hominũ autẽ animos ſpes ad audendum haud ſegnius irritat, quam lætus rerum exitus afficit ad gaudẽdũ. Fluxa, in quis, & evanida; & incerta omnia. Fateor; ſed huiuſmodi tamen quibus hominũ animi facillime ac potentiſſime in omnẽ partem cõmoventur; neque ſi bene reputes, alii ſunt illi venti, qui tot tantoſque quotidie in hoc rerũ humanarum, vt ſic dicã, mari motus æſtuſque ciẽt. Ergo his, licet vaniſſimis vel omnibus, vel quibuſdam facile noſter ille ſcriptor impelli potuit, ad ſua illa Dionyſio cõmodãda; qualiter alios pęne innumerabiles iiſdẽ vel ſimilibus cauſſis cõmotos ſua alienis nominibus ſuppoſuiſſe videmus. Denique nihil neceſſe eſt ad iſta (in hac quidẽ cauſſa) confugere. In promptu eſt ratio, quæ & noſtrũ, & plæroſq; alios hujus generis impoſtores ad fingendum impulit; nimirum vt antiqui, & Apoſtolici hominis auctoritate, quę ipſi probant, ac invaleſcere cupiũt, vel

CAPUT XXXIX.

CAPVT XXXIX.

vel dogmata, vel inſtituta, commĕdent. Hic quidĕ quo tendat in majori librorum ſuorum parte, manifeſtum eſt. Totus eſt partim in explodĕdis quibuſdam diu poſt Apoſtolos exortis hæreſibus; & maxime quidem, vt cenſet Morinus, in Anthropomorphitarum delirio oppugnădo, ac cōfodiendo; partim vero, vt apparet, in deſcribendis ſolennibus ſuo ævo apud Chriſtianorū ſacra ritibus & cærimoniis. Hæretici ſcripturæ voces ſuis gloſſis multipliciter involvebant, & ea verba, quibus Synodi ad eos damnandos vſæ erant, ipſi in ſcripturis extare negabant. Cærimonias vero, quę facto, velut, agmine, plurimę quarto ſęculo in Eccleſiam irruperant, ſcripturæ auctoritate carere manifeſtum eſt; Vnde factum eſt, vt quaſdā non pauci jam olim repudiandas eſſe cenſuerint. Hęc cū videret Areopagiticorum artifex, bene ſe de re Chriſtiana meriturum ſperavit, ſi illa omnia jam ab ipſis Apoſtolorū temporibus apud Chriſtianos nota, & familiaria fuiſſe hominibus tum ævi ſui, tum poſteris perſuaderet; ſic enim compendio & omnem hæreticorum proterviam reprimi, & ſacroſanctam rituum majeſtatem aſſeri, atque affirmari poſſe. Tanta ſpe excitum hominem, quis miretur ſua Dionyſio accommodare, & gloriolæ, quæ ad ipſum ex his ſcriptis erat redundatura, jacturā facere, & aliquo ſui nominis damno tantam vtilitatĕ redimere voluiſſe? Faceſſant ergo cum ſuis argutiis Halloixius, & Leſſius. Nulla ratio eſt, cur inanibus eorum interrogatiunculis turbati, id quod tenemus, de manibus dimittamus. Quicquid enim Ieſuitę diſputent, vel interrogent, is profecto ſcriptor Dionyſius Areopagita eſſe non poteſt, quem omnes ad ſextum vſque ſæculum Chriſtiani Græci Latinique pariter neſciverunt; quem poſt Dionyſii, imo etiam poſt Ignatii martyrium ſua ſcripſiſſe conſtat; quem videmus eas cærimonias, eaſque res cognitiſſimas habuiſſe, commemoraſſe, etiam accuratiſſime deſcripſiſſe, & eas voces phraſeſque vſurpaſſe, quæ omnes diu poſt Trajani, quædam poſt Hadriani, non paucæ poſt Conſtantini, imo & Theodoſii vtriuſque imperium noſci apud noſtros, celebrarique, ac frequentari cœperunt, quem denique ab hominum Apoſtolicorū more, ſpiritu, ipſo etiam ſermone plane penituſque abhorrere intelligimus. Quæ omnia cum ſint a nobis luculentiſſime in ſuperioribus demonſtrata, hanc tandem diſputationem concludamus; & miſſo hæreticorum Severianorum ęrrore, qui a. D. 532. hos libros Dionyſio primi attribuiſſe reperiuntur, priſcam Catholicæ Eccleſiæ, eos velūt incertos, ſpurios, & apocryphos ante annos 1127. repudiantis, ſententiam, ore Hypatii primum prolatam, piorum mox ſuffragiis ac argumentis ſeptimo, nonoque ſæculis comprobatam, a multis Latinarum partium eruditiſſimis ac celeberrimis viris etiam nuper, etiam hodie aſſertam, ac temporum, & rerum, & ipſius denique ſermonis rationibus conſentaneam, arcte teneamus.

Morin de Ordin. Part. 2 c. 2. §. 8. p. 33. E.

LIBER

FINIS.

LIBER SECVNDVS.

DE IGNATII EPISTOLIS.

CAPVT PRIMVM.

Duas fuiſſe Ignatij editiones; priorem ſex; poſteriorem duodecim, imo & quindecim epiſtolis conſtantem. Quæſtio de ijs duplex: Iª. An vtraque eiuſdem auctoris? IIª. An vtraque, an ſaltem prior Ignatij? De quæſtionibus tres ſententiæ; duæ extremæ; tertia media. Baronij de Ignatianis vanitas, omnia probantis, & incorrupta eſſe iactantis. De iiſdem, modeſtiora aliorum Latinorum judicia, Nancelij, Mæſtræi, Bellarmini, Halloixij, maximè vero Petavij.

DE DIONYSIO diximus. Alter ſuccedit labor, Ignatius. Ac Dionyſius quidem ille, quem confecimus, quiſquis fuit, certe vnus fuit; vnius & coloris, & ſpiritus totus. Ignatius, non vnus, neque ſimplex; ſed multiplex eſt, ac vt ſic dicam, bicorpor; qualis de fabulis Geryon; niſi quod hic tria. Ignatius duo tantum habet corpora. Eſt & aliud diſcrimen, quod Geryoni, quicquid corporum fuit, id totum ab ortu ſimul ſemelque fuit; paruum primo, ſed tamen iam tum multiplex, inde ſenſim ad legitimam tergemini viri molem provectum. In noſtro Ignatio aliud prodigium cernitur. Nam cui, cum primum naſceretur, & diu poſtea cum adoleviſſet, vnum ac ſimplex corpus, & quidem ſatis puſillum fuit, & poſtquam grandis natu, ducenteſimum credo, ætatis annum ſupergreſſus eſſet, alterum neſcio vnde multo majus, & plane abnorme corpus repente accrevit, ſeque priori non tantum applicuit, atque agglutinavit, ſed etiam quodammodo infudit, vt illius quoque, poſtquam ei alterum acceſſit, membra, multo, quam hactenus fuerant, ampliora eſſe cœperint. Teſtantur, qui olim viderunt, antequam eſſet ducentenarius, homines antiquæ fidei, qui ſe in eo negant quicquam iſtius novi corpo-

CAPVT I. ris animadvertiſſe, quod nos nunc quidem ei accreviſſe oculis noſtris credimus; diem, locum, modum, quo id factum eſt, non ſatis capimus. Erit fortaſſe, cui quod dixi, niſi explicavero ænigma videbitur. Idem ergo, ſed clarius accipe. Hic Ignatius, de quo diſputare aggredior, fictus quidem, æque ac Dionyſius, ſed eo tamen annis pæne ducentis vetuſtior, cum primum extare, conſpici, ac legi cæpit, totus ſex, ſeptem-ve ad ſummum epiſtolis conſtabat. Euſebius, qui in lucem erumpenti a. D. circiter 330. obſtetricatus eſt, non plures numerat.

I. ad Epheſios
II. ad Magneſianos
III. ad Trallianos
IV. ad Romanos
V. ad Philadelphienſes
VI. ad Smyrnæos
VII. ad Polycarpum, tametſi, & hanc viri eruditiſſimi non aliam eſſe putent, quam eam ipſam, quæ ad Smyrnæos ab Euſebio memorata eſt. Neque alias, quam has ipſas, a ſcriptoribus Euſebium ſecutis, Athanaſio, Hieronymo, Theodoreto, Gelaſio P. R. I. ad a. D. 500. citatas, vel agnitas reperimus. Quin & ea loca, quæ quinque illi auctores ex iis laudant ac deſcribunt, aperte oſtendunt eas alias tum fuiſſe, quam nunc ſunt. Sed ante annos non multos fœliciter accidit, vt in Anglia quidem optimus, ac doctiſſimus, neque vnquam ſine laude nominandus Iacobus Vſſerius, Armachanus Epiſcopus; in Italia vero Iſaacus Voſſius, magno patre digniſſimus filius, codicem vterque veterẽ nanciſcerentur, ille Latinũ hic Græcũ; in quibus hæ ipſæ epiſtolæ deſcriptæ erant; plane quales Euſebii, Athanaſii & cæterorum, quos diximus, ævo extitiſſe veriſimillimum eſt, iis, quæ hodie excuſæ vulgo habentur, multo breviores ac ſimpliciores. Hoc vnum fuit, & quidem prius, Ignatii noſtri epiſtolici corpus, in quo annos circiter ducentos, quantum conjicere licet, ad ſextum Chriſtianiſmi ſæculum vixit. Sed & hoc ipſum circa illa tempora varie fuiſſe amplificatum, mutatum & interpolatum, & adjecto altero totidem novarum epiſtolarum corpore auctum, tum ex illius, & ſequentis memoriæ auctoribus tum ex vulgatis Græcis, Latiniſque Ignatii exemplaribus intelligimus. Novæ autem illæ Epiſtolæ ſunt.

I. ad Mariam Caſſobolitam.
II. ad Polycarpum (vt Reverendo quidem Vſſerio placet)
III. ad Tarſenſes
IV. ad Antiochenos
V. ad Heronem
VI. ad Philippenſes.

Quibus a recentioribus vt videtur, Latinis tres aliæ inſuper adjectæ ſunt.

VII. ad Virginem Mariam CAPVT I.

VIII. } ad Ioannem Apoſtolum.
IX.

Hoc ſecundum eſt Ignatii, quod dixi, corpus. Ex his ergo duobus corporibus, alio atque alio ſæculo conceptis ac natis, poſtremo inter ſe copulatis, ac conjunctis coagmentatus eſt bicorpor ille noſter epiſtolicus Ignatius. Vnde duplex exoritur de vtriuſque corporis, ex quo nunc ille conſiſtit, origine, parente, ac natalibus quæſtio; Prior quidem an hoc ſecundum, novem epiſtolis novis, & ſex veterum auctariis conſtans, corpus ejuſdem ſit parentis, cujus illæ ſex priores ſunt epiſtolæ, ab Euſebio & Hieronymo memoratæ; ab Athanaſio, Theodoreto, & Gelaſio laudatæ? Altera vero quæſtio eſt, an prioris corporis, quod ſex, ſeptem-ve ab Euſebio memoratas epiſtolas continet, vere auctor ſit vir ſanctiſſimus Ignatius, qui anno Trajani 11. Chriſti vero 107. martyrium Romæ fecit? De his quæſtionibus duæ ſunt ſententiæ extremæ; vna media. Nam de vtraque ſimpliciter, & Latini (hactenus quidem certe) aiunt, & noſtrorum multi, negant: De priori, negant Reber. Vſſerius, doctiſſ. Voſſius & alij: De poſteriori, iidem aiunt. Omnes epiſtolas vnius ejuſdemque eſſe auctoris, & hunc auctorem vere eſſe Martyrem Ignatium vtrumque hoc inquam, Latini quidem affirmant, noſtri vero plerique negant. Prius, viri illi doctiſſimi nobiſcum negant; poſterius diſtinguunt, epiſtolarum ſex primas, ab Euſebio memoratas, Ignatii germanas eſſe concedunt; Cæteras, negant; ab impoſtore ſexto circiter ſæculo fictas, & quæ veræ ac genuinæ ſunt, eas ab eodem quoque multipliciter iiſdem temporibus interpolatas fuiſſe opinantur. Baronii ex Latinis mira eſt de his ſuis Ignatianis confidentia. Nam vbi Romanũ Ignatii ad martyrium iter deſcribit, poſtquam vtriuſque ordinis omnes duodecim ſigillatim enumeravit (de tribus poſtremis ad Mariam Virginem, & ad Ioannem, nihil ibi dicit) ſeptem quidem primas, veluti ab Euſebio memoratas, plane indubitatas eſſe ſtatuit; de quinque vero ſequentibus de quibus nihil neque Euſebius, neque Hieronymus tradiderunt, eas ait *iudicio omnium eruditorum, ſtilo, charactere; aliiſque compluribus notis verborum, ſententiarum, ac rerum ex ſeptem illis, omnium auctoritate probatis epiſtolis, certam ſibi vendicare fidem; adeo vt nulla manifeſtior, vel vehementior de earum integritate poſſit afferri probatio, quam ex reliquis epiſtolis eiuſdem Ignatij; conteſſeratione & connexione quadam ſibi invicem omnibus cohærentibus, vt nulla prorſus* (inquit) *de impoſtura poſſit oriri ſuſpicio.* Ac primas quidem ſeptem a Polycarpo collectas fuiſſe, & ad Philippenſes miſſas; hos Philippenſes quatuor inde ad Eccleſias, & ad ſe ipſos ſcriptas Polycarpianæ collectioni adjeciſſe; atque ita jam tum duo illa Ignatii corpora in vnum coaluiſſe; epiſtolam ad Mariam Caſſoboliten neſcio quando poſtea huic quoque collectioni fuiſſe inſertam. Hæc executus, multum ſibi, Latinæque Eccleſiæ de hoc Theſauro gratulatur; *Magna quidem*

Baron. a. D. 109. §. 10. 15. 16. 17. 19.

ibid. §. 19.

ibid.

CAPVT I. (inquit) *in primis Dei providentia factum eſt, vt numeratæ omnes epiſtolæ ab Ignatio ſcriberentur; ſed & admirando plane divino conſilio procuratum, vt inter tot tantaque naufragia ſcripturarum, eædem ad noſtram ætatem incorruptæ, atque integræ ſervarentur.* In illis *Orientalis Eccleſiæ faciem propemodum vivam reddi; nec tantum res tunc geſtas, ſed & Eccleſiaſticam diſciplinam, & mores, & Apoſtolicas ipſas traditiones Apoſtolicarum Eccleſiarum, velut in tabula quadam, eruditæ manus penicillo, haberi expreſſas.* Dicit in his *epiſtolis vivum exemplar Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ ab Ignatio in vinculis conſtituto, affabre exculptum eſſe, ac demum glorioſo martyrio conſummatum, ad quod omnes Novatores hæreticos provocat.* Alibi prædicat hunc ſuum epiſtolicum Ignatium *omnibus numeris eſſe abſolutiſſimum; in quo nihil amplius deſiderari poſſe videatur; vt merito eundem præ cæteris auſcultemus, & quæ ab eo ſcripta ſunt, amplectamur, atque cæteris anteponamus;* & *queritur, quod non omnes Ignatium, tanquam divinum oraculum, audiant.* Sed & alio in loco ſcribit *harum epiſtolarum firmiſſimam ſemper in Eccleſia fuiſſe fidem, nec ab aliquo vnquam in dubitationem vel levem adductam;* † & iterum ad eundem Chriſti annum has Ignatii *epiſtolas nulla vnquam fuiſſe vel levi ſaltem labefactatas ſuſpicione, vt nec eo certior, aut dignior teſtis adduci poſſit;* & paulo ante dixerat *neminem ſua ſententia de his, quæ ab Apoſtolis agerentur, ac per eos inde Eccleſiæ traderentur, hoc ſuo Ignatio teſtem fideliorem adhiberi poſſe videri.* Sic etiam alibi confidentiſſime affirmat, [a] *has Ignatij Epiſtolas, nullo prorſus diſſentiente, Catholicam ſemper ſuſcepiſſe Eccleſiam.* Idem denique in alio loco aperte gloriatur [b] *has eius epiſtolas omnium ſanctorum Patrum, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probari.* Atque hæc quidem de ſuis Ignatianis Baronius; quorum quanta ſit novitas, patet. Nam Concilium quidem (quod jam eſt a Reber Vſſerio obſervatũ) [c] plane nullum eſt, quod vllius Ignatianæ epiſtolæ meminerit; neque vero Patres vſque ad ſextum ſæculum meminerunt, niſi pauci, quique *numero vix ſunt totidem, quot Thebarum portæ;* & quidem omnes poſt Euſebium denati, vt poſtea demonſtrabitur. Sed quod idem jactat *integras & incorruptas epiſtolas ad noſtram ætatem* ſervatas eſſe; id vero immanis eſt, neque ferendæ impudentiæ. Nam quis neſcit loca ab Athanaſio, Theodoreto, & Gelaſio & his epiſtolis laudata alia ab iis eſſe, quæ in vulgatis hodie habentur. Vnum inſignem a Theodoreto ex epiſtola ad Smyrnæos citatum eſſe, cuius in codicibus vulgatis Græcis, & Latinis, quibus vtebatur Baronius, nullum extat veſtigium? Si quis dubitat, optimum ac doctiſſimum Vſſerium Armachanum Epiſcopum, adeat, loca vtraque diligentiſſime, vt ſolet, inter ſe comparantem. Ac ſi quis ſuperſit ſcrupulus, vulgatam Ignatii Græcam Latinamque editionem ab eodem Epiſcopo inſtitutam inſpiciat, & cum altera illa vetuſtiſſima Latina, quam in antiquis duobus codicibus reperit, Voſſianæ Græcæ conſentanea, comparet; Videbit nullum extare ſcriptorem veterẽ, qui corruptior, inquinatior, pluribus,

Bar. A.D. 109. §. 20.
ibid. §. 32.
Id. a. D. 34. §. 177.
† Id. a D. 57. §. 55.
Ibid. §. 193.
Ibid. §. 194.
a Id. a. D. 44. §. 77.
b Id. ad Martyrol. Rom. d. 1. Febr. Not. 1.
c Vſſer. Proleg. Ignat. c. 3. p. 14.

pluribus, aut maioribus vulneribus deformior ad nos pervenerit, quam iſte epiſtolicus Baronii Ignatius. Sunt inter ipſos Latinos non pauci; qui multo de his, quam Annaliſta, verecundius, ac verius, judicarunt. Nicolaus Nanceſius iamdudum de vulgata Latina (id eſt ipſa illa Baroniana) Ignatii interpretatione hæc erat profeſſus, [d] *De Veteri* (inquit) *Latino Ignatio ſic habe: pleraque adiecta, aut falſa, aut ſuſpecta, quæ Græci codicis, & rei veritas improbat.* Martialis Mæſtræus, has epiſtolas, tametſi *germanas, ac vere aureas* eſſe prædicet, ſcribit [e] tamen *ab hæreticis, & Græculis poſterioribus alicubi interpolatas & depravatas fuiſſe.* Bellarminus in Græcis epiſtolarum codicibus *multos errores eſſe* agnoſcit, [f] idque ait *deprehendi ex noſtrorum codicum collatione, cum Ignatij teſtimonijs, quæ ab Athanaſio, & Theodoreto citata ſunt*; quamquam hic profecto ridiculus ſit, qui de Græcis ſolis hoc fatetur; quaſi illa teſtimonia in noſtris Latinis, aliter habeant, quam in Græcis. Vnde etiam apparet, quam fruſtra idem nos alibi [g] de Ignatianis moneat *ſæpe emendatiores inveniri codices Latinos, quam Græcos*; neque his, *vbi a Latinis diſcrepant, magnam eſſe habendam fidem.* Sed & avidiſſimus Ignatianorum laudator, ac defenſor Halloixius in ea ſaltem epiſtola, quæ ad Polycarpum eſt, nonnulla eſſe fatetur, [h] quæ non minimam ſuſpicionis anſam afferant, aliqua in eam aliunde irrepſiſſe. Denique Baronio longe eruditior Petavius, cum obſervaſſet nuſquam in hodierna Ignatii ad Polycarpum epiſtola reperiri, quæ inde citat Hieronymus; *Et alioqui conſtat* (inquit) [i] *eas omnes epiſtolas interpolatas fuiſſe. Nam pleraque ex illis loca ab antiquis laudata, vel in eis minime reperiuntur, vel longe aliter concepta; vt alias oſtendam. Quo circa nequem calomniandi locum relinquam, non alijs vtar illius ſententijs, quam quibus veterum Patrum conſenſus germanitatis teſtimonium perhibet, vt de illis dubitationem, ac tergiverſationem omnem præcidam; reliqua vero dicta eiuſdem miſſa faciam.* Hæc ille; vere profecto, ac generoſe. Patet enim eorum, quæ ex libris vitiatis & interpolatis deſcribuntur, nullam eſſe poſſe vim ad illa probanda & firmanda, quæ ſunt in controverſia poſita. Iam vides illum Baronii, triumphantem, & omnibus iura dantem Ignatium in quas anguſtias hic Ieſuita, abſque controverſia doctiſſimus, cogat; nihil adverſariis pro Ignatiano objiciendum, ſuo ipſe exemplo decernens, niſi cuius ex veterum Patrum conſenſu germanitas teſtata ſit Qua ego lege Ignatium non equidem ægre admiſerim; tametſi fatear, ipſa illa, quæ ab Athanaſio, & paucis aliis ad ſextum ſæculum Patribus, pro Ignatianis laudata ſunt, ipſa quoque mihi ſuſpecta eſſe. Iterum alibi; *Quamvis* (inquit) [k] *Ignatij epiſtolæ interpolatæ ſunt, nec omnino ſinceræ ad nos pervenerunt, non ſunt tamen ab Ignatio penitus abjudicandæ.* Vides, quam levi pro his brachio pugnet; quam rotunde & *interpolatas* fateatur, & *ſinceras* (quod aiebat Annaliſta vaniſſimus) ad nos perveniſſe neget. Sed idem ille, poſtquam Voſſianam, atque Vſſerianam ex veteribus vtramque libris,

CAPVT I.

d *Nancel. Catal. libror. abs ſe ſcriptor.*
e *Mæſtr. Præf. ad Ign. p.* 21.
f *Bell. de Euch. L.* 4. *c.* 26.
g *Id. de ſcriptor. Eccl. in Ignat.*
h *Hall. Apolog. pro ſcript. Ignat. c.* 8.
i *Petav. Theol. Dogm. T.* 2. *Praf. c.* 2. §. 8.
k *Id. in eod. op. L.* 1. *de Eccleſ. Hier. c.* 2. §. 14.

CAPVT I.

Ignatii editionem vidit, pro ſua ſingulari doctrina; proque ſolenni quadam ſua generoſitate (hoc enim de eo vtrumque, tametſi acerrimo adverſario, libenter & agnoſcimus & prædicamus) veram ſtatim & animadvertit, & profeſſus eſt; *Equidem* (inquit) [1] *haud abnuerim epiſtolas Ignatii varie interpolatas, & quibuſdam additis mutatas, ac depravatas fuiſſe; tum aliquas eſſe ſuppoſititias. Verum nullas omnino ab Ignatio epiſtolas eſſe ſcriptas, id vero nimium temere affirmari ſentio. Editæ ſunt ante annos quatuor ex Bibliotheca Florentina Ignatii epiſtolæ ſex. 1. ad Smyrnæos. 2. ad Polycarpum. 3. ad Epheſios. 4. ad Magneſios. 5. ad Philadelphienſes. 6. ad Trallianos. Deerat ad Romanos. 7. totidem enim, & quidem iſtas ipſas percenſet Hieronymus in libro de ſcriptoribus. Cap. XXVI. Eæ porro multum a vulgatis hactenus diſcrepant; atque hoc habent præcipuum, & magni vtique faciendum, quod omnes in illis reperiantur ſententiæ, quæ ab antiquis Patribus ex Epiſtolis Ignatii citatæ leguntur, quæ quidem in aliis deſiderantur editionibus. Debemus hoc præſtantiſſimum Chriſtianæ antiquitatis monumentum eruditiſſimo viro Iſaaco Voßio Gerardi F. qui illas e Florentino codice deſcriptas trans alpes retulit, mihique legendas humaniſſime obtulit, ac non multo poſt Lugduni Batavorum Græce, ac Latine publicavit, addita, quam annis ante aliquot ediderat Iacobus Vſſerius, Latina veteri verſione, apprime conſentiente cum Græcis Florentini codicis, vt hæc prudens ac iuſta ſuſpicio ſit illas eſſe genuinas Ignatij epiſtolas, quas antiquorum conſenſus illuſtribus teſtimoniis commendatas, & approbatas reliquit.*

[1] Id. Apend. T. 3. de Hier. Eccl. L. 2. c. 8. §. 1. T. 4. Theo. Dogm. Par. 2. p. 747.

CAPVT

CAPVT II.

Reverend. Vſſerii de poſteriori Ignatianorum editione iudicium eam alterius eſſe, & auctoris, & temporis, quam priorem, cuius duo exemplaria, vnum Latinum ab Vſſerio, alterum Græcum a Voßio ex veteribus libris edita; vera & antiquißima videri. Vſſeriani iudicii argumenta; I. quod epiſtolæ ſex poſterioris editionis, neque ab Euſebio, neque ab Hieronymo memoratæ ſint; II. Quod a nullo veterum, ante ſextum ſæculum, laudatæ reperiantur; imo & ab his laudata quædam ex ſex prioribus, in vulgatis noſtris Ignatianis vel deſiderentur, vel plane aliter habeantur III. Quod qui primi, vel ſex poſteriores epiſtolas, vel priorum aſſumenta laudarunt, omnes poſt quintum ſæculum exactum vixerint. IV. Eadem confirmat, Ignatianorum vetuſtißimus codex Latinus Vſſerii, Græcus Voßii. V. Idem inde colligi, quod ſex poſteriores epiſtolæ, & ſex priorum auctaria multa ex Conſtitutionibus Pſeud-Apoſtolicis deſumpta habeant. Recenſentur loca vtriuſque operis, gemina XXV. ex quorum plæriſque patet vtrumque opus novum eſſe, & poſt quartum ſæculum perſcriptum.

HÆc hactenus Petavius, qui & ſeptem illas ab Euſebio memoratas epiſtolas varie fuiſſe interpolatas; & alias aliquas eſſe ſuppoſitas aſſentitur; ac denique Voſſianas (quæ eædem cum Vſſerianis) veras germanaſque eſſe Ignatii a veteribus approbatas epiſtolas cenſet. Et ſane prolata gemina vtriuſque illius editionis face res ita patefacta eſt, vt ipſum Annaliſtam, tametſi duriſſimi cordis hominem, vix ſi nunc viveret, repugnaturum putem Rev. Armachanus & fuſe, & accurate ſingula more ſuo, executus eſt, quæ ad maiorem huius diſputationis lucem libari, & indicari non erit fortaſſe inutile; repeti certe, ac retractari omnia nihil neceſſe eſt. Primum ergo ſex illas epiſtolas, potiſſimam ſecundi Ignatiani corporis partem, ad *Mariam Caſſobalitam*, ad *Polycarpum*, ad *Tarſenſes*, ad *Antiochenos*, ad *Heronem*, & ad *Philippenſes*, has inquam nondum Euſebii & Hieronymi temporibus extitiſſe, inde validiſſime probat, quod de iis vterque iſte ſcriptor, nullum verbum facit, qui ſex alias ſuperiores ambo memorant. [m] Cur enim has potius, quam illas, ſi illas, ſi vtraſque norant, dixiſſent? Cur vero eas eruditiſſimi ac diligentiſſimi homines ignorarent, ſi erant, vt narrat, Baronius a Philippenſibus cum ſex ſuperiorum ad eos miſſa a Policarpo collectione, conjunctæ? Non fuiſſe, adeoque neque tum extitiſſe inde conſtat, quod eas Euſebius neſcierit; neſciviſſe, altum ejus

m *Euſeb Hiſt. L.3 c.36. Hier. in Catal. c.26. Vid. Vſſer. Proleg ad Ign. c.5.*

de his

CAPVT II.

de his ſilentium arguit. Quod vero vulgo putant quandam ab Euſebio memorari epiſtolam ſeorſum ad Polycarpum Smyrnæonum Epiſcopum ſcriptam, doctiſſimus Vſſerius hanc non diverſam, ſed vnam, & eandem revera cum epiſtola quæ eſt ad Smyrnæos, ab Euſebio intelligi, & acutiſſime conjicit, & ex Hieronymo demonſtrat; [n] qui ex epiſtola ad Polycarpum verba quædam citare ſe dicit, quæ tamen in ea, quæ eſt ad Smyrnæos, diſerte leguntur; in ea, quæ hodie extat ad Polycarpum, plane nulla reperiuntur. Vnde hanc merito ex epiſtolarum ab Euſebio dictarum cenſu expungendam colligit; obſervans neque ſane eam Honorium Auguſtodunenſem in [o] Cathologo memoraſſe, quo loco Ignatii ſcripta recenſet. Sed neque has epiſtolas, neque illa, quæ nunc in ſex ſuperioribus deprehenduntur auctaria, adhuc quarto, quintoq; ſæculo extitiſſe, idem inde concludit, quod nullus ſcriptorum, qui duobus illis ſęculis plurimi floruerunt, vel ex epiſtolis, vel ex auctariis quicquam laudaſſe, vel recitaſſe reperitur. At ſex primas non modo Euſebius, & Athanaſius & Hieronymus, ſed etiam Theodoretus, & Gelaſius P. R. 1. vſurpant, & ad novem vel decem loca ex iis deſcribunt; quorum nullus cum vulgatis noſtris codicibus plane & in omnibus congruit; quod certo argumento eſt eas poſt illa tempora, fuiſſe interpolatas. Verbi gratia hæc & epiſtola ad Smyrnæos deſcribit Theodoretus; [p] *Euchariſtias & oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti, qua pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* Sed illa in ea, quæ hodie ad Smyrnæos extat, fruſtra quæſieris. Nuſquam comparent Athanaſius, & Theodoretus, & Gelaſius inſignem hunc locum ex eo quæ eſt ad Epheſios, pariter omnes recitant; [q] *Vnus medicus eſt carnalis & ſpiritualis, factus & non factus, in homine Deus, in morte vita æterna, ex Maria & ex Deo, primum paſſibilis, & tunc impaßibilis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Pro his in noſtris vulgatis Græcis Latiniſque Ignatiis iſta duplo auctiora & varie mutata reperies; [r] *Medicus autem noſter eſt ſolus verus Deus ingenitus, & inviſibilis, Dominus omnium, vnigeniti vero Pater & genitor. Habemus autem medicum etiam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ante ſæcula filium vnigenitum, & in principio verbum; poſtea vero & hominem in Maria Virgine; verbum enim, inquit, caro factum eſt; incorporalis in corpore, in paſſibilis in corpore paßibili, immortalis in corpore mortali, vita in corruptione; vt de morte & corruptione liberet & curet animas noſtras, & ſanet eas infuſas morbo impietatis, & iniquis deſideriis.* Cæterorum eadem ratio eſt, quæ videat apud doctiſſ. & accuratiſſimum Vſſerium, [s] qui volet. Cur qui hæc ex epiſtolis ad Smyrnæos, & ad Epheſios laudant, & alia ex aliis ſex ab Euſebio memoratis; neque ipſi, neque alij vlli ante a.D. 600. quicquam ex ſecundi ordinis ad Mariam Caſſobalitam, ad Polycarpum, ad Heronem, ad Tarſenſes, ad Antiochenos, ad Philippenſes epiſtolis laudant? In quibus multa in eandem ſententiam non minus laudabilia extant? Tum qui

hæc, &

n *Vſſer. ibid. c. 2. p. 7. 8.*

o *Honor. de lumin. Eccl. in Ignat.*

p *Theodoret. Dia. 1. 3.*

q *Athan. de Synod. Theod. Dial. 1. Gelas. de duab. Chr. nat.*

r *Ignat. ep. ad Epheſ. ep. 31. extr.*

ſ *Vſſer. Proleg. ad Ignat. c. 3. & 4.*

hæc, & alia prioris cenſus epiſtolis citant, cur ea ſic,vt deſcripſimus, recitant? Id eſt aliter,quam in noſtris hodie codicibus extant? Cæcus eſt, qui non hinc intelligit toto illo tempore ſex quidem iſtas epiſtolas ſecundi ordinis,nondum vllas extitiſſe;ſex vero prioris,extitiſſe quidem ſed ab iis plane alias,quas nunc habemus.Tertio idem inde colligit doctiſſ. Armachanus,quod epiſtolas ſex poſteriores,& inſuto ſex prioribus centunculos,primos ſcriptorum Chriſtianorum citaſſe obſervauit; [t] Epiſtolas quidem, *Anaſtaſium* Presbyterum, *Antiochum* Monachum, *Ioannem Damaſcenum*, & *Antonium* in Meliſſa; centunculos vero *Sthephanum Gobarum*, *Anaſtaſium* Antiochenum, & *Alexandrini* Chronici auctorem; quos omnes poſt quintum ſæculum exactum ſcripſiſſe conſtat; vnde videre eſt non ante ſextum ſæculum extitiſſe, vel ſex poſterioris ordinis epiſtolas,vel ſex prioris, ſic,vt nunc eas habemus, interpolatas. Quarto nos reverendus Epiſcopus in rem ipſam deducit. [v] Nam ex duobus libris manuſcriptis, quos multum quæſitos tandem in Bibliothecis Anglicanis invenit (in quibus Latine deſcriptæ habebantur duodecim Ignatianæ, vt ferebat titulus,epiſtolæ) deprehendit quidem in vtroque eam,quæ nunc circumfertur ad *Philippenſes*, deſiderari; ſex vero primas ab Euſebio commemoratas haberi ſed multo breviores,ac ſimpliciores,quam habentur in vulgatis codicibus; eaſque accuratiſſime ad ſua exẽplaria publicavit.Ac vt intelligere nullo negotio poſſis,quantum a vulgatis diſcrepent, ipſas vulgatas Græce ac Latine,ita excudendas curavit,vt minio deſcripta in iis extent, quæcũque a ſuis Latinis abſunt;quæ congruunt,ea atramento lignato legantur. Vnde ſtatim ipſe oculus deprehendit immane eſſe vtriuſque editionis diſcrimen. Veram autem eſſe veterem ab Euſebio commemoratarum ſex epiſtolarum,eam,quam nunc de libris Armachanus exhibet, editionem;oſtendit primo Græcus codex,iiſdem pæne temporibus Florentiæ in Medicæa Bibliotheca repertus, ab eruditiſſimo Iſaaco Voſſio editus,qui optimi Vſſerii Latinis mirabiliter congruit,& cum iis pæne in omnibus conſentit;ſecundo ipſa ejus præ vulgata editione brevitas, ac ſimplicitas.Simpliciora enim fere ſunt,quæ antiquiora.Tertio illud a doctiſſ.Petavio merito obſervatum *præcipuum*, quod omnes in ea reperiantur ſententiæ, quæ ab antiquis Patribus ex epiſtolis Ignatii citatæ leguntur; quæ quidem in vulgatis hactenus editionibus deſiderantur. Ex his liquido apparet & ſex poſteriores epiſtolas, & quæcumque ſunt in ſex prioribus ab Vſſerianis Voſſianiſque diverſa, alterius eſſe, quam has,& temporis,& auctoris;has jam Euſebii ſæculo,id eſt Chriſti quarto ineunte, extitiſſe;illa poſt Gelaſium demum, ideſt poſt quintum ſæculum fabricata.Sed præter hæc doctiſſ.Vſſerius longum & accuratum inſtituit ſecundi illius Ignatiani,vt vocavimus,corporis,cum conſtitutionibus & Canonibus pſeudo-Apoſtolis paralleliſmũ; oſtenditque tam multa eſſe in vtroque opere eadem, vt vel vtriuſque eundem fuiſſe auctorem neceſſe ſit, vel certe Ignatianum a Pſeud-Apoſto-

CAPVT II.

t Id.ibid.c.6.p. 33.

v Vſſer Proleg. ad Ignat. c 19. p. 141.

Lignata

Caput II. lico ſua illa eſſe mutuatum;Quod quinti,ejuſque validiſſimi argumenti loco eſſe poteſt ; quo demonſtratur primo ſex illas primas Ignatiani ſyſtematis ab Euſebio memoratas, & ab Vſſerio nunc repræſentatas epiſtolas,alterius eſſe auctoris quam ſex poſtremas,& priorum auctaria. Non enim vt in his,ſic & in illis,aliquid reperitur ex Conſtitutionibus, Canonibuſque ſurreptum:cuius tanti diſcriminis nulla alia afferri poteſt idonea ratio, niſi hæc , quod non idem , ſed alius atque alius fuerit vtriuſque operis parens. Sed & hinc videre eſt totum hoc Ignatianum, quale in vulgatis codicibus habetur , epiſtolarum ſyſtema , plane ejuſdem eſſe cenſus , cuius eſt Conſtitutionum Canonumque Apoſtolicorum opus,id eſt falſi nominis,apocryphum atque fictitium. Apocryphas enim eſſe Conſtitutiones, & Rev. Vſſerius obiter hic , ſed tamen ſtrenue,probat,[x] & nos proprio quoq; volumine diſputavimus, & eruditi etiam Latini plærique,conſentiunt. Parallelismum fuſe ab Armachano explicatum operæ pretium eſt apud auctorem legere. Nos quædam, & quidem præcipua,eius capita breviter,quantum ad ſuperiorum confirmationem ſatis erit , attingemus. Doctiſſ. ergo Vſſerius de epiſcopatus ſumma auctoritate,& eminentia,quędam invidioſius dicta, in vtroque opere eadem,comparat.[y] Dicit de Epiſcopo Pſeudo-Clemens ; [z] *Hic Princeps eſt,& dux veſter;hic veſter Rex,& Dynaſta;hic poſt Deum terrenus veſter Deus, vtpote Dei dignitate ornatus,qua Clerum ſub poteſtate ſua tenet,& toti populo imperat.* Horum gemina dicit quoque vulgatus Ignatius; [a] *Quid aliud* (inquit) *eſt Epiſcopus, quam is, qui omnem principatum & poteſtatem ſupra omnes obtinet,quo ad homini obtinere licet,pro viribus imitator Chriſti Dei factus* ? 2. Conſtitutionum auctor *epiſcopum Regi,epiſcopatum regno* diſerte præfert; [b] *Quanto* (inquit) *anima corpore præſtantior eſt,tanto eſt ſacerdotium regno excellentius.* Sic & Ignatianorum parens; [c] *Honora, inquit, fili Deum & Regem. Ego vero dico; Honora Deum, vt omnium auctorem & Dominum ; Epiſcopum autem,vt principem ſacerdotum,imaginem Dei referentem: Dei quidem propter principatum,Chriſti vero propter ſacerdotium. Et poſt hunc honorare oportet etiam Regem.* Et mox ; *Sacerdotium ſumma eſt omnium bonorum, quæ in hominibus conſtant*; vel , vt Græca habent,*ſummum eſt* , ſive *ſupra omnia bona humana aſcendens.* Τὸ πάντων ἀγαθῶν ἐν ἀνθρώποις ἀναβεβηκός. 3°. Conſtitutiones, rebellium in ſuperiores pænas memorant; [d] *Neque enim Abſalom & Abedadan impuniti remanſerunt,neque Core & Dathan,ex quibus illi quidem adverſus Dauid ſeditionem de regno moverunt; hi vero certantes adverſus Moyſen,de primis partibus contenderunt.* Capite vero præcedenti jam erant expoſitæ *Dathanis* & *Abironis* & Core, & *Oziæ* pœnæ, *auſi*, vt ille loquitur, *in ſacerdotium* , Eadem epiſtolæ; [e] *Nec enim legi cōtradixerunt Dathan & Abiron;ſed Moyſi,& vivi in infernum præcipitati ſunt. Core autem;& qui cum illo conſpirarunt contra Aaron, ducenti quinquaginta numero, vſti igne ſunt. Abſolon cum parricida evaſiſſet,pendulus ex arbore factus fuit;& per cor praua illa conſilia.*

x Vſſer. Proleg. ad Ignat. c. 6. 7. 8. 9. 10.

y Id. ibid. c. 10. p. 68.

z Clem. conſtit. L. 2. c. 26.

a Ignat. ad Trall. p. 71.

b Conſtit. Ap. L 2. c. 25. Vſſ. & L 6. c. 2.

c Ignat. ad Smyrn. p. 118.

d Conſtit. L. 6. c. 2.

e Ignat. ad Magneſ. p. 51. extr.

CAPVT II.

ſilia machinatum , lanceis traiectus eſt. Acbedadan ſimiliter capite truncatus eſt ob ſimilem cauſam; Ozias lepra percutitur, auſus in ſacerdotium, & in ſacerdotes. In quibus hoc ſingulari animadverſione dignum notat doctiſſ. Vſſerius, [f] quod in vtroque loco *Abeddadan,* divinis, & Eccleſiaſticis auctoribus ignotum nomen, neque aliis quam his duobus notum (hoc quidem ſenſu) pro Seba poſitum eſt: de quo 2. Sam. 20 21. Pergamus. 4°. Sabbati & dominicæ religionem præcipit ὁ Διατάξευς; [g] *Sabbatum & dominicum feſtos dies agite.* Item: *operentur ſervi quinque dies; Sabbato autem & Dominico die vacent in Eccleſia propter doctrinam religionis.* Sic & Epiſtolicus Ignatius; [h] *Vnusquiſque noſtrum ſabbatis, & ſpiritualiter meditatione legis gaudens* &c. *Et poſtquam ſabbatum obſervauerit, omnis Chriſti amator Dominicum obſervet diem.* Eodem pertinet, quod alibi diſtricte vetat ſabbati jejunium. 5°. Conſtitutiones Chriſtum baptizatum docent, [i] *vt Ioanni veritatem atteſtaretur*; Epiſtolæ itidem, [k] *vt ratam faceret ordinationem commiſſam Prophetæ*; id eſt (vt liquet) Ioanni. 6°. filii in vtriſque [l] hoc elogium eſt, *per quem Pater vniverſa fecit, omnibuſque providet.* 7°. Vtraque [m] Chriſtum *a Pilato hora tertia condemnatum, ſexta crucifixum, nona expiraſſe, ante occaſum ſolis ſepultum, diluculo prima feriæ reſurrexiſſe,* vna mente, iiſdem fere verbis docent. 8°. Conſtitutiones; [o] *Virgo & vidua ne circumcurſent, aut vagentur per alienas domos*; & mox propoſito Iudithæ exemplo; *Vidua* (inquiunt) *ne ſit gulæ dedita, ſed continens, lenis, trãquilla, religioſa, verecunda, ſedens domi ſuæ.* Epiſtolæ; [p] *ſint autem viduæ non vagæ, aut gulæ deditæ, non circumcurſantes; ſed vt Judith illa pudiciſſima, vt Anna illa honeſtiſſima,* 9°. Virgines pariter vtræque jubent propoſitum ſuum ſequi; Conſtitutiones quidem, [q] *ob pietatis ſtudium, non in calumniam matrimonij,* Epiſtolæ [r] vero itidem, *non in calumniam coniugii; ſed vt liberius divinam legem meditentur.* 10°. De pœnitentibus idem in vtriſque præceptum. In Conſtitutionibus, [s] *recipite libenter pœnitentes; gaudentes de eis, iudicantes cum miſericordia, & miſeratione delinquentes.* In epiſtolis: [t] *Obſecro vos in Domino, quotquot pœnitentia ducti redierint ad vnitatem Eccleſiæ, ſuſcipite illos cum omni manſuetudine; vt per bonitatem & patientiam veſtram reſipiſcentes ex Diaboli laqueis, digni jam Chriſto facti, ſalutem conſequantur.* 11°. vtræque [v] *Salomonem* anno *ætatis duodecimo, Ioſiam octauo* regnare cœpiſſe tradunt. 12°. Vtræque [x] Nicolaïtas hæreticos, ψευδωνύμους, *falſo ita nominatos,* dicunt. 13°. De hæreticis ὁ Διατάξευς ſcribit; [y] *Crucem erubeſcunt; paſſionem ac mortem contemnunt, reſurrectionem ignorant.* Eadem de iiſdem epiſtolicus Ignatius; [z] *crucem negant, & paſſionem erubeſcunt, paſſionem ſubſannant; reſurrectionem pro fabula tradunt.* 14°. Vterque ſcriptor hæc ex Iſaia citat; [a] *Ecce homo, & opus ſuum ante faciem ſuam.* Vel idem eſt vterque ſcriptor, vel ſi duo ſunt, alter ab altero hoc ſumpſit. Propheta enim aliter habet apud Lxx. [b] *Ecce Salvator tuus venit, habens mercedem ſuam ſecum, & opus ſuum ante faciem ſuam.* 15°. Idem & de eo judicium eſt, quod apud vtrumque

f *Vſſer Proleg. ad Ignat. c. 11.*
g *Conſtit. L. 7. c. 24. & c. 33. Vid. & L. 2. c. 36. L. 7. c. 37.*
h *Ignat. ad Magneſ. p. 57. & ad Philipp. p. 186.*
i *Conſtit. L. 7. c. 23.*
k *Ignat. ad Epheſ.*
l *Conſt. L. 7. c. 26. Ignat. ad Philip.*
m *Conſt. L. 5. c. 13. Ignat. ad Trall. p. 74.* n
o *Conſt. L. 3. c. 6*
p *Ignat. ad Philadelph. p. 99.*
q *Conſt. L. 4. c. vlt.*
r *Ignat. ad Philad. p. 97.*
s *Conſt. L. 2. c. 15.*
t *Ignat. ad Philad. p. 94.*
u *Conſt. L. 2. c. 1 Ignat. ad Magnes. p. 50.*
x *Conſtit. L. 6. c. 8. Ignat. ad Trall. p. 78. & Philad. p. 102.*
y *Conſt. L. 6. c. 25.*
z *Ignat. ad Trall. & ad Smyrn.*
a *Conſt. L. 2. c. 14. Ignat. ad Smyrn p. 118.*
b *Iſai. 62. 11.*

Caput II.

velut ex Ieremia, dicitur [c] de *hæreticis* αἱρεσιωτῶν, *egreſſam eſſe pollutionem in omnem terram*; [d] hos αἱρεσιώτας, nova vterque, & diu poſt Apoſtolos, poſtque Ignatium, nata voce, appellantes, qui apud Hieremiam loco, qui alluditur, *Prophetæ Hieruſalem* dicuntur. 16. [e] Vterque hac de Diabolo eadem habent; Pſeudo-Clemens [f] *Malus ille* (inquit) *ſapiens exiſtit ad malefaciendum; bonum vero quid ſit, ignorans.* Et de Dæmonibus; *ſunt ignorantia obruti propter malitiam voluntariam.* Ignatius epiſtolicus [g] de Diabolo; *ſapiens eſt ad malefaciendum, bonum vero quid ſit, ignorat. Ignorantia enim oppletus eſt propter voluntariam dementiam.* 17°. Vterque negat [h] *filium eſſe ſuper omnia Deum*, & *pro hæreticis cenſet*, qui hoc *aiunt*. 18. in vtroque opere de feſtis, ac de quadrageſima eadem lex occurrit. In Conſtitutionibus; [i] *Dies feſtos agitate* &c. *Poſt quos, ſeruandum vobis eſt jejuniũ quadrageſimæ, quòd vitæ Chriſti & legis latæ recordationem continet.* In epiſtolis; [k] *Dies feſtos nolite dehonorare. Quadrageſimam vero nolite pro nihilo habere. Imitationem enim continet Domini conuerſationis.* 19°. In vtriſque de quartæ & ſextæ feriæ jejunio paria leguntur. In Conſtitutionibus; [l] *Quartis & ſextis feriis omnibus præcipimus vobis jejunare, & quæ ex ieiunio vobis redundant pauperibus erogare.* In Epiſtolis; [m] *Quarta feria & ſexta ieiunate, pauperibus reliquias porrigentes.* 20°. Pariter quoque in vtriſque interdicitur Dominicæ, & ſabbati jejunium; In Conſtitutionibus; [n] *Omni ſabbato præter vnum, & cunctis Dominicis diebus, conuentus Eccleſiaſticos celebrantes, lætitia fruimini; Reus enim peccati erit, qui Dominico die jejunauerit.* In Epiſtolis [o] itidem *Quicumque Dominicam, aut ſabbatum jejunauerit* (*præter vnum ſabbatum Paſchæ*) *ipſe eſt Chriſti interfector.* 21. [p] In vtriſque de Paſchate ſeorſum a Iudæis ſervando, eadem lex legitur. In Conſtitutionibus, [q] Chriſtianis interdicitur, *ne cum Iudæis tempus obſervantes feſtum celebrent*, juxta Canonem deinceps in vltima operis parte ſancitum; [r] *ſiquis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quiſquis de numero, atque ordine Clericorum ieiunaverit cum Iudæis, aut feſtum cum ipſis egerit, aut ab eis feſti xenia receperit, azyma videlicet, aut quid ſimile, deponatur; ſi vero Laïcus, communione ſegregetur.* Parilis eſt in Epiſtolis, [s] niſi quod atrocior, ſanctio, *quicumque cum Iudæis Paſcha egerit, aut ſolennia dierum feſtorum eorum ſuſceperit, communis eſt eis, qui Dominum & Apoſtolos eius occiderunt.* 22. [t] Vterque [v] liber *filium ſolum, & primum natura, Patris Pontificẽ dicit* 23. [x] Vterq; ſcriptor diù poſt Ignatium inſtitutos in Eccleſia infimos etiam miniſterii ordines memorat; Conſtitutionum [y] ſparſim *ſubdiaconos*, *Anagnoſtas*, *Cantores*, *Oſtiarios*, *Exorciſtas*; Epiſtolarum, & hos, & præterea etiam *Copiatas*, ſiue *foſſarios*. [z] 24 Vterque hæreſes refutat, [a] & Apoſtolis, & Ignatio recentiores, vt hanc, *quod impurum ſit, & abominabile nubere, & procreare liberos, & quoſdam cibos capere*; quod Saturnini dogma fuit, ſub Hadriano demum exorti. 25. Vterque Principes æuo ſuo orbi Romano imperantes, Chriſtianos fuiſſe ſignificat; quod non modo ab Ignatii ſæculo, ſed

c Conſtit. L. 6. c. 3. Ignat. ad Philad. p. 93.
d Ier. 23. 15.
e Vid. Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 12.
f Conſt. L. 6. c. 6. & L. 8. c 2.
g Ignat. ad Philipp. p. 176.
h Conſtit. L. 6. c. 9. 25. 30. Ignat. ad Philipp. p. 178. & ad Tarſenſ. p. 144.
i Conſtit. L. 5. c. 12.
k Ignat. ad Philipp. p. 186
l Conſt. L. 5. c. vlt.
m Ignat. ad Philipp. p. 186.
n Conſt. L. 5. c. vlt. Vid. & L. 5 c. 14. c. 7. c. 24. Can. Apoſt. 66. 66.
o Ignat. ad Philipp. p. 186.
p Vid. Vſſer. Proleg. ad Ignat. c. 14.
q Conſtit. L. 5. c. 16.
r Can. Apoſtol. 70.
s Ignat. ad Philipp p. 187.
t Vſſer. Proleg. ad Ignat. c. 15. p. 109.
u Conſt. L 8 c. 46. Ignat. ad Smyrn. p. 120.
x Vſſer. Proleg. ad Ignat. c. 16. p. 115.
y Conſt. L. 2. c. 25. 28. L. 3. c. 11.

& a duobus proxime conſecutis alienum eſt. Ex his, quæ multo fuſius, & accuratius executus eſt doctiſſ. Armachanus, apparet quanta ſit epiſtolarum auctarum & interpolatarum, cum Conſtitutionibus, vt vocant, Apoſtolicis conformitas, ac ſimilitudo, & quidem in non paucis ab Apoſtolorum & Ignatii ſæculo alienis. Vnde certiſſime duo colliguntur; prius quidem neutrum librum Ignatianis temporibus ſcriptum fuiſſe; alterum vero, vel eundem fuiſſe vtriuſque auctorem (in quam ſuſpicionem propendet ipſe Armachanus *ex eadem officina prodiiſſe* ſcribens) vel certe alterum ab altero ſua mutuatum.

c. 17. L. 8. c. 21. 22. 23. 28. 46.
z *Ignat. ep. ad Antioch. p.* 150.
a *Conſt. L.* 6. c. 8. 10. 25. *Ignat. ad Philad. p.* 102.
b *Conſt. L.* 6. c. 24. *Ignat. ad Philad. p.* 99.
c *Vſſer. Prolegom. ad Ignat. c.* 10. *init.*

CAPVT III.

Etiam ſecutis poſt a. D. 600. ſæculis duas extitiſſe Ignatianorum Syllogas; Vnam, quales noſtræ vulgatæ ſunt, deteriorem; alteram, in qua novæ quidem epiſtolæ ſex prioribus adiectæ eſſent, ipſæ vero ſex priores ſinceræ, & aſſumentis interpolatoris libere haberentur; ac huiuſmodi fuiſſe Syllogen illam Græcam Latinamque ab Vſſerio & Voſſio editam. Sed poſtremis temporibus non aliam vulgo extitiſſe Ignatianorum Syllogen, quam prioris generis, cuius rei duplex affertur ratio. De quatuor poſtremis epiſtolis Ignatii ad Mariam Virginem, & ad Ioannem, & Mariæ ad Ignatium. Eas a paucis Latinis pro veris noſci, a pleriſque contemni, fictaſque cenſeri.

Cæterum admodum veriſimile eſt, quæ ſex ultimæ ſunt; plane novæ epiſtolę, eas multo citius & facilius fuiſſe receptas, quam priores, quæ ſunt interpolatæ. Qui enim codices prioris Ignatii jam habebant ſinceros ac ſimplices, quales ab Euſebii temporibus fuerant, iis facile erat ad eas, quæ jam illis continebantur, ſex epiſtolas, alias ſex nuper ab interpolatore editas, adjicere, nequa Ignatii parte carerent; quas vero jam habebant, eas ad interpolatoris arbitrium innovare, difficile, ac vt loquimur, impoſſibile erat. Tanta enim in iis vbique facta eſt rerum & verborum ab interpolatore mutatio, vt niſi de integro ſcriptas, nemo ex ejus editione habere poſſet. Vnde illud exſiſtere neceſſe fuit quod ab optimo & doctiſſimo Vſſerio eſt obſervatum, vt etiam poſt edita ab interpolatore Ignatiana, duæ eorum aliquandiu fuerint diverſę ſyllogę, altera, ad interpolatoris mentem, ſex veteres epiſtolas ſed plane ab eo mutatas, ac innovatas, & ſex novas ab eodem artifice fabricatas continens; altera, quæ has quidem vel omnes, vel plæraſque, exhiberet, ſex vero antiquas, ſed ſinceras, neque vllis interpolatoris auctariis violatas. Hujus ſecundi generis fuiſſe eam Syllogen neceſſe eſt, quæ in Bibliotheca Florentina huc vſque ſervata a præſtantiſſimo Voſſio edita eſt; in qua præter veteres ab Euſebio memoratas, tres inſuper ex illis ſex no-

vis habentur; nimirum ad Mariam Caſtabalenſem, ad Polycarpum, & ad Tarſenſes. Eiuſdem quoque generis eam fuiſſe Syllogen meritò monet Armachanus,[d] ex qua ſua tranſtulit vetus ille interpres Latinus, cujus ipſe opus ex libris publicavit. Nam illius interpretationis codex, ſex quidē ab Euſebio memoratas epiſtolas puras, & ab omnibus novitii interpolatoris aſſumentis liberas continet; Sed vna quoque cum eis ſex alias exhibet, Euſebio & aliis ab ſextum ſæculum inauditas; vnam ad Polycarpum, quæ ſecundum in illo codice locum occupat; alteram Mariæ Caſtabalenſis ad Ignatium; tertiam Ignatii ab Mariam Caſtabalenſem; quartam ad Tarſenſes; quintam ad Antiochenos; Sextam ad Heronem; quæ ſeptimum, octavum, nonum, decimum, & vndecimum locum implebant: duodecimo ſive vltimo locata vetus ad Romanos epiſtola totam ſyllogen claudebat. Epiſtolam ad Philippenſes[e], quæ vna adjectitiarum erat, non imprudenter, ſed certo conſilio ab hac ſylloge excluſam fuiſſe ſuſpicatur, optimus ac ſapientiſſimus noſter Vſſerius; *quod* (inquit) *ab Ignatii doctrina videretur fortaſſe alienior.* Sane omnium hæc ſuppoſititiarum deterrima, & Ignatii nomine indigniſſima eſt. Eiuſdem quoque generis harum epiſtolarum ſylloge vſos eſſe *Antiochum* ſub Heraclio Imperatore monachum, & *Ioannem Damaſcenum*, & Antonium in Meliſſa, & ex recentioribus Græcis Macarium Chryſocephalum, ex Ignatianis quæ citant, excellentiſſimus Armachanus ſagaciſſime eſt odoratus: vt ipſe fuſe narrat. Sed hæc quidem ſylloge paulatim primo rarior fieri cæpit; poſtremo tandem ita defecit, vt nulla eius exemplaria in vſu communi, ac publico remanerent; illa alterius generis ſylloge frequentaretur, & a Chriſtianis vulgo lectitaretur. Cuius rei ratio, eaque duplex, ſatis manifeſta eſt. Hanc enim tametſi deteriorem, malebant, tum quod ea, altera illa; licet puriore, amplior eſſet, & ſpiſſior; tum quod novos illis temporibus vſitatos apud Eccleſiam ritus plures commēdaret, quam altera vetus; vt *quadrageſimam, Paſcha, feſta,* &c. de quibus hæc nihil dicit. Natura enim ita comparatum eſt, vt auctorum probatorum libros plærique omnes amplos, quam breves malint; Verentes ſcilicet nequid ſibi deſit, quod auctoris vel ſit, vel eſſe dicatur. Tum qui ſua omnes fere cupiunt antiquiſſima eſſe, mirum non eſt ſi libris, qui eorum antiquitatem conſtituunt, eos qui non conſtituūt, poſthabeant. His de cauſſis factum eſt, vt noſtra memoria prioris quidem, tametſi corruptiſſimæ ac deterrimæ, Ignatianæ ſylloges exemplaria paſſim apud omnes Gręca Latinaque pæne innumerabilia volitarent; alterius, tametſi melioris eſt ad originem ſuam propioris, plane nulla vulgo extarent; neque plura, quam tria, vnum Græcum, duo Latina, ſed in abditis Bibliothecarum angulis, procul a publica luce, latentia reperiri hactenus potuerint. Hæc eſt optimi ac ſapientiſſimi ſenis, reverendi Armachanorum Archiepiſcopi, Iacobi Vſſerii de Ignatianis diſputatio; ex qua ipſe concludit, ſi de Græcis, quæ circumferuntur, Ignatii epiſtolis hodie quæratur, ſint-ne genuinæ, an nothæ, an mixtæ, omnino

d *Id. ibid* c. 18. *init.*
e *Vide ibid.* c. 19. p. 141.

nino eſſe reſpondendum, earum ſex nothas, totidem alias mixtas, nullas omni ex parte ſinceras eſſe habendas, & genuinas. Atque ita clare, ni fallor, ac valide profligata eſt prior de Ignatianis quæſtio, perſpicuèque ac neceſſario contra Baronium, & alios ejuſdem cum Barionio ſententiæ, Latinos demonſtratum non eſſe ſex ſecundi corporis, vel ordinis epiſtolas, ejuſdem auctoris, cujus erant illæ aliæ ſex, pro Ignatianis ab Euſebio & Hieronymo memoratæ; & has ipſas minime eſſe ſinceras, ſed plurimis centonibus, & aſſumentis auctiores, quam Euſebii ſæculo olim erant. Neque mirari quiſquam debet, quod de tribus quatuorve epiſtolis, quæ præter has duodecim, Ignatio tribuuntur, nullam fecerimus in ſuperiori diſputatione mentionem. Iſtæ autem ſunt, quas dicimus; vna Mariæ Virginis ad Ignatium; altera Ignatii ad Virginem Mariam, & duæ ad Ioannem Apoſtolum; & ſicui eam addere libet, quinta Mariæ Caſtabalitæ ad Ignatium. Sciendum enim eſt Latinos exiguam, ac pæne nullam earum rationem habere. De quatuor primis, Martialis Mæſtræus, Sorbonæ Pariſienſis Doctor; *Quod attinet* (inquit) *ad duas priores epiſtolas Ignatii ad B. Ioannem Evangeliſtam, aliaſque duas ſequentes, alteram; Ignatii ad Mariam Deiparam, & alteram Mariæ ad Ignatium; tametſi eas, vt germanas vindicari ſciamus a pluribus recentioribus, vt a S. Bernardo ſermone 7. in Pſalm. 9. Marco Michaele Carnotenſi * Presbytero in ſuo de viris illuſtribus tractatu. Dionyſio Carthuſiano in comment. ad libr. de divinis nominibus, vbi Ignatium Martyrem inclytiſsimum, & ferventiſſimum appellat, Sixto Senenſi. L. 2. Bibliotheca, in Maria, Petro Caniſio L. 5. de Maria c. 1. & in editione Venetiana a. D. 1546. pro legitimis Ignatii ſcriptis agnoſcantur; cum tamen Græce nunquam conſcripta reperta fuerint, nec illarum vllus veterum Patrum ad Bernardum vſque meminerit, tutius in eo indicio fuerit eaſdem in commentationum apocrypharum numero collocare.* Hæc Mæſtræus; candide profecto, atque ſapienter. Idem quoque eſt Baronii de his iudicium; *Fertur* (inquit) *eiuſdem Dei Genitricis epiſtola ad Ignatium reddita, eiuſdemve Ignatii vna ad ipſam ſcripta; duæ vero ad Ioannem Evangeliſtam de eadem ipſa loquentes. Sed Hieronymus & alii antiquiores, qui eiuſdem Ignatii recenſuerunt epiſtolas, eas non noverant. Traduntur & aliæ ab ipſa ad alias ſcriptæ civitates; quas cunctas, cum careant Eccleſiæ auctoritate, nonniſi in apocryphorum claſſem reiiciendas eſſe, omnes facile judicabunt.* Et alibi *cuius fidei ſint hæ epiſtolæ, iudicium eſſe vult penes prudentem piumque lectorem.* Bellarminus eadem quoque de iis cenſet; *Harum* (inquit) *primus, quod ſciam, meminit S. Bernardus, Serm. 7. in Pſalm.* (Qui habitat) *Sed neque in codicibus Græcis habentur, neque gravitatem eloquij S. Ignatii omnino redolent.* Ioannes Maria Braſichellenſis, Magiſter ſacri (vt vocant) palatii eandem de iis tulit ſententiam; *Cum illarum* (inquit) *neque Euſebius, nec Nicephorus, nec vllus veterum ad D. vſque Bernardum meminerit, qui alioqui accurate ſcripta Ignatii memoraverint, tutius fuerit eaſdem vel in apocrypharum* ordinem

Marginalia: CAPVT III. — *Mæſtr. Præf. in edit. Ign. ſuam. p. 15.* — *ſcribendum erat, *Cordo-nenſi.* — *Bar. A. D. 48. §. 23.* — *Id. A D 109. §. 34.* — *Bellarm. L. de ſcript. Eccl. in Ign.* — *Braſchell. Ind. Libr. ex purg. T. 1.*

ordinem redigere, aut ſaltem, vt non omnino certas habere. Chriſtophorus vero de Caſtro Ieſuita etiam quam hi, liberius; *Has epiſtolas* (inquit) *ab antiquiori aliquo, pio & Virgini dedito, confictas fuiſſe ex ipſa temporum, rerumque in eis factarum, ſerie facile erit colligere.* Suarez, famoſus de Ieſuitarum ſodalitio ſcholaſticus Theologus; *An* B. *Virgo aliquid* (inquit) *ſcripſerit, non conſtat. Nam epiſtola quædam ad Ignatium, quæ eius nomine circumfertur, incertæ auctoritatis eſt.* Denique Halloixius, qui epiſtolas cum antehac ſpreviſſet, graviſſimi ſcriptoris, ſcilicet Flavii illius Dextri ab Hiſpanis non ante multos annos ficti, auctoritate, ne eas faſtidiret deterritum ſe ipſe profitetur; poſtremo tandem *liberam vnicuique facultatem permittit de his quodcumque voluerit opinandi;* Qua cenſura duo ſimul ſemelque demonſtrat, & quam levis ſint pretii hæ quatuor epiſtolæ, & quam nullius ipſe Iudicii. Ex his, quæ & doctiſſ. Vſſerius fuſiùs eſt proſecutus, apparet nihil eſſe, cur multum de quatuor iſtis epiſtolis laboremus, quas ne Latini quidem ipſi, tametſi talium quiſquiliarum cupidiſſimi, ſuo patrocinio dignas arbitrantur.

Chr. a Caſtr. Hiſtor. Deip. c. 2.

Suar. P. 3. Diſp. 20. p. 37. art. 4.

Hall. Apolog. pro ſcript. Ign. extr.

CAPVT IV.

Sex priores epiſtolas, ſinceras, & ex codice Florentino Græce, & ex Anglicano Latine deſcriptas Vſſerium, & Rivetum &c. vere Ignatii auctoris eſſe cenſere; Salmaſium, & Blondellum ipſas quoque poſt Ignatii mortem fictas putare æque ac ſex reliquas, tametſi diu ante has; omnia adeo Ignatiana falſa, ſpuriaque eſſe. Huic ſententiæ falſo invidiam conflari, veluti nova ſit. Octo jam ante nos ſæculis Ignatiana ad apocrypha ablegaſſe Nicephorum P. CP. & Anaſtaſium Bibliothecar. Rom. quorum cenſura a D. Hammondi exceptionibus, & gloſſis; item a R. Vſſerii ſolutione liberatur. Qui libri veteribus apocryphi, & cur & quo ſenſu ita dicti. Vnde ducitur I. adverſus Ignatiana argumentum.

HIs ita conſtitutis, veniendum jam eſt ad quæſtionem alteram; num ſex illæ vetuſtiores epiſtolæ, quibus ſolis ab Euſebii æuo ad ſextum ſæculum conſtabat Ignatiana, vt vocatur, ſylloge, quæque in Florentino & Vſſeriano codicibus repertæ ſunt, iis aſſumentis liberæ, quæ poſtea ab interpolatore ſunt, num eæ inquam, ab Ignatio Antiocheno Epiſcopo, Ioannis & Apoſtolorum diſcipulo vere, vt præfert titulus, ſcriptæ ſint, paulo antequam Romæ martyrium faceret, vt eſt ab Euſebio traditum. Ait præſtantiſſimus Vſſerius, & cum eo, vt ſupra audivimus Ieſuita erudītiſſimus Petavius. Neque dubitandum eſt, quin plurimi ſint in eadem ſententia majoris Britanniæ Theologi. Ex noſtris ciſmari-

marinis celeberrimus Andreas Rivetus, cum olim in prima critici ſui ſacri editione, omnes quæ nunc Ignatii nomen præferunt, epiſtolas ſuppoſititias eſſe defendiſſet, in vltima ejuſdem operis recognitione, vbi honorificam facit reverendi Vſſerii mentionem, & ab eo ſecum refert communicatam novam Ignatii ex veteri libro editionem, quam paulo poſt emiſit, hoc quoque viri doctiſſimi judicium ſequitur. Ego vero in primis excellentiſſimo Vſſerio, & eruditiſſimo Voſſio magnam habendam gratiam cenſeo quod ſex illas epiſtolas ab Euſebio memoratas, & a nonnullis quarti, quintique ſæculi nobiliſſimis ſcriptoribus laudatas, iis additamentis, aſſumentis, & laciniis liberatas, quibus erant a nequiſſimo interpolatore jampridem corruptæ ex libris manuſcriptis, quos nacti ſunt, priſtinæ formæ poſt tam multa ſæcula reſtitutas ediderint. Neque enim apocrypha, ſi modo vetera ſint, ſpernenda puto; plurimumque intereſſe arbitror, quorumvis librorum non modo veri, ſed etiam falſi nominis, ætatem certo noſſe; quod nullum fere ſit antiquitatis monumentum vſque adeo infælix, vt non aliquid ex eo diſci poſſit. Itaque duobus illis, quos dixi, viris, ſuam vtrique in Ignatianis fælicitatem, ac diligentiam gratulor, eoſque hac gemina Ignatii editione magnum operæ pretium feciſſe libens confiteor, ac prædico. Hoc enim labore ſuo aſſecuti ſunt, vt error de Ignatianis & vetus & publicus, ac pæne omnium communis, ſi non plane penituſque tollatur, minuatur quidem certe, & magna ex parte corrigatur. Illud vnum poſco, ac jure meritoque, vt mihi videtur, flagito, vt quod illi emendatas ex ſuis libris ſex epiſtolas pro veris ac indubitatis Ignatii opuſculis habent, id mihi diſcutere, & ad examen revocare pace ipſorum, & aliorum eadem cum illis ſentientium, liceat. Fateor enim mihi de his cogitanti multo ſemper potiorem, verique propiorem eſſe viſam duorum item ſummorum virorum, & nobis, quamdiu vixerunt, amiciſſimorum, Salmaſii, ac Blondelli ſententiam, qui non modo cæteras, ſed ſex ipſas etiã Vſſerianas, Voſſianaſque ex veteribus libris eruditas epiſtolas, ſpurias eſſe omnes ac ſubdititias cenſebant, & Ignatii nomen falſo gerere, annis poſt Martyris mortem non paucis confictas. Hanc ergo ſententiam a viris quibuſdam doctiſſimis poſt Rever. Vſſerium oppugnatam, defendere aggredior, & rationes explicare, quæ me ad eam amplectendam compulerunt. Quod ſi omnes de his plane cum reverendiſſimo Armachano judicarent, ſatis nobis futurum erat in hac diſputatione de ſex tantum epiſtolis, quas ille Ignatii veras germanaſque putat dicere. 1. Sed quia Latini hactenus, etiam reliquas ſumma animi contentione, vt ſupra ex Baronio audivimus, aſſeruerunt, neque dum ex eorum partibus quiſquam, quod equidem ſciam, præter vnum eruditiſſimum Petavium, communem antehac ſuorum de his ſententiam deſerere ſe profeſſus eſt; Quin & apud eos repertus eſt, & quidem vir eruditiſſimus, Ioannes Morinus* qui plane contra quam Petavius judicaret, cenſeretque eam, quæ vulgo circumfertur, Græcam, Lati- CAPVT IV.

* *Morin. de Ordin. Sacr. Part. 3. Exerc. 3. c. 3. §. 11.*

Caput IV.

namque epiſtolarum editionem, verum germanumque eſſe Ignatii opus; Vſſerianam vero & Voſſianam curtam ac mutilam eſſe, multiſque partibus imperfectam; idemque profitetur ſe ſuæ huius, tametſi vt ego quidem arbitror, abſurdiſſimæ coniecturæ argumenta habere neque pauca, neque levia; his de cauſſis omnino conſultius viſum eſt hoc Ignatianarum epiſtolarum negotium ſimul ſemelque totum tractare, & quaſcumque vel omnes, vel plerique, vel certe aliqui Latini, pro veris, ac genuinis habent, earum omnium veritatem atque germanitatem examinare, argumentiſque quo ad a nobis quidem fieri poterit, perſpicuis oſtendere falſo eas ac immerito ſanctiſſimo Martyri tribui. Quod antequam præſtare aggrediar, paucis mihi depellenda eſt invidia, quam toti huic cauſæ viri quidam doctiſſimi paſſim conflare ſtudent; quaſi qui eam tuentur, ii contra vniverſum Chriſtianorum hominum genus nitantur. Illud in primis mirabile mihi viſum eſt, quod ſcribunt Cl. Salmaſium & D. Bondellum, mortalium omnium primos, has epiſtolas confictas putaſſe. Atqui neſcire non potuerunt, quid diu ante hos de epiſtolis judicaſſent & Magdeburgenſes Centuriatores, & Calvinus noſter, & alii non pauci noſtrarum partium laudatiſſimi ſcriptores. Magdeburgenſes non pauca congerunt, quę ſcripta hæc Martyri ſuppoſita fuiſſe vincunt. Calvinus negat *illis naniis, quæ ſub Ignatii nomine editæ ſunt, quicquam eſſe putidius. Quominus* (inquit) *tolerabilis eſt eorum impudentia, qui talibus larvis ad fallendum ſe inſtruunt.* Et hæc noſtrorum de epiſtolis judicia nobis ad invidiam exprobranti Campiano præſtantiſſimus Vitackerus, lucidum Angliæ ſidus, ita reſpondet, vt epiſtolici ſcriptoris fidem vel nullam eſſe, vel exiguam aſſentiatur. Anglus quoque, ni fallor, fuit Robertus Parkerus, qui has epiſtolas ex profeſſo confutat, & allatis tredecim rationibus eas omnes nothas eſſe, ac ſuppoſititias cōcēdit. Et Anglus fuit Robertus Cocus, qui ſuę de Ignatio cenſuræ hunc titulū præſcripſit; *Ignatii epiſtolæ ſunt ſuppoſititiæ*: & huic ſuæ de iis ſententiæ probācæ nō pauca, neque infima argumēta attulit.

Hammond. Diſſert. 1. 2. c. 23. § 1.

Magd. Cent. 2. c. 10.

Calſ. Inſt. L. 1. c. 13. § 29.

Vitack. Reſp. ad rat. 5. Camp.

Parker. de Polit. Eccl. c. 13.

Coc. in Ignat.

Sed quid hos homines nuperos, & viris doctiſſimis de hierarchiæ fortaſſe odio ſuſpectos memoro? Hoc enim illi Salmaſio & Blondello objectare non deſinunt; quaſi hi non aliam Ignatiana explodendi cauſam habuerint, quam quod in iis viderent Hierarchiam conſtitui. Ecce auctores habemus, & multis ante nos ſæculis denatos, & ab omni contra Hierarchiam ſuſpicione procul ſemotos, qui omnia Ignatii ſcripta rotunde, ac ſine vlla hæſitatione ad apocrypha relegarunt in στιχομετρίᾳ Georgio Syncello in libro antiquiſſimo præfixa. Salmaſio, qui objecerat, non audent viri doctiſſimi aperta fronte repugnare; Aiunt tamen *non iniuria dici poſſe ἀδέσποτον στιχομετρίαν, incertum ex quibus tenebris, ex qua officina προαναχθεῖσαν, ſine omni dubio non ſic ἐκκλησιαζομένην καὶ κεκανονισμένην eſſe, vt de Ignatio toti jamdudum orbi noto, decretoriam ſententiam ferre digna ſit.* Quando, & quantopere *toti orbi notus fuerit Ignatius* epiſtolicus, mox videbimus; Duobus quidem proximis ante

Hamm. Diſſer. 2. c. 7. § 2.

Euſebium

CAPVT IV.

Euſebium ſæculis, quibus, ſi-quis revera jam tum erat, notiſſimus eſſe debuit, ignotiſſimum fuiſſe ſtatim, vt ſpero, demonſtrabimus. Huius vero στιχομετρίας auctoritas cur non tanti apud nos eſſe debeat, quanti ſuam viri doctiſſimi eſſe cupiunt, non equidem video. Ego cuiuſvis, etiam infimi hominis, jus eſſe arbitror ſecundum veritatem pronuntiare, & vera ſentienti fruſtra errores, etiam centies κεκανονισμένους obiici. Quanquam nos quidem στιχομετρίαν hoc loco, non tam ad conſtituendam noſtram de Ignatianis ſententiam, quàm ad depellendam invidiam aſſerimus, qua viros optimos, & eruditiſſimos obrui immerentes cernimus, quaſi nemo ante eos Ignatiana repudiaverit. Eſto enim στιχομετρίας auctor quicquid viris doctis libuerit; certe cuius opus jampridem in antiquiſſimo exemplari extabat, is diu ante Salmaſium, & Blondellum vixit; quos adeo non primos de Ignatianis dubitaſſe vincit. Sed nunc quidem omnes vident quam immerito viri docti de Salmaſii τοῦ πάνυ fide dubitaverint. Illi *incertum eſſe* dicunt, ex quibus tenebris, & ex qua officina στιχομετρία *παραχαραχθεῖσα obtrudatur.* Non ita de litteris, non ita de virorum doctiſſimorum gente meritus erat Salmaſius, vt ſiquid ille ſe *in antiquiſſimo exemplari* vidiſſe affirmaret, & ex eo deſcriberet, iſti ſuſpicari debuerint id, quod afferret *ex tenebris*, & ex adulterina officina παραχαραχθὲν prodiiſſe. Sed ejus, quod dixi, fidem luculentiſſime liberavit magnificentiſſima, quæ anno, poſtquam hæc viri docti ſcripſerunt, de ipſa Galliarum regia prodiit, Georgii Syncelli, & Nicephori Conſtantinopolitani Archiepiſcopi, Chronologia. Viri docti στιχομετρίαν ἀδέσποτον vocant. Editio Nicephoro vindicat, Ampliſſimo viro, primæ in Oriente Sedis antiſtiti, ſcriptori graviſſimo, atque eloquentiſſimo, & liberaliſſimis Photii laudibus ornato. Huius enim ipſius Nicephori eſt illa στιχομετρία, non alterius cuiuſquam recentioris (quod ſuggerere videbantur quædam a ſummo viro Gerardo Voſſio in ſuo de Græcis ſcriptoribus opere allata) idque ſolide & fuſe demonſtrant, eruditiſſimus Goar; quem adeat, ſiquis adhuc dubitet. Viri docti ſuſpicantur στιχομετρίαν *e tenebris*, & ex adulterina *officina* erepſiſſe. Editio in Regiæ Bibliothecæ luce extitiſſe, & nunc ex ea prodire teſtatur. Nam editionis pagina 419. *Scripturarum V. & N. T. quæ recipiuntur ab Eccleſia, & in canonem relata ſunt*, indiculum exhibet; ſimul etiam *verſuum numerum*, quibus ſinguli libri continentur; vnde στιχομετρίας nomen accepit. Tum ſequens pagina, quæ Veteris Teſtamenti non admittuntur, ea prius recenſet; Poſtremo hic titulus ſequitur; *Quæ Novi Teſtamenti ſunt apocrypha.* Καὶ ὅσα τῆς νέας εἰσὶν ἀπόκρυφα. Et hic indiculus ſeptem omnino articulis per numeros ſigillatim decurrentibus continetur; quorum hic eſt ſeptimus, ſive vltimus. 7. *Ignatii Polycarpi, Paſtoris, & Hermæ libri.* καὶ Ἰγνατίου, Πολυκάρπου, Ποιμένος καὶ Ἑρμᾶ. Si vero viris doctis Regiæ apud Gallias noſtras Bibliothecæ fides ſuſpecta ſit (quamquam cur hac in cauſa ſuſpecta ſit, nulla profecto ratio eſt) en tibi majorem omni exceptione teſtem, Anaſtaſium Bibliothecarium, hominem

Nicep. Chron. compend. edit. Lutet. a.1652. p.420.C.

Phot. Cod. 66.

Voſſ de Hiſt. Gr. L.2 c.25.

Goar Annot. in Niceph. Chronol. p. 84.

CAPUT IV. noni ſæculi, Nicephori ſupparem. Is enim in Præfatione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad Ioannem Diaconum ſuæ; *Huic ſane* (inquit) *operi ratum* *Anaſt. Præfa. in Hiſt. Eccleſ. p.3.* *duxi B. Nicephori Conſtantinopolitani Epiſcopi Chronographiam præponere; vt ſcilicet & ex ea poſſis aliquantula carpere, & ſicubi fortaſſis hac vtendum iudicaveris, tuam non lateat omnino notitiam.* Hujus autem Chronographiæ pars vltima eſt illa librorum a nobis laudata στιχομετρία, Patriarcharum Chriſtianorum indiculis ſubtexta; eamque editio Anaſtaſii Regia a. 1649. ſolido biennio, antequam ſuas viri doctiſſimi diſſertationes ederent, Lutetiæ procurata exhibet in calce hiſtoriæ Anaſtaſianæ, vbi plane ſic, vt in Græcis Nicephori, in vltimo apocryphorum Novi Teſtamenti capitulo hæc verba leguntur; *Ignatii & Polycarpi, & Paſtoris & Hermæ.* Ita aſſerta eſt, & a lævis doctiſſimorũ virorum ſuſpicionibus liberata στιχομετρίας a Salmaſio laudatæ fides; quam ſibi, non vnus, incertus & adulterinus, ſed duo veri, nobiliſſimique auctores vindicant; vnus Græcus, alter Latinus; Nicephorus, qui eam edidit; Anaſtaſius, qui adoptavit; ille Orientalis Eccleſiæ nono ſæculo caput; hic Latinæ paulo poſt ſecutis temporibus Bibliothecarius. Iam videamus, quid viri docti, ad ipſa duorum teſtium verba, Ignatiana inter apo-*Hamm. Diſſ.2. c.7.§.4.* crypha cenſentium, reſpondeant. Negant *ita vocis iſtius* [apocryphæ] *ſignificationem accipiendam eſſe, vt ſtatim ſpurium, aut* κίβδηλον, *aut* ψευδεπίγραφον, *ſequioris ævi figmentum cenſendum ſit, quicquid vbivis inter apocrypha repoſitum inveniatur. Apocryphum certe non* γνησίῳ *aut* δοκίμῳ, *genuino & probato, vereque ab auctore, cujus nomen præfert, ſcripto opponitur, ſed divinæ ſcripturæ canoni libris, vt dicitur, canonis aut veteris, aut novi inſtrumenti.* Tum *ex indiculo Canonicorum & Apocryphorum,* quem Rever. Armachanus ſe vidiſſe teſtatur *ineditum, Interrogationibus & Reſponſionibus ſubiectũ,* quæ Anaſtaſii Nicæni nomine publicatæ *Ibid. §.6.7.* ſunt; ex eo (inquam) indiculo iidem viri doctiſſimi obſervant, ibi & *Ignatii & Clementis Romani ſcripta in apocryphorum cenſu vna reponi. Iam vero cuivis notum eſt* (inquiunt) *Clementis epiſtolam ad Corinthios a nemine vnquam antiquorum illi Apoſtolico ſcriptori abjudicatam eſſe; imo poſt Novi Teſtamenti libros in codice venerandæ antiquitatis, quem Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, ad Regem magnæ Britanniæ miſit, in calce repoſitam fuiſſe; non vtique vt* κεκανονισμένην, *in canonem ſcripturæ receptam ſed vt* ἀπόκρυφον θείας γραφῆς; *qualem a pietatis ſtudioſis legi fas erat. Quominus* (inquiunt) *miraberis, etiam in ſecundo, quem Salmaſius laudavit, Indiculo inter* ἀπόκρυφα τῆς νέας γραφῆς *cum Clemente Ignatium noſtrum poni; præſertim ſi memineris, quid de epiſtolarum eius Sylloge Polycarpus pronuntiaverit;* Ex epiſtolis ejus plurimum vtilitatis capere poteſtis; fidem enim & tolerantiam, & omnem ædificationem ad Dominum noſtrum pertinentem continent. *Ex quibus divini ſcriptoris verbis ipſa quaſi definitio apocryphorum exſurgit, non qua ſpuria ſemper, & adulterina fuerint, ſed quæ cum in canonem ſcripturæ recepta non ſint, vtilitatis tamen plurimum in ſe habere cenſenda ſunt.* Mox ad hanc ſuam

Interpretationem confirmandam addunt *ex hac ipſa* στιχομετρίᾳ *Paſtorem Hermæ in eadem claſſe cum Ignatio a Salmaſio poſitum eſſe, quem tamen, & ipſe ante duas paginas, & Blondellus quoque ſatis honorifice laudant.* Ex his duo concludunt; *Alterum, quod Ignatiana inter apocrypha cenſuerit* στιχομετρία, *eo inquam, adeo non eſſe abjudicatas ſanctiſſimo Martyri epiſtolas, vt potius inſignem in Eccleſia gradum adeptæ cenſeri debeant, quæ in ipſo Novi Teſtamenti apocryphorum cenſu repoſitæ reperiuntur.* Alterum vero eſt, Salmaſium & Blondellum non ex rerum ipſarum veritate, ſed ex vno animi ſui ſtudio de his philoſophari, *qui Hermæ ſcilicet, cum eum ſibi fauere putant, ſtatim inter heroas locato cathedram figendam decernunt; Ignatium, quamprimum Epiſcopalis dignitatis fautorem, aut advocatum ſe præbuerit, ab omni virorum bonorum conſortio prorſus excludunt.* Hæc viri doctiſſimi ad objectam a Salmaſio στιχομετρίαν. Eodem effugio vſus erat Baronius ad id diſcutiendum, quod Gelaſius P.R.I. in Concilio Romano *librum canonum Apoſtolicorum* apocryphum eſſe pronuntiat. Eodem poſtea & Sirmondus vſus vt a ſui *Fauſti* capite ejuſdem Gelaſii telum hoc depelleret, *Opuſcula Fauſti Regienſis Galliarum apocrypha*; Vterque falſo & infœliciter; vt a nobis de Baronio, ab eruditiſſimo Mauguino de Sirmondo demonſtratum eſt. Sed viri doctiſſimi neſcio an non etiam multo, quam iſti, peius & infœlicius hoc effugio abuſi ſint. Quod dicunt imprimis *apocryphi* vocabulum non eum ſenſum habere, vt *quicquid inter apocrypha cenſetur*, ſtatim *id ſpurium*, aut κίβδηλον, aut ψευδεπίγραφον, *aut ſequiori ævo fictum cenſendum ſit*; fateor non eſſe eam huius nominis ex etymi ſui ratione vim; ſed ex vſu tamen Eccleſiaſtico conſequens eſſe, vt qui liber apocryphus dicitur, is fere aliquo iſtorum vitiorum laboret. Negant apocryphum *genuino & probato, & ab auctore cuius nomen præfert, vere ſcripto opponi.* Fateor; ſed *divinæ ſcripturæ*, quod iidem aiunt, *canoni* ſoli, *& libris V. & N. T. canonicis* ſolis opponi nego (ex vſu quidem Eccleſiaſtico) opponitur enim apud veteres ſcriptores libris & divinis, & Eccleſiaſticis, hoc eſt omnibus libris apud Eccleſiam notis, & probatis, vt ex Tertulliano liquet qui Hermæ ſcripturam ab Eccleſia inter apocrypha judicatum dicit; & clarius etiam ex Gelaſio, qui Tertulliani, Fauſti Regienſis, & aliorum libros in apocryphorum cēſum refert; oppoſite ad libros, non modo divinos, ſed etiam Eccleſiaſticos, puta Baſilij, Chryſoſtomi, & cæterorum Patrum apud Eccleſiam nobilium & probatorum. Vetus Gloſſarium Greco-Latinum ἀπόκρυφος. *Abſconſus, abſconditus, abditus,* ἀπόκρυφον. *Abditum, abſconditum abſconſum, ſecretum.* Ἀποκρύπτω. *Occulto, abſcondo, recondo,* ἀποκρύπτομαι *deliteo, deliteſco.* Hæc per ſe eſt vocabuli ex etymi ratione vis, ac ſignificatio. Vnde promptum eſt intelligere, quænam vel doctrinæ, vel ſcripturæ apud noſtros dicantur & intelligantur apocryphæ. Apoſtolorum enim primo doctrina, tum & ſcriptura divinitus inſpirata & tradita, extat in publica Eccleſiæ luce, omnibus fidelibus nota. Quod vero dogma poſt

CAPUT IV.

Bar. A.D. 102. §. 11.
Synod. Gelas. T. 3. Conc. p. 663
Syrmond. Hiſt. Prædeſt. c. 9.

Caput IV.

Apoſtolicam prædicationem vnus forte, aut alter ſeorſum reperit; id, vt patet, non proſtat in communi & publica Eccleſiæ luce; ideo apocryphum dicitur; quia ſcilicet arcanum, & ſecretum eſt, neque omnibus fidelibus notum. Eadem eſt librorum ratio. Divini libri in maxima apud omnes luce poſiti ſunt; ſic, vt rari ſint fideles, quos ille ſol vt ſic dicam ſcripturarum lateat. Sed & auctorum in Eccleſia probatorum, & nobilium libri in eadem, tametſi diſpari luce apud fideles verſantur. Inde factum eſt, vt libri quorum vel obſcuri auctores, & Eccleſiæ parum probati, vel ficti ſunt, vel doctrina a communi Chriſtianorum fide remota, ii *apocryphi*, ideſt abditi & ſecreti dicerentur. Non ergo *honoris*, ſed ſequioris notæ hoc vocabulum eſt, neque vnquam aliter, quam in malam partem ſumitur. Vnde patet, Nicephorum epiſtolas, quas dicit *apocryphas*, eas hoc ipſo a publica Eccleſiæ luce remouiſſe, & improbabiles cenſuiſſe; adeoque Ignatio abjudicaſſe, quem omni Eccleſiæ cognitiſſimum, & doctorem optimum atque Apoſtolicum fuiſſe certum eſt. 2. ſed tametſi hæc jam ſatis ſint ad demonſtrandum, quam fruſtra in *apocryphi* vocabulo effugium quærant viri doctiſſimi, preſſius tamen eorum de Nicephori ſenſu dicta conſideranda ſunt. Aiunt ergo apocrypha hic ab eo dici cenſerique, non quæ ſpuria & adulterina ſunt, ſed quæ cum in Canonem ſcripturæ recepta non ſint, vtilitatis tamen plurimum in ſe habent; quæ non quidem neceſſario ψευδεπίγραφα, vel ſequioris ævi figmenta; ſed ſimpliciter, quæ extra divinæ ſcripturæ canonem ſunt; quæ denique prioris Clementinæ ad Corinthios epiſtolæ ſimilia, ejuſdemque cum ea ordinis ſunt, quam conſtat & certi, notique & probati eſſe auctoris, & apud Veteres tanto in pretio fuiſſe, vt eam apud quaſdam Eccleſias publice in collectis ſacris lectam fuiſſe tradant; denique inter apocrypha cenſeri librum aliquem, id ad inſignem eius honorem, non ad notam & ignominiam pertinere. Hæc ſunt doctiſſ. virorum de *apocryphi* vocabulo ſcita; mira profecto vt oſtendimus, nova & inaudita. Sed etiam ſi *apocrypha* alibi hoc, quem illi fingunt, ſenſu aliquando dicerentur, hic quidem longe aliter a ſe ſumi id vocabulum Nicephorus ipſe clamat. Quæ enim ſunt iſta, quæ ille *Apocrypha* cenſet? I. inquit, *Itinerarium Petri verſum* 2750. II. Itinerarium *Ioannis verſuum* 3600. III. *Itinerarium Thomæ verſuum* 1600. IV. *Evangelium ſecundum Thomam verſuum* 1300? V. *Doctrina Apoſtolorum verſuum* 200. VI. *Clementis libri XXXII. verſuum* 2600; Hic ſeptimo loco adduntur ea quæ de Ignatianis exhibuimus. Iam dicant mihi viri doctiſſimi, num Nicephorum putent dum hos libros in apocryphorum cenſu reponit, eo duntaxat primam & librorum divinitus inſpiratorum propriam auctoritatem denegare, ſecundam, & quæ librorum Eccleſiaſticorum, vt Clementinæ ad Corinthios laudatiſſimæ epiſtolæ, eſt, auctoritatem, adeo nolle adimere, vt etiam eam illis tribuere voluerit, & vtiliſſimos eſſe, & a piis cum magno fructu legi poſſe ac debere, ſignificaverit? Atqui vel ipſa librorum nomina docent hos a doctiſſimo

Epiſ-

CAPVT IV.

Epiſcopo extra omnem ſcripturarum non modo divinarum, ſed etiam Eccleſiaſticarum probatarum, & authenticarum cenſum ejici; & ad eas relegari, vel quæ auctorum ſunt hæreticorum ſunt falſorum, fictorum-ve, vel quæ certe venenis inſperſæ ſunt, ideoque cavendæ, & a publica Eccleſiæ luce removendæ. Hujus enim eſſe ordinis illa Petri, Ioannis, & Thomæ itineraria, & Thomæ Evangelium, nemo adeo eſt in antiquitatis monumentis peregrinus, qui neſciat. Idem ergo ſtatuendum eſt, tum de illa, quæ dicitur Apoſtolorum doctrina, deque Clementinis, & Ignatianis, quæ 5°. 6°. & 7°. loco in Nicephori indiculo adduntur. Aut Ignatiana, eadem cum Itinerariis & Clementinis lege damnanda ſunt; aut cum Ignatianis hæc quoque abſolvenda. Nullum enim eſt inter vtraque a Nicephoro poſitum vel minimum, diſcrimen; Vtraque vno eodemque ſimpliciſſimo apocryphorum elogio donata, quo ſi Ignatiana ad inſignem in Eccleſia honoris gradum evecta ſunt; nulla ratio eſt, cur eodem non pariter quoque ornata, & ad eandem gloriam promota fuerint Itineraria & Clementina. Si vero hoc elogio Itineraria & Clementina notata ſunt & damnata; neceſſe eſt eodem Ignatianis quoque eandem eſſe inuſtam ignominiam. Vna enim eſt eademque, vno eodemque nomine, ſiue elogio, de vtriſque lata a Nicephoro ſententia. Ea vero non abſoluta, ſed damnata, non ornata, ſed notata fuiſſe Itineraria & cætera iſtic recenſita, omnes confitentur; Ergo velint nolint viri doctiſſimi, eadem quoque ſententia damnata notataque itidem fuiſſe Ignatiana neceſſario conſtituendum eſt; non ad honorem profecto, ſed ad labem, atque ignominiam ſempiternam. Quod vero ſuæ gloſſæ advocant ex indiculo inedito præſidium, id plane ficulneum eſt. Aiunt in illo indiculo Ignatii & Clementis Romani ſcripta in Apocryphorum cenſu reponi. Indicem, fateor, non vidi. Sed Rever. Vſſerius qui viderat, non hæc, ſed alia quædam narrat, longe ab iſtis diverſa. Sic enim de illo indiculo loquens ſcribit; *ibi* (inquit) *in apocryphorum claßem* Κλήμεντος διδαχὴν & Ἰγνατίου διδαχὴν *pariter relatam animadverti.* Illam Clementis διδαχὴν, ſive doctrinam Reverendiſſ. atque eruditiſſ. Vſſerius vere ni fallor, accipit de octo Clementinarum conſtitutionum libris; quos negat ſe facile credere alios fuiſſe a dicta Clementis διδαχῇ. Male ergo viri doctiſſ. Ignatii & Clementis ſcripta in eo indiculo, inter apocrypha cenſita fuiſſe ſcribunt. Scribere debuerunt *Clementis & Ignatii* Διδαχὴν; id eſt certum quoddam vtrique viro vulgo attributum, eodem διδαχῆς titulo, opus; non autem omnia, vel quævis vtriuſque ſcripta. Quam vereor ne viri doctiſſi. in Vſſerio ſuo legendo nimium feſtinarint! Id vero etiam inde colligo quod paulo ante ita de eo ſcripſerunt; *In binos certe Apocryphorum indiculos ſe incidiſſe affirmat Reverendißimus Archiepiſcopus Armachanus, ineditum vtrumque.* Hæc illi; atque & Armachanus eo loco, quem citant, & ipſi ſtatim, alterum indiculorum, editum fuiſſe aiunt ad calcem Chronographiæ Nicephori; ſed hæc obiter leviora.

Vſſer. Proleg. ad Ignat. c. 1. p. 2. init.

Hamm. Diſſert. 2. c. 7. §. 5. Vſſer. Proleg ad Ignat. init.

Illud,

CAPUT IV.

Illud, quod ex iis, quæ diximus, patet, ad rem ſatis eſt; nimirum in Indiculo inedito Clementis, non ſcripta ſimpliciter, & in genere, vel omnia, vel quævis (quod ponunt viri doctiſſimi) ſed Διδαχὴν proprie in Apocryphorum cenſu reponi. Hinc enim omnes intelligunt illa plane aliena, & ἀπροσδιόνυσα eſſe, quæ iidem hoc loco de vera & laudatiſſima Clementis ad Corinthios epiſtola afferunt, quam certum eſt longe aliam eſſe ab illa Clementis Διδαχῇ inter apocrypha ab Indiculi auctore cenſita, neque vnquam ab vllo veteri ſcriptore hoc Διδαχῆς nomine ſignificatam. Nos vero epiſtolam illam a veteribus pro vero germanoque Clementis opere agnitam, & magno quo profecto digniſſima eſt, honore poſt divinas ſcripturas habitam fatemur quidem, ſed eundem in apocryphorum cenſu repoſitam negamus. Itaque qui & honores delati ſunt, ii nihil ad Ignatiana noſtra faciunt, quæ vir & Patriarcha graviſſimus Nicephorus in iſtorum apocryphorum ordine apertiſſime recenſuit. Quæ vero Clementis nomen præferentia in eundem apocryphorum cenſum conjicit, ea nihil minus eſſe, quam Clementinam ad Corinthios epiſtolam, manifeſtum eſt. Illa enim Clementis, quæ damnat, *libros* vocat *Clementis XXXII*. qui titulus, vt liquet, ab epiſtola ad Corinthios alienus eſt. Tum 32. illos libros verſuum fuiſſe dicit 2600. Epiſtolam vero illam ad Corinthios longe pauciorum fuiſſe verſuum inde conſtat quod hac haud paulo longius Iobi volumen, idem verſuum fuiſſe dixerat non plurium, quam 1800. Quod vero de Herma addunt viri doctiſſimi, neque id quicquam eorum cauſam juvat; *Hermam* (inquiunt) *Nicephorus in eadem cum Ignatianis apocryphorum claſſe repoſuit*. Quidni, inquam, repóneret, cujus *ſcripturam adulterinã* dicit Tertullianus, *ab omni Concilio Eccleſiarum inter apocrypha & falſa*, *jam olim ſuo ævo* (ideſt circa initia tertii a Chriſto nato ſæculi) *iudicatam* fuiſſe docet? Hinc vero id quod diximus, liquido cõfirmatur, *apocrypha* hic a Nicephoro, quæ recenſet, damnari, vt ficta, vel periculoſa; non laudari vel ornari, vt divinis proxima, & poſt ea ſecundo in Eccleſia loco cenſenda, quod eſt doctiſſimorum virorum dictatum. Nam ſi Nicephoro Ignatiana ejuſdem ſunt vt iidem volunt, cum Herma claſſis; negare non poſſunt, quin eadem ille habuerit pro falſis, adeoque fictis & ſpuriis, cum & ex Tertulliano, & ex Gelaſio appareat hoc Eccleſiæ de Herma fuiſſe judicium, & antiquiſſimæ tertio ineunte ſæculo, & recentioris exeunte quinto ſæculo. Gelaſium certe manifeſtum eſt Hermam in eo apocrypharum ſcripturarum ordine cenſuiſſe, quæ opponuntur, non ſimpliciter (quod volunt viri doctiſſimi) libris veteris ac Novi Teſtamenti canonicis; ſed iis in genere omnibus libris qui apud Chriſtianos orthodoxos probatique habentur, ſive divini, vt Apoſtolici, & alii θεόπνευστοι, ſive Eccleſiaſtici, vt Cypriani Martyris, vt Gregorii Nazianzeni, vt Baſilii, & Cyrilli, vt Hilarii & Ambroſii, & aliorum eiuſdem cenſus Patrum, quos plures enumerat, & his enumeratis ſic pergit; *Cætera, quæ ab hæreticis, ſive Schiſmaticis ſcripta, vel prædicata ſunt,*

Tertull. de Pudic. c. 10.

ſunt nullatenus recipit Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & a Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda. Tum ſequitur hic titulus; *Item notitia librorum apocryphorum, qui non recipiuntur.* Nulla ergo dubitatio eſt, quos ille apocryphos dicat; nimirum, *quos Eccleſia Catholica nullatenus recipit,* quique *a Catholicis vitandi ſunt* , (Hos enim ſe ſubditurum promiſerat) qui diverſi ſunt a Cypriano, Nazianzeno, Hilario & cæteris, quorum ſupra indiculum huic iſtorum quos ſubdit, notitiæ oppoſitum texerat. Iam in illa apocryphorum notitia Gelaſius inprimis edit *Ariminenſem* Synodum *Arianam*; tum *falſa Apoſtolorum Itineraria, Acta,* & *Evangelia*; & in his (quod omnino eſt obſervandum) *Itinerarium Petri, Thomæ Actus* (id eſt, vt ego interpretor, eum ipſum librum, qui alias *Thomæ itinerarium* vocatur) *Thomæ Evangelium.* Atqui & ab his ipſis Nicephorus noſter, vt liquet, ſuum quoque Apocryphorum indiculum eſt exortus. Denique ſeptimo poſt Thomæ Evangelium loco *Hermam* Notitia Gelaſiana inter illa quoque ſua apocrypha exhibet; *Liber qui appellatur Paſtoris, Apocryphus.* Sic quoque indiculus Nicephori noſtri vno & altero libro poſt Thomæ Evangelium commemoratis; *Ignatij, Polycarpi, Paſtoris, & Hermæ libri.* Vtriuſque Cenſoris, Romani, & Conſtantinopolitani, & quidem vtriuſque ſummam in Eccleſia dignitatem ſuo ſæculo gerentis, concors eſt, vt vides, planeque ejuſdem generis cenſura; hoc vno diverſa, quod Romani fuſior, ac prolixior, Conſtantinopolitani multo brevior ac contractior. Quos ergo vterque dicunt *apocryphos*, profecto eodem ſenſu dicunt: præſertim cum quoſdam libros vterque eoſdem in ſua notitia ediderint. Quos Gelaſium hoc nomine intelligere clarum atque indubitatum eſt, libros ab *Eccleſia nullatenus receptos & a Catholicis vitandos*, eoſdem quoque Nicephorum *apocryphorum* nomine ſignificare voluiſſe, certum ac confeſſum eſſe debet. Atqui Hermam vterque in eo numero cenſuit. Ergo Hermæ librum etiam a Nicephoro, æque; ac a Gelaſio, non ex divinorum modo canone (quod fruſtra volebant viri doctiſſimi) ſed etiam ex librorum ab *Eccleſia receptorum*, & *a Catholicis minime vitandorum*, ac Cypriani denique, & Baſilii ſimilium, cenſu exterminati confitendum eſt; eandemque ab eo de Ignatianis prolatam eſſe ſententiam, quæ ille vna cum Paſtore vno eodemque articulo in ſua apocryphorum notitia complexus eſt. Ita viris doctiſſimis melius fuerat *Hermam* non tangere; cujus nomen argumentum adverſus ipſorum gloſſas invictum nobis ſuggeſſit. Sed tamen (inquiunt) illam Hermæ in apocryphorum cenſu poſitam ſcripturam citant & Salmaſius, & Blondellus. Quidni quæſo, citent, ſiquid habet is liber, quod ſibi vſui eſſe poſſe putent? Scilicet apocrypha nuſquam citant veteres! Nuſquam recentiores! Cur quod cæteris licet, hos nefas erit audere? Ille Paſtoris ſcriptor, etiamſi non is ſit quem ſe videri vult, Hermas Clementis σύγχρονος, & Pauli diſcipulus; vetuſtiſſimus tamen

Capvt IV.

Salmaſ. Diſſert. 1. de Epiſc. p. 250. Blondel. Apol. pro Hier. p. 17.

Caput IV. eſt, & Pii, vt videtur, epiſcopi Romani frater, qui non paucis ante Tertullianum annis vixit. Iam cum & hic, & alii apocryphorum ſcriptores, ſua ſoleant ad præſentis ſuo ævo Eccleſiæ ritus, mores, ac ſermonem effingere; imo plerique eo potiſſimum conſilio ſua figmenta ſub vetuſtiorum nomine edant, vt res ſui ſæculi novas falſo antiquitatis nomine conſtituant ac confirment; clarum eſt etiam ex iſtius generis apocryphis magnam vtilitatem percipi poſſe, ſi diligenter obſervetur, quos illi mores, & quos ritus Eccleſiæ, & Chriſtianis illis tribuant, de quibus loquuntur. Qui ergo Salmaſius & Blondellus ad hoc ipſum Hermam vterque citarunt, vt ex eo oſtenderent, quod fuerit veteris circa Pii tempus Eccleſiæ regimen, quique mores, & quæ miniſteria, illi recte & legitime ſe geſſerunt; neque eo commeriti ſunt, vt Hermæ faviſſe arguantur, multo vero minus? vt *ei inter heroas locato cathedram figendam eſſe decreverint*, quod ego a viris doctiſſimis ita ſcriptum eſſe nequeo ſatis mirari: quaſi ſcilicet non alios nobis citare in his diſputationibus liceat, niſi quos *heroas* eſſe putaverimus, quibuſque veluti Eccleſiæ doctoribus, ac magiſtris *cathedram figendam* eſſe ſtatuerimus. Ex his ipſis Ignatianis, quæ notha eſſe cenſemus, quam multa nos vtilia carpimus? Etiam ex Ennii ſtercore gemmas Virgilius, & ex ſpinis roſas omnes legunt. Viderint viri doctiſſimi. Nos quidem neque ea, quæ apocrypha eſſe credimus, ſic abominamur, vt ſi quid in iis ſit vtile, aut laudabile, id ſpernendum putemus; neque viciſſim Eccleſiaſtica omnia ſic amplectimur, vt ſi quid inſit vitii, nobis id continuo adoptandum eſſe judicemus. Quod ergo viris preſtantiſſimis objicitur tanta mentis impotentia, vt ſcriptores non ex vero, ſed pro ſui animi ſtudio vel heroas, vel noxas eſſe jubeant; id nulla vt apparet, ratione nititur. Denique quod ex Polycarpi epiſtola pro Ignatianis teſtimonium viri doctiſſimi afferunt, id nos quale ſit, & quam ad hanc cauſam vim habeat, infra ſuo loco expendemus. Cæterum id, quodcumque & qualecumque apud alios ſit, Nicephoro quidem perperam objicitur, qui ipſam illam, ex qua affertur, epiſtolam inter apocrypha; nullius apud ſe pretii, cenſet. Atque hæc quidem viri doctiſſimi ad hoc Nicephori in ſua librorum ςιχομετρία teſtimonium dixerunt; quæ quam vana ſint, & quam ipſi fruſtra in verum nitantur, omnes jam ni fallor, vident. Multo melius, ac modeſtius, ac ſi quid judico ſapientius ille Armachæ Præſul, toties nobis dictus, & deinceps dicendus, optimus & doctiſſimus Vſſerius, qui miſſa omni illa de vocabulo, iniqua & inani vitilitigatione, Ignatiana ſua ab hoc Nicephori telo ſic defendit; *Poſtquam* (inquit) *ad ſex, ex quibus ſylloge conſtabat, epiſtolas acceſſerunt totidem aliæ; & priores quoque illæ, ita ſunt auctæ, ita diminutæ ita a priſtina forma immutatæ, vt quam olim obtinuerunt auctoritatem plane amiſerint, mirari non debemus, ſi Ignatium, vna cum Polycarpo ſuo, in apocryphorum ſcriptorum numero repoſitum videamus.* Tum addit; *Si Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ, & eum ſecuti Anaſtaſii Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarij,*

Vſſer. Proleg ad Ignat. c. 3. p. 13.

cary,

carij; iudicio hic ſtandum fuerit, tutius viſum iri, omnes Ignatij epiſtolas in commentationum apocrypharum numero collocare. Cum illo autem Nicephori & Anaſtaſii Veteris Bibliothecarii judicio, vere ac merito denique obſervat vix eſſe, *vt illud Cæſaris Baronij nuperi eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarij,* effatum commode conciliare poſſimus, *ſcribentis harum epiſtolarum firmiſſimam ſemper in Eccleſia fuiſſe fidem, nec ab aliquo vnquam in dubitationem vel levem adductam.* Hæc optimus ac doctiſſimus Vſſerius, ex quibus apparet eos immodeſtiæ, aut temeritatis immerito accuſari, qui Ignatiana damnarunt, præſertim antequam nova veteribus libris eorum editio vulgata, hac quæ circumfertur, multo brevior, ac purior, ab Vſſerio & Voſſio procurata prodiiſſet. Nam ſi Ignatiana hac vulgata, ideo quod & ſex epiſtolis novis, & multis præterea aſſumentis auctiora ſint, quam decet, omnem eam auctoritatem, quam olim obtinuerant, plane (quod ait reverendiſſimus Vſſerius,) amiſerant; apparet ea, & a Nicephoro Anaſtaſioque primum, & a noſtris deinceps pęne omnibus jure ac merito eſſe rejecta & repudiata, & a Baronio & alijs ſive Latinis, ſive Proteſtantibus, immerito & injuria aſſerta. Quæ enim nullius ſunt *auctoritatis*, ea profecto & rejici ius eſt, & laudari ac vindicari iniuria. Atque hoc vnum noſtros omnes, qui ante hac Ignatiana in diſputationibus Theologicis ſive a Latinis, ſive ab alijs objecta, veluti caſſa, nulliuſque auctoritatis ſpreveverunt, ſatis ab iniquiſſima doctorum virorum criminatione defendit, a quibus illi paſſim ob hoc ipſum acerbiſſime notantur; veluti *novatores* & *antiquitatis contemptores*, & *ſuperbi* atque *αὐθάδεις*, qui Ignatium vno *cauſæ*, quam adverſus *hierarchiam* tuentur, *ſtudio, nulla autem vera ac iuſta de cauſa ex vetuſtiſſimorum Patrum conceſſu* ejiciant. Mitiſſimi Vſſerii ſapiens dictum eos omnes tantorum criminum ſimul ſemelque abſoluit. Cæterum quod idem vir doctiſſ. putat Ignatiana a Nicephoro & Anaſtaſio in apocryphorum cenſu non alia de cauſa eſſe repoſita, quam quod interpolata, & novis epiſtolis additis corrupta eſſent; eoſque videtur exiſtimare longe aliter judicaturos fuiſſe, ſi Ignatium habuiſſent, qui qualiſque Hieronymi & Theodoreti temporibus fuerat; id ingenioſiſſime fateor, & ad cauſam, quam agit, appoſitiſſime inventum eſt; ſed quod mihi ſalua illa reverentia dicere liceat, quam ſanctiſſimi viri manibus, & memoriæ debeo, non videtur ſatis certum. Quæ enim ratio eſt, cur hanc Nicephoro ſuſpicemur fuiſſe cauſam Ignatiana traducendi? Nulla in omni ejus cenſura apparet. Neque vllus eſt eorum librorum quos damnat, de quo aliquid ſimile dici poſſit. Trullani quidem Patres, cum Apoſtolicas quæ dicuntur Conſtitutiones, ob eam, quam reverend. Vſſerius dicit, cauſam, rejicerent, de eo diſertiſſime monuerunt. *Quoniam* (inquiunt) *in his nobis canonibus præceptum eſt, vt eorumdem ſanctorum Apoſtolorum per Clementem Conſtitutiones ſuſciperemus, quibus ab heterodoxis iam olim, non ſine Eccleſiæ pernicie, adulterina quædam, & a pietate aliena inſerta ſunt, quæ divinorum nobis dogmatum elegan-*

CAPVT IV.

Synod. Trull. Can. 2.

Caput IV. *elegantem ac decoram ſpeciem obſcurarunt; has Conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem, ac ſecuritatem conducibiliter reiecimus, hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam immiſcentes, & germanæ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſerentes.* Hæc iſti. Vides quam diligenter purgent ſuum de libro olim, vt credebant, probato judicium! Seque librum teſtentur non alia de cauſa, quam ob vitium ei ab hæreticis oblatum repudiare? Merito. Hanc enim, vt omnes intelligunt, cautionem requirebat debita majoribus reverentia. Idem haud dubie in Ignatianis facturus erat Nicephorus, ſi ea non per ſe proprie, ſed tãtum ob addititia, & interpolata damnaret; ſi quam olim primęvę Chriſtianitatis in hunc librũ reverẽtiam fuiſſe ſciviſſet. Monuiſſet lectores, epiſtolis inſerta mala manu multa aliena, præter genuinas & a veteribus laudatas epiſtolas, fuiſſe alias perperam ab aliquo impoſtore adjectas. Atqui horum nihil dixit Nicephorus. Ignatiana ſimpliciter damnavit. Illud vero plane etiam incertum eſt; an is duas fuiſſe neſciverit diverſas Ignatii editiones, & priorem poſtea ab interpolatore fuiſſe vitiatam. Fieri enim poſſe, vt etiam puriorem ac ſinceriorem adiectitiis aſſumentis liberam viderit, ea oſtendunt, quæ nos ſupra ex Reverendiſſimo Vſſerio docuimus, eam adhuc apud Græcos extitiſſe, non modo ſub Heraclio Imperatore, ſed etiam Ioannis Damaſceni, & Antonii Meliſſæ, etiam Damaſceno recentioris, imo eſt Macarij Chryſocephali temporibus. Si vidit, & vere Ignatii eſſe putavit; cur abſolute ac ſimpliciter Ignatium ad apocrypha relegavit? Si vidiſſe neges; mirum eſt tantum virum ea neſciviſſe, quæ & Damaſcenus, & Meliſſa, & Chryſocephalus ſciverunt. Itaque vix ego dubito, quin ſex illas epiſtolas interpolatori intactas viderit; ipſaſque perinde vt ſex alias adjectitias, nothas eſſe, & Ignatio ſuppoſitas judicaverit. Vtcumque ſit, periculoſæ quidem plenum aleæ eſſe videtur, vt quia duo doctiſſ. ac clariſſ. viri exemplaria quædam nuper repererunt, in quibus ſex ab Euſebio memoratæ epiſtolæ vulgatis multo breviores, & ad originem ſuam magis conſentaneæ leguntur, ideo has vere a Martyre fuiſſe ſcriptas decernamus; imo etiam imaginemur Nicephorum, ſi has vidiſſet, Ignatiana pro veris & authenticis habiturum; eaque ipſum non alia de cauſſa inter apocrypha retuliſſe, quam quod Voſſiani, & Vſſeriani codicis epiſtolas nullas vidiſſet. Mitto in illis ipſis codicibus, in quibus ſex illæ epiſtolæ emendatiores inventæ ſunt, quaſdam earum; imo in Vſſeriano plæraſque repertas eſſe, quas nothas fictaſque eſſe ipſi Vſſerius & Voſſius putant. Mitto quædam a veteribus ex Ignatio citari, quæ in his non comparent; Mitto aſperſa hic illic labes, & lectiones interdum, quam in vulgatis codicibus, deteriores. Mitto alia hujuſmodi, quæ neque doctiſſ. Hammondo, neque Reverendiſſ. Vſſerio plane ſatisfaciunt. Nicephori vero & qui eum hac in parte ſecutus eſt, Anaſtaſii Bibliothecarii veterem de Ignatianis ante octo ſæcula latam ſententiam ſpernere grave eſſe videtur; cui non dubito quin multo quam nobis

melius atque clarius, cognita ac perſpecta fuerit tota hæc cauſſa. In hujus itaque judicio conquieſcere longe tutiſſimum eſſe videtur; etiam ſi nulla ſuppeterent pro eius ſententia aliunde petita argumenta. Nullum enim erit, ſi Ignatiana in apocryphis, quibuſcũ ille ea collocavit, cubare ſinamus, fidei noſtræ periculum; cui abunde Dominus in ſcripturis ſuis proſpexit; nequid de alijs non paucis dicam primæ memoriæ certis ac indubitatis ſcriptoribus. De eo certe ſcripto dubitare, quod vir doctiſſimus, ſummæ apud ſuos dignitatis, Patriarcha CP. exſerte in apocryphorum cenſu ante annos octingentos collocavit, nulla vt opinor, invidia eſt. Nos itaque cum bona doctiſſimorum virorum venia, a quibus hac in parte diſſentimus, quæremus, vtrum rectius ac verius ſit de Ignatianis judicium ipſorum-ne, qui hæc vera & *δόκιμα* & *γνήσια* eſſe nunc affirmant; an Nicephori & Anaſtaſii, qui hoc ipſo olim negarunt, quod ea apocrypha eſſe pronunciarunt? In qua diſputatione ita cum bono Deo, verſabor, vt quæ veriora eſſe puto, ea primum argumentis, quo ad a me fieri poterit, claris, atque idoneis confirmem; tum quæ a diſſentientibus aliqua cum ſpecie objiciuntur, ea breviter ac dilucide, pro mea quidem tenuitate, explicem ac diſſolvam.

CAPVT V.

Perperam a D.r Hammondo ex his diſputationibus explodi argumenta ab auctorum de re propoſita ſilentio ducta. Argumentum adverſus Ignatiana II. *Quod Ignatiana omnibus Chriſtianis ad a. D* 300. *Ignota fuerint; Ac* 1°. *quidem Irenæo; quod ex ejus opere adverſus hæreſes patet, in quo cum eorum errores oppugnet, qui ſunt in Ignatianis notati & confutati, quidam etiam nominati, Ignatiana tamen nuſquam vel nominat, vel etiam innominata citat, aut refert, aliorum vel nomina edere, vel dicta referre ſolitus ſe vetuſtiorum; imo ne eo quidem loco ea memorat, in qua hæreſes, Clementis & Polycarpi teſtimonio confutat, quo Ignatiana longe futura erant validiora.*

PRimum ergo, & quidem adverſus vniverſas iſtas epiſtolas commune argumentum a ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſilentio ducitur, qui ante Euſebium apud nos floruerunt. Neque enim nos, quominus hoc argumentandi genere vtamur, deterret doctiſſimi Hammondi judicium, quodam loco nos monentis quam nihili facienda ſint argumenta ex teſtimonio negativa; *quibus illud tantummodo rite confici, ac colligi* jocans ſcribit. *Eum plane poſitivis deſtitui, quiſquis negativis vti voluit.* Bellarminus eadem quoque noſtris alicubi præſcribit; *Reſpondeo* (inquit) *primo nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negative.*

Hamm. Diſſert. 2. c. 10. §. 2.

Bell. L. 1. *de Pontif. R.* c. 8. § 3.

CAPUT V.

Sic quoque Monachi ſuas de Dionyſio Areopagita, deque Lazaro & Magdalena, & Trophimo fabulas adverſus Sirmondum, & Launoium, & alios φιλαληθεῖς tueri aggredientes, idem hodie ſciſcunt, & illam a ſcriptorum ſilentio argumentationem ex hac omni diſputatione inprimis excludunt. Nihil enim eſt, quod omne φιλομύθων genus magis oderit, ac reformidet, quam hanc tutiſſimam veritatis certo explorandæ regulam; qua veluti valida quadam machina evertuntur ac diſiiciuntur omnia impoſtorum commenta, ac figmenta & in noctis & vmbrarum, mendaciumque nebularum regionem etiam ea rejiciuntur, quæcumque longa hominum ab impoſtoribus deluſorum credulitas plane conſtituiſſe ac firmaſſe videbatur. Ego vero non negaverim quædam eſſe hujuſmodi, in quibus perperam hoc argumenti genus adhibeas. Id in vniverſum, veluti caſſum & futile, abdicari, abſit vt concedam. Vſi ſunt plurimi doctiſſimi atque ſapientiſſimi veteris æque ac recentis memoriæ viri, quos nolim exiſtimari ita omnes diſipuiſſe, vt ſeque, & lectores ſuos argumentis nihili faciendis luſerint. Quin & illud vereor, ſi dictatum doctiſſimi Hammondi admittatur, ſique ex his diſputationibus plane exulare jubeantur argumenta illa, vt vocat, *ex teſtimonio negatiua*, ne latam fabulis, & impoſturis, etiam craſſiſſimis, portam aperiamus, & quæcumque planis & ſophiſtis fingere vel ſomniare libuerit, ea pro veris certiſque admittere cogamur. Nam in hoc rerum genere, quæ poſterioribus temporibus fictę vetuſtioribus impudenter inſcribuntur, ac imputantur poſitiva teſtimonia ab iis fruſtra expectes; qui ante vivebant quam res illæ fingi cæpiſſent; Vt ſi a me nunc de ſæculo Ignatii mortem proxime conſecuto teſtem requiras, qui has de quibus controverſia eſt, epiſtolas diſerte & affirmate falſas fictaſque eſſe perhibeat; tu vero iniquiſſime ac plane ſophiſtice mecū egeris; qui id a me poſtules, quod cum mea ipſa hypotheſi pugnat. Nimirum qui nondum eo tempore extitiſſe epiſtolas contendo, hoc quoque neceſſario ſtatuere me ac tueri neceſſe eſt, neminem eſſe illius memoriæ, qui de epiſtolis quicquam in alteram partem, quæ nondum erant ſcilicet, dicere vel ſcribere potuerit. Iam cum abſurdum ſit, ac pæne incredibile res memorari digniſſimas ab iis omnibus ſcriptoribus taceri, qui temporum, quibus geſtæ ſunt, proximi, adeoque earum gnari fuerunt (ſi illi quidem, quæ ſunt ejus generis, ea litteris mandare ſolent) nemo non videt aliquem, imo magnam vim habere hujuſmodi ſcriptorum ſilentium, ad hoc vt ficta putentur, quæ de eadem ætate, ſed diu poſtea jactari, ab hominibus incipiunt, qui neque rebus geſtis interfuerunt ipſi, & ſæculis vixerunt inde remotioribus, quam vt certo ea ſcire ac teſtari poſſent, quæ tanto ante ſe intervallo contigerint. Quod ſi vel nulla vel admodum cara eſſet eorum in humano genere annona, qui vera invertere, falſa prodere vel ex aliquo animi ſtudio, vel ex ſola etiam libidine amant, proque joco ac ludo habent; fateor equidem hanc indagandæ veritatis tam accuratam tamque anxiam rationem nulla

noſtra

CAPVT V.

noſtra fraude, nulloque periculo contemni, ac nihili fieri poſſa. Cum vero impoſtoribus & fabulatoribus plena & nunc ſint, & jam olim fuerint omnia, qui res ſacras profanaſque, Eccleſiaſticas ac ſæculares denſa figmentorum ac mendaciorum caligine, & involuerunt jampridem, & involuere quotidie non deſinunt; niſi falli & decipi ſcientes prudenteſque velimus, non eſt temere cuivis credendum, ſummaque omnino cautio adhibenda eſt, ne fidem noſtram, aliis quam compertis atque exploratis teſtimoniis accommodemus. Itaque illud mihi longe tutiſſimum videtur, ne de rebus vel ſcripturis antiquis quicquam admittamus, niſi quod teſtes habet vel eiuſdem, vel certe proximi ævi; quæ hac auctoritate carent, ea in medio relinquamus. Sed de vi argumenti negantis, & doctiſſimus Sorbonæ Theologus Launoyus nuper fuſe diſputavit, & nos fortaſſe aliquando dicemus, ſi qua ſe ad eam rem occaſio præbuerit. Nihil nunc quidem neceſſe eſt in eum locum excurrere.

Laun. Diſſert. de auctor. argum. negantib.

Quod enim affero argumentum, id ſe ſua ipſum luce ita niſi fallor, commendabit vt ſi, quibus conſtat partibus, eas ſigillatim probare ac conſtituere valeamus, neminem futurum ſperem, ac ne ipſum quidem fortaſſe ſi viveret D. Hammondum, qui de conſequentia (vt loquuntur) dubitare poſſit. Sic enim agimus. Ignatium, qui a. D. 107. annis poſt Ioannis mortem non pluribus, quam octo aut novem, martyrium Romæ fecerit, Apoſtolos ipſum audiviſſe, & ex his puriſſimis Chriſtianiſmi fontibus doctrinam ſuam hauſiſſe conſtat. Huc accedit eximia viri dignitas, qui non modo Apoſtolorum diſcipulus, ſed eorum inſuper judicio ſic probatus ſit, vt Antiochenæ, id eſt omnium quæ apud gentes erant Eccleſiarum antiquiſſimæ, ad hæc ob civitatis in ſæculo amplitudinem, atque præſtantiam, nobiliſſimæ præfici meruerit. Quid ejus poſtremo martyrium dicam, quo opere nihil vnquam apud noſtros excellentius, aut præclarius habitum fuiſſe ſcimus? Hujus ergo tanti ac talis viri, in quo ſumma omnia erant, ſi vere ſunt quæ, nunc circumferuntur, epiſtolæ; eas jam ab illis temporibus, totoque quod ſucceſſit ſæculo celeberrimas fuiſſe neceſſe eſt, & poſt Apoſtolorum ipſorum, & Clementis ſi forte ſcripta, longe nobiliſſimas. Sed eas præter auctoris meritum, ipſum inſuper tempus, quo datæ eſſe dicuntur, ſupra modum nobilitare debuit. Ferunt enim ab Ignatio in ſupremis, in martyrii meditatione eo ipſo tempore ſcriptas eſſe, quo edita Antiochiæ apud Trajanũ præclariſſima Chriſti confeſſione, Principis ore ad beſtias damnatus, Romam ad mortem pro Domino oppetendam abducebatur. Sed & eorum, ad quos epiſtolæ datæ ſunt, nomen plurimum ad hoc, quod diximus, momenti afferebat. Omnes enim vel ad viros in Chriſti Eccleſia illuſtriſſimos, Polycarpum & Heronem, vel ad totas Eccleſias, eaſque præcipui apud noſtros illa tempeſtate, nominis ac loci, ſcriptę ſunt; ad Epheſios, ad Romanos, ad Antiochenos, ad Philippenſes, ad Smyrnæos, ad Tarſenſes, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Philadelphienſes. Cum ergo carorum pietate præſertim ac virtute præſtantium, virorum

ipſas

ipſas etiam ad familiares, in ſupremis editas voces magna cura excipere, ſervare, celebrare, memoriæque poſterorum mandare ſoleamus; quo ſtudio a nobiliſſimis illis Eccleſiis exceptas eſſe par eſt ſanctiſſimi Martyris ad ſe in ipſa, vt ſic dicam, arena, ſcriptas litteras? Quo animorum motu recitatas? Qua caritate cum ſuis, quacumque Chriſti nomen colebatur, fratribus communicatas? Tantum enim fuiſſe noſtrorum primis illis temporibus in Epiſcoporum ac Martyrũ ſuorũ memoriam, amorem, vt eorum litteras, ſi quas haberent egregias, publice in Eccleſia ſolennibus diebus recitarent, abunde nos docet Dionyſius Corinthius, qui datam olim ante annos circiter 80. ad ſuos a Clemente Romano epiſtolam, etiam ſuo æuo Corinthi die dominica publice in Eccleſia lectitari ſolitam fuiſſe tradidit. Non eſt ergo dubitandum, quin & his Ignatii epiſtolis, ſi quidem vere ejus ſunt, idem honos apud omnes illas Eccleſias, ad quas datæ ſunt, habitus fuerit; ac eo quidem impenſius, quod præter hæc quæ diximus, omnia, eas per ſe ſummopere commendaret ipſa rerum, quas tractant, excellens bonitas, atque vtilitas. Sunt enim omnes de rebus divinis, atque Eccleſiaſticis ſcriptæ, continentque ſiquid Baronio credimus, *omnem Eccleſiæ diſciplinam, mores & Apoſtolicas traditiones*; adeo vt earum lectione nihil ad plebis Chriſtianæ ædificationem fieri poſſet commodius atque efficacius. Sed quid argumentis in re confeſſa opus eſt? Summum Eccleſiarum in has epiſtolas amorem, ſummam colligendarum & ſervandarum & apud fratres diſſeminandarum curam, ſummumque ſtudium fuiſſe ſatis teſtantur ipſa illa, ſi vera ſunt, Polycarpi de iis verba, quæ noſtri omnes in hac cauſa adverſarii afferunt, recitant, & ſemper in ore habent, quibus docet ſe a Philippenſibus rogatum, omnes Ignatii epiſtolas, quaſcumque apud ſe haberet, collegiſſe, eaſque ad ipſas his ſuis litteris ſubiectas mittere. Ex his ſatis nunc conſtat has, quas hodie legimus epiſtolas, ſi verè Ignatii ſunt, non potuiſſe non eſſe omnibus illius, & proximæ deinceps memoriæ Chriſtianis, præſertim vero litteratis, & eruditis, ſi qui eſſent, notiſſimas, imo poſt divini fœderis libros ab ipſis Ieſu Apoſtolis & diſcipulis editos, his epiſtolis nihil eſſe debuiſſe in tota Eccleſia nobilius ac celebrius; niſi forte Clementis ad Corinthios epiſtolam exceperis, annis, vt videtur, ante Ignatii martyrium paucis ſcriptam. Hanc vnam ſi cum Apoſtolicis & Evangelicis libris exceperis, omnium Chriſtianiſmi monumentorum antiquiſſimum abſque controverſia erunt Ignatii (ſi quæ verę ſunt) epiſtolæ. Iam ſi hæ epiſtolæ omnibus qui eſſent apud noſtros aliqua doctrina, atque eruditione præditi, notiſſimæ erant; nemo profecto negaverit eas Iuſtino in primis & Irenæo & Clementi Alexandrino, & Tertulliano & aliis ejuſdẽ cenſus, atque ævi ſcriptoribus fuiſſe cognitiſſimas, quos conſtat ſcilicet non modo eruditos, & Chriſtianorum atque Eccleſiaſticarum litterarum curioſos, ſed etiam omnium eruditorum, qui apud noſtros eius memoriæ erant, facile principes extitiſſe. Nulla afferri poteſt

apud Euſeb. Hiſt. L. 4. c. 23.

teſt ratio, cur his minus quam alijs, cur his non magis, quam cæteris ſuis συγχρόνοις cognitæ eſſe debuerint illæ, nobiliſſimæ ſcilicet apud totam Eccleſiam Ignatii epiſtolæ. Nam hi viri erant, vt omnes fatentur & Ignatii temporibus proximi (a cuius morte ad Tertullianum horum recentiſſimum, vix annus prætererat centeſimus) & totius antiquitatis litteraria maxime vero Chriſtianæ, ſtudioſiſſimi iidem atque acutiſſimi, & doctiſſimi indagatores; ita vt harum cognoſcendarum Ignatii epiſtolarum, ſi tum erant aliquæ, nullis vnquam major quam iſtis, copia fuerit; qui ſcilicet & tum vivebant, cum adhuc recens eſſet Ignatii memoria, & ingenio, pietate, zelo in res noſtras, doctrina denique ac omnimoda eruditione plurimum valebant. At his tamen plane penituſque ignotas fuiſſe has omnes quas nunc habemus Ignatii nomine inſcriptas epiſtolas, ipſorum quæ ſuperſunt, vera atque indubitata opera ſatis, vt mihi quidem videtur, arguunt, ac demonſtrant. Cum ergo hæ epiſtolæ neque vere ab Ignatio iis temporibus ac locis ſcriptæ eſſe potuerint, quin eſſent & ipſo illo & proximo ſæculo apud omnes Chriſtianos, eos præſertim, qui litterati eſſent, nobiliſſimæ, nobiliſſimas autem apud noſtrorum eruditos non fuiſſe manifeſtum ſit, quæ Iuſtino & Irenæo, & Clementi Alexandrino, & Tertulliano, & aliis ejuſdem cenſus ſcriptoribus plane fuerunt ignotæ; neceſſario illud quoque quod nos contendimus, confitendum eſt, epiſtolas quæ eo nomine hodie circumferuntur, nunquam fuiſſe ab Ignatio, quod titulus mentitur veré ſcriptas. Operis quidem apud noſtros ignobilitatem prodit Irenæi, & cæterorum ignoratio; Ignobilitas vero operis Ignatium non fuiſſe eius auctorem vincit. Clarus, ni fallor, rerum nexus; clara, & indubitabilis conſecutio. Illud vnum quod nos ſumpſimus; negabit doctiſſimus Hammondus, Irenæo & cæteris ignotas fuiſſe, has epiſtolas; Negabunt & cæteri itidem cum eo, vel etiam benignius de Ignatianis ſentientes, imo mirabuntur, etiam inuerecundiæ fortaſſe denotabunt, quod rem abſurdam atque incredibilem inter primaria cauſæ firmamenta ponere non dubitaverim. Hoc ergo nunc agamus, in quo velut in ſuo cardine, hoc noſtrum argumentum vertitur, & iſtis, quos dixi, & cæteris ejuſdem memoriæ ſcriptoribus, quorumcumque aliqua ſuperſunt vera, & minime controverſa opera, ignotas fuiſſe has noſtras Ignatianas epiſtolas, inde certa fides eſt, quod earum nemo iſtorum meminiſſe vſpiam deprehenditur; non Iuſtinus, non Theophilus, non Tatianus, non Irenæus, aut Clemens, aut Tertullianus, aut alii, etiamſi plærique commemorandarũ epiſtolarum cauſas non ſemel habuiſſe noſcantur juſtas, idoneas, ac propemodum neceſſarias. Ab Irenæo, Polycarpi, primi, vt perhibent, epiſtolarum collectoris, diſcipulo ordiamur. Irenæi egregium extat adverſus hæreſes in quinque libros diſtinctum opus; in quo omnium, qui a primis Chriſtianiſmi initiis ad Eleutheri Romanæ Eccleſiæ paſtoris, tempora id eſt ad a.D. circiter 180. Eccleſiam turbarant, errores & prodigioſa deliramenta magna diligentia exponit, fuſa-

CAPVT V.

CAPVT V. que ac copioſa diſputatione argumentis vndique & ex Dei ſcriptura, & ex noſtrorum traditione ac teſtimonio ductis accuratiſſime refutat, ac refellit. Hæreticos, qui a centum retro annis ad illud tempus fuerant, ſigillatim exſequitur & oppugnat; Simonem, Menandrum, Ebionem, Cerinthum, Nicolaitas, Saturninum Baſilidem, Valentinum, Marcum, Carpocratem, Cerdonem, Marcionem Tatianum, & Encratitas, & alios ſi forte paucos. Iam vero, & apud Ignatium epiſtolicum horum pęne omnium Hæreſes, vel notatæ, vel etiam refutatæ reperiuntur; quod, vt clarius eluceſcat, breviter per ſingulas eamus, quidque de iis apud vtrumque Ignatium legatur, ſigillatim videamus; prius apud Vſſerianum. Vulgatus ille Ignatius, qui duodecim, imo quindecim conſtat epiſtolis, non ſolum hæreſes memorat, ac refellit, ſed etiam quarundam auctores nominatim edit; vt Simonem, Menandrum, Nicolaitas, Ebionem, ipſum quin etiam Baſilidem. *Fugite* (inquit) *malas ſoboles Diaboli; Simonem dico primogenitum generis ipſius & Menandrum, & Baſilidem, & totam collectionem malignitatis ipſius, & illos hominis cultores Ebionitas, quos maledictos eſſe Ieremias Propheta aſſeruit. Fugite quoque & illos immundiſſimos falſi nominis Nicolaitas, amatores libidinis, malos calumniatores. Non enim talis fuit Apoſtolorum miniſter Nicolaus. Fugite etiam ipſius nequiſſimi nepotes, Theodotum ſcilicet, & Cleobulum.* Nicolaitas etiam alibi iterum nominat; *finem* (inquit) *beatitudinis voluptatem ponit ille falſo nomine Nicolaita.* Vides ab iſto non contemnendā Irenæanorum hæreticorum partem diſerte nominari; & quod multo mirabilius eſt, quoſdam hunc noſtrum nominatim memorare Irenæo, vt videtur, ignotos; Quales iſti ſunt Theodotus; & Cleobulus, quos noſter quidem diſerte edit; Irenæus quantum meminiſſe poſſum, toto opere nuſquam memorat. Iam & ſingulorum hæreſes, non nominatis auctoribus; ſæpe notat. Gnoſticos quidem & Marcionem Vetus Teſtamentum, omneſque ejus miniſtros a Patre Chriſti dividentes ac ſegregantes, paſſim cædit; *Prophetas ejuſdem cum Apoſtolis Spiritus participes fuiſſe* pronuncians; *vtroſque vnum eundemque Spiritum Sanctum, bonum, principalem, & verum atque doctorem a Deo per Chriſtum accepiſſe. Vnus enim* (inquit) *Deus Veteris & Novi Teſtamenti. Vnus & Mediator Dei & hominum, ad facturam intelligibilium & ſenſibilium, & providentiam gerens omnium. Vnus quoque eſt, Paracletus, qui operabatur in Moyſe, & in Prophetis.* Et mox; *ſi quis confitetur Ieſum Chriſtum Dominum, negat autem Deum legis & Prophetarum patrem eſſe Chriſti, hic in veritate non ſtat, quomodo nec pater eius Diabolus, & eſt huiuſmodi Simonis Magi, & non Spiritus Sancti diſcipulus.* Et multis interjectis; Chriſtum eſſe dicit *januam ſcientiæ, & agnitionis, per quam introiit Abraham, & Iſaac, & Iacob, Moſes, & omnis Prophetarum chorus.* In eoſdem alibi hæc vibrat; *Diſcite, vel conſiderate eos, qui aliter docent, quomodo decernunt incognitum eſſe patrem Chriſti.* Et in Epiſtola ad Tarſenſes inter hæreticos, a quibus eos conturbari quæ-

Ignat. vulgaris ad Trall. p. 77.78.

Id. ad Philadelph. p. 102.

Ignat. vulg. ad Philadelph. p. 102.101.

ibid. p. 106.

Id. ad Smyr. p 116.

Id. ad Tarſ. p. 144.

CAPUT V.

ri quæritur, quoſdam cenſet *dicentes, quod Ieſus non eſt filius eius, qui fecit mundum.* ὅτι οὐκ ἔστιν υἱὸς τοῦ δημιουργοῦ; quæ κυρία erat Marcionis, & plerorumque Gnoſticorum δόξα. Et ad Antiochenos etiam diſertius; [a] *Qui non confitetur Chriſtum filium eſſe eius, qui fecit mundum; ſed alterius cujuſdam incogniti, præter eum, quem prædicat Lex, & Prophetæ hic organum eſt ipſius Diaboli.* Eoſdem non ſemel alibi petit; in epiſtolis ad Philippenſes[b] & ad Heronem. [c] In epiſtola ad Trallianos multos ex Irenæanis hæreſibus eodem in loco ſimul ſemelque & memorat & explodit; [d] eorum, *qui Chriſtum a Patre alienant, legem Chriſti & nativitatem ex Virgine calumniantur, crucem erubeſcentes, & paſſionem negantes, & reſurrectioni non credentes; qui Deum incognitum profitentur, Chriſtum ingenitum* (ἀγέννητον) *putant; & neque quia eſt Spiritus Sanctus confitentur. Quidam vero eorum* (inquit) *filium hominem purum* (ψιλὸν ἄνθρωπον) *eſſe dicunt*; & mox; *Creaturam* (inquit) *non opera Dei eſſe per Chriſtum dicunt, ſed alterius cuiuſdam extraneæ virtutis. Cavete ergo a talibus, ne ſumatis laqueos animabus veſtris.* Huc & illud pertinet, quod alibi dicit, [e] *iſtos crucem erubeſcere, paſſionem deludere, reſurrectionem deridere* (κωμῳδεῖν.) Item, quod Mariam Caſtabalitam jubet [f] eos fugere, *qui negant paſſionem Chriſti, & nativitatem eius ſecundum carnem, quo morbo multos* ait *laborare.* Sic & ad Tarſenſes fuſè, neque ſane inſcite, aut invalide, eos oppugnat, [g] qui Chriſtum merum hominem eſſe dicebant. Sed & ad Antiochenos; [h] *Quicumque*(inquit)*purum* (ψιλόν) *hominem dicit eſſe Chriſtum maledictus eſt, ſecundum dictum Prophetæ, non in Deum fidens, ſed in hominem tantum.* Sic ad Heronem iſtos omnes planiſſime execratur ac devovet; [i] *Si quis* (inquit) *crucem negaverit, & paſſionem erubuerit; ſit tibi tanquam ipſe adverſarius,* ὡς αὐτὸς ὁ Ἀντικείμενος, id eſt, vt liquet, *Antichriſtus.* Item; *ſi quis hominem tantum dixerit, dominum, Iudæus eſt Chriſti interfector.* Contra eoſdem denique multa habet diſertiſſima in epiſtola ad Philippenſes, [k] quæ deſcribere nihil neceſſe eſt. Iam in his nemo non videt, hæreſes ab Irenæo & memoratas, & confutatas, Saturnini & Menandri, & Gnoſticorum [l] vnum patrem incognitum jactantium; Salvatorem innatum, & incorporalem ponentium, eumque a Patre multipliciter alienantium; Valentini Chriſtum non ex Virgine factum, ſed per eam, vt aquam per canalem, tranſiviſſe mentientis; [m] Cerinthi item, & Ebionis Chriſtum a Ioſepho genitum fuiſſe blaſphemantium; [n] Baſilidis, [o] Carpocratis, [p] Cerinthi, [q] Saturnini; [r] Marcionis [s] Chriſti crucem, & paſſionem, exindeque reſurrectionẽ variis modis eludentium; Ebionis denique Chriſtum merum hominem fuiſſe impie delirantis. [t] Irenæus præter illas hæreſes, hanc quoque Saturnini, & Marcionis, & aliorum complurium oppugnavit, Chriſtum putativum inducentium, [v] id eſt, qui homo eſſe, naſci, ambulare, veſci, cędi, crucifigi, mori, denique viſus quidem fuerit, revera tamen nihil iſtorum vel fecerit, vel paſſus ſit. Hanc vero iſtorum impietatem noſter ille Ignatius non ſegnius profecto, neque obſcurius,

a *Id. ad Antioch. p.156.*
b *Id. ad Philipp. p. 172.*
c *Id. ad Heron. p.164.*
d *Id. ad Trall. p.69.*
e *Id. ad Smyrn. p.116.*
f *Id. ad Mar. Caſt. p. 134.*
g *Id. ad Tarſ. p.145. 146 147. 148.*
h *Id ad Antioch p.156.*
i *Id. ad Her. p. 164.*
k *Id. ad Philipp. p.175. 176 177.*
l *Iren. L.1. c.22. p.118.*
m *Id. ibid. c.1 p.26. d. & L.3. c.32.*
n *Id. L.1. c.25. 23. & 26. L.3. c.26.*
o *Id. L.1. c. 23. & L.3. c.20.*
p *Ibid. L.1. c.24.*
q *ibid. c.25.*
r *ibid. c. 22.*
s *ibid. c. 29.*
t *Id. L.4. c.56. L.5. c.1 p. 432. c.6.*
v *Id. L.4 c.69. L.5. c.1. & 14.*

CAPVT V.

x Ignat. vulg. ep. ad Trall. p. 73.
y Id. ibid. & p. 76.
z ibid. p. 75.

aut parcius inſectatur, quam ipſe Irenæus, *Chriſtus* (inquit) [x] *vere natus eſt ex Deo & ex Virgine, quia hoc ipſum eſt, quod & Deus. Suſcepit enim vere corpus. Tum Manducavit enim vere & bibit; & crucifixus eſt, & mortuus ſub Pontio Pilato. Vere autem, & non putative*, ἀληθῶς δὲ καὶ οὐ δοκήσει, *crucifixus eſt, & mortuus, videntibus, cœleſtibus, & terreſtribus, & infernis*, [y] fuiſſe qui negarent, tradit; [z] *ſi vero, quod quidam Impij, id eſt infideles, dicunt, dominum putatiue tantum fuiſſe hominem, neque corpus vere ſuſcepiſſe, neque vere paſſum, ſed putative mortuum; cur ego vinctus ſum? Cur opto ab beſtias pugnare?* Et quæ plura ſequuntur in eandem hæreſim & diſertiſſima, & validiſſima. Ad Philadelphiēſes; [a] *Si quis Patrem, & filium & ſpiritum ſanctum confitetur, & creaturam laudat; ſimulationem* (δόκησιν) *vero dicit incarnationem & paſſionem erubeſcit, confiteri, ille* (ὁ τοιοῦτος) *fidem nihilo abnegat minus, quam Chriſti interfectores Iudæi.* Smyrnenſibus quoque ſuperiorum gemina ſcribit; [b] *Chriſtus vere* (inquit) *paſſus eſt, non autem putative, ſicut & vere reſurrexit. Sed non ſicut quidam infidelium* (*erubeſcentes plaſmationem hominis, & crucem & ipſam mortem*) *dicunt, quod putative, & non vere* (δοκήσει, καὶ οὐκ ἀληθείᾳ) *ſuſcepit corpus ex Virgine, & putative paſſus eſt.* Neque iſtorum delirium denotat tantum; ſed etiam multis allatis è ſcriptura locis, ſuoque ipſius teſtimonio, ſuiſque paſſionibus refellit; & probat Dominum *vere, & non putative reſurrexiſſe.* Quæ quod longiora ſunt, parco deſcribere. Sed & ſuis adverſus iſtos Docetas Tarſenſibus cavet, monens [c] ex Satanæ miniſtris Eccleſiæ illius turbatoribus fuiſſe, *qui dicerent Ieſum putative natum eſſe, & putative crucifixum*; enixe præcipiens, [d] vt plane agnoſcant, *Dominum Ieſum vere de Maria natum eſſe, factum ex muliere, & vere crucifixum, & vere paſſum eſſe, & mortuum, & reſurrexiſſe.* Neque cum Philippenſibus eadem inculcare piguit; [e] *filius* (inquit) *homo factus eſt; non putative, neque in phantaſmate, ſed certiſſima veritate*, Tum paulo poſt, *Vere ergo natus eſt, & vere crevit, vere manducavit, & bibit; vere crucifixus eſt, & mortuus, & reſurrexit. Qui hæc credit, ſicut habet, quomodo natus eſt, beatus eſt. Qui autem hæc non credit, non minus ſceleratus eſt,* (ἐναγὴς) *quam ij, qui Dominum crucifixerunt.* Tum paulo poſt, *a Diabolo eſſe* docet, [f] *quod quidam Domini mortem imaginem, ac vt ſic* dicam, phaſma merum vocant, τὸν θάνατον δόκησιν καλεῖν. Atque hæc quidem ille contra Docetarum amentiam. Eſt & hæreſeon ab Irenæo exploſarum hæc vna, & quidem pæne palmaria, Baſilidis [g] & Marcionis, [h] & Gnoſticorum, & aliorum complurium communis, *animæ Solius ſalutem futuram delirātium*, carnem reſurrecturam impie negantium, in his Irenæi libris & commemorata & confutata [i] non ſemel. Sed neque eam intactam dimiſit noſter ille Ignatius. Tarſenſes enim ſuos monet [k] *quoſdam eſſe, qui negent carnem ipſam reſurgere.* ἕτεροι δὲ ὅτι ἡ σάρξ αὕτη οὐκ ἐγείρεται. Ipſe vero cęſis prius aliis quorundam hæreſibus, mox hanc quoque aggreditur, *Quod vero* (inquit) [l] *corpora noſtra reſurgant, dicit* (Dominus ſcilicet) *Amen dico vobis, quoniam*

a Id. ad Phila. p. 102.
Id. ad Smyrn. p. 111. 112. 115. 114.
c Id. ad Tarſenſ. p. 144.
d ibid. p. 145.
e Id. ad Philip. p. 174.
f ibid p. 576. init.
g Iren. L. 1. c. 23.
h ibid. c. 29.
i Id. Iren. L. 5. c. 3. 4. 5. 6. 12.
k Ignat. vulg. ad Tarſ. p. 144
l ibid. p. 148. 149.

quoniam venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint, vivent; & cætera, quæ in eandem ſententiam plura ex Paulo affert. Sed & Nicolaïtas, ab Irenæo [m] commemoratos, pulſat idem non ſemel. Nam & ad Trallianos; [n] *Fugite* (inquit) *& illos immundiſſimos falſi nominis Nicolaitas, amatores libidinis, malos calumniatores, & ad* Philadelphienſes; [o] *Si quis dicit inhoneſtos & illegitimos coitus eſſe aliquid boni & finem beatitudinis voluptatem ponit, qualis ille falſo nomine Nicolaita, hic neque Dei amicus, neque Chriſti amator eſſe poteſt, ſed corruptor propriæ carnis.* Marcionem & Encratitas, nuptias & animalium eſum damnantes, ab Irenæo quoque refutatos, [p] pariter pulſat epiſtolarum Ignatianarum parens. Sic enim vtróſque in epiſtola ad Philadelphienſes deſcribit, & abominatur; [q] *Si quis corruptionem & coinquinationẽ vocet legitimã mixtionem, & filiorum procreationem, aut aliquam eſcam execrationem putet, huiuſmodi cohabitatorem habet draconem apoſtatum.* Ac de nuptiis ſeorſum, alibi diſerte negat [r] *execrabilem videri legitimam commixtionem.* Quin & nuptiarum honeſtatem Philadelphienſibus plane commendat, [s] dum *& mulieres jubet, viris ſuis eſſe ſubditas in timore Domini, & viros viciſſim vxores ſuas diligere, ſicut conſervas in Deo, vt proprium corpus, ſicut ſocias vitæ, & cooperatrices ad procreationem liberorum*; dumque Virgines hortatur Chriſto *in incorruptione ita ſubijci, vt nuptias tamen minime execrentur, ſed vt meliora diligant, non in criminatioue coniunctionis ſed propter meditationem legis.* οὐκ ἐπὶ διαβολῇ συναφείας, ἀλλ᾽ ἕνεκα τῆς τοῦ νόμου μελέτης. Eſcas vero a Marcionis, & Encratitarum execratione apertiſſime vindicat, dum Heroni de Ieiunio præcipiens, *Vino, & carnibus* (inquit) [t] *non ex toto abſtineas; non enim ſunt abominabiles.* Sed de Latinorum Ignatio ſatis. Nunc Vſſerianum, Voſſianumque conveniamus. Ille vero, qui ſex tantum epiſtolis, iiſque brevioribus decurrit, adverſus Irenæanos hæreticos, pauciora quidem, ſed non minus diſerta dicit. παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως. Nam in prima ſtatim, quæ ad Epheſios eſt, Gnoſticos, Marcionemque, & Ebionem, oppoſitas inter ſe peſtes, ſimul ſemelque flagellat, [v] vbi præfatus *quoſdam dolo malo nomen* (Chriſtianum ſcilicet) *circumferre, ſed quædam operari Deo indigna, canes rabidos, latenter mordentes*; ſanam de Chriſti incarnatione fidem paucis ita complectitur; *Vnus* (inquit) *medicus eſt, carnalis, & ſpiritualis; genitus & ingenitus, in carne factus Deus, in immortali vita vera; & ex Maria, & ex Deo; primo paſſibilis, & tunc impaſſibilis Dominus Chriſtus noſter*; Voſſianus eadem habet; [x] εἷς ἰατρός ἐστιν σαρκικός τε, καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος θεός, ἐν ἀθανάτῳ ζωῇ ἀληθινῇ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ θεοῦ; πρῶτον παθητὸς καὶ τότε ἀπαθής. Egregius locus; vnus totam pæne Irenæanorum, hæreticorum colluviem diſiicit, ac conficit; Chriſtum vnum eundemque, & carnalem & genitum, & in carne factum, & ex Maria, & paſſibilem, contra Baſilidem, Saturninum, Cerdonem, & Marcionem, & Valentinum afferens, & ſpiritualem, ingenitum, Deum ex Deo, impaſ-

CAPVT IV.

m *Iren. L.* I. *c.* 27.

n *Ignat. vulg. ad Trall. p.* 78.

o *Id. ad Philad. p.* 102.

p *Iren. L.* I. *c.* 30.

q *Ign. vulg. ad Philad. p.* 102.

r *Id. ad Hier. p.* 166.

s *Id. ad Philad. p.* 97.

t *Id. ad Heron. p.* 163.

u *Ignat. Vſſer. ad Eph. p.* 197.

x *Ignat. Voſſ. p.* 21.

CAPVT V.

impaſſibilem, contra Cerinthum, & Ebionem vindicant. Ibidem Marcionis & Gnoſticorum, & aliorum id genus δόκησιν, & Valentini delirium, & Ebionæam impietatem refutat; [y] *Deus noſter* (inquit) *Ieſus Chriſtus conceptus eſt ex Maria ſecundum diſpenſationem Dei, ex ſemine quidem David, Spiritu autem Sancto.* Et Voſſianus; [z] ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβίδ, πνεύματος δὲ ἁγίου. Eadem pauxillo poſt intervallo inculcat, [a] *Ieſum Chriſtum ſecundum carnem ex genere David, filium hominis, & filium Dei.* Et Voſſianus, [b] Εἰς Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβίδ, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου, καὶ υἱῷ θεοῦ. Huc quoque pertinet, quod paulo ante de Chriſto in terris naſcente ſcite & eleganter dixerat; [c] θεὸν ἀνθρωπίνως φανερούμενον, id eſt *Deum humanitus apparuiſſe*, vt habet Vſſerii interpres vetus, vel (quod ego quidem malim) *manifeſtatum eſſe.* Eoſdem hæreticos, & in epiſtola ad Magneſios, cũ ſtatim in limine *carnis eſt ſpiritus Ieſu Chriſti vnionem*, ἕνωσιν σαρκὸς καὶ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, apud Vſſerium pariter & Voſſium memorat. [d] Ibidem illa extant contra Valentinum diſertiſſima, [e] *Ieſum Chriſtum Dei Filium & verbum æternum ab vno Patre exire, neque a ſilentio,* Sige *progredi.* Ebionæos ibidem aperte ferit; [f] *Inconveniens eſt* (inquit) *Ieſum Chriſtum profari, & judaiҁare. Chriſtianiſmus enim non in Iudaïſmum credidit, ſed Iudaïſmus in Chriſtianiſmum* ἄτοπόν ἐστιν Χριστὸν Ἰησοῦν λαλεῖν, καὶ Ἰουδαΐζειν; ὁ γὰρ χριστιανισμὸς οὐκ εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἐπίστευσεν, ἀλλ' Ἰουδαϊσμὸς εἰς χριστιανισμόν. Phantaſma vero Baſilidis, Saturnini, Cerdonis, Marcionis, & aliorum, haud perfunctorie ibidem percurrit; *Certificamini* (inquit) [g] *in nativitate, & paſſione, & reſurrectione,* (Domini ſcilicet) *facta in tempore ducatus Pontii Pilati; quæ facta ſunt vere, & firmiter a Ieſu Chriſto, ſpe noſtra.* πεπληροφορῆσθαι ἐν τῇ γεννήσει, καὶ τῷ πάθει, καὶ τῇ ἀναστάσει, τῇ γενομένῃ ἐν καιρῷ τῆς ἡγεμονίας Ποντίου Πιλάτου, πραχθέντα ἀληθῶς καὶ βεβαίως ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν. Eadem Trallianos docet; [h] *Chriſtum* dicens, *propter nos* mortuum, *vt* (inquit) *credentes in mortem ipſius, mori effugiatis.* κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν δι' ἡμᾶς ἀποθανόντα, ἵνα πιστεύσαντες εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, τὸ ἀποθανεῖν ἐκφύγητε. Mox eos deprecatus, [*] *vt ab aliena herba recedant quæ eſt hæreſis*, quæ *& inquinatis implicat Ieſum Chriſtum*; quam hæreſin dixerit, paulo poſt ſignificat, ſubjiciens, *Ieſum Chriſtum ex genere David, ex Maria vere natum eſſe, comediſſe, & bibiſſe, vere perſecutionem paſſum eſſe ſub Pontio Pilato vere crucifixum & mortuum eſſe, aſpicientibus cæleſtibus, & terreſtribus, & infernalibus, & vere reſurrexiſſe a mortuis, reſuſcitante ipſum Patre ipſius; qui & ſecundum ſimilitudinem nos credentes ipſi, ſic reſuſcitabit Pater ipſius in Chriſto Ieſu.* Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἐκ γένους Δαβίδ, τοῦ ἐκ Μαρίας, ὃς ἀληθῶς ἐγεννήθη, ἔφαγέν τε καὶ ἔπιεν, ἀληθῶς, ἐδιώχθη ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ἀληθῶς ἐσταυρώθη, καὶ ἀπέθανεν, βλεπόντων ἐπουρανίων, ἐπιγείων καὶ ἐπιχθονίων, ὃ καὶ ἀληθῶς ἠγέρθη ἀπὸ νεκρῶν, ἐγείραντος αὐτὸν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ κατὰ τὸ ὁμοίωμα, ὡς καὶ ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας αὐτῷ οὕτως ἐγερεῖ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Fuiſſe autem qui hæc negarent, mox teſtatur; *ſi autem* (inquit) *quemad-*

y *Ignat. Vſſer. ad Epheſ. p.* 200.
z *Ign. Voſſ. ad Eph. p.* 27.
a *Ign. Vſſer. ad Eph. p.* 201.
b *Ign. Voſſ. ibid.* 201.
c *ibid.*
d *Id. ad Magneſ. p.* 202. *Vſſer. p.* 30.
e *Ibid. p.* 204. *Vſſer.*
f *ibid. p.* 205.
g *ibid. Vſſer. p.* 205. *Voſſ.* 36.
h *Id. ad Trall. Vſſer. p.* 207. *Voſſ.* 47.
* *ibid. apud Vſſer. p* 208. *apud Voſſ p.* 51.

CAPUT V.

quemadmodum quidam ſine Deo exiſtentes, hoc eſt infideles, dicunt ſecundum videri paſſum eſſe ipſum ipſi exiſtentes ſecundum videri; ego quid vinctus ſum? εἰ δὲ ὥσπερ τινὲς ἄθεοι ὄντες, τουτέστιν ἄπιστοι, λέγουσι, τὸ δοκεῖν πεπονθέναι αὐτὸν, αὐτοὶ ὄντες τὸ δοκεῖν ἐγὼ τί δέδεμαι; Quibus verbis, vt liquet, non Valentinum modo, & Saturninum, & cæteros Docetas, ſed etiam omnes noſtræ ſecundum carnem reſurrectionis negatores, profligavit. Ne in epiſtola quidem ad Romanos, tametſi tota ſit diverſiſſimi argumenti, iſtas hæreſes intactas dimiſit; quo loco de carne Ieſu Chriſti verba faciens, *eius* (inquit) [i] *qui ex genere David.* Græca Voſſius ex vulgatis codicibus, non ex ms^o. Florentino, pauculis, vocibus auctiora exhibuit, σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβίδ, καὶ Ἀβραάμ. In epiſtola quoque ad Philadelphienſes; [k] *Si quis (inquit) Iudaiſmum interpretetur vobis, non audiatis* ipſum. ἐὰν δέ τις Ἰουδαισμὸν ἑρμηνεύῃ ὑμῖν, μὴ ἀκούσητε. Hæc in Ebionem, & Semi-Iudæos dicta ſunt; Illa vero quæ mox ſequuntur, in Nicolaïtas, [l] Valentinianos, [m] Carpocratianos, [n] Baſilidianos, [o] & Gnoſticos, Mœchiam, & omne ſpurcitiæ genus indifferenter exercentes; *Carnem veſtram, vt templum Dei ſervate;* [p] τὴν σάρκα ὑμῶν ὡς ναὸν θεοῦ τηρεῖτε. Ibidem Veteris Teſtamenti negatores, ſic elidit; [q] *Chriſtus eſt janua Patris; per quam ingrediuntur Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Prophetæ, & Apoſtoli, & Eccleſia.* Et mox; *Dilecti Prophetæ annunciaverunt in ipſum, Evangelium autem perfectio eſt incorruptionis.* Αὐτὸς ὢν θύρα τοῦ πατρὸς, δι᾽ ἧς εἰσέρχονται Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, καὶ οἱ Προφῆται, καὶ οἱ Ἀπόστολοι, καὶ ἡ Ἐκκλησία tum; οἱ ἀγαπητοὶ προφῆται κατήγγειλαν εἰς αὐτόν. τὸ δὲ Εὐαγγέλιον ἀπάρτισμά ἐστιν ἀφθαρσίας. Denique in epiſtolarum Vſſerianarum vltima hæreticos Chriſti œconomiam omnem in phantaſma diſſolventes diſerte refutat, Smyrnæis ad quos ſcribit, gratulans, [r] quod *perfecti eſſent in immobili fide, quemadmodum clavi fixi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſpiritu, & firmati in caritate in ſanguine Chriſti, certificati in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vere exiſtentem de genere David ſecundum carnem filium Dei ſecundum voluntatem, & potentiam Dei, genitum vere ex Virgine, baptizatum a Ioanne, vt impleatur omnis Iuſtitia ab ipſo, VERE ſub Pontio Pilato, & Herode Tetrarcha clavifixum pro nobis in carne, a cuius fructu nos, a divina beatiſſima ipſius paſſione.* ἐνόησα ὑμᾶς κατηρτισμένους ἐν ἀκινήτῳ πίστει, ὥσπερ καθηλωμένους ἐν τῷ αἵματι Χριστοῦ, σαρκί τε καὶ πνεύματι, καὶ ἑδρασμένους ἐν ἀγάπῃ ἐν τῷ αἵματι Χριστοῦ, πεπληροφορημένους εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν, ἀληθῶς ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, υἱὸν θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν θεοῦ γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου, βεβαπτισμένον ὑπὸ Ἰωάννου, ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη ὑπ᾽ αὐτοῦ ἀληθῶς ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου καὶ Ἡρώδου Τετράρχου καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν ἐν σαρκὶ, ἀφ᾽ οὗ καρποῦ * ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ θεομακαρίστου αὐτοῦ πάθους. & paucis interiectis. [s] *vere paſſus eſt, vt vere reſuſcitavit ſe ipſum; non quemadmodum infideles quidam dicunt ſecundum videri ipſum paſſum eſſe, ipſi ſecundum videri exiſtentes, & quemadmodum ſapiunt, & accidit ipſis exiſtentibus incorporeis & dæmoniacis. Ego*

enim

i *Id. ad Rom. Vſſer. p.* 213. *Voſſ. p.* 61.
k *Id. ad Philad. Vſſ. p.* 216. *Voſſ.* 61.
l *Iren. L.* 1. *c.* 27
m *ibid. L.* 1. *c.* 1.
n *ibid. c.* 24.
o *ibid. c.* 27.
p *Ignat. ad Philad. Vſſer. p.* 216. *Voſſ. p.* 43.
q *Ibid. Vſſer. p.* 217. *Voſſ. p.* 44.
r *Id. ad Smyrn. Vſſer. p.* 218. *Voſſ. p.* 1. 2.
Theodoret, legit. κατὰ θεότητα, καὶ δύναμιν γεγεννημένον.
* *forte leg.* καρποί.
ſ *Ign. ibid. Vſſer. p.* 219. *Voſſ. p.* 28.

CAPVT V. *enim & poſt reſurrectionem in carne ipſum vidi; & credo exiſtentem.* Et mox; *poſt reſurrectionem autem comedit cum eis* (Apoſtolis) *& bibit, vt carnalis, quamvis ſpiritualiter vnitus Patri.* Καὶ ἀληθῶς ἔπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς ἀνέστησεν ἑαυτὸν, οὐχ ὥσπερ ἄπιστοί τινες λέγουσιν τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεπονθέναι, αὐτοὶ τὸ δοκεῖν ὄντες, καὶ καθὼς φρονοῦσι καὶ συμβήσεται αὐτοῖς, οὖσιν ἀσωμάτοις καὶ δαιμονικοῖς. Ἐγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν, ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα· μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν συνέφαγεν αὐτοῖς καὶ συνέπιεν, ὡς σαρκικὸς, καίπερ πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ πατρί. Vides proprie diſerteque hic, perinde vt ſupra ad Tralleſios, notatos iſtos περὶ τὸ δοκεῖν dictos *Docetas* & mox itidē quoque in eos diſputat; [t] *Si autem ſecundum videri hæc operata ſunta Domino noſtro; ergo & ego ſecundum videri ligor. Quid autem & meipſum traditum dedi morti, ad ignem, ad gladiū, ad beſtias? Et ſtatim omni ſuſtinebo, ipſo me fortificāte qui perfectus homo factus eſt.* εἰ γὰρ τὸ δοκεῖν ταῦτα ἐπράχθη ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, κἀγὼ τὸ δοκεῖν δέδεμαι. Τί δὲ καὶ ἐμαυτὸν ἔκδοτον δέδωκα τῷ θανάτῳ, πρὸς πῦρ, πρὸς μάχαιραν, πρὸς θηρία.... πάντα ὑπομένω αὐτοῦ με ἐνδυναμοῦντος τοῦ τελείου ἀνθρώπου γενομένου. Eoſdem quoque ſic inſectari pergit; *Iſtos,* [u] (inquit) *nō perſuaſerūt Prophetiæ, Neque lex Moyſi; ſed neque vſq; nūc Evangeliū, neque noſtræ eorū qui ſecundū virū paſſiones.* Et; *Quid enim juvat me quis, ſi me laudat,* Dominū *autē meū blaſphemat, non confitēs ipſū carniferum? Qui autem hoc non dicit, ipſum perfecte abnegauit; exiſtens mortifer.* οὓς οὐκ ἔπεισαν αἱ προφητεῖαι οὐδ' ὁ νόμος Μωσέως, ἀλλ' οὐδὲ μέχρι νῦν τὸ εὐαγγέλιον. οὐδὲ τὰ ἡμέτερα τῶν κατ' ἄνδρα παθήματα. τί γὰρ με ὠφελεῖ τις, εἰ ἐμὲ ἐπαινεῖ, τὸν δὲ Κύριόν μου βλασφημεῖ, μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον; ὁ δὲ τοῦτο μὴ λέγων τελείως αὐτὸν ἀπήρνηται, ὢν νεκροφόρος. Vſq; adeo deniq; exſecrandos putat, vt ne eorū quidem nomina vſurpare ſuſtineat. Negat [x] ipſis *de charitate curam eſſe,* negat de *vidua, de orphano, de tribulato de ligato, vel ſoluto, de eſuriente vel ſitiente;* Ait *ab euchariſtia & oratione recedere; propter non confiteri euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti pro peccatis noſtris paſſam, quam benignitate.* Pater reſſuſcitavit. Ex quibus poſtremo concludit [y] *decens eſſe recedere a talibus, & neque ſeorſum de ipſis loqui, neque communiter; attendere autem Prophetis, præcipuè vero Evangelio, a quo paſſio nobis oſtenſa eſt, & reſurrectio perfecta eſt,* περὶ ἀγάπης οὐ μέλει αὐτοῖς, οὐ περὶ χήρας, οὐ περὶ ὀρφανοῦ, οὐ περὶ θλιβομένου, οὐ περὶ δεδεμένου ἢ λελυμένου, οὐ περὶ πεινῶντος ἢ διψῶντος. προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. Mox; πρέπον οὖν ἐστιν ἀπέχεσθαι τῶν τοιούτων, καὶ μήτε κατ' ἰδίαν περὶ αὐτῶν λαλεῖν, μήτε κοινῇ; προσέχειν δὲ τοῖς προφήταις, ἐξαιρέτως δὲ τῷ εὐαγγελίῳ ἐν ᾧ τὸ πάθος ἡμῖν δεδήλωται, καὶ ἡ ἀνάστασις τετελείωται. Ex his patet plæraſque ac fere omnes hæreſes ab Irenæo in eximiis illis quinque libris, qui nunc adhuc magno Dei beneficio Latinè ſuperſunt, memoratas, ac confutatas, eas in epiſtolis quoque Ignatianis, non tantum vulgatis, & apud Latinos receptis, ſed etiam Vſſerianis, & Voſſianis eſſe denotatas: aliquas etiam vel fuſe, vel paucis; ſed tamen valide everſas. Vnde nemo non intelli-

[t] ibid.

[u] ibid. Vſſer. p. 220. Voſſ. p. 4.

[x] ibid.

[y] ibid.

intelligit cauſam fuiſſe Irenæo idoneam, ac pæne neceſſariam epiſtolas vel illas, vel has certe commemorandi, laudandi, & loca illa ad ſuum argumentum luculentiſſima quæ nuper edidimus, recitandi, vel ſaltem indicandi. Neutras in tam prolixo tamque accurato, & erudito opere vſpiam, vel vno verbo memoraviſſe, imo ne minimo quidem nutu ſignificaſſe deprehenditur. Quale quæſo, iſtud eſt, vt vir ſanctus, adverſus eas hæreſes ex profeſſo ſcribens, quæ jam erant a viro Apoſtolico, eodemque Epiſcopo, & Martyre ſanctiſſimo confoſſæ, eius ne meminerit quidem, quem in tali argumento verſans, inprimis laudare, ac velut huius inſtituti ducem ſequi, in oculis, in ore habere debuerat? Quis eum verbi gratia Valentiniana præ cæteris accuratiſſime ac fuſiſſime exponentem ac refellentem putaverit, hæc Ignatii de Dei filio adverſus capitalem Valentini hæreſim, & appoſitiſſima & breviſſima [z] ſi ſciviſſet, non fuiſſe alicubi commemoraturum? ἐστιν αὐτοῦ λογος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ Σιγῆς προελθών. Eadem eſt aliorum ratio, quæ adverſus & hanc, & alias hæreſes, non minus diſerta nuſquam vel vno verbo memorat, aut innuit Irenæus. Atqui Athanaſium [a] ſcimus ex Vſſerianis epiſtolis, quarum iam nonnullas eius ævo extitiſſe conſtat, inſignem ſupra a nobis recitatum locum adverſus Arianos attuliſſe, ac deſcripſiſſe totum; qui in ea hodiè epiſtola legitur, quæ eſt ad Epheſios. Neque ſane Bellarminus [b] in diſputatione adverſus divinitatis Chriſti hoſtes ſua epiſtolas omiſit, vbi ex ea, quæ eſt ad Philippenſes, tria loca adduxit; vnum ex ea, quæ eſt ad Philadelphienſes; duo ex ea, quæ eſt ad Antiochenos; totidem denique ex ea quæ eſt ad Polycarpum: Neque Theodoretum piguit ex Ignatiana non quidem ad Romanos (vt perperam habent eius libri) ſed ad Smyrnæos epiſtola, tria loca, totidemque alia ex ea quæ eſt ad Epheſios, & vnum ex ea quæ eſt ad Trallianos, in primo Dialogo [c] recitare; tria item ex eadem illa, quæ eſt ad Smyrnæos, duo quidem in ſecundo Dialogo, [d] vnum vero in tertio; [e] omnia adverſus Eutychianos, ſic & Gelaſius P. R. I. [f] adverſus eoſdem & Neſtorianos duo ex illis ipſis a Theodoreto vſurpatis ex epiſtola ad Epheſios deſcripſit. Obſecro tuam fidem, hęc Ignatiana Athanaſius, & Theodoretus contra Arianos, & Eutychianos, in quos vt pote nondum exortos, ſcripta non ſunt, adducerent tamen, & recitarent; Irenæus eadem illa, his ipſis, in quos propriè ſcripta ſunt, Gnoſticis, Valentinianis, Docetis, non objiceret? Illa Gelaſius Latinus ad alienam Eutychis, & Neſtorii cauſam afferret? Irenæus Græcus eadem in ſua, ad quam proprie pertinent, diſputatione, prætermitteret? Id vero eo etiam eſt incredibilius, quod Irenæus & Papiam & Iuſtinum nominatim in eodem illo opere laudat; [g] Ignatium adeo vtroque & antiquiorem & excellentiorem minime prætermiſſurus, ſed æque ac iſtos dicturus, ſiquid ab eo memorabile ſcriptum ſciviſſet. Ac Iuſtini quidem hoc ab eo contra Marcionem ſcriptum, quodam loco deſcribit; [h] *Se ne ipſi quidem Domino fidem adhibiturum fuiſſe, ſi alium Deum præter ipſum mundi fabricatorem an-*

CAPVT V.

z *Ignat. ep. ad Magnes.*

a *Athan. L. de Synod. Arim. & Seleuc.*

b *Bellarm. L. i de Chriſto, c. 10*

c *Theod. Dial. l. T. 4. p. 33. 34.*

d *Id. ibid. Dial. 2. p. 86*

e *ibid. Dial. 3. p. 154.*

f *Gelaſ. contra Eutych. & Neſt. Bibl. Patr. T. 4. Par. 1. p. 423.*

g *Iren. L. 5. c. 38 & c. 26.*

h *Id. L. 4. c. 14.*

CAPVT V. *nunciaret.* Quî factum, vt hoc iſtius dictum in ſua diſputatione adhi-
beret? Ignatii & Vetuſtioris & Apoſtolici viri, & epiſcopi epiſtolas ita
contemneret, vt ne vnum quidem ex iis μῦ adverſus eos hæreticos ex-
cerperet, quorum illæ errores ita cupide paſſim appetunt ac ſugillant,
vt in illos propriè ſcriptæ fuiſſe videantur? Ac præter iſtas in genere
Iren. L. 2. c. 38. hæreſes aliud quiddam apud Irenæum occurrit, quod Ignatii teſtimo-
nium apertiſſime flagitabat. Libro 2. capite 38. refert hæreticos tradi-
diſſe *Chriſtum duodecimo menſe paſſum eſſe vt anno vno poſt baptiſmum*
* *ibid. c. 39. 40.* *prædicarit.* Ipſe in hoc refellendo dogmate* (quod & multi noſtro-
rum, vt Clemens Alexandrinus & alii ſecuti ſunt) plurima & ex Scri-
pturis, & ex majorum traditione hanc ad rem diſſerit; quædam etiam
parum commoda. At ſi Ignatium noſſet, nihil promptius aut facilius
erat, quam iſtorum de vno Dominicæ prædicationis anno traditionem
refellere allata hujus viri, qui & Apoſtolos & Chriſtum ipſum vidiſſe
fertur, diſertiſſima hac auctoritate; *Triginta* (inquit) *annos agens bap-*
Ignat. ad Tral. p. 76. *tizatus eſt a Ioanne in veritate & non in phantaſmate, & TRIBVS an-*
nis prædicavit Evangelium, & fecit ſigna, & prodigia coram falſis Iu-
dæis. Τρεῖς ἐνιαυτοὺς κηρύξας τὸ ἐυαγγέλιον. Hoc tam diſerto teſtis tam ido-
nei, tamque locupletis teſtimonio frangere licuiſſet omnem adverſa-
riorum impudentiam; Atqui de eo Irenæus non magis, quam de a-
liis Ignatianis quicquam dixiſſe in hac omni diſputatione reperi-
tur.

Eſt & aliud, quo hęc Ignatiana omnia Irenæus plane neſciviſſe de-
prehenditur. Solet enim ille præſtantium virorum, ſe vetuſtiorum, ſen-
tentias & ῥήσεις, ſive ſcriptas, ſive viva voce ab iis prolatas non nomi-
natis auctoribus afferre ac recitare; vt in ipſa ſtatim operis præfatio-
a *Iren. L. 1. Præfat. p. 2.* ne, [a] *a quodam* (inquit) *me præſtantiore dictum eſt*; & alibi; [b] *quidam,*
(inquit) *nobis præſtantior de his dixit, Audax & impudens res eſt anima*
b *Id. L. 1. c. 9. p. p. 70. d.* *inani aëre concalefacta*; Item vbi in Marcum hæreſiarcham *verſus a di-*
vino quodam ſene, ac veritatis præcone fuſos deſcribit; [c] & in quarto
c *ibid. c. 12. p. 88. d.* operis libro, [d] cujuſdam ſe vetuſtioris Presbyteri acceptos ab Apoſto-
d *Id. L. 4. c. 45 p. 384. a. & c. 4. q. init. c. 49 in.* lorum diſcipulis varios & bene lõgos ſermones refert; & ſive alterius,
ſive ejuſdem Presbyteri dicta alibi in eodem libro commemorat; [e] &
infra cujuſdam ſenioris Apoſtolorum Diſcipuli de duobus teſtamentis
e *ibid. c. 50.* contra Marcionem, & alios legis reprobatores diſputationem; [f] item
f *ibid. c. 52.* cuiuſdam ante ſe de duplici vocabuli filii acceptione obſervationem,
g *ibid. c. 79.* [g] & alibi presbyterorum, qui erant Apoſtolorum diſcipuli, de juſto-
h *Id. L. 5. c. 5. p. 439. d.* rum poſt mortem in paradiſum tranſlatione traditionem, [h] & cujuſ-
dam ſenioris de myſtica manuũ Chriſti in cruce extenſarum ſignifica-
i *ibid. c. 17. ext.* tione ſententiam; [i] & eorum, qui faciem Ioannis viderant de beſtiæ
k *ibid. c. 30 in.* Apocalypticæ numero teſtimonium; [k] & rurſum eorumdem Chriſti a
Ioanne vt ipſi perhibebant, auditam de futuris temporibus prædictio-
l *ibid. c. 35.* nem; [l] ac denique traditam a presbyteris, Apoſtolorum diſcipulis, de
eorum, qui ſalvantur, profectu, & ad ſumma aſcenſione, ordinationem

ac diſ-

ac diſpoſitionem. [m] Qui tam multas aliorum minus fortaſſe præſtantium, multo certe minus ad rem inſtitutam vtiles ῥήσεις libris adverſus vetuſtiſſimos hæreticos ſuis paſſim inſerit, hunc ego non dubito ex tam multis excellentiſſimi Ignatii ad eam, quam agit, cauſſam plane decretoriis ſententiis aliquas fuiſſe, vel tacito ejus nomine, huic ſuo operi inſperſurum, ſi quas earum, quas nos ex epiſtolis nuper exhibuimus, ſciviſſet. Nullas vſquam inſperſit; nullius in toto opere vel leviſſimum extat veſtigium. Ergo neque dubitandum eſt eum, has in quibus hujus generis tam multæ hodie leguntur, epiſtolas nullas ſciviſſe; nullas adeo revera tum extitiſſe, quæ virum tantum, ſi quæ jam extitiſſent, plane latere non poterant. Scio, neque diſſimulo, eum etiam aliquid Ignatianum his libris inſperſiſſe; Neque enim negaverim Ignatium eo loco ab Irenæo intelligi, quo de tribulationis vſu ac neceſſitate locutus iis, qui ſalvantur, eo proficientis, *vt quodammodo contriti & attenuati, & conſperſi per patientiam verbo Dei, vt igniti, apti ſint ad convivium Regis;* [m] *Quemadmodum quidam* (inquit) *de noſtris dixit, propter martyrium in Deum adiudicatus ad beſtias; Quoniam frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtiarum molor, vt mundus panis Dei inveniar.* Hęc ille; caute ſane ac vigilanter, Ignatium (huic enim cætera, quæ de Martyre poſuit ad amuſſim congruunt) ait non quidem *ſcripſiſſe*, ſed *dixiſſe* hæc, quæ refert; vt hinc ne illud quidem haberi poſſit, quod contendunt adverſarii, ſcriptas ab Ignatio fuiſſe epiſtolas. Neque enim ſiquid ab aliquo Martyre dictum laudemus, id in epiſtola ab eo dictum eſſe hoc ipſo ſignificamus. Sed ſi Martyrem Irenæus hæc in epiſtola, quod non dixit, ſcripſiſſe affirmaret; eo quidem ſignificaret, aliquid ſuo tēpore extitiſſe a Martyre ſcriptum, vbi hæc, quæ refert, legerentur; quæ nunc Ignatii nomine circumferuntur epiſtolæ, has ipſas non ideo ſignificaret, ſuo tempore extitiſſe, quas qualeſque vel Latini, vel Vſſerius Voſſiuſque hodie nobis exhibent. Manet enim argumentum noſtrum Irenæo fuiſſe ignotas, quas nuſquam, licet ad eam quam agit cauſam, vtiliſſimas in toto opere commemoravit, idque ex hoc loco adeo non infringitur, aut debilitatur, vt hinc liquido confirmetur. Nam qui hoc Ignatii dictum tametſi nihil eo loco afferri cogeret, attulit tamen non aliam ob rationem, quam quod & verum, & elegans eſſet, & ad rem quam agebat, appoſitum; quanto magis alias ejuſdem viri ſententias, ad profligandos, quos in hoc opere confutat, errores vtiliſſimas atque efficaciſſimas, erat ſi quas ſciviſſet, allaturus? Illam præſertim, ſane & diſertiſſimam, & ad diſiicienda hæreticorum omnia pæne, deliramemta opportunā, quæ poſtea & ab Athanaſio, & a Theodoreto, & ab ipſo Gelaſio, quod diximus, laudari meruit? Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, & quę ſequuutur a nobis ſupra deſcripta? Cur hanc, cur alias plurimas eiuſdem cenſus atque ordinis, tam ad id, quod agit, commodas, appoſitas, vtiles, neceſſarias, optimus, ac ſapientiſſimus ſcriptor non modo, quod profecto neceſſe erat, non deſcripſit, aut inculcavit;

CAPVT V.

m *ibid. c. 36. p.*

m *Iren. L. 5. c. 28 extr.*

Caput V.

Sed ne leviter quidem vſpiam attigit, aut indicavit? Nimirum quas recitaret, vel Indicaret plane nullas norat. Norat autem omnes, ſi epiſtolas, quas nobis vel Latini, vel Vſſerius Voſſiuſque exhibent, ſciebat. Ergo neſciviſſe velis nolis, fatendum eſt. Non alia ratione Irenæum flagitioſiſſimi ſilentii crimine abſolvi licet. Sed tametſi res ſatis jam confecta videri poſſit, multo tamen etiam luculentius ex quodam ejuſdem ſcriptoris loco comprobatur, qui nobis nunc eſt expendendus. Is in hoc ipſo adverſus hæreticos opere, [n] ad eorum refellendam ſane impudentem calumniam, qui ex divinis ſcripturis victi, *veritatem ex iis inveniri poſſe ab his negabant, qui traditionem neſcirent*; oſtendit Apoſtolos non alia viva voce diſcipulis ſuis, tradidiſſe, quam quæ & ſcripturis, & Eccleſiæ ex eis fidei, ac prædicationi eſſent conſentanea; peregrina vero Valentini, Cerinthi, Marcionis, Baſilidis, & aliorum impoſtorum dogmata, vel, vt verus dixerim, deliramenta, nullis ſuorum diſcipulorum tradidiſſe. Duo autem affert ad id demonſtrandum argumenta; prius, quod apud Eccleſias ab ipſis Apoſtolis conditas, vt Romanam, vt Smyrnæam, vt Epheſiam, hæc quidem omnis ſcripturæ conſentanea de Deo & Chriſto doctrina, & tunc, & ſemper antea ab ipſis Chriſtianiſmi initiis perſonuiſſet, illa vero hæreticorum prodigioſa ſomnia plane apud eas inaudita hactenus fuiſſent. Alterum ejuſdem rei argumentum ducit ex certis, ſinceriſque quorumdam Apoſtolicorum diſcipulorum monumentis; in quibus eadem quidem illa ſcripturarum, & Eccleſiarum de Chriſto Creatoris filio, fides legitur; traditionis vero hæreticæ nullum cernitur veſtigium. Duorum autem Epiſcoporum, quos Apoſtolorum fuiſſe diſcipulos conſtat, duas hic epiſtolas memorat; vnam Clementis Romani ad Corinthios, ex qua intelligi ait eundem eſſe Chriſti Patrem, quem nunc Eccleſiæ annunciant, mundi ſcilicet Creatorem; alteram Polycarpi Smyrnæi, de cujus viri ſermonibus, prædicatione, & actibus nonnulla præfatus, epiſtolam ejus ad Philippenſes ſcriptam perfectiſſimam eſſe dicit, & *ex ea characterem fidei ipſius, & prædicationem veritatis diſci poſſe ab iis, qui volunt & curam habent ſuæ ſalutis*. Hic, rogo, cur Irenæus, ſi ei notus erat hic noſter, ſive vulgatus, ſive etiam Vſſerianus, Voſſianuſque Ignatius, illius loco tam opportuno, tamque neceſſario, nullus meminerit? cur eo miſſo, Policarpum vnum poſt Clementem objecerit? Si, quod vulgo ſtatuunt, verum eſt, illi ipſi ſcilicet Polycarpi ad Philippenſes epiſtolæ ſubiectam fuiſſe harum, quas nos habemus, Ignatianarum litterarum, factam & commendatam ab ipſo ejus auctore Syllogen, nihil erat promptius, quam quas Polycarpus, ſuas, & Ignatii litteras vno, eodemque volumine conjunxerat, earum quoque Irenæum hoc loco auctoritatem vtrarumque conjungere. Ipſa illa Polycarpi ad Philippenſes ab Irenæo memorata epiſtola, eum Ignatii ſic admonebat, vt hujus oblviſci, ne ſi vellet quidem, poſſet. Memorandi certe ratio, vtriuſque par erat; Ignatii vero etiam potior. Irenæus enim Apoſtolorum diſcipulos traditionis Apoſtolicæ, adverſus hæreticorum inſaniam; te-

[n] Iren. L. 3. c. 2. & 3.

[o] ibid. c 3.

ſtes

ſtes laudat. Ignatius Apoſtolorum & diſcipulus, & convictor fuerat: eorum manu in Antiochenæ Eccleſiæ ſede diù ante collocatus, quam ab iiſdem Smyrneæ Polycarpus eſſet ordinatus; martyrio denique annis ante Polycarpi agonem minimum ſexaginta coronatus. Ignatium ergo ſtatim poſt Clementem, non modo vna cum Polycarpo, ſed etiam ante Polycarpum, & citari, & audiri hoc loco ipſa rerum ratio, ipſeque ordo temporum neceſſario flagitabat, ſiquid teſtimonii contra Valentini, & Baſilidis, & cæterorum de illâ colluvie hæreticorum perverſitatem in aliqua ſua epiſtola diceret; Diceret vero, & quidem multo, quam vel Clemens, vel Polycarpus luculentius, atque diſertius, ſi is vere eſſet, qui hodie extat in epiſtolis, ſive Latinorum vulgatis, ſiue Vſſerii Voſſiique propriis Ignatius. Nihil enim in iſtos quibuſcum iſtic Irenæo res eſt, hæreticos dici poteſt iis plenius atque apertius, quæ in vtriuſque hodie epiſtolis leguntur, & quorum nos nuper partem non contemnendam edidimus; vbi meminiſſe poteſt Lector ſe pæne omnes ab Irenæo confutatas hæreſes ſigillatim denotatas vidiſſe; quaſdam etiam ex profeſſo haud imbelli diſputatione fractas ac conciſas; nonnullarum auctores, ſuis nominibus proditos: quorum nihil vel apud Clementis, vel apud Polycarpi epiſtolas, ſimile reperire eſt. Nam vtramque, etiam hodie, ſuperſtitem habemus. Comparet eas cum Ignatianis, cui & otium, & animus fuerit. Perſpiciet me nihil ſupra verum dixiſſe. Quæ cum ita ſe habeant, nunc conſtare arbitror Irenæum noſtrum quemvis de Apoſtolorum diſcipulis potiùs, quam Ignatium, hoc loco fuiſſe omiſſurum; ſi eum quidem Ignatium cognitum habuiſſet, quem vel Latini jampridem jactant, vel nuper Vſſerius & Voſſius ediderunt. At Irenæus longe eruditiſſimus, ac prudentiſſimus ſcriptor, & in hoc maxime opere omnium, qui adverſus vetuſtiſſimos hæreticos diſputarunt, diligentiſſimus, Ignatium neque Latinorum, neque Vſſerii Voſſiique hic memoraviſſe cernitur. Irenæo ergo vtrumque juxta ignotum fuiſſe neceſſario confitendum eſt; quem, ſi alteruter ei notus fuiſſet, tali loco indictum & innominatum prætermittere abſque gravi flagitio non potuit.

CAPVT V.

Caput VI.

Ignatiana Irenæo ignota fuiſſe, etiam patere inde, quod ea Florino nullus obiecerit, & quod eorum in cauſſa de Paſchate non meminerit; quo fit, vt etiam Aſianis & cæteris ignota fuiſſe neceſſe ſit. Denique Irenæum de anno quo Chriſtus eſt paſſus, ea ſenſiſſe, quæ recta cum Ignatianis pugnant.

p Iren. ad Florin. apud Euſeb. Hiſt. L. 5. c. 20. p. 187. 188.

Idem quoque inde perſpicimus, quod Irenæum in cuiuſdam apud Euſebium epiſtolæ fragmento [p] videmus adverſus Florini, ad quem illa ſcripta erat, impium quemdam & Gnoſticorum ac Valentinorum, ad quos poſtea aperte defecit, blaſphemiis conſentaneum errorem, *presbyterorum, qui Apoſtolorum ijdem diſcipuli fuerant,* auctoritatem afferre, ac Polycarpi nominatim ſui (de quo multa ſane ſuaviſſima narrat) de Ignatio perinde hic, ac in ſuperiori opere, tacere; quem tamen multa contra Florini blaſphemiam vtilia, hoc adeo in loco laudanda, ſcripſiſſe nemo negare poteſt, qui ejus vere eſſe conceſſerit, quas nunc ipſius nomine publicatas legimus epiſtolas. Irenæo, qui nullas viderat, vel norat, venia danda eſt, quod res ignotas nuſquam memoraverit.

q Id. apud Euſeb. Hiſt. L. 5. c. 24. p. 193. C. D.

r Ignat. epiſt. ad Philipp.

Denique ſi non cæteras epiſtolas, eam certe, quæ ad Philippenſes extat, Irenæo plane ignotam fuiſſe, altum eius de hac in iis quæ ad Victorem ſcribit, ſilentium fatetur. Nam iſtic, [q] vbi narrat Aniceti & Polycarpi de Paſchatis negotio diſſenſum, ait Polycarpum quidem moris ſui auctores Ioannem, & cæteros Apoſtolos habuiſſe; *Anicetum vero eorum, qui ante ſe fuerant, presbyterorum morem ſibi retinendum eſſe dixiſſe.* Inerter ac flagitioſe, ſi iam tum extitiſſe Ignatii ad Philippenſes ſuos leges, verum eſt. Ille vero multo fortius; [r] *Quicumque* (inquit) *cum Iudæis Paſcha egerit, aut ſolennia dierum feſtorum eorum ſuſceperit, eorum communicator eſt, qui Dominum & Apoſtolos occiderunt.* εἴτις μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελεῖ τὸ πάσχα, ἢ τὰ σύμβολα τῆς ἑορτῆς αὐτῶν δέχεται, κοινωνός ἐστι τῶν ἀποκτεινόντων τὸν κύριον, καὶ τοὺς ἀποστόλους αὐτοῦ. Hæc afferre, hæc Polycarpo obiicere Anicetum; hæc allata, & obiecta memorare Irenæum decebat. Sed quid facias? Vtrique æque ignotus fuit noſter iſte legiſlator Ignatius. Sed hoc ipſum argumentum vincit eandem illam Ignatii ad Philippenſes epiſtolam omnibus Aſiæ, Ciliciæ, & Meſopotamiæ per illa tempora Eccleſiis, æque ac Irenæo, fuiſſe ignotam. Has enim omnes conſtat iam a vetuſtiſſimis temporibus ad Concilium vſque Nicænum Paſcha cum Iudæis celebraſſe; quod quis facturos crediderit tum multos earum clariſſimos Epiſcopos Polycarpum, Traſeam, Sagarim, Papirium, Melitonem, Polycratem, alios; [s] ſi legem illam Ignatii, viri Apoſtolici, totiuſque (vt volunt) Orientis Primatis manu exaratam

s Euſeb. Hiſt. L. 4. c. 24.

exaratam legiſſent? Sed neque diſſentientibus, & Paſcha die Dominico ſeorſum a Iudæis, ſervantibus Paleſtinis, Romanis, Ponticis, Gallis, Oſdroënis, Corinthiis, ac ne Euſebio quidem ipſi, qui hęc omnia litteris mandavit, notam fuiſſe illam epiſtolam hinc quoque manifeſtum eſt; quod eam ab ipſorum nemine in hac controverſia memoratam eſſe, ex hiſtoria Euſebii Eccleſiaſtica [t] intelligimus; in qua ſingulos videmus accepta a ſuis maioribus traditione niti; eam adferre atque vrgere; Ignatii vero epiſtolam, qua nihil adverſariis objici poterat clarius, aut validius, omnes pariter facere. Merito; quæ enim nulla tum extabat, neutri de Paſchate diſſidentium parti nota eſſe potuit. Irenæum vero (vt quæ de eo diſputare cæ[illegible]mus, abſolvamus) Ignatiana noſtra neſciviſſe, non modo hinc probatur, quod ea quibus locis vtilia erant, nunquam laudaſſe reperitur; ſed etiam, & quidem validius, ex eo quod quædam Ignatianis adverſantia, rectaque cum iis pugnantia ſenſiſſe, ac defendiſſe deprehenditur. Hic enim Dominum quidem fatetur [v] *nondum triginta annos ſuppleviſſe cum ad baptiſmum venit*, ex Luca,* cuius etiam teſtimonium deſcribit: cæterum pertendit eum in terris multos annos poſt baptiſmum egiſſe; & vltra annum ætatis quadrageſimum, aut etiam quinquageſimum docuiſſe; [x] quam ſane perabſurdam ſententiam, & ex ſcriptura, ſed plane infirmis & imbellibus argumentis probare ſtudet, & præcipuè ſeniorum quorumdam auctoritate, qui hæc ſibi a Ioanne tradita teſtabantur; & quibus ipſe *magis credi oportere* definit, [y] *quam Ptolemæo hæretico, qui Apoſtolos nunquam viderat; veſtigium autem Apoſtoli ne in ſomnijs quidem aſſequutus erat.* Hæc quidem Irenæus de Chriſti in terris mora, ita philoſophatur. Quid Ignatius epiſtolicus? Ille vero rem plane aliter definit. Poſtquam enim Dominum annos triginta natum baptiſmum a Ioanne ſuſcepiſſe dixit, continuo ſic pergit; [z] *Et tribus annis prædicavit Evangelium, & fecit ſigna & prodigia coram falſis Iudæis, & a Pilato præſide Iudeæ, iudicatus eſt, flagellatus eſt, ac denique crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt.* Iam tecum quæſo quiſquis es, reputa an ſit credibile Irenæum tam his contraria ſcripturum fuiſſe, ac defenſurum, Dominum, quem iſta anno tertio ſupra triceſimum, mortuum & ſepultum affirmant, eum ad annum ætatis quinquageſimum vixiſſe, ac docuiſſe; ſi epiſtolas, in quibus illa leguntur, vidiſſet, & ab Ignatio Martyre vere ſcriptas fuiſſe putaſſet? Seniorum ſermones laudat, qui Ioannem viderant. Atqui Ioannem etiam Ignatius viderat, neque Ioannem tantum, ſed ipſum etiam, ſi Baronio credimus, Chriſtum: & Ioannis diſcipulus fuerat, & Apoſtoli, & quidem ipſius Petri, manu Antiochenæ Eccleſiæ epiſcopus ordinatus, & a Domino poſtea glorioſiſſimo Martyrio coronatus. Ac illorum quidem ſeniorum nomine, a quibus illa ſe accepiſſe dicit Irenæus, Papiam Ioannis & Ariſtionis presbyterorum auditorem, vt verè putant eruditi, [a] intelligit, quem Euſebius teſtatur [b] ex ſuis ipſum libris argui *& pertenuis fuiſſe hominem Iudicij*; & Apoſtolicos quidem vi-

CAPVT VI.

t ibid. c. 23. 24.

v Iren. L. 2 c. 39. p. 191. C. & 192. A.

* Luc. 3. 23.

x Iren. L. 2. p. 192. A.

y Iren. ibid. c. 40. init.

z Ignat. ad Trall. p. 75. 77.

a Fevard. ad Iren. L. 2. c. 39.

CAPVT VI.

ros aliquos vidiſſe,non tamen ipſos Apoſtolos.De Ignatio, omnia alia; & mente fuiſſe conſtantiſſima,vt martyrium docuit, & Apoſtolis convixiſſe, nemo vnquam dubitavit, Papiam ergo Irenæus, ſi Ptolemæo, novo,& hæretico homini, prætulit, Ignatio certe poſthabiturus, erat? quem & vere Apoſtolicum, & Martyrem noſſet, & Polycarpi præceptoris ſui condiſcipulum, atque amicum; Ignatiique teſtimonium Papiæ narrationibus erat prælaturus, litteris in ea epiſtola conſignatum, quam a Polycarpo ſuo lectam, & probatam, & Philippenſibus vna cum cæteris in eadem ſylloge comprehenſis enixe commendatam probe ſciret.Hujus tanti taliſq; viri de re,quæ ipſi cognitiſſima ac perſpectiſſima erat,liquidum ac diſertum teſtimonium vſque adeo comptemſiſſe ac nihili feciſſe Irenæum, vt id craſſi mendacii inſimulare, imo & apertiſſime damnare, & in ſententiam plane adverſam ire auderet,credant ſi libet, Baronius & Baroniani; Non ergo quidem certe,neque vt opinor,quiſquam,qui Irenæum norit.Ergo cum hunc ex libris manifeſtum ſit de tempore, quo Chriſtus poſt baptiſmum ad mortem vſque prædicavit, ea ſenſiſſe ac defendiſſe, quæ Ignatianis apertiſſime contradicunt: omnino fatendum eſt iſta Baronii Ignatiana Irenæo plane, penituſque fuiſſe ignota adeo tum extitiſſe: quæ ſi extitiſſent ſcilicet, nulli potius,nulli magis,quam huic viro nota futura erant.

Not.5.Ger. Ioan.Voſſ. Diſſert.2 de temp. Domin.Paſſ. c. 4.
Euſeb.Hiſt. L. 3.c.39.

CAPVT VII.

*2°.Ignatiana vetuſtiſſimis ad a.D.*190.*&* 264 *Alexandrinis,& Ægyptijs*; 3°. *Etiam ad hunc diem Æthiopibus, ignota fuiſſe, vt &* 4°. *Olim Ionenſibus apud Bedam Scotis, &* 5°. *Baioarijs in Germania; quod hi omnes inſtituta quædam habuerint cum ijs; quæ Ignatiana de epiſcopis,& presbyteris ſanciunt ac definiunt, plane penituſque pugnantia.Imo &* 6°. *Ipſi Hieronymo aut ignota, aut ſpreta fuiſſe videri hæc quæ hodie extant Ignatiana, idemque* 7°. *De Epiphanio iudicandum videri.*

SEd neque Alexandrinis notiorem,quam Ireneo & Aſianis,fuiſſe epiſtolicum Ignatium ſatis ex quadam ſingulari illius Eccleſiæ traditione conſtat,Ignatianis legibus plane penituſque adverſante. Eſt enim hæc noſtri illius;& quidem vtriuſque Vſſeriani & vulgati Ignatii conſtans ac perpetua,in omnibus pæne epiſtolis conſtituta, & ad faſtidium vſque repetita ac inculcata doctrina,non aliter,quam ab vno Epiſcopo presbyteris præſidente regi poſſe ac debere ſingulas Chriſti Eccleſias; ac vt definit doctiſſ. Hammondus, [c] *Epiſcopos ſingulares per omnes mundi plagas, vbicunque Chriſtiana fides viguit, Chriſto non præcipiente ſaltem approbante eſſe inſtituendos* imo etiam *inſtitutos*; *ſine eorum porro licentia nihil vſpiam in Eccleſia fieri oportere. Ieſus Chriſtus* (inquit)

c Hammond. Diſſert.2.c.16. §. a.

CAPVT VII.

[d] (inquit epiſtola ad Epheſios*) Patris ipſius ſententia eſt; vt & Epiſcopi per terræ fines conſtituti Ieſu Chriſti ſententia ſunt.* Idem ad Magneſianos; [e] *Quemadmodum Dominus ſine Patre nihil fecit*; &c. *ſic neque vos ſine Epiſcopo & presbyteris aliquid operemini.* Ad Philadelphienſes; [f] *ſpiritui prædicavit, dicens hæc ſine Epiſcopo nihil faciatis.* Ad Tralleſios; [g] *Neceſſarium eſt quemadmodum facitis; ſine Epiſcopo nihil operari, vos.* Tum paulo poſt, [h] cum Epiſcopum & presbyteros, illum *vt Chriſtum,* hos, *vt concilium Dei & coniunctionem Apoſtolorum, revereri* juſſiſſet, *ſine his (* inquit) *Eccleſia non vocatur.* Et paucis interjectis; [i] *Qui ſine Epiſcopo & Presbytero, & Diacono, operatur aliquid, iſte non mundus eſt in conſcientia.* Ad Smyrnenſes; [k] *Nullus ſine Epiſcopo aliquid operetur eorum, quæ conveniunt in Eccleſiam. Illa firma demum Euchariſtia reputetur, quæ ſub ipſo eſt, vel quam vtique ipſe conceſſerit;* id eſt, quæ aut fit ab Epiſcopo, aut ab eo, cui ille permiſerit. *Vbi vtique apparet Epiſcopus, illic multitudo ſit; quemadmodum vtique vbi eſt Chriſtus Ieſus, illic catholica Eccleſia. Non licitum eſt ſine Epiſcopo, neque baptizare, neque agapen facere.* Hæc Vſſerianus Ignatius. Et hæc ipſa, & alia plura habet vulgatus; vt hoc verbi gratia; [l] *ne ſine epiſcopo quicquam faciat presbyter, Diaconus, Laicus;* Vt illud ad Polycarpum; [m] *Nihil ſine ſententia tua fiat.* Atque hæ quidem ſunt Ignatii noſtri de Eccleſiæ regimine, deque Epiſcopatus neceſſitate leges. Iam videamus, qui Alexandrinæ, id eſt nobiliſſimæ & antiquiſſimæ, & maximæ Eccleſiæ vſus fuerit. Docet Hieronymus, teſtis locupletiſſimus, [n] *Alexandriæ (* inquit*) a Marco Evangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos* (id eſt ad a. D. 246. & 264.) *Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant; quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Eadem teſtatur Eutychius, Alexandrinæ ipſius Eccleſiæ Patriarcha, (qui ſæculo nono præcipiti, & decimo ineunte floruit, natus a. D. 876.) in Annalibus Eccleſiaſticis Arabice ſcriptis, quorū ſpecimen primo a clariſſimo viro Ioanne Seldeno a. D. 1646. nuper vero corpus ipſum totum Arabice & Latine in Anglia editum prodiit; [o] *Conſtituit* (inquit) *Marcus Evangeliſta duodecim Presbyteros cum Hanania* (quem Marcus ſcilicet Patriarcham ordinaverat) *qui nempe manerent cum Patriarcha; adeo vt cum vacaret Patriarchatus, eligerent vnum e* duodecim *Presbyteris, cuius capiti reliqui vndecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham eum crearent; & dein virum aliquem inſignem eligerent, eumque Presbyterum ſecum conſtituerent loco eius, qui ſic factus eſt Patriarcha vt ita ſemper extarent duodecim. Neque deſiit Alexandriæ inſtitutum hoc de Presbyteris, vt ſcilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, vſque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo.* CCCXVIII. (quo nomine Patres Nicænæ Synodi a. D. 325. ſub Conſtantino celebratæ ſignificat. *)* Hactenus Eutychius; de ſumma rei cum Hieronymo

d *Ignat. ad Eph. Vſſer. p. 3.*
e *Id. ad Magn. Vſſer. edit p. 203.*
f *Id. ad Philad. p. 216. Vſſer.*
g *Id ad Tralleſ. p. 207. Vſſ.*
h *ibid.*
i *ibid p. 208.*
k *Id. ad Smyr. p. 221.*
l *Ignat. ad Magneſian. p. 55.*
m *Id. ad Polyc. p.* 138.
n *Hier. ep.* 85. *quæ ad evagr.*
o *Eutych. Alex. L. 1. Ann. p. 331. 332.*

CAPVT VII.

conſentiens; de tempore leviter diſcrepans. Quod enim inſtitutum Hieronymus ad Dionyſium id eſt ad a. D. 264. duraſſe dicit, id Eutychius ad Alexandrum, id eſt ad a. D. circiter 308. perſeveraſſe vult. Hic vero etiam aliud quiddam non minus mirabile nos docet;[p] *Ab Hanania* (inquit) *quem conſtituit Marcus Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, vſque in tempora Demetrij Patriarchæ* (is Patriarcha fuit Alexandriæ vndecimus; ibidem *NVLLVS erat in Provincijs Ægypti Epiſcopus; nec Patriarchæ ante eum crearunt Epiſcopos. Ille autem factus Patriarcha tres conſtituit Epiſcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti.* Hæc ille. Demetrium autem iſtum vndecimum Alexandriæ Patriarcham, conſtat ex Euſebio [q] anno Commodi Imperatoris decimo, ideſt Domini circiter 190. ordinatum fuiſſe Epiſcopum. Ita ex Eutychio annis a Marco ad hunc Demetrium præpropter 130. nullum tota Ægyptia, numeroſiſſima ac ampliſſima Eccleſia, Epiſcopum, præter vnum Alexandrinum habuit; cęteræ extra Alexandriam parœciæ a Presbyteris abſque Epiſcopis ſingulæ regebantur. Euthychianam traditionem firmat idem inſtitutum in antiquiſſima, ac nobiliſſima Eccleſiæ Ægyptiæ traduce, Æthiopica ſcilicet Chriſtianitate, ad hæc vſque tempora ſervatum. In omni enim Æthiopica Eccleſia (quæ latiſſime patet, & multo etiam latius olim patuit) vnus eſt jam ab antiquis temporibus Epiſcopus, *Abuna* (vt vocant) id eſt Patriarcha, qui etiam hodie ab Alexandrino Patriarcha conſecratur, ac mittitur. Vnus hic in tota Æthiopia ordines confert, neque alios confert, quam diaconum, & presbyteratum; vt eſt ab Alphonſo Mindeſio diſerte traditum,[r] quem ex Ieſuita Patriarcham Pontifex Latinorum ad illam gentem ante annos triginta miſerat. Nicolaus Godignus, homo ejuſdem ſocietatis, idem ante Mindeſium docuerat;[s] *Ficta haud dubie eſſe & inania affirmans, quæ de Æthiopum, ſive vt nunc vocantur, Abaſſinorum Epiſcopis & Archiepiſcopis nonnulli garriebant. Vnum habent* (inquit) *Abaſſini, qui aliquo modo ſacris præeſt: Abuna dicitur, id eſt, Pater, Nomine alio Macus appellatur. Penes Alexandrinum Patriarcham eius electio & creatio. Monachis, & Clericis confert ordines.* Tum teſtem eiuſdem rei edit *Ioannem a Sanctis* ex Dominicano ſodalitio ſcriptorem, cuius & hæc verba recitat; *Qui ſacrorum eſt in his locis præſes ab Alexandrino mittitur Patriarcha. Præter hunc nemo alius munera exercet Pontificalia Abuna ab incolis vocatur.* Sed & hoc ipſum teſtari dicit Abaſſinos ipſos, qui Romæ, qui Oliſſipone, quique alibi in Europa reperiuntur. Hæc hactenus Godignus; quibus conſentanea ſunt, quæ Franciſcus *Alvares* tradiderat,[t] negans quemquam in tota Æthiopia eſſe, præter Abunam, qui ordines conferre poſſit. Ergo præter vnum Abunam nullus eſt apud Æthiopes veri nominis Epiſcopus, reliqui omnes clerici, quorum maximus numerus, non alii ſunt, quam diaconi & Presbyteri. Æthiopicum autem Chriſtianiſmum

p *ibid. p. 332.*

q *Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 22.*

r *Alphõſ. Mindeſ. Lett. al Vitell. delle coſe d'Eth. a. D. 1626. p. 59.*

s *N. Godign. l. 1. c. 32 de reb. Abaßin. p. 198.*

t *Alvar. Viag. d'Ethiop. c. 26. & c. 96.*

ſtianiſmum ab Ægypto propagatum eſſe demonſtrat & Abuna ab Alexandrino Patriarcha peti ordinarique ſolitus, & vetus Dioſcori Alexandrini ſchiſma, cui gens tota ad hodiernum diem adhæret, Synodi Chalcedonenſis, & Leonis Romani Epiſcopi memoriam etiamnum abominans. Itaque Æthiopes ab Ægyptiis vna cum fide vernaculum quoque illud inſtitutum vetus regendæ per presbyteros ſub vno in tota gente Patriarcha Eccleſiæ habuerunt. Sed Ægyptii aſſiduo cum cæteris Chriſtianis vſu, atque commercio, cum alibi apud noſtros ſingulares eſſe in ſingulis civitatibus epiſcopos animadvertiſſent, majorum morem mature mutarunt & epiſcopos ipſi quoque primo pauciores mox plures inſtituerunt, ne qua in re aliis inferiores eſſe viderentur. Æthiopes, ab aliarum gentium commercio remoti, ſolique ſeorſum degentes, ad hæc antiqui ritus tenaces, traditum ab Alexandrinis morem optima fide ſervarunt, hodieque etiam retinent, eiectis jamdudum Ieſuitis, qui religionem Latinam apud eos inferre, ac conſtituere nequicquam conabantur. Iam vetuſtiſſimam illam Eccleſiarum Alexandrinæ quidem ad a. D. 190. Æthiopicæ vero ad noſtra tempora diſciplinam cum epiſtolici Ignatii κυρίαις δόξαις comparemus. Hic ſtatuit ſingulares Epiſcopos per omnes mundi plagas, in civitatibus, vbi Chriſtiana fides viget, eſſe inſtitutos. Illæ negant in Ægypti & Æthiopiæ ampliſſimis ac Chriſtianiſſimis civitatibus vllos fuiſſe, ad a. D. 190. epiſcopos, duos tãtum in maximis illis & ampliſſimis regionibus fuiſſe aiunt, Patriarcham Alexandrinum, & Abunam Æthiopicum. Ille negat ſine Epiſcopo quicquam faciendum; Apud Alexandriam ad a. D. 264. presbyteri ſine Epiſcopo, non tantum presbyterum, ſed etiam, quod maximum eſt, Patriarcham faciunt, Ille *neceſſarium eſſe* definit *nihil abſque Epiſcopo operari; non baptizare, non euchariſtiam, nõ agapen facere.* At omne miniſterium Eccleſiaſticum abſque Epiſcopo in omnibus Ægypti (excepta Alexandria) civitatibus ad a. D. 190. in Æthiopia paſſim ad hæc vſque tempora peractum eſt. Ille negat *mundum eſſe in conſcientia*, qui horum aliquid ſine Epiſcopo operatur. Tota vero & Ægyptus, initio, & Æthiopia; ſemper, nihil presbyterorum ſanctitati detrahi cenſuerunt, quod ij ſacrum miniſterium abſque Epiſcopo peragant. Ille pronuntiat *ſine Epiſcopo Eccleſiam non vocari.* At eccleſias ſine Epiſcopis ſingularibus plurimas, & quidem copioſiſſimas, ac florentiſſimas, & Ægyptus olim ad a. D. 190. habuit, & vocavit, & Æthiopia etiam nunc habet & vocat. Quæ ergo hæc ad. a. D. 190. ita cenſuit ac factitavit Eccleſia Ægyptiaca, quæ acceptum ab ea hunc ritum ad noſtram memoriam retinuit Eccleſia Æthiopica, vtraque neſcivit profecto contrarium vſum eſſe vere Apoſtolicum; Ignatium adeo epiſtolicum neutra notum habuit; quem ſi noviſſent, & vere Antiochenum epiſcopum & Martyrem eſſe putaſſent, ne illa quidem ignorare potuiſſent, quæ in omnibus iſtis epiſtolis occurrunt, ſuæ Diſciplinæ plane penituſque contraria. Neque vero hæ ſolæ regiones ita inſtituerunt. Nam ex Gregorii P. R.

CAPVT VII.

Caput VII.

v Gregor.3.ep. 5.T.6.Conc.p. 466. A.B.

x Beda Hiſt. Angl.L.3.c.4.

y Hier.adv. Pelag.L.3 ini. fol 106.L.

z pEpiphan. Hær.75.§.4.5. p.908.

a Id.ibid.C.

III. epiſtola ad Bonifacium a. D. 739. data, diſcimus [v] in Germanica Baioariorum gente, & Chriſti fidem viguiſſe, & presbyteros fuiſſe, cum tamen nulli apud eos eſſent Epiſcopi; & *Vivilonem* neſcio quem primum fuiſſe, quem ipſe Gregorius a ſe in eum ordinem conſecratum ad eos miſit. Vnde liquet ne iis quidem temporibus Ignatii epiſtolici auctoritatem Chriſtianis per Germaniam notam fuiſſe. Sed neque ſeptimo ſæculo notam fuiſſe apparet Scotis Chriſtianis, apud quos ex Beda diſcimus fuiſſe Inſulæ Ionæ Abbatem presbyterum, cuius juri & omnis provincia, & ipſi etiam Epiſcopi ſubjecti eſſent; juxta exemplum primi doctoris illius, qui non Epiſcopus, ſed presbyter extiterat, & Monachus. Neque enim iſtos credibile eſt tam præpoſtere hæc fuiſſe ordinaturos, ſi ea vidiſſent, & pro vere Ignatianis habuiſſent, quæ hodie in epiſtolis legimus; toties tamque ſollicite monentibus & in genere omnia, & nominatim presbyterum epiſcopo cedere, ſubiici, obedire debere. Denique cum hæc omnia expendo, neſcio qui fieri potuerit, vt vel Hieronymus has epiſtolas pro vero viri Apoſtolici fætu habuerit, in quibus videbat eam de presbyteratus cum epiſcopatu ἰσοτιμία ſententiam tam clare; tamque ſæpe eſſe damnatam, quam ipſe tamen mordicus paſſim defendit; ſollicitorque putare, vel nondum in iis iſta tam multa fuiſſe, quæ hodie de epiſcopatus neceſſitate & præ presbyteratu excellentia iſtic legimus; vel certe exiſtimaſſe Hieronymum quantalibet fuiſſet Martyris auctoritas non tamen ſatis eam valere, vt rem diſertis ſcripturæ vocibus confirmatam convellere poſſet, aut deberet. Alicubi certe Ignatii (quem illo loco falſus pro *Barnaba* poſuit) *teſtimonijs, non tam ad auctoritatem, quam ad antiquitatem vtendum dicit*. [y] De Epiphanio idem quod de Hieronymo, dictum volo: Ille enim Aërii dogma, Hieronymianæ de originali epiſcopi & Presbyteri æqualitate ſententiæ geminum, acerrime & odioſiſſime in opere de hæreſibus ſuo traducens, [z] nullus Ignatianorum meminit, quibus nihil eſt in tota antiquitate adverſus illam Æërii opinionem diſertius. Loca Pauli Apoſtoli indicat, quæ Æërium objeciſſe tradit, vt confirmaret primis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus, idem fuiſſe presbyterum & epiſcopum; eaque ipſe pro ſua virili ſolvit, leviter & molli brachio, vt facile intelliget quiſquis eius diſputationem legerit. De Ignatio, qui vnus totum adverſarij dogma potentiſſime evertebat, & Apoſtolicis temporibus jam conſtituta fuiſſe epiſcopatus præ presbyteratu τὰ πρωτεῖα clariſſimè demonſtrabat, plane nihil dicit. Quin & quædam illic ponit cum Ignatianis apertiſſime pugnantia. Quale illud eſt, quod decernit *a presbyteris & Diaconis Eccleſiaſtica negotia impleri, ſive plene adminiſtrari poſſe*. διὰ τῶν δυὸ τούτων (πρεσβυτέρων) τὰς ἐκκλησιαστικὰς δύνανται πληροῦσθαι. [a] Item; *fuiſſe quaſdam ab Apoſtolis conſtitutas Eccleſias*, quæ a ſolis presbyteris & Diaconis abſque Epiſcopo regerentur; fuiſſe & alias, quæ viciſſim a ſolo epiſcopo vna cum Diaconis, abſque presbytero adminiſtrarentur; quæ totidem monſtra ſunt ex Ignatij qui-

tii quidem noſtri epiſtolici hierarchicis legibus, exſerte, vt nuper obſervavimus, ſciſcentis ac definientis, *ſine epiſcopis, presbyteris, ac Diaconis non vocari Eccleſiam*; & *neceſſarium eſſe nihil ſine Epiſcopo operari*; & *immundum eſſe in conſcientia, qui ſine illis trium graduum miniſtris aliquid operatur*; & illicitum denique eſſe *ſine Epiſcopo baptizare, vel Euchariſtiam, aut agapen facere*: Qui has Epiſtolarum κυρίας δόξας tam liquido evertit Epiphanius, eum neceſſe eſt neſciviſſe de his ab Apoſtolico viro, Epiſcopo, & Martyre, plane contra quam ipſe ſtatuit, jam olim fuiſſe definitum. Vnde neceſſario conſequitur illas epiſtolas, quæ jam tum Ignatii nomine inſcriptæ extabant, vel iſtis, quæ hodie in iis leguntur, caruiſſe, ab aliquo fortaſſe interpolatore poſtea additis; vel certe eas Epiphanium, aut neſciviſſe (quod de homine admodum curioſo parum eſt veriſimile) aut quod vero propius videtur, contempſiſſe, veluti fictas, & Martyri ab impoſtore ſubditas. CAPVT VIII.

CAPVT VIII.

8. *Ignota Tertulliano fuiſſe Ignatiana demonſtratur quinque argumentis.*

SEd vt jam ex hoc diverticulo ad vetuſtiora gradum referamus; ex his apparet; Ipſi etiam Tertulliano non minus quam Irenæo, ignotũ fuiſſe hũc noſtrum epiſtolicum Ignatium. Ille enim hujus decretum *ſine Epiſcopis presbyteris, & diaconis Eccleſiam vocari*, negantis, ac vetantis, apertiſſime refigit; ac (vt ſic dicam) proculcat, & aliud ipſe plane totaque (quod aiunt) diametro oppoſitum, atque adverſum condit, & in hæc verba promulgat. *Vbi tres* (inquit) *Eccleſia eſt: licet laici. Vnuſquiſque enim ſua fide vivit.* Non potuit totam Ignatii noſtri legem, vel contemptius deſpuere, vel fortius confringere, atque elidere. At eſt incredibile virum tantum, Apoſtolici doctoris, & Martyris definitiones (ſi quas ſciviſſet tam irreverenter fuiſſe habiturum, tamque procaciter repudiaturum, & alias plane contrarias ſecuturum. Illi ergo Ignatiana noſtra ignota fuiſſe confitendum eſt; quod & ex aliis quibuſdam facile intelligi poteſt; ac primo quidem ex eo, quod in libro adverſus Valentinum, & alios ſimiles Gnoſticos ſuo, *ne materias* (id eſt ineptiſſimas, & ad prodigium ſtultas, atque aniles iſtorum delirationes) ob incredibilem abſurditatem *finxiſſe* ipſe ad luſum ex quadã animi libidine, non autem apud ipſos inveniſſe videretur; monet eadem viros ſanctitate & præſtantia inſignes; *non ſolum anteceſſores ſuos, ſed ipſorum hæreſiarcharum contemporales, inſtructiſſimis voluminibus & prodidiſſe & retudiſſe*; eoſque nominatim recenſet, *Iuſtinum philoſophum & Martyrem, Miltiadem Eccleſiarum ſophiſtam, Irenæum omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem; Proculum ſuum, Virginis ſenectæ, & Chriſtianæ eloquentiæ dignitatem.* Ignatium noſtrum epiſtolicum, qui eaſdem quoque

b *Tertull. de exhort. Caſtit. c. 7. p. 668. D.*

c *Tertul. contr. Valent. c. 5.*

Caput VIII.

materias, & *prodidit* & *retudit* iſtis omnibus, imo & ipſis hæreticis, antiquiorem, & Apoſtolorum inſuper diſcipulum, eoque merito primo ſtatim loco dicendum, ne nominavit quidem. Nimirum quem ederet, nullum habuit; quod hic quidem noſter nondum eſſet natus; qui vero natus & denatus jam ante annos centum erat, nobiliſſimus Martyr, is cum iſtis beſtiis nunquam revera depugnaſſet. Idem Tertullianus in opere adverſus Marcionem, alios fuiſſe dicit [d] ante hunc, *præcoquos* (inquit) *& abortivos quodammodo Marcionitas qui Chriſtum phantaſma ipſi quoque cum illo vindicarent*, idque ex Ioanne Apoſtolo probat. Ignatium noſtrum apud quem, Marcione ipſum quoque vetuſtiorem, extant imo crebri multique ſunt, quod ſupra oſtendimus, hi Dominicæ carnis veritatem negantes, δόκησιν & phantaſiam aſtruentes *præcoqui Marcionitæ*, Ioanni teſtem addere poterat; & feciſſet credo, ſi hominem noſſet; quo nemo in primo illo Chriſtianiſmo neque ſæpius neque acrius phantaſticos iſtos exagitavit. Sed neque hic, neque vſpiam alibi in toto contra Marcionem opere Ignatii meminit, cuius tam multæ, tamque vtiles, ac laudari dignæ leguntur adverſus Marcionica figmenta ſententiæ.

d Tertull. L. 3. contr. Marc. c. 8.

Sed Ignatium noſtrum, & Tertulliano, & Catholicis ejuſdem ævi ignotum fuiſſe aliunde etiam deprehendimus. Montanus omnes poſt baptiſmum lapſos a ſpe pacis & communionis Eccleſiaſticæ per pœnitentiam conſequendæ plane penituſque excludebat; Mœchos vero ad eam admittendos eiuſdem memoriæ Catholici cenſuerunt. Tertullianus, Montani ſectator, hoc Catholicorum decretum toto de pudicitia libro impotentiſſime adverſus noſtros declamitans, oppugnat. Ignatius noſter epiſtolicus, & quidem vterque tum vulgatus Latinorum communis; tum Vſſerii, Voſſiique proprius, jampridem ſi eius vindicibus credimus, totam hanc controverſiam deciderat in epiſtola ad Philadelphienſes, illius quidem hæc verba ſunt; [e] *Rogo vos in Domino, quicumque pœnitentes venerint ad vnitatem Eccleſiæ, ſuſcipite eos cum omni manſuetudine, vt per vtilitatem & bonam demonſtrationem de luto, & muſcipula Diaboli eruti, & digni Ieſu Chriſto effecti, ſempiternam ſalutem percipiant in regno Chriſti.* Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ, ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, προσδέχεσθε αὐτοὺς μετὰ πάσης πραότητος, ἵνα διὰ τῆς χρηστότητος καὶ τῆς ἀνεξικακίας ἀνανήψαντες ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδας, ἄξιοι Ἰησοῦ Χριστοῦ γενόμενοι, σωτηρίας αἰωνίου τύχωσιν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ. Item; [f] *Omnibus pœnitentibus dimittit Deus, ſi ad vnitatem Chriſti concurrerint, & ad conſenſum * Epiſcopi.* Πᾶσιν οὖν τοῖς μετανοοῦσιν ἀφίησιν ὁ Θεὸς, ἐὰν συνδράμωσιν εἰς ἑνότητα Χριστοῦ, καὶ συνεδρείαν τοῦ ἐπισκόπου. Vſſerianus ſimilia edicit. [g] *Quotquot vtique pœnitentes veniunt in vnitatem Eccleſiæ, & iſti Dei erunt, vt ſint ſecundum Ieſum Chriſtum viventes.* Item: *Omnibus igitur pænitentibus dimittit Deus, ſi pœniteant in vnitatem Dei & concilium Epiſcopi* Voſſianus plane eadem, vt ſolet; καὶ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, οὗτοι Θεοῦ ἔσονται, ἵνα ὦσιν κατὰ Ἰησοῦν

e Ignat. ad Philadelph. p. 94.

f ibid. p. 105. init.

* conſeſſum.

g Ignat. Vſſer. ad Philad. p. 215. 216.

h Ign. Voſſ. ibid. p. 40. 43.

Χριστὸν

χειςὸν ζῶντες. Item; πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ Κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα Θεοῦ, καὶ συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου. His omnes vident apertiſſime, & pænitentium ſpes ad veniam erigi, & Eccleſiæ ius ac diſciplinam ad eos admittendos conſtitui. Si hæc Apoſtolica lex, viri Apoſtolici, ejuſdemque Martyris manu ita in hac epiſtola conſignata jam tum vulgo apud noſtros legebatur, non jam quæro, quî factum ſit, vt Tertullianus, vehementis quidem, ſed non contra Apoſtolica inſtituta ſpiritus, tam ſæve in Eccleſiam Mœchos ad pænitentiam admittentem eruperit; demus hoc Montanici, quo agitabatur, erroris furijs; illud vnum nunc rogo, cur Catholici de hac ſua in peccatores a Concilio Epiſcopi pœnitentiam poſcentes lenitate pulſati, has Ignatianas leges inter cætera ſuæ innocentiæ præſidia adverſarijs minime obiectarint! Plurima eos de ſcripturis divinis [i] ad ſui decreti defenſionem attuliſſe, etiam quædam de Eccleſiaſticis, vt ex *Hermæ*, [k] tametſi apocrypho paſtore, apud ipſum Tertullianum legimus. Quanto ſatius erat, & validius Apoſtolici hominis ad hanc cauſam diſertas litteras recitare? Illæ vero nuſquam ab iis in hac diſputatione memoratæ occurrunt. Si aliter eſſet, non taceret Tertullianus. Huius de ijs ſilentium, non fuiſſe a Catholicis in hac cauſa vſurpatas docet, nondum adeo noſtris cognitas, quæ ſi notæ jam fuiſſent ſcilicet, tali in loco nequaquam prætermiſſæ eſſent.

CAPVT VIII.

i *Tertull. de Pudic. paſſim. & c.7.*
k *ibid. c.10. p. 727.*

Scripſit idem Tertullianus egregium volumen contra neſcio quem Praxeam, qui Dominum Chriſtum cum Patre impie ſic permiſcebat, vt Chriſtum eſſe ipſum Patrem diceret, natum ex Virgine, & paſſum. Hoc dogmatis monſtrum Septimius noſter magna mole oppugnat; & luculentiſſima ex ſcripturis diſputatione frangit, atque proterit. Sed ab initio præſcribit, ne audiendum quidem ejus parentem Praxeam, qui dogma apud Chriſtianos a principio huc vſque inauditum ipſe hesternus hominibus obtrudat; Novum eſſe, & noſtris ignotum hactenus fuiſſe inde probat, quod fidei, *quæ ab initio Evangelij decucurrit regula,* [m] ea de iſto dogmate, nihil; omnia plane alia habet. Hoc vero ipſum multo validius configeret noſter Ignatius, qui ipſum illud Praxeæ dogma jamdudum, Si Latinis credimus, diſertiſſimis verbis confixerat; [n] *Vnus eſt* (inquit) *tantum, qui homo factus eſt, non PATER ſcilicet neque Paracletus ſed SOLVS Filius.* Quo etiam illa loca pertinent, [o] in quibus iſte Chriſtum exſerte illum eſſe negat, qui eſt ſuper omnia Deus, τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν, id eſt Patrem, ſed *eſſe ejus filium.* Cur hęc Tertullianus tam in Praxeam vtilia, ac pæne propria, nuſquam in longiſſima atque accuratiſſima contra eum diſputatione memorat? In promptu cauſa eſt. Nondum illa nota erant, quia nondum natus eorum parens, epiſtolicus Ignatius. Denique idem Tertullianus in proprio de hac quæſtione opere Montanica jejunia defendens contra Catholicos, docentes [p] *ſub novo teſtamento differenter jejunandum, pro temporibus, & cauſis vniuſcujuſque, & arbitrio,* non *ex imperio novæ diſciplinæ*; & Montanum

Id. contr. Prax. c.1. p.634. a.
m *ibid. c.2. p. 635. B.*
n *Ignat. ep. ad Philip. 174.*
o *ibid. p.178. & ad Tarſ. p. 146.*
p *Tertull. de jejun. c.2. p. 702. v.*

q *Euſeb. Hiſt. L. 5. c. 18.* num damnantes, quod is *jejuniorum leges impoſuiſſet* [q] argumenta vndique pro ſtatis illis, legitimis, ac certis diebus affixis jejuniis conquirit, & corradit, futilia plæraque, & ab omni veri ſpecie aliena. Ignatium, in tota diſputatione, nullus memorat. Ergo hunc noſtrum epiſtolicum neſciebat, cuius extant adeo diſertæ de jejuniis leges, vt ne ipſe quidem Montanus diſertiores ferre potuerit; quas adeo vir acerrimus tam ad illam quam agit, cauſſam opportunas atque vtiles, nequaquam erat ſi ſciviſſet, prætermiſſurus. Sed hoc telum ſolas fateor, ad Philippenſes & ad Tarſenſes epiſtolas petit; Vſſerianum Ignatium, qui nullas ad iſtos litteras dedit, non ferit.

CAPVT IX.

Ignatiana 9°. ignota fuiſſe, Caio (10°.) Clementi Alexandrino; 11°. Origeni. 12°. Iulio Africano. 13°. Lactantio 14°. Dionyſio Alexandrino 15°. Ipſi quoque Hieronymo, & reliquis eiuſdem ſæculi Chriſtianis. Secundi argumenti collectio & ἀνακεφαλαιώσις.

QVod vero nunc ſum miſſurus, vtrumque de gradu dejicit. Vterque enim Artemonis blaſphemiam Chriſtum merum nudumque hominem fuiſſe delirantis, ſplendide confutant. Ac primo quidem Vſ-
r *Ign ad Epheſ. Vſſer. p. 197. 201. Voſſ 21, 13.* ſerianus, dum Chriſtum Deum in carne factum eſſe dicit [r] ἐν σαρκὶ γενόμενον θεόν, *Deum humanitus manifeſtatum, eumque ante ſæcula apud Patrem fuiſſe, & in fine apparuiſſe,*
s *Id ad Magn. Vſſer. p. 203. Voſſ. 33.* [s] ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη; *eundem eſſe Dei verbum æternum,*
t *Id. ibid. p. 204. Vſſer. 34. Voſſ.* [t] ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος. Sic etiam vulgatus Ignatius. *Exſpecta Chriſtum filium Dei intemporalem in tempore, inviſibilem natura, viſibilem in carne.* προσδόκα τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν ἄχρονον ἐν χρόνῳ, τὸν ἀόρατον φύσει, ὁρατὸν ἐν σαρκὶ. Idem alibi;
u *Ign. vulg. ad Polyc. p. 138.* *non eſt homo merus per quem, & in quo facta ſunt omnia* Καὶ οὔτε φιλὸς ἄνθρωπος ὁ δι᾽ οὗ, καὶ ἐν ᾧ γέγονε τὰ πάντα. Et rurſum aliquot deſcriptis de Chriſto locis,
x *Id. ad Tarſ p. 147.*
y *ibid. p. 149* [y] *Quomodo ergo* (inquit) *qui huiuſmodi eſt, homo eſt purus* (merus) *quique ex Maria demum eſſe cæperit* (initium vt eſſet habuerit) *& non potius Deus verbum, & filius Vnigenitus?* πῶς οὖν ὁ τοιοῦτος ψιλὸς ἄνθρωπος, καὶ ἐκ Μαρίας ἔχων ἀρχὴν τοῦ εἶναι ἀλλ᾽ οὐχὶ θεὸς λόγος καὶ μονογενὴς υἱός; & in epiſtola ad Antiochenos exſerte *maledictum* eum pronunciat;
z *Id. ad Antioch. p. 156.* [z] *quiſquis Chriſtum merum hominem eſſe dixerit.* Atque hæc quidem noſter ille epiſtolicus Ignatius, quibus quid dici contra Artemonem diſertius poſſit, non equidem video. Itaque digna erant, quæ ab iis in medium adducerentur, qui Artemonicæ hæreſeos novitatem demonſtrare ſtudebant.
a *Euſeb. Hiſt. L. 5. c. 28.* Atqui id minime factum fuiſſe ex Euſebio diſcimus. Narrat enim cum iſti ſuam de Chriſto ſentētiam vetuſtiſſimam eſſe gloriarentur, eamque Victoris epiſcopi Romani tempore inverti apud noſtros, & mutari cæ-

piſſe

piſſe dicerent, quemdam de noſtris antiquum auctorem, diſputationem adverſus eos edidiſſe, e quo hæc Euſebius deſcribit; *fortaſſe,* (inquit) *id quod dicunt, credibile videretur; niſi eis refragarentur primum quidem divinæ ſcripturæ ; deinde fratrum quorumdam ſcripta Victoris ætate antiquiora , quæ illi adverſus Gentes. Et contra ſui temporis hæreticos pro veritatis defenſione ſcripſerunt ; Iuſtinum intelligo, & Miltiadem, & Tatianum , & Clementem, alioſque quam plurimos, in quorum omnium libris Chriſti divinitas adſtruitur. Nam Irenæi quidem & Melitonis & reliquorum ſcripta, quis eſt, qui ignoret, in quibus Chriſtum Deum ſimul atque hominem prædicarunt? Pſalmi quoque & cantica fratrum iampridem a fidelibus conſcripta Chriſtum verbum Dei concelebrat , divinitatem ei tribuendo.* Hæc ille vetus contra Artemonicos ſcriptor ; quem Caium, Victoris σύγχρονον , vel certe ſupparem , eruditi ex Photio fuiſſe ſuſpicantur. At iſtis omnibus antiquior fuit Ignatius. Cur hoc loco qui ante omnes diù, & Artemonis impudentiæ primus objici debuerat, ne commemoratus quidem eſt; Eum nempe vetus ille ſcriptor, non magis quam Irenæus, cognitum habuit. CAPVT IX.

Idem judicandum eſt de Clemente Alexandrino, vetuſtiſſimo & doctiſſimo ſecundi ſæculi præcipitis, ſcriptore; qui cum pro immenſa ſua eruditione plurimos ſe vetuſtiores tum Gentiles, tum Chriſtianos, auctores paſſim laudare, & ad teſtimonium dicendum excitare, etiam apocryphos ſoleat, hujus noſtri Ignatii epiſtolici neque vulgati, neque Vſſeriani vel ſemel meminit. Mirum eſt, qui vel ex vna Clementis ad Corinthios epiſtola tria, quatuorve loca in Chromateon opere deſcripſit, [b] nihil in tam multis Ignatii diſcipuli æque ac Clementis, Apoſtolici, ne ſententiam quidem vnam reperiſſe, quam notaret. Sed ille profecto nullas viderat; in quibus ſcilicet tam multa occurrunt ſingulari obſervatione digna, vt non ſit dubitandum, quin aliquid inde fuerit more ſuo excerpturus & cum lectore ſuo communicaturus , ſi vel Vſſeriana, aut aliquam earum partem vidiſſet. Certe vbi tradit [c] hæreticorum ſectas, Hadriani demum Auguſti temporibus , non paucis poſt Apoſtolorum mortem annis, coaleſcere cæpiſſe, opportunus erat locus Ignatiana noſtra commemorandi; quæ hæreticos iam ante Ignatii martyrium, id eſt Trajano , & ipſo Domitiano fortaſſe imperante , cætus conventuſque habuiſſe apertiſſime ſignificant. Vt ergo iſtic ſuæ theſi adverſantem de Glaucia Petri interprete , & de Theodade Pauli familiari; fabulam obiter repudiat, quos hæretici jactabant, illum quidem Baſilidis, hunc vero Valentini magiſtrum fuiſſe; ita profecto Ignatianas epiſtolas eidem illi ſuæ traditioni apertiſſime repugnantes ſi ſciviſſet, vel eas refutaſſet, vel ſuam ipſe traditionem ad harum normam correxiſſet. Eadem eſt & alterius cuiuſdam Clementis ſententiæ ratio. Ille enim vt notum eſt, ſtatuit [d] Chriſtum Dominum vnum tantum annum in terris prædicaſſe ; quem ab eius baptiſmo ad mortem putat. At noſter Ignatius diſerte ſcribit [e] Dominum tribus *poſt baptiſmum annis prædicaviſſe Evange-*

b *Clem. Alex. Strom. L. 1. p. 289. L. 4. p. 516 L. 5. p. 586. B. L. 6. p. 647. B. L. 7.*

c *Id. Strom L. 7. p. 764. c. D.*

d *Id. L. 1. Strom. p 340.*

e *Ign. ad Trall. p. 76.*

CAPVT IX.

lium, & feciſſe ſigna, & prodigia coram falsis Iudæis, ac poſtremo a Pilato crucifixum. Viri tanti, quem ſciret Apoſtolorum Diſcipulum fuiſſe, ea de re ſententiam Clemens ſi cognitam habuiſſet, haud dubie vel pro ſua pietate eſſet ſequutus, vel certe cur eam non putaret ſequendam, rationes pro ſua eruditione attuliſſet, & confirmaſſet. Neutrum fecit. Non eſt ergo dubitandum ei plane ignotas fuiſſe vel cunctas Ignatianas epiſtolas, vel hanc certè in qua illud quod diximus, liquido perſcriptum eſt. Idem argumentum conficit & Tertulliano & Origeni ignotum fuiſſe epiſtolicum Ignatium. Nam ille quidem Chriſtum tradit [f] anno Tiberii decimo quinto paſſum eſſe annos habentem quaſi triginta; adeoque vno tantum anno, non tribus, poſt ſuſceptum baptiſmum. Origenes vero Ieſum non tres annos, ſed vno anno, & aliquot menſibus docuiſſe, ſcribit. [g] Iulii quoque Africani eandem fuiſſe ſententiam ex Hieronymo diſcimus, qui ex eo refert [h] anno Tiberii Cæſaris quinto decimo paſſum eſſe Chriſtum. [i] Lactantius quoque ſcribit Tiberii Cæſaris a. 15. Iudæos Chriſtum cruci affixiſſe. Quis ſummos viros credat, in hoc omnes conſenſuros fuiſſe, ſi virum Apoſtolicum, qui Chriſtum (vt ferunt) in carne viderat, adeoque de his optimè teſtari poterat, ſciviſſent clare diſerteque tradidiſſe Dominum tribus annis poſt baptiſmum, anno Tiberii 15°. (quod Lucas teſtatur) ſuſceptum, antequam pateretur, prædicaviſſe? Ergo confitendum eſt Ignatiana Clementi, Tertulliano, Origeni, Iulio Africano, & Lactantio, totique adeo illi ſæculo plane fuiſſe ignota. Quæ enim tales tantique viri ignorabant, alios eiuſdem memoriæ ſciviſſe, abſurdum eſt, atque incredibile. Sed Clementem Ignatiana neſciviſſe hinc quoque manifeſtum eſt, quod is ſingularem quandam de Paulo Apoſtolo conjugato opinionem ſuam ex vno & altero ſcripturæ loco firmare conatur; [k] Ignatii, cujus, vtpote idem ſentientis, auctoritas ad eam rem opportuna erat, nullus plane meminit. Sed & Dionyſio Alexandrino ignotum fuiſſe hunc Ignatium, ejus ad Baſilidem epiſtola docet. Ignatius enim ille noſter *Chriſtum* dici Dominicæ diluculo a mortuis reſurrexiſſe diſertiſſime ſcribit. [m] ἐπιφωσκούσης κυριακῆς ἀνέστη ἐκ τῶν νεκρῶν. At Dionyſius horam, qua Chriſtus reſurrexit, accurate ac præciſe ſciri ſatis aperte negat. [n] Baſilidem enim ad quem ſcribit, probaſſe ait nihil in Evangeliis accurate perfecteque de illa hora eſſe traditum. Vnde fit, vt neque ipſe certam ſolvendi Paſchalis jejunij horam aſſignet, quod omnes fatebantur eo temporis puncto ſolvi poſſe, quo Chriſtum reſurrexiſſe conſtaret. Balſamo interpres id ipſum ſcribit, [o] negans Dionyſium *potuiſſe dicere horam qua Chriſtus reſurrexerit.* οὐκ ἐξῆν αὐτῷ εἰπεῖν τὴν ὥραν καθ' ἣν ὁ κύριος ἀνέστη. Atqui horam illam facile dixiſſet, ſi Ignatiana noſtra ſciviſſet. Illa ergo hunc neſciviſſe, ne dubitaveris. Quin iſta etiam poſt Euſebium, adeo obſcura erant, vt Gregorius Nyſſenus definiat [p] *horam reſurrectionis Dominicæ omnibus ignotam fuiſſe, præterquam Deo, qui reſurrexit, & Patri & Spiritui Sancto,* τὴν ὥραν τὴν πᾶσιν ἄγνωστον. Quin & Hierony-

mus

f Tertull. contr. Iudæ. c. 8.
g Orig L. 1. περὶ ἀρχ. c. 1
h Hier. in Dan. 9.
i Lactant. L. 4 Inſti. c. 10. extr.
k Clem. Alex. Strom. L. 3 p. 448. B.
l Ignat. ad Philad p. 98.
m Ignat. ep. ad Trall. p. 74.
n Dion. Alex. ep Canon. ad Baſil. apud Balſam. p. 879.
o Balſam. in loc. ibid. p. 882. A.
p Greg Nyſſ. Orat. 2. de Reſurr init. T. 3. p. 401. A.

mus idem ipſe affirmat; *Dominus* (inquit) *reſurrexit hora, qua ipſe voluit, & quæ nulli mortalium cognita eſt.* Quin & tenebras adhuc fuiſſe cum Chriſtus reſurrexit idem apertiſſime ſignificat, [r] cum ait lucem, quæ in Angelo radiabat, mulieribus præſtitiſſe, *vnde & in tenebris videre potuerunt.* Ergo cum venerunt, tenebræ erant. Atqui Dominus, cum venerunt, jam reſurrexerat; Ergo diluculum, quod ait epiſtolicus Ignatius, cum Chriſtus reſurrexit, nondum erat. Certe multorum opinionem fuiſſe ex illa, quam laudavimus, Dionyſii epiſtola refert Maldonatus, *Dominum media reſurrexiſſe nocte, ſicut media etiam nocte natus creditur; itaque eoſdem antepaſchale jejunium media ante diem Paſchæ nocte ſolviſſe; eumque morem totius fere Eccleſiæ vetere conſuetudine confirmatũ'eſſe.* Baronius nihil futurum opus longis diſputationibus dicit, [t] ſi Ignatium ſuum, tanquam divinum oraculum, audirent. Et hoc eum meritum eſſe putat, vt *qui a ſe viſa omnia veraque proſequitur.* Neque ego abnuo, quin hæc ei reverentia de huiuſmodi rebus hiſtoricis affirmanti debeatur, ſi is quidem vere eſt, quem eſſe vult Baronius. Sed neque dubito, quin veteres illi religioſiſſimi a nobis memorati ſcriptores Clemens, Tertullianus, Origenes, Iulius Africanus, Lactantius, Dionyſius Alexandrinus, Gregorius Niſſenus, Hieronymus, & alii, quæ iſte de Dominicæ & prædicationis tempore, & reſurrectionis hora tradidit, ea reverenter excepturi & velut *divinum,* quod ait Baronius, *oraculum audituri,* ac ſecuturi fuerint, ſi quæ ille de his in epiſtolis ſcribit, vidiſſent, & ab Ignatio Chriſti Martyre vere ſcripta fuiſſe credidiſſent. At iſti omnes tui Baroni Ignatii de his traditionem non modo non ſunt ſecuti; ſed eam apertiſſime rejecerunt, ac refutarunt, & res ei plane contrarias de prædicationis & reſurrectionis Dominicæ tempore amplexi ſunt; Ergo tuus eorum ævo Ignatius nondum emerſerat. Neque enim nobis perſuadebis tales ac tantos viros Ignatiana vel ſi jam extabant neſciviſſe, vel quæ ſanctiſſimi Martyris eſſe noſſent, ea ſpreviſſe.

CAPVT IX.

q *Hier. ep. ad Hedib. Quæſt. 6. T. 3. fol. 50. I.*
r *ibid. H.*
s *Maldon. in Matt. 28. 6.*
t *Baron. a. D. 34. § 177.*

Scio nobis contra obiici Polycarpi ex ſecundo ſæculo; Origenis ex tertio de Ignatio epiſtolico teſtimonia. Sed ea ſuo poſtea loco expendemus, & cum bono Deo oſtendemus nullam ad hanc cauſam vim habere; quod quæ ex Origene quidem afferuntur, non conſtet eſſe Origenis, imo alterius eſſe auctoris veriſimillimum ac pæne certum ſit; quæ vero ex Polycarpo, & ipſa quoque vehementer ſuſpecta, & præterea huiuſmodi ſunt, quæ etiamſi vere Polycarpi eſſent, ne ſic quidem vincerent has ipſas, de quibus litigamus, epiſtolas ab Ignatio fuiſſe ſcriptas. Sepoſito ergo tantiſper vtroque hoc nomine, ex iis quæ hactenus diſputavimus ſatis ni fallor, patet Ignatii has quas habemus epiſtolas, annis ducentis eius martyrium proxime conſecutis, plane ignotas Chriſtianis Theologis fuiſſe; etiam ipſi Irenæo, quem ſi quæ fuiſſent, minime omnium latere poterant; tum quod Polycarpi, qui eas collegiſſe primus dicitur, diſcipulus fuerit, & quidem ita ſtudioſus, vt omnia viri facta dictaque a ſe olim puero in Aſia viſa, atque audita ſenex etiam ſe

CAPUT IX.

probe meminiſſe profiteatur,; [v] tū quod ipſam illam Polycarpi ad Philippenſes epiſtolam legiſſet,cognitamque haberet,in qua hic factam a ſe epiſtolarum Ignatianarum Syllogen dicit,cuique hęc ipſa ſylloge in eodem coniuncta volumine ſubjiciebatur. Cum ergo hunc Irenæum, cum cæteros,quos recenſuimus, has tot taleſque epiſtolas,ſi vere tum extitiſſent,neſciviſſe plane ſit incredibile; conſentaneum eſt hoc, quod nos putamus,quodque inde neceſſario conſequitur,confiteri,has ſcilicet epiſtolas toto illo tempore nullas re vera extitiſſe. Quale enim quæſo iſtud eſt,vt eæ quo tempore noſci facillime poterant, eo ignotæ,ac incelebres iacuerint?Nemini ne in iis quidem locis dictæ,aut laudatæ,qui eas dici poſtulabant?Iis demum temporibus notæ,ac dictæ fuerint,quibus quod eſſent ab ea,quæ dicitur, illarum origine remotiores,difficilius noſci poterant? Conſtat enim ex iis quæ diximus, eas annis poſt Ignatium ducentis ignotas fuiſſe, anno demum poſt eius mortem ducenteſimo ab Euſebio primum ſex fuiſſe memoratas; inde laudantibus Athanaſio,Hieronymo,Theodoreto,Gelaſio,celebrari cœpiſſe,quoque longius a rerum fonte receditur,eo magis inclaruiſſe ; donec tandem circa ſextum ſæculum, quæ primo ſex fuerant, eæ ad duodecim, ac poſtremo ad quindecim numerum excreverunt,ingenti vbique plauſu iactatæ ac celebratæ. Nemo prudens negaverit hunc omnino eſſe fabularum, & rerum falſarum,atque commentitiarum progreſſum ; quæ iis temporibus,quibus exortæ dicuntur,ignotiſſimæ, vbi ſemel fictæ ſunt, obſcure primo, paucis quos nactæ fuerint paulo faciliores, adrepere; mox attollente paulatim fama ſubvehi,ad plures ſenſim,inde ad omnes advolare vbique ſeſe oſtentare, & *caput* poſtremo, quod ait ſummus Poëta,*inter nubila condere* ſolent.Hoc plane fuit Ignatianarum epiſtolarum fatum. Annis poſtquam natæ dicuntur, pluribus quam ducentis, altum de iis apud omnes ſilentium ; A Martyre vt ferunt, Apoſtolico ſcriptas,ab alio,ipſo quoque Apoſtolico,& Martyre profuſiſſime vt volunt, ſed nequicquam, commendatas nemo toto illo ſæculo inventus, qui celebraret;nemo qui laudaret; qui vel ſemel nominaret. Profecto vel barbarum & inhumanum, planeque ferreum illud Chriſtianorum ſæculum fuiſſe neceſſe eſt ; vel certe has noſtras Ignatianas gemmas nullas adhuc tum extitiſſe, quas nemo ſi vere extitiſſent, vel mediocri ſenſu præditus,præſertim a Polycarpo publicatas,contemneret.De ſæculi humanitate,pietate,eruditione,ſapientia,nemo dubitat; & quos eius memoriæ viros nuper dixi,Irenæos, Tertullianos, Clementes, hi abunde noſtram de illo ævo opinionem confirmant. Huc ergo tandem concedere non modo ſollicitamur, ſed etiam cogimur, vt quæ nunc apud nos circumferuntur Ignatiana, ea credamus nulla toto illo ſæculo in rerum natura extitiſſe, eaque adeo neque ſcripſiſſe Ignatium, neque ſuſtuliſſe,aut edidiſſe Polycarpum.

[v] *Iren. apud Euſeb.Hiſt. L ſ c.20.*

CAPUT

CAPVT X.

Argumentum adverſus Ignatiana III. *Quod in ijs Baſilides nominatim memoretur, annis* 27. *poſt Ignatij mortem exortus. Diſcutiuntur Baronij præſtigiæ, & verum Baſilidis tempus ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus aſſeritur. Argumentum IV. Quod Theodotum ſcriptor epiſtolarum nominet, & eius hæreſin confutet, annis poſt martyris mortem pæne centum exortam. Expenduntur & refelluntur Vſſerij, & Hammondi ad quemdam Hieronimi locum exceptiones.*

MIhi quidem vt ita ſentiam, ſatis eſſe confiteor hactenus a me expoſitum argumentum. Sed quia res agitur non exigui momenti, vt ijs quantum quidem eſt in nobis ſitum, ſatisfaciamus, qui argumento, vt vocant, negantis teſtimoniis diffidunt, epiſtolas deinceps ipſas paulo accuratius inſpiciamus, & videamus, an & ſæculi, quo ſcriptæ, & viri, a quo ſcriptæ eſſe dicuntur, ingenio ac moribus, plane congruant; & exploremus ſi quid forte inſit, quod fucum ſapiat. Difficile enim eſt, etiam peritiſſimum ac callidiſſimum impoſtorem ita ſibi vndequaque cavere, vt non ei aliquid imprudenti excidat, quod dolum prodat.

Primo ergo has epiſtolas paulo diligentius rimanti non pauca paſſim occurrunt, quæ ſtatam atque immotam temporum fidem, certiſſimum veritatis κριτήριον, graviter pulſant, ac convellunt; Quale eſt quod earum auctor de tam multis hæreticis, atque hæreſibus paſſim loquitur, poſt Martyris demum mortem, vt videtur, exortis. Nam & quoſdam ejus commatis hæreticos nominat diſerte, & quos non nominat, eorum tamen dogmata ita plane, ac perſpicuè interdum exponit, vt quos intelligat, dubitari non poſſit. Vtrumque ordinem ſigillatim conſideremus. Prior eorum eſt, quorum nomina edit; Edit autem Baſilidis, Theodoti, ac Cleobuli in epiſtola ad Trallianos. [a] At hos tres poſt Ignatii martyrium erupiſſe, certo conſtat. De Baſilide res clara eſt ex conſona omnium veterum ſcriptorum traditione Clemens Alexandrinus in eo ipſo loco, quem nuper attigi; [b] *Infra* (id eſt poſt Pauli mortem) *circa tempora Hadriani Imperatoris* (inquit) *fuerunt, qui hæreſes excogitarunt, & pervenerunt vſque ad ætatem Antonini natu maioris, ſicut Baſilides.* κάτω δὲ περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας, καθάπερ ὁ Βασιλείδης. Huic Clementis traditioni adamuſſim congruit Firmiliani [c] aliquanto junioris, clariſſimi, Cyprianeo ævo, Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi, teſtimonium; temere, ne dicam inverecunde, a Baronio [d] ſugillatum; *ſed & Valentini* (inquit Firmilianus) *& Baſilidis tempus manifeſtum*

[a] *Ign. ad Trall. p.* 78.

[b] *Clem. Alex. L.* 7. *Strom. p.* 764. C.D.

[c] *Firmil. ep. ad Cypr. quæ* 75. *eſt apud Cypr. p.* 158. *extr.*

[d] *Bar. a. D.* 258.

Caput X. *ſtum eſt, quod & ipſi poſt Apoſtolos & poſt longam ætatem adverſus Eccleſiam Dei ſceleratis mendacijs ſuis rebellaverint.* De Baſilidis tempore tãquam de re manifeſta loquitur. Id ipſum diu ante Firmilianum tradiderat Irenæus. Hic enim Clementis ad Corinthios epiſtolam, non multis, vt videtur, ante Ignatii martyrium annis ſcriptam, *vetuſtiorem* eſſe affirmat [e] *Hæreticis alterum Deum ſuper Demiurgum*, factorem horum omnium, quæ ſunt, *comminiſcentibus*; id eſt (vt liquet) Gnoſticis. Neque vnum Clementem, qui Apoſtolorum tempora vix eſt egreſſus, hæreticis vetuſtiorem fuiſſe docet. Scribit [f] idem alibi omnes *iſtos hæreticos valde poſteriores eſſe, quam Epiſcopos; quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias*; adeoque & Ignatio, qui horum Epiſcoporum vnus fuit. Itaque & quarti ſæculi ſcriptor Euſebius tum Saturninum Antiochenum, tum Baſilidem Alexandrinum principatu Hadriani hæreſes ſuas diſſeminare cæpiſſe refert; [g] & quidem recte, clariſſimo atque eruditiſſimo Valeſio [h] judice. Idem in Chronico ad annum Hadriani XVII. Domini vero CXXXIV. Baſilidem hæreſiarcham exhibet; [i] *a quo* (inquit) *Gnoſtici.* Hæc vetuſtiſſimi, a quibus neque poſteri ſcriptores diſcedunt; Theodoretus, quinti ſæculi optimus auctor *Saturnilum* (alijs *Saturninum*) & Baſilidem, ambos ſub Hadriano fuiſſe dicit. [k] ἄμφω δὲ (inquit) ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ Καίσαρος, ἐγένοντο. Iſidorus Hiſpalenſis, ſeptimi ſæculi ſcriptor, Hadriani principatum in Chronico exhibens; [l] *Per idem tempus* (inquit) *Aquila Ponticus, interpres ſecundus poſt LXX. Oritur; Et Baſilides hæreſiarcha agnoſcitur.* Cæteros referre eadem ſequentes & longum eſt, & ſupervacaneum. Cum ergo ex his certum ſit Baſilidem diù poſt Apoſtolos, ſub Hadriano Principe (vt habent Euſebius & Hieronymus) hęreſes ſuas ſpargere cæpiſſe; epiſtolarum ſcriptor, qui Baſilidem hæreticum nominatim memorat, neceſſario alius eſt ab Ignatio Martyre; quem ſcilicet annis poſt Ioannem Apoſtolum pauciſſimis ſub Trajano Hadriani deceſſore, martyrium feciſſe conſtat, a. D. 109. (ex Baronii calculo) vel (ex Vſſerij, qui accuratior) 107. annis adeo ante exortam Baſilidis hæreſim circiter 27. Vaniſſimus Latinorum Annaliſta, vt hæc diſcutiat, fruſtra nobis ſua quædam ſomnia narrat. Primum eſt, quod hæreticos iſtos Baſilidem ſcilicet & Saturninum a. D. 120. *Eccleſiam ſuis pravis dogmatibus impugnaſſe* concedit [m] quidem; Sed ita tamen, vt velit eoſdem jam ante (viventibus ſcilicet vel Apoſtolis, vel Apoſtolorum diſcipulis, id eſt ante a. D. 109.) *ſua monſtra concepiſſe, & & ſinceræ fidei integritatem hæreſium labe conſpergere*, adhuc ſuperſtite Ignatio, *cæpiſſe.* Mitto; quod pſeudo-Ignatius ſatis ſignificat Baſilidẽ, quo tempore illa ipſe quæ diximus, ad Trallenſes ſcribit; ſua monſtra, non, quod ait parens Annalium *concepiſſe*, ſed effudiſſe ac ſparſiſſe, multiſque perſuaſiſſe; vt jam ſectatorum turbas nactus eſſet. Non enim huius viri deprehenſis a ſe venenis mature occurri, & morbi vim antequam convaleſcat, opprimi jubet; ſed veluti de malo palam graſſante loquitur; [n] *Fugite,* (inquit) *malas ſoboles Diaboli, Simonem dico, primogenitum generis*

e Iren. L. 3. c. 3. p. 233. A.
f Id. L. 5. c. 20. init.
g Euſeb. Hiſt. L. 4. c. 7. p. 119.
h H Valeſ. Not. ad eũ Euſ. loc.
i Euſeb. Chron.
k Theodor. L. I. Hær. Fab. c. 2. T. 4. p. 193. D.
l Iſid. Hiſp. Chron. p. 389.
m Bar. a. D. 120. § 5.
n Ignat. ad Trall.

generis ipſius, & Menandrum, & Baſilidem, & TOTAM COL-LECTIONEM malignitatis ipſius, φεύγετε δὲ αὐτοῦ καὶ τὰς κακὰς παραφυάδας. Σίμωνα τὸν πρωτότοκον αὐτοῦ υἱὸν καὶ Μένανδρον καὶ Βασιλείδην, καὶ ὅλον αὐτοῦ ὀρυγμαδὸν τῆς κακίας. ὀρυγμαδὸν τῆς κακίας αὐτοῦ. *inconditam turbam Baſilidis* malignitatem ſectantium dicit; Hæc enim mihi de hæreſiarchæ, non de Diaboli malignitate accipienda videntur. Sed hæc quod dixi, mitto; illud nunc quæro; Vnde hæc Annaliſta, quæ tam confidenter narrat, accepit? Primo quod iſtos ait a. D. 120. erupiſſe, mera ipſius hariolatio eſt; nullo veterum teſtimonio fulta, qui omnes iſtos diu poſt Apoſtolos, ſub Hadriano; quidam vt Euſebius & Hieronymus, a. Hadriani 17. (id eſt Chriſti 134.) ſuas hæreſes publicaſſe ſignificant; nemo anno Hadriani primo Chriſti (ex Baronii calculo) 120. id accidiſſe dicit; quod Annaliſtæ Ignatianæ cauſæ ſtudentis purum putum commentum eſt. Alterum eius priore etiam ineptius, ſomnium eſt, iſtos hæreſiarchas ſua monſtra jam viventibus Apoſtolicis concepiſſe. Quis hoc noſtrum docuit? Vnde didicit jam iſtos, viventibus Apoſtolis & Apoſtolorum diſcipulis, non dico ſua monſtra concepiſſe, ſed vel puberes, vel etiam pueros, aut adoleſcentes fuiſſe? Ioannes Apoſtolorum vltimus, terras reliquit, vel Nerva & Ruffo coſſ. id eſt a. D. 97. vel quod Annaliſta ſtatuit, a. D. 102. Fac Baſilidem eodem illo anno natum; fac puerum fuiſſe; annon anni illi 32. qui hinc ad a. D. 34. fluxerunt, quo ſua teſte Euſebio, monſtra effudit, ſatis illi ad ea concipienda eſſe potuerunt? Tertium Annaliſtæ ſomnium, etiam ſuperioribus deterius eſt, quod hæreticos ſuas hæreſes viventibus Apoſtolis non modo concepiſſe, ſed etiam ſpargere, earumque labe ſinceræ fidei integritatem (vt loquitur) conſpergere cæpiſſe vult; Vndè & ſomnia ſomniis more ſuo ſuperſtruens, alibi audaciſſime affirmat [o] a Ioanne Apoſtolo in duabus prioribus epiſtolis, ſugillatum fuiſſe Baſilidem, & ejus gregales, quaſi is ſua prodigia Ioanne adhuc ſuperſtite jam prędicaverit. Nimirum Baſilides, ſi iſti credimus, annis triginta quinque antequam noſceretur, jam nobilis erat hæreſiarcha; jam a Ioanne ſugillatus, & infami nota compunctus erat. Nam quicquid delirare Baronio ſuus ſuadeat ſtramineus Ignatius, neminem tam ſtultum futurum arbitror, qui Clementi, & Firmiliano, & Euſebio, & alijs veteribus non potius credendum putet Baſilidem diu poſt Apoſtolos ad annum Hadriani 17. noſci cœpiſſe ex propinquo, in ipſarum rerum vicinitate narrantibus, quam Annaliſtæ iſti muſteo, omnia plane alia nullo auctore, nulla ratione, ex vno cauſſæ ſuæ ſtudio, vaticinanti, ſæculo demum poſt res geſtas decimo quinto 4°. Quod idem alibi ex Hieronymo narrat [p] *Baſilidem in Alexandria eſſe mortuum temporibus Hadriani, qua tempeſtate Barchochebas dux Iudaicæ factionis Chriſtianos varijs ſupplicijs enecavit*; id inquam, neſcio quam verum ſit; certè non videtur cohærere cum iis, quæ Clementem ſupra audiebamus tradentem, ſcilicet Baſilidem perveniſſe ad Antonini Pij ævum. Hadriano enim a. D. 137. mortuo Pius ſucceſſit; Barcochebas

ante

CAPVT X.

[o] Bar. a. D. 99. § 7.

[p] Bar. a. D. 120. § 15.

Caput X.

ante Hadriani mortem reverſus, bellumque Iudaicum, Bither arce expugnata, confectum erat. S. Vltimum Baronii de his ſomnium eſt, [q] quod Baſilidem prius erupiſſe fingit; Saturninum Antiochenum, poſtea; ſed infœliciter, vt ſolet. Nam plane contra factum eſſe conſtat. Neque ipſe diſſimulare auſus eſt alios auctores aliter rem narrare. *Saturninum* (inquit) *poſt Baſilidem ordine recenſemus, licet nonnulli, qui de ijs agunt, de Saturnino primum mentionem inſtituerint.* Qui ſint iſti *nonnulli* a ſe diſſentientes, callide tacet; ne tantorum nominum auctoritas ſui figmenti vanitatem labefactaret. Nos qui ſint, dicemus. Primus ergo hic a Baronio diſſentientium eſt, Tertullianus; ſecundus eſt Euſebius * Tertius eſt Theodoretus; † Quartus eſt Ephiphanius, id eſt vetuſtiſſimi omnes auctores, a quibus rem hanc totam habemus; neque quemquam eſſe puto, qui Baronio aliter inſtituenti præiuerit. Omnes Saturninum, vt Baſilide anteriorem, memorant. Ipſe certe neminem laudat; vt a ſe *diſſentire*, non quod ſcripſit, *nonnullos, ſed omnes* confiteri debuerit. Omnes, inquam, quotquot de his verba faciunt, Saturninum Baſilide anteriorem fuiſſe ſignificant; Quidam, quod veriſſime ac ſolertiſſime obſervabit Vſſerius, [r] diſerte affirmant Saturninum priorem erroris ſcholam aperuiſſe; vt Tertullianus, [s] qui Simonis, & Menandri impietatem paucis executus; *ſecutus eſt poſt hæc* (inquit) *& Saturninus*; ac huius quoque expoſitis deliriis, tum demum; *Poſtea* (inquit) *Baſilides hæreticus erupit. Poſtea*, inquit. Non ergo ante Saturninum; quæ inſulſa eſt Annaliſtæ hariolatio; hiſtorias nobis non ex rerum veritate, ſed ex ſuo commodo contexentis. Ephiphanius omnia etiam clarius pandit; [t] fuiſſe hos duos Saturninum, & Baſilidem in Syria cõdiſcipulos συσχολαστάς, ſub Menandri, vt videtur, præceptoris diſciplina, Saturnilum Antiochiæ docuiſſe: Baſilidem in Ægyptum eſſe profectum, *& illo ſuo præſtigiatore condiſcipulo, quem in Syria reliquerat, majora multo prædicare cœpiſſe vt ſublimioribus, quam ille tractandis dogmatibus maiorem auditoribus ſuis fucum faceret, iiſdemque impenſius arrideret, ac plures ſodali ſuo Saturnilo ſectatores colligeret.* Tum; *Sed vt quod res eſt dicam; non ille per ſeſe, ac ſuopte ingenio dira illa, ac peſtifera dogmata primus excogitavit, Sed A SATVRNINO ac Simone Mago, quem ſupra refutavimus, erroris argumenta mutuatus eſt, quæ alia ratione tractare & maiore cum pompa enarrare inſtituit.* Ita ex Petavii interpretatione Ephiphanius. Non potuit diſertius febriculoſas Latini Annaliſtæ ſuſpiciones, frigidaſque conjecturas diſcutere: quibus diſiectis iam in aperto emicans vetuſtiſſimis auctoribus tradita, veritas impoſtoris Ignatiani ſtultitiam prodit; qui quem ſimulandum ſumpſerat Martyrem, eum facit ſuos abſurde ac præpoſtere hortari, vt *Baſilidem & totam collectionem malignitatis ipſius, fugiant*; immemor tunc, quem monentem inducit, totis viginti annis, & quod excurrit, vivere & loqui ante deſijſſe, quam Baſilides vllos malignitatis & amentiæ ſuæ ſectatores collegiſſet. Etiam maioris ſtultitię eſt, quod deinceps noſter Ignatii ſimius ſuos Trallianos

Theodo-

q *Bar. a. D. 120. §. 18.*

* *Euſeb. Hiſt. L. 4 c. 17.*

† *Theod. L. 1. c. 2. Hæret. fab.*

r *Vſſer. Proleg. In Ignat. c. 16. p. 117.*

ſ *Tertull. de Præſcr. c. 45. p. 249. D.*

t *Epiph. Hær. 23.*

Theodotum quoque & Cleobulum fugere jubet.[v] *fugite etiam* (inquit) *ipſius nequiſſimi nepotes, Theodotum ſcilicet, & Cleobulum, qui generant fructum mortiferum.* φεύγετε καὶ τὰ τοῦ πονηροῦ ἔκγονα, Θεόδοτον καὶ Κλεόβουλον, τὰ γεννῶντα καρπὸν θανατηφόρον. Cleobulum iſtum ſua obſcuritas ita tegit, vt argui non poſſit. Vt enim hunc eundem cum *Cleobio* illo fuiſſe putemus, cujus ſit aliquoties apud ſcriptores mentio, nihil vt opinor, cogit, ſed de Theodoto, res aperta eſt. Duos Theodotos ſcriptor contra Artemonem anonymus quidem, ſed antiquiſſimus, (ſive is ſit Caius, vt a Photio traditum eſt,[x] ſive alius) apud Euſebium [y] memorat; vnum cognomento Coriarium, τὸν σκυτέα, ab arte, quam fecerat (quem Epiphanius[z] & Hieronymus[a] a Patria *Byzantinum* indigitant) cum Artemone de Chriſto blaſphemantem; alterum prioris iſtius diſcipulum, & mali quod aiunt, corvi malum ovum, Theodotum *argentarium*, τραπεζίτην. Iam quod idem ille ſcriptor narrat Coriarium a Victore Romæ Epiſcopo, ab Eccleſiæ communione, ejectum fuiſſe ob ſuam illam hæreſin, cuius ibidem *parens & auctor* primus fuiſſe dicitur; id inquam hominem demonſtrat poſt a.D. 194. quo Victor ſedere cœpit, vixiſſe, & hæreſim ſuam prodidiſſe; id eſt annis poſt Ignatium martyrio coronatum 87 Iſte ergo epiſtolæ ad Trallianos ſcriptor, Ignatius eſſe non poteſt, qui res tam multis poſt martyris obitum annis geſtas ſcivit; omninoque quiſquis de cætero ſit, poſt a.D. 194. vixit. Si vero Theodadem, quo videtur ducere clariſſimus Vſſerius, præter omnium codicum Græcorum Latinorumque fidem pro Theodoto hic reponere licet; quidni & in loco ſuperiore pro *Baſilide* licebit *Hermogenem*, aut *Philetum*, aut quemvis alium Baſilide vetuſtiorem hæreticum reſcribere? Actum eſt de omni veterum librorum fide, ſi hæc licent; neque vllus eſt inter apocryphos tam abſurdus, ineptuſve liber, quem non poſſis iiſdem artibus pro vero & ſincero aſſerere. Huc accedit, quod Theodadem, illum Pauli familiarem, quem a ſuo Valentino auditum ferebant hæretici (vt eſt apud Clementem) non conſtat fuiſſe hæreticum. Non eſt Chriſtianæ charitatis virum, fortaſſe orthodoxum, hæreſeos infamia aſpergere, vt eum ſublevemus, qui mendacii, & imposturæ manifeſtus eſt. Denique & me Hieronymi locus contra Helvidium diſputantis movet, diſertè Ignatium inter Apoſtolicos ſcriptores primum recenſentis, [c] qui adverſus Ebionem, & Theodotum Byzantium, & Valentinum ſcripſerunt. Scio quid ad hunc Hieronymi locum duo viri doctiſſimi dixerint, Vſſerius, & Hammondus. Prior videtur [d] Hieronymum capere non de epiſtolis, ſed de alio aliquo Ignatii adverſus hæreticos opere, quod illius ævo extiterit, noſtro deſideretur. Sed ſi quod hujuſmodi Ignatii opus Hieronymi tempore extabat; cur hic ejus in Catalogo, cur nullus alius alibi meminiſſe reperitur? Deinde quid opus eſt alios Ignatio libros affingere, cum in epiſtolis, quæ ejus nomine extant, apertiſſime refutati legantur Ebionis, & Theodoti, & Valentini, quos Hieronymus nominat,

CAPVT X.

u Ignat. ad Trall. p. 78.
x Phot. cod. 48.
y Euſeb. Hiſt. L. 5 c. 28 p. 150. B.
z Epiph. Hær. 54.
a Hier. contr. Helvid.
b Clem. Alex. Strom. L. 7. p. 764.
c Hier. adv. Helvid. c. 9.
d Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 1. p. 3.

Caput X.

e Hammond. Diſſert. 2. c. 24. §. 23.

nat, errores? Hammondus [e] vero confitetur nihil neceſſe eſſe, vt Ignatius adverſus Valentinum, aut Theodotum Coriarium, (Ignatio poſteriores) volumina nova ſcripſiſſe dicatur; Hieronymi enim verba, non *conjuncte*, *ſed diviſim* intelligenda eſſe, vt quos iſtic nominat Patres *Apoſtolicos* Ignatium, Polycarpum, Irenæum, & Iuſtinum, ii intelligantur non omnes contra Ebionem, Theodotum, & Valentinum ſcripſiſſe, ſed ſinguli contra horum aliquem. Vnde colligit ad Hieronymi mentem ſatis eſſe ea, quæ Ignatius in epiſtolis contra Ebionem ſcripſit, etiamſi nihil adverſus Valentinum & Theodotum ſcripſerit. Ille vero fallitur. Nam niſi Ignatius contra Theodotum ſcripſiſſe intelligatur, liquido falſum erit quod ait Hieronymus. Nemo enim Apoſtolicus contra eum ſcripſit; non Polycarpus, ac ne Irenæus quidem, aut Iuſtinus, aut quiſquam ejuſdem cenſus alius; vt plane neceſſe ſit ad Ignatium referri, quæ de Theodoto dicit Hieronymus. Quomodo enim vel Polycarpus, vel Iuſtinus, vel Apoſtolicorum quiſquam contra Theodotum ſcribere poterant, qui diu poſt eorum mortem exortus eſt? Sub Victore epiſcopo Romano, id eſt circa a. D. 200. quo tempore incredibile eſt quemquam eorum vixiſſe, qui Apoſtolos viderant, omnes ante a. D. 100. mortuos? Irenæus vero ſub Victore quidem ſuperfuit, ſed opus contra hæreticos ſuum ſub Eleuthero, ante Victorem, ſcripſerat, cum nondum ſuam hæreſim ſparſiſſet Theodotus 1. Neque ſane quod jam obſervavimus, Theodoti Irenæus vſpiam meminit: Ergo quod dicit Hieronymus de Theodoto ab aliquo Apoſtolico, refutato, id vel apertiſſime falſum eſt, vel de Ignatio ſumendum eſt. Si dicas neque hoc Ignatio competere annis fere centum ante mortuo, quam Theodoti hæreſis noſci cœpiſſet; reſpondebo hoc Martyri quidem Ignatio, non convenire; de veſtro epiſtolico verum eſſe; eumque hoc loco ab Hieronymo intellectum eſſe; apud quem ſcilicet, & alia & illa adverſus Theodotum diſertiſſima legerat, quę nos nuper ex epiſtolis ad Epheſios & Magneſianos deſcripſimus; eo falſum eſſe confiteor, quod hunc ſuum Ignatium diu poſt Apoſtolos & Apoſtolicos viros natum, *Apoſtolicis* hominibus connumeravit, ex præcepto de Ignatianis errore ab Euſebii lectione hauſto, quem facile exuere poterat, ſi animum ad ea, quæ ipſe ſcribit, advertiſſet, fieri ſcilicet non poſſe, vt a quo Theodotum refutari videbat, is veri nominis eſſet Ignatius; Interdum enim Hieronymum naturali quadam ingenii vehementia abripi, & quædam non ſatis accurate expenſa effundere, nemo in eo verſatus negaverit; & vel ex eo apparet, quod hic ſcribit, multos Apoſtolicos viros adverſus Theodotum Byzantinum ſcripſiſſe, cum temporum ratio vincat nulli Apoſtolico notum eſſe potuiſſe Theodotum.

Caput.

CAPVT XI.

Argumentum V. VI. & VII. Quod epiſtolæ Saturnili, Patripaſſianorum, & Theodoti hæreſes, omnes poſt Martyris paſſionem exortas, apertiſſime memorent, & refutent; idque ipſum epiſtolarum interpolatorem vidiſſe, ſed non correxiſſe, imo peccatum auxiſſe.

SEd Pſeudo-Ignatius, præter Baſilidem, & Theodotum, quorum nomina edidit, alios etiam poſt veri Ignatii mortem exortos hæreticos, tetigit, licet non nominatos; vt Saturninum, Baſilidis, de quo diximus, condiſcipulum, qui Antiochiæ paulo ante Baſilidem, cæterum & ipſe ſub Hadriano, erupit. Hunc enim intelligit ſcriptor epiſtolicus in his ad Piladelphienſes verbis; [f] *Si quis legitimam commixtionem, & liberorum procreationem corruptelam & pollutionem appellet, aut cibos aliquos deteſtandos putet, talis Apoſtatam illum draconem in ſe habitantem fovet.* Hoc enim fuiſſe Saturnini dogma, & ex Irenæo, [g] & ex Epiphanio [h] diſcimus, & inſuper ex Theodoreto [i] *hunc primum fuiſſe, qui matrimonium Diaboli doctrinam nominavit;* τὸν γάμον (inquit) οὗτος πρῶτος τοῦ διαβόλου διδασκαλίαν ὠνόμασε. Obſervavit doctiſſimus Vſſerius; [k] Sed & Baronius eadem confitetur; vbi poſtquam hæc Ignatio, quæ recitavimus, & alia quædam in eundem ſenſum ab eo ſcripta laudavit, Saturninum docet [l] dogmatis huius auctorem fuiſſe. Quo loco notanda eſt obiter Annaliſtæ conſtantia. Nam ſi, quod hic ille fatetur, ſententia ea de nuptiis, quam Ignatius damnat, quamque a ſuis caveri vult, Saturninum primum auctorem habuit; neceſſario fatendum eſt Saturninum dogma ſuum ante Ignatii mortem prædicaſſe. Sed idem Annaliſta diſerte alibi [m] ſcribit *poſt mortem Ignatij emerſiſſe impudentem illum hæreticum* (Saturninum dicit) *quo vivente tantæ lucis fulgore perculſum, vt noctuam quandam in tenebris delituiſſe.* Sed de conciliandis Baronianis viderint alii. Aliud quoque Saturnini dogma; [n] nimirum Salvatorem incorporalem quidem ipſum, & ſine figura, *putative* autem viſum fuiſſe hominem, nemo acrius exagitavit, quã idem hic noſter *putativus* Ignatius; [o] non ſemel monens multos Chriſti nomen circumferre hac hæreſi inquinatos; quæ quia pluribus ad Irenæum ſupra ſumus exſecuti, non repetimus. Mihi ſatis id quod ex his manifeſtum eſt, concludere epiſtolicum Ignatium, cui notæ fuerunt a Saturnino proditæ hæreſes, poſt eas ab auctore publicatas vixiſſe; ideoque Ignatium Martyrem eſſe non poſſe, martyrio non paucis annis ante coronatum, quam ſua venena Saturninus effunderet. Effudit enim ſub Hadriano; Martyr certaverat anno Traiani 11. vel 12.

f *Ign. ad Phil. p.* 102.
g *Iren. L.* 1. *c.* 22
h *Epiph. Hær.* 23.
i *Theodo. Hær. Fabul. L.* 1. *c.* 3.
k *Vſſer. Proleg. ad Ignat. c.* 16. *p.* 117.
l *Bar. a. D.* 57. §. 188.
m *Id. a. D.* 120 §. 18.
n *Vid. Iren. L.* 1 *c.* 22.
o *Igna. Vſſer. ad Ephe. p.* 197 *Ign. vulg. ad Trall. p* 76. *& ad Tarſen. p.* 144.

Præterea idem ille noſter Ignatius *Patripaſſianorum* impietatem

Caput XI.

p *Ignat. ad Phil. p. 173.*

aperte, &, quidem multis, confutat. [p] Præter loca, quæ ſupra deſcripſimus, *Vnus eſt* (inquit) *Pater, & vnus filius, & vnus Paracletus, propter quod & Dominus, mittens Apoſtolos docere omnes gentes, præcepit eis baptiZare eas in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti, non in vnum quemdam trinomium.* οὔτε εἰς ἕνα τριώνυμον, οὔτε εἰς τρεῖς ἐνανθρωπήσαντας, ἀλλ' εἰς τρεῖς ὁμοτίμους. *Sed in tres vnius ejuſdemque honoris; quia vnus eſt tantum, qui homo factus eſt, non Pater ſcilicet, neque Paracletus, ſed ſolus filius.* Manifeſte pulſat Praxeam, qui ipſum eundemque & Patrem, & filium, & Spiritum Sanctum dicebat; teſte Tertulliano; [q] id eſt vnum Deum, ſed τριώνυμον. Sed & paulo poſt Ignatius noſter Diabolum invitat, [r] quod prædicet, & decernat Core ſuorum mancipiorum ſcilicet (*cruci affixum eſſe illum, qui eſt ſine principio*; id eſt (vt liquet) Patrem. νομοθετεῖς σταυρῷ προσηλῶσθαι τὸν ἄναρχον. Fatetur hoc Baronius; ſcribens [s] *Ignatium teſtari ſuo tempore Diabolum ore ſuorum jactaſſe eiuſmodi impietatem, vt dicerent Patrem natum eſſe & paſſum*; eoque huius Martyris tempore, jam extitiſſe Patripaſſianos concludens. Sed ille quidem peſſime argumentatur. Hinc enim concludendum erat, non, quod iſte ait, Patripaſſianos jam vivente Martyre extitiſſe (quod falſum eſſe & in omni primæ Eccleſiæ hiſtoria inauditum conſtat) ſed longe aliud; nempe hunc, qui iſta dicit, epiſtolæ auctorem plane alium eſſe, quam Ignatium; cuius ævo nondum vlli Patripaſſiani noti erant. Nam Tertullianus ipſum illum, adverſus quem ſcribit, [t] Praxeam *primum ex Aſia hoc genus univerſitatis intuliſſe Romam* tradit, eumque ideo *heſternum* & *novellum* vocat; [v] & cæteris hæreticis *poſteriorem*. Ergo qui eius hæreſim ſcivit Ignatius epiſtolicus, fieri non poteſt, vt ſit ipſo antiquior; neque adeo, vt ſit martyr Ignatius, quem conſtat centum annis aut circiter martyrium Romæ ante feciſſe, quam iſtic Praxeas *ſuas*, vt Tertullianus loquitur, [x] *avenas ſuperſeminaſſet.* Iam ſi vera ſunt, quæ Caius, ſive alius apud Euſebium [y] ſcriptor vetuſtiſſimus dicit, *Theodotum Coriarium defectionis illius, quæ Chriſtum Deum negat, parentem & auctorem fuiſſe, primumque aſſeruiſſe, Chriſtum eſſe nudum hominem* τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα ταύτης τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, πρῶτον, εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν χριστὸν) ita quoque neceſſe erit Ignatio, non modo vulgato; ſed etiam Vſſeriano Theodotum fuiſſe cognitum. Nam etiam in Vſſerianis epiſtolis hæc blaſphemia refutata reperitur in ea quæ eſt ad Epheſios; vbi legimus [z] *Chriſtum Deum in carne factum eſſe*; & ad Magneſios *Ieſum Chriſtum ante ſæcula apud Patrem fuiſſe, & in fine apparuiſſe.* Atque hæc, & alia ſi qua erant in epiſtolis ſimilia, velut in Theodotum dicta, ipſe etiam earum interpolator accepiſſe eo noſcitur, quod locum ad Trallesios hunc, *fugite malas propagines generantes fructum mortiferum*; illuſtrare & amplificare de more ſtudens, eoque hic addens ipſorum hæreticorum nomina, quos in epiſtolis, quas interpolabat, notatos & refutatos fuiſſe putabat, Theodotum inter hos diſerte ediderit; totum locum ſic interpolans; [c] *fugite malas Diaboli propagines*

q *Tertul. contr. Prax. c. 2. p. 635. c c.*
r *Ignat. ibid. p. 178. extr.*
s *Baron. a. D. 260. §. 63.*
t *Tertul. contr. Prax. c. 1. p. 634. c*
v *ibid. c. 2. p. 635.*
x *ibid. c. 1. D.*
y *Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 28.*
z *Ignat. Vſſer. ad Eph. p. 197.*
a *Id. ad Magn. p. 203.*
b *Ign. Vſſ. ad Trall. p. 209.*
c *Igna vulg. ad Trall. p. 77. 78.*

pagines παραφυάδας, *Simonem dico, primogenitum eius filium & Menandrum & Baſilidem*; tum Ebionitas, & Nicolaitas his accenſet, & poſtremo: *Fugite etiam* (inquit) *ipſius nequiſſimi nepotes Theodotum, & Cleobulum.* Rectè quidem ille hactenus, quod ſimpliciter & bona fide exiſtimavit non Simonem tantum, & Menandrum, & Nicolaïtas, & Ebionitas, ſed etiam Baſilidem & Theodotum primo epiſtolarum ſcriptori notos fuiſſe; id enim niſi cauſæ ſtudium obſtaret, omnes cum eo confiterentur. Sed graviſſime in eo lapſus, quod cui Theodotum notum fuiſſe vere concedit, cum Ignatium vere fuiſſe vel crediderit, vel vt alii crederent, effecturum ſe putaverit cum ex hiſtoria Eccleſiaſtica certum ſit Ignatium toto pæne ſæculo & Theodoto & ejus excommunicatore Victore vetuſtiorem fuiſſe.

CAPUT XII.

Argumentum adverſus Ignatiana VIII. Quod epiſtolæ, Valentini λόγον *a Sige proceſſiſſe fingentis, delirium diu poſt Ignatij mortem, editum & ſparſum, diſertis verbis memorant & refutant. Refelluntur duo Ignatianorum effugia; I. Hammondi & Vſſerij alios ante Valentinum hæreticos* λόγου *a Sige proceſſionem finxiſſe, nullo teſte, vel auctore, ex ſola cauſæ deſperatione affimantium. II. Petavij, epiſtolæ verba non de Sige Æone, ſed de ſimpliciter dicto ſilentio nequicquam interpretantis. Exploditur tertium quorumdam effugium Valentini deliria ante Martyris mortem innotuiſſe comminiſcentium.*

SEd & Valentinum atque eius ſectarios apertiſſime cædit epiſtolarum ſcriptor in loco iam ſupra deſcripto; [d] *Vnus Deus eſt* (inquit) *qui manifeſtavit ſeipſum per Ieſum Chriſtum filium ipſius, qui eſt ipſius verbum, æternum, non a ſilentio progrediens.* εἷς θεός ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ αὐτοῦ ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ Σιγῆς προελθών. Fateor hunc locum in ſolis haberi Vſſerii, & Voſſii editionibus; illius Latina, huius Græca. In vulgatis ante hac tum apud Latinos, tum etiam apud noſtros, Ignatii Græcis Latiniſque editionibus quædam alia verba iſtorum loco, habentur in hunc modum; [e] εἷς θεός ἐστιν ὁ παντοκράτωρ, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητὸς ἀλλ' οὐσιώδης. οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεικῆς γέννημα. Sed hæc nobis exemplarium tanta in hoc loco diverſitas, fraudi eſſe non debet; & miratus ſum virum doctiſſimum Blondello hunc ex Vſſeriano, & Voſſiano codice locum objicienti, ita reſpondiſſe, vt primum & ante omnia diceret, *in alijs omnibus exemplaribus hæc verba non reperiri.* [f] Quid? Ergone Vſſeriano & Voſſiano exemplari vulgatos Ignatii libros præfert? Illud-ne veluti vitioſum ac corruptum abjiciendum? Hos veluti puros, ac in-

d *Ignat. ep. ad Magneſ. Vſſ. p. 204. Voſſ. p. 34.*

e *Ignat. vulg. ep. ad. Magn. p. 56.*

f *Hamm. diſſert. 2. c. 9. § 2.*

Caput XII. ac incontaminatos retinendos putat? Si ita eſt, certiſſimè periit Ignatius, in cuius vulgatis libris craſſa ſunt, & cum Ignatii ævo, atque pietate, & eruditione ἀσύςατα peccata pæne innumerabilia. Sin ii, in quibus illa a Blondello citata ῥῆσις legitur, Vſſeriani & Voſſiani libri vulgatis multo ſunt meliores, Ignatianoque nomine digniores; cur ex his diſputantem repellit? Quamquam, vt verum fatear, non repellit. Statim enim illa, quæ prædixi, locutus, ſe ipſum veluti reprehendens, ſubjicit; *Verum nec iſtis opus eſt.* Mox videro, qualia ſint, quibus vir doctiſſimus opus eſſe putavit. Hic tantum de verbis iſtis, quid iudicem dicam, antequam argumentum ipſum explicare, ac tueri aggrediar. Hanc ergo tantam inter Ignatianos codices diverſitatem nemo credo, caſu accidiſſe, vt in talibus fieri ſolet, ab antiquariorum alias pro aliis literas, aut voces ſcribentium negligentia, vel errore ſimplici profectam eſſe cenſebit; nemo negabit conſulto & ob aliquam rationem ab interpolatore mutatum fuiſſe hunc ſcriptoris ſermonem. Iam ſi id ſtatuamus, quod non modo veriſimile, ſed etiam verum eſſe ex venerandi Vſſerii in Ignatium Prolegomenis ſatis conſtat, primum Ignatianorum auctorem ea ipſum ſcripſiſſe, non quæ in vulgatis, ſed quæ in Voſſiano, Vſſerianoque codicibus habentur; cur interpolator mutanda exiſtimaverit, quæ ab auctoris manu erant, ratio non erit obſcura. Is enim veritus eſt, ne iſtas, ſi legerentur, epiſtolas, non Ignatii (quod ipſe omnibus perſuaſum eſſe cupiebat) ſed alterius recentioris eſſe proderent; quæ ratio Baronium quoque, & alios in monumentis, quæ ipſi vera & antiqua eſſe cupiunt, multa paſſim mutare ſubigit, quæ ſi retinerentur; illa ficta & recentia eſſe arguerent. Ac iſtius Interpolatoris, quiſquis fuit, fraudem equidem hanc fuiſſe turpem & illiberalem confiteor, & viro honeſto ac ingenuo, multo vero magis Chriſtiano, indignam; cæterum hominis fuit profecto non ſtulti, neque rudis & imperiti. Vidit enim iſtam *Verbi a Sige*, ſive *ſilentio emanationem*, Valentinum Ignatio recentiorem olere; eo delendam putavit, ne perſonati Ignatii drama proderet; eademque, vt apparet, de cauſſa alia quædam pſeudo-Ignatii verba paulo ante mutaverat, & pro his quæ ſunt apud Vſſerium & Voſſium [g] (*Omnes vt in vnum templum conuenite Dei, vt in vnum altare, in vnum Ieſum Chriſtum, ab vno Patre exeuntem.* πάντες ὡς εἰς ναὸν συντρέχετε θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ὡς ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν ἀφ᾽ ἑνὸς πατρὸς προελθόντα) illa quæ in vulgatis codicibus leguntur, [h] ſubſtituerat; *Omnes adunati ad templum Dei concurrite ſicut ad vnum altare ſicut ad vnum Ieſum Chriſtum, Pontificem ingeniti Dei Patris.* Nimirũ illa Domini Ieſu Chriſti ab *vno Patre emiſſio*, Valentinum, *Verbum*, non ab vno *Patre*, ſed a Patre *Rytho*, & a matre *Sige* educentem, non obſcure pulſans, ob eam, quam diximus, rationem interpolatori diſplicuit, timenti ne & ipſa quoque ſuo fictitio Ignatio fraudi eſſet. Hactenus iſte melius, ac callidius, vt mihi videtur, judicavit, quam viri doctiſſimi, qui putant nihil Ignatii ſui intereſſe, vtra lectio retineatur. Sed illi tamen interpolatori arcana quædam nu-

g *Ignat. Vſſer. ep. ad Magneſ. p. 204.*

h *Ignat. vulg. ibid.*

CAPUT XII.

minis verum impune violari raro ſinentis, providentia, accidit, vt dum vnam foveam vitat, in aliam longe periculoſiorem, inciderit. Nam verba, quæ in priori Voſſianorum & Vſſerianorum loco repoſuit; hæc nimirum, λόγον verbum Dei æternum eſſe ἐνεργείᾳ θεϊκῇ οὐσίαν γεννητήν, *divinæ efficaciæ genitam eſſentiam*, Arianiſmi venenis ita penitus imbuta, atque ebria ſunt, vt nulla arte purgari poſſint; vt eſt a doctiſſimo Vſſerio τῷ μακαρίτῃ [i] in prolegomenis obſervatum, ſolideque pro more, ac erudite demonſtratum. Nulla ergo cauſa fuit, cur viri docti de lectionis diverſitate Blondellum monerent; Vtraque iis officit; vtraque nos juvat. Si vulgatam malint, hæreſis, quæ in ea manifeſta eſt, Ignatium virum orthodoxum, atque Apoſtolicum, epiſtolæ auctorem eſſe negat. Si Vſſerianam, quæ & Voſſiana eadem eſt, admittunt; & hæc Valentinum intempeſtive vellicans, prodit, qui loquitur, eum Valentino, vel iuniorem vel certe σύγχρονον, adeoque neque Ignatium eſſe ſed vulgatam, de qua viri docti non admodum videntur ſolliciti, mittamus. Hanc Vſſerianam vrgeamus, quam iidem negant quicquam habere novi, quod auctorem Ignatio recentiorem arguat. Mihi fateor, aliter videtur; aliter quoque ſenſiſſe Dionyſium Petavium, Ieſuitici Sodalitii virum longe eruditiſſimum, fatetur mirificum effugium, quo illa de *Sige* verba a Valentini ſenſu abducere conatus eſt. Merito. Nam & Valentinum Ignatio juniorem fuiſſe conſtat, & hæc epiſtolæ verba ad Valentini commentum reſpicere, æque certum eſt; vnde quid ſequatur, omnes vident. Quamquam & hoc præterea addere mihi poſſe videar, verba iſta ad Valentini dogma adeo apta atque appoſita eſſe, vt etiamſi mens auctoris alio, dum ea ſcriberet, reſpexiſſet: fieri tamen non potuerit, quin ea Irenæus ſi noſſet, arriperet, & contra Valentini expoſitum a ſe ſomnium alicubi vſurparet; cui ſcilicet adeo belle congruunt vt in id ipſum primo ab auctore deſtinata non poſſint non videri, ſi totam orationem ſimpliciter, & abſque vllo præiudicio legeris. At conſtat, quod ſupra fuſe oſtendimus, Irenæum nuſquam in tota contra Valentinianos diſputatione, horum verborum meminiſſe. Ergo vndecunque hæc verba ſumpta ſint, & quicunque ſit eorum de cætero ſenſus, illa tamen evidens nobis argumentum miniſtrant ad demonſtrandam harum epiſtolarum novitatem, ac ſuppoſitionem. Sed auctorem hæc verba ſcribentem, illuc ſpectaſſe, quo ipſa feruntur, & in eum, quem feriunt, ſcopum recta collineaſſe; quis dubitet? Ipſa autem in Valentinum ferri, eiuſque delirium reapſe ferire, non eſt, vt opinor, obſcurius. Irenæus duobus locis omnem Valentini matæologiam exponit; ſtatim in libri limine, & paulo poſt capite quinto. Primum enim caput ad Valentinum pertinere oſtendit, & præfixus ei titulus, & ipſa operis præfatio. Sic ergo eum Irenæus fabuloſam ſuam divinitatem diſpoſuiſſe tradit, [k] vt quemdam ante & ſupra omnia Æonem in ſublimitatibus conſtitueret, quem *Proarcham* & *Propatora*, & *Rython* vocaret [l] (vnde Tertulliani iocus, *id nomen in ſublimitatibus habitanti minime congruere*)

[i] *Vſſer. Proleg. ad. Ignat. c.* 15. *extr. p.* 108. 109

[k] *Iren. Lib.* *Part p.* 2. *C.*

vna

Caput VII.

vna cum Bytho extitiſſe *Ennoeam* quamdam, quam & ipſam quoque *Charin*, & *Sigen* nuncuparet; Ex Bythi in hanc Sigen immiſſione prodiiſſe *Nun* (quem & *Monogenem*, & *Patrem*, & *Principium* rerum appellaret) & cum eo *Alethiam*, id eſt veritatem; Nun porro, & ſuam Alethiam emiſiſſe λόγον καὶ ζωὴν *Verbum* & *vitam*. Capite inde quinto[m] eadem apud Irenæum occurrunt, innominabilis primo δύας, ſive (vt habet vetus Interpres) *duatitas*, *Arrhetum* ſive *inenarrabilem*, (cum ipſum quem *Rython* prius dixerat) & *Sigen* continens; tum altera ex hac prima prodiens *Patris* (qui idem cum Nun) & *Alethiæ* δύας; & ex hac itidem emiſſa λόγυ καὶ ζωῆς *Verbi*, & *vitæ* δύας, ſive dualitas tertia; & ex hac item quarta δύας *homo & Eccleſia*. Sed & præter hanc Æonum Ogdoadem, alios inſuper XXII. varie ab illis primis emiſſos induxiſſe Valentinum, vt eſſent vniverſi XXX. quorum vltima Syzygia Theleti eſſet, & Sophiæ. Præterea Chriſtum & Ieſum a verbo diviſiſſe; & Chriſtum quidem finxiſſe extra aliorum Æonum pleroma a matre Sophia, vt puto, procreatum, exciſa a ſe vmbra ab pleroma reverſum eſſe; Ieſum vero varie; modo a *Theleto*, modo a *Chriſto*, interdum ab homine & Eccleſia ortum dixiſſe; ſed & eum cæteros Æonas ornaſſe, in hunc vnum conferentes, quod optimum ſinguli atque pulcherrimum habebant. Eadem de Valentinianorum Theogonia Tertullianus,[n] Epiphanius, & alii, quorum nemo eſt, qui non ex *Sige* eductum a Valentino Logon, vel immediate vt a matre filium; vel certe mediate, vt ab avia nepotem commemoret. Blondellus[o] noſter omnia fuſius, qua ſolet, diligentia & ἀκριβείᾳ eſt executus. Hæc nobis delibaſſe ſatis eſt; vt quivis intelligat de hac Valentini matæologia cogitaſſe epiſtolæ ad Magneſianos ſcriptorem. Primo enim quod ait Deum eſſe *vnum*, eo apertiſſime omnem & Valentini, & aliorum eiuſdem cenſus hæreticorum, impietatem arguit, qui plures Deos ſub falſo commentitiorum Æonum nomine conſtituebant. Secundo cum addit vnum illum Deum *ſe nobis manifeſtaſſe per Ieſum*, iſtorum de ſuis theogoniis, deque earum auctoribus nugas omnes diſiicit. Tertio, cum Ieſum Chriſtum docet eſſe Dei illius, qui ſe nobis *manifeſtavit*, *filium*, eo & Valentini, & plærorumque hæreticorum fabulas profligat, qui non modo Ieſum a Chriſto ſeparabant, & pro duabus diverſis perſonis habebant, ſed & inſuper vtrumque aliorum, quam ſummi Dei filium eſſe prædicabant; Chriſtum quidem a matre neſcio qua procreatum, Ieſum vero vel a Theleto, vel a Chriſto, vel ab homine & Eccleſia fictitiis ortos mentientes. Quarto. Quod addit Chriſtum Dei filium eſſe eius λόγον, id eſt, *Verbum*, vel *ſermonem*, Valentini impium delirium ferit, Ieſum & Chriſtum a verbo dividentis & alium eſſe Ieſum, alium Chriſtum, longe denique ab vtroque alium λόγον fabulantis. Quinto. Quod filium Dei non ſimpliciter λόγον, ſed λόγον *Sermonem æternum* dicit, diviniſſimam eius generationem ſupra Valentinianorum Æonum partim ſtultas; ac turpes, partim inanes, ac ridiculas, omnes certe, etiam ex mente fingentium,

l Tertull. contr. Valent. c. 7 p. 292. A.

m Iren. L. 1. c. 5.

n Tertull. adv. Valen c. 7. 8.

p Blond. Præf. in Apolog. Hieron. p. 43.

tium, temporales origines ac propagationes evehit, & ante omnia tempora in ipſa æternitate collocat. Sexto denique tunc verum Dei λόγον a fictitio Valentini λόγῳ longe ſemovet, dum de eo poſtremo ſubiicit, ἐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, non *a Sige progrediens*, vel oriens. Quod enim negat a *Sige* progredi, vel exire & emanare, idem eſt, ac ſi diceret hunc veri Dei, quem Eccleſia prædicat, λόγον nihil habere cum Valentiniano λόγῳ commune, quem impoſtor a *Sige* exire ac progredi fingebat. Quo loco, vt plenior, ac pæne ſuis omnibus numeris abſoluta ſit Theologiæ Eccleſiaſticæ cum Valentiniana oppoſitio, ea repetenda ſunt, quæ proxima paulo ante periocha de eodem Domino Chriſto dixerat, τὸν ἀφ' ἑνὸς πατρὸς προελθόντα, καὶ εἰς ἕνα ὄντα, καὶ χωρήσαντα, *eum ab vno Patre exire, & in vnum exiſtere & reverti.* Negat exire a Sige: Dicit a Patre exire, & quidem ab *vno* Patre; quod & in Valentinum collineat, ſuum illum λόγον, non ab vno Patre *Nun*, ſed & a matre *Aletheia*, neque ab his modo parentibus, ſed & a *Bytho* & *Sige*, veluti ab avo, & avia; emiſſum fabulabatur. Sed & illa huius Ignatiani loci poſtrema *Ieſum Chriſtum in vnum* (Patrem ſcilicet) *exiſtere & reverſum eſſe* εἰς ἕνα εἶναι, καὶ χωρῆσας, non alio quam in fictitium Valentini Chriſtum deſtinata videntur; quem impius fabulator in loco primo extra Imaginarium ſuum pleroma extitiſſe; deinde ad pleroma abſciſſa a ſe vmbra, [p] regreſſum eſſe narrabat. Epiſtolæ ſcriptor ad hæc impoſtoris commenta reſpiciens, Chriſtum noſtrum in vnum Patrem exiſtentem, & reverſum eſſe dicit; non in loco ſcilicet extra, vel intra fabuloſi pleromatis terminos, ſed in Patre eſſe (iuxta illud apud Ioannem, [q] *Pater in me eſt, & ego in Patre*) *& ad Patrem ex hoc mundo* diſcedentem *reverſum eſſe*; quod ipſe profitetur in Evangelio, *Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.* Atque hæc quidem tam evidens, tamque conſtans ſingulorum epiſtolæ verborum cum Valentinianis diliriis oppoſitio auctorem vincit Valentinum dum hæc ſcriberet, haſque eius fabulas habuiſſe in animo. Neque enim illa rerum adverſarum inter ſe tam accurata comparatio, fortuita, vel a caſu fuit. Neque hoc negant viri doctiſſimi, qui a nobis in hoc argumento diſſentiunt. Illud tantum negant, [r] neceſſe eſſe nos fateri ſcriptorem proprie ad Valentinum reſpexiſſe, dum illa diceret; nihil vetare, quin ad alium aliquem non modo Valentino, ſed etiam ipſo Ignatio vetuſtiorem reſpexerit. Ego vero reſpondeo plane neceſſe eſſe, vt is ad quem ſcriptor reſpexit, quiſquis ille de cætero ſit, hoc certe vt cætera mittam, docuerit τὸν λόγον ἀπὸ Σιγῆς προελθεῖν *verbum a Sige exire*, vel *progredi.* Si quis ergo ſit Valentino vetuſtior, qui hoc ita poſuerit, fatebor ad hoc vt horum quæ attulimus epiſtolæ verborum rectus aliquis ac legitimus conſtituatur ſenſus, nulla nos neceſſitate cogi ad Valentini hæreſim recurrere. Sin aliter eſt, neque in omni vetuſtiſſimorum hæreticorum colluvie quiſquam ante Valentinum occurrit, qui verbum a Sige eduxerit: negari profecto non poteſt, quin ad hunc ipſum Valentinum, non ad vllum alium eo Vetuſtiorem

CAPUT XII.

p *Iren. L. 1. c. 5. p. 59.*

q *Ioan. 6. 38. & 16. 28.*

r *Hamm. Diſſert. 2. c. 8. §. 4.*

CAPVT XII.

ſcriptor epiſtolæ reſpexerit, eoque adeo junior fuerit. Neminem hæc hæreticum ante Valentinum ita diſpoſuiſſe vincit primo Tertulliani luculentiſſimum teſtimonium, qui expoſitis omnibus adulterinarum doctrinarum generibus, quæ ſub Apoſtolis fuerant; [s] *Nullam tamen* (inquit) *invenimus inſtitutionem, inter tot diverſitates perverſitatum, quæ de Deo creatore vniverſorum controverſiam moverit. Nemo alterum Deum auſus eſt ſuſpicari (facilius de filio, quam de Patre hæſitabatur) donec Marcion præter Creatorem alium Deum ſolius bonitatis induceret; Apelles creatorem Angelorum neſcio quem glorioſum ſuperioris Dei, faceret Deum legis & Iſraelis, illum igneum affirmans; Valentinus Æonas ſuos ſpargeret, & vnius Æonis vitium in originem deduceret Dei creatoris. His ſolis, & his PRIMIS revelata eſt veritas divinitatis majorem ſcilicet dignationem & pleniorem gratiam a Diabolo conſecutis.* His conſona ſunt, quæ alibi idem ex Apoſtoli epiſtolis, vere profecto, atque acute concludit, [t] primis illis temporibus *ſtetiſſe ſemper fidem, in creatore & Chriſto eius, converſationem & diſciplinam tantum nutaſſe; alios de idolothyto edendo, alios de mulierum velamento, alios de nuptijs, vel repudijs, nonnullos & de ſpe reſurrectionis diſceptaſſe; de Deo, neminem. Denique poſt Apoſtolorum tempora adulterium veritatem paſſam eſſe circa Dei regulam.* Hæc Tertullianus; apertiſſime docens; quod & alibi tradit Irenæus, temporibus Apoſtolorum nullos ſurrexiſſe hæreticos, qui Creatorem vniverſorum ſummum & vnum eſſe Deum negarent, vel de eo controverſiam moverent; Marcionem cum ſuo Apelle & Valentinum SOLOS PRIMOSQVE fuiſſe, qui id genus litem moverint; Vnde patet vt hoc obiter dicam quantopere ii fallantur, qui Gnoſtica nobis peſte Apoſtolica omnia tempora conſpergere ac maculare audent, nulla veterum auctoritate, ſolis ſuis coniecturis & ſuſpicionibus nixi. Sed hoc inde, quod dixi, etiam clariſſima conficitur apud nullos ante Valentinum hæreticos *Logon* ex *Sige* prodeuntem extitiſſe. Nam qui de creatore vniverſorum Deo controverſiam moverit, quive alterum Deum ſuſpicari auſus ſit, nemo ſi Tertullianum audimus ante Marcionem, & Valentinum fuit. At, qui ex *Sige Logon* educunt, ii de Creatore Deo controverſiam movent, & alterum Deum ſuſpicari audent *Bython*, & cæteros *Æonas*; Ergo qui de Sige Logon educunt, ii ante Marcionem & Valentinum nulli fuerunt, Horum autem ſolus Valentinus *Sigen & Æonas* induxit; Marcionis planè aliud dogma fuit; Ergo Valentinus primus ex hæreticorum cenſu eſt, qui Logon ex Sige genuerit. Idem ſecundo oſtendunt hæretici Valentino vetuſtiores, qui ſi interrogentur, omnes ſe ipſi negabunt *Logon Siges* vel filium, vel nepotem induxiſſe; eam adeo lauream Valentini eſſe, qui ex omnibus hæreſiarchis illam Æonum ogdoadem princeps inſtituerit, in qua ex *Bytho* & *Sige* per Nun & Alethiam *Logos* cum *Zoe* prodit. Inſpiciamus omnium de hoc genere fabulatorum, Valentino vetuſtiorum, theogonias, quas apud Irenæum *curioſiſſimum* illum, quem Tertullianus dicit, *doctrinarum*

[s] *Tertull. de Præſcrip. c. 34 p. 244. C.*

[t] *Id. cont. Marcion. L. 1. c 21. p. 444. Vide & L. 5. c. 20. p. 614. D.*

narum omnium exploratorem habemus, an quis Valentino prior λόγον a CAPVT XII.
Sige emiſſum ediderit. Simon Magus iſtorum primus fuit, a cuius exemplo totum illud hæreticorum genus ſuam hanc fingendi fabulandique artem duxiſſe videtur. Simoni Menander ſucceſſit. Vtriuſque impudentiſſima ſomnia de Angelis ab Ennoia emiſſis, & de mundo ab his facto, & cæteras nugas exequitur Irenæus; [u] Sed in omni illo dramate nuſquam λόγος ex Sige progrediens cernitur. Cerinthus, [v] qui poſtremis Ioannis Apoſtoli temporibus vixiſſe dicitur, Chriſtum quidem & ipſe, vt poſtea Valentinus, ab Ieſu ſeparavit, eum narrans ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia, in Ieſum, quem Ioſephi & Mariæ filium fuiſſe docebat, deſcendiſſe figura columbæ, & incognitum Patrem annuntiaſſe, ac poſtremo de Ieſu revolaſſe; Ieſum vero paſſum eſſe, & reſurrexiſſe. Sed neque in vlla fabulæ parte apparet λόγος e Bytho & Sige per Nun & Alethiam exiliẽs. Cerdonis & Marcionis, Carpocratis, Saturnili, & Baſilidis Matæologias, tametſi ne in iis quidem vllum Bythi & Siges, & Logi veſtigium deprehendatur, nihil tamen neceſſe eſt excutere; quod hos poſt Ignatii mortem omnes docuiſſe conſtet. In Gnoſticorum, quorum Theogoniam Irenæus [x] deinceps exſequitur, prodigioſis deliramentis Chriſtum quidem aliquem invenias a Barbelone inchoatam, a Patre innominabili perfectum, & Logon Enneæ conjunctum; Sigen Logi vel aviam vel matrem nullam invenies. Sed hos ipſos Theodoretus quos *Barbeliotas*, ſed *Barborianos* vocat; ex Valentini ſeminibus pullulaſſe dicit, ipſoque adeo juniores fuiſſe. Iam neque ex ſequentibus, vbi Irenæus neſcio quod Gnoſticorum genus deſcribit, eorum geminum, quos Theodoretus *Sethianos*, vel *Ophianos*, & *Ophitas* appellat, quicquam de Logo ex Sige exeunte, vel progrediente reperi. Sed quid ego in ſingulis ſcrutandis moror? Nullum ante Valentinum extitiſſe, qui Logon a Sige exiiſſe, vel progreſſum eſſe dixerit, ſatis confitetur eorum, qui a nobis diſſentiunt, in hac diſputationis parte ſilentium. Cum enim qui de hoc argumento ſcripſerunt, tres viri longe omnes doctiſſimi, & in antiquitatis monumentis verſatiſſimi fuerint, ſiquid vel in abditiſſimis eius angulis de Sige Logi vel matre vel avia, alibi præterquam apud Valentinianos, extaret, id ſcriptores & per ſe diligentiſſimi & nonnullo, vt apparet, animi in hanc rem ſtudio exſtimulati proculdubio eruiſſent, inveniſſent, atque edidiſſent. Nihil autem hactenus huiuſmodi protulerunt. Fateor ab vno iſtorum ex Irenæi capite quinto, locum quemdam deſcribi, ex quo ille patere ait [z] *ipſam illam* βύθου & Σιγῆς *combinationem antiquioribus Gnoſticis cognitam, & inter eorum didaſcalias numerandam fuiſſe.* Locus ſic habet; [a] *has volunt virtutes fuiſſe ante Bython & Sigen; vt perfectis perfectiores appareant, & Gnoſticis magis Gnoſtici.* ταύτας βούλονται τὰς δυνάμεις πϱοϋπάρχειν τοῦ βυθοῦ, καὶ τῆς σιγῆς, ἵνα τελείων τελειότεροι φανῶσιν ὄντες, καὶ γνωστικῶν γνωστικώτεροι. Hæc Irenæus; ex quibus video ante iſtos, de quibus hic loquitur, alios fuiſſe, ipſos quoque Gnoſticos, qui Bython & Sigen in ſuam Theogoniam

u *Iren. L. 1. c. c. 20. 21.*
v *ibid. c. 25.*
x *Iren. L. 1. c. 33.*
y *Theodor. Hæret. fabul. L. 1. c. 13.*
z *Hammond. Diſſert. 2. c. 9. §. 13.*
a *Iren. L. 1. c. 5. p. 61. B.*

CAPUT XII.

induerent. Vel hos, qui Bython & Sigen prius induxerant, vel illos, qui alias ante Bython & Sigen virtutes fuiſſe vellent, Valentino vetuſtiores fuiſſe (quod erat concludendum) non video. Imo plane aliud docet ipſe eodem in loco Irenæus. Hoc enim ille capite, quod & titulus, & res ipſa oſtendit, Valentini primum, tum & diſcipulorum varias, & a magiſtro multipliciter diverſas ſententias exponit;

[b] *ibid. p. 58.*

[b] ac primo quidem ſecundi, deinceps vero cuiuſdam alterius, quem & inter Valentinianos *clarum magiſtrum* fuiſſe tradit; aliorum denique quos tertio poſt illos loco cenſet,

[c] *ibid. p. 59. C.*

[c] & Valentinianos ipſos quoque, æque ac ſuperiores fuiſſe demonſtrat; *Alij autem rurſus ipſorum* (id eſt Valentinianorum, ſive vt ipſe proxime ante dixerat, *Valentini peponum*) *primam & archegonan octonationem his nominibus nominaverunt; primam proarchen deinde Anennoëton; tertiam autem Arrethon;* & quartam *Aoraton;*

[d] *ibid. p. 61. B.*

ἄλλοι δὲ πάλιν αὐτῶν τὴν πρώτην καὶ ἀρχέγονον ὀγδοάδα τούτοις τοῖς ὀνόμασι κεκλήκασι. πρῶτον προαρχήν. ἔπειτα ἀνεννόητον. τὴν δὲ τρίτην ἄῤῥητον. ἄλλοι δὲ πάλιν αὐτῶν καὶ τὴν τετάρτην ἀόρατον. Horum expoſito dogmate illa addit, quæ viri doctiſſimi afferunt; *has volunt virtutes δυνάμεις* (nempe Proarchen & Anennoeton & cæteras octo recenſitas) fuiſſe ante *Bython & Sigen*. Hos ergo, qui ita ſtatuebant, ex delira Valentinianorum peponum multitudine fuiſſe patet; Valentino adeo non vetuſtiores, ſed juniores. Sed neque illos *perfectos* & *Gnoſticos*, quibus ipſi hoc ſuo invento perfectiores & magis gnoſtici videri volebant, Valentino antiquiores fuiſſe dixeris. Quis enim hos non videt intelligi Valentinum ipſum, primoſque eius diſcipulos, quibus novi iſti ex eorum ſobole magiſtri, Gnoſticæ ſapientiæ palmam præcipere, hoc eorum theogoniæ addito figmento, contendebant? Nimirum diſcipuli ſupra magiſtrum ſapere nitebantur; quod & in aliorum magiſtrorum ſcholis plærumque contingit, & in hujus præſertim Valentini ſecta accidiſſe, tum ex Irenæo, tum ex Tertulliano diſcimus, qui Valentini dogma primo ſimplicius, varie poſtmodum a Ptolomæo, ab Heracleone, & Secundo, & Marco auctum, & interpolatum fuiſſe teſtatur;

[e] *Tertull. adv. Valent. c. 5. p. 291. A.*

[e] *Ita* (inquit) *nuſquam iam Valentinus, & tamen Valentiniani, qui per Valentinum Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra cuſtodia regularum eius conſolatur.* Gnoſtici ergo, quibus iſti ab Irenæo commemorati Valentiniani ſapientiores videri volebant, non alii erant, quam Valentinus ipſe & ſimiles Axionico, Valentini diſcipuli, ſi qui regulas magiſtri integras, nullis auctariis interpolatas, cuſtodiebant. Neque enim his credo, Gnoſticorum nomen viri doctiſſimi inviderint, quod Valentinianos, & ipſos ſibi impoſuiſſe Epiphanius auctor eſt;

[f] *Epiph. Hæ. 31. §. 1. p. 136. B. D.*

[f] & apud priſcos ſcriptores paſſim habere ſcimus; vt apud hunc ipſum verbi gratia Epiphanium, qui de copioſiſſima illorum hæreticorum breviſſimo tempore pæne ſimul, fungorum inſtar, prorumpente fœtura loquens, *Omnes* (inquit) *ſe Gnoſticos communi appellatione dici voluerunt; cuiuſmodi Valentinus fuit, & qui illum Gnoſtici præceſſerunt*; itemque Baſilides, ac

Satur-

Saturnilus, & Colorbaſus, ac Ptolomæus, & Secundus, Carpocrates, CAPVT XII.
aliique complures. καὶ πάντες Γνωστικοὺς ἑαυτοὺς ὠνόμαζον. οὐαλεντῖνος τε φημὶ, καὶ οἱ πρὸς αὐτοῦ Γνωστικοί. ἀλλὰ καὶ βασιλείδης, καὶ Σατορνῖλος καὶ Κολορβάσος, Πτολεμαῖός τε καὶ Σεκοῦνδος, Καρποκρᾶς καὶ ἄλλοι πλείους. Itaque allato a doctiſſimis viris loco Gnoſticos fateor, exhibet Irenæus Bython & Sigen in ſuis fabulis memorantes; Sed non alios profecto quam vel ipſum Valentinum, vel eius diſcipulos; nullos adeo illo antiquiores. Sed aliud præterea viri doctiſſimi argumentum afferunt, quo efficiant illam *Bythi & Siges* Syzygiam, eiuſque per *Nun* & *Alethiam* prolem λόγον & Ζωὴν ab aliis Valentino antiquioribus Gnoſticis eſſe profectam. Contendunt enim *Valentinum non novam ſectam condidiſſe*, ſed doctrinas veteres *ex Gnoſticorum* (ipſo ſcilicet antiquiorum) *hæreſi tranſtuliſſe & ex iis ſuum dogma effinxiſſe.* Vndè colligunt hanc totam de Bythi & Siges ſobole fabulam ex veteribus illis antiquorum Gnoſticorum doctrinis vnam fuiſſe; non adeo ab ipſo Valentino, primum fuiſſe inventam. Ego vero confiteor Valentinum *infinitas ſuas fabulas* (quod ait Theodoretus) [g] *compoſuiſſe, occaſione ſumpta ex vetuſtioribus hæreſibus*; puta Saturnili & Baſilidis, & ſiqui alii eiuſdem cenſus ante ipſum Valentinum fuerunt; imo etiam ex ipſius ſi libet, Simonis & Menandri impietate. Sed & illud concedo, quod ex Tertulliano [h] laudant, Valentinum *cuiuſdam veteris opinionis ſeminia nactum Colarbaſo viam delineaviſſe* (tametſi longe aliter in libris ſcriptum fuiſſe teſtetur Rigaltius, [i] nempe ſic; *cuiuſdam veteris opinionibus ſemini actu colubroſo viam delineavit*) Illud etiam Irenæi [k] quod præcipue vrgetur, libens admitto, *Valentinum ex ea ſecta*, ſive *hæreſi*, *quæ Gnoſtica dicitur, primum fuiſſe, qui antiquas in ſuum characterem doctrinas transferens ſic definiverit*, vt ſupra exhibuimus. Sed, qui hæc confiteor, idem nego ex iis poſſe confici, quod viri doctiſſimi volunt, *Verbi* ex *Sige* producti exploſum ab epiſtolę ſcriptore portentum ab vllis ante Valentinum Gnoſticis fuiſſe editum. Id vero clariſſime, & Irenæus, & res ipſa refutat. Irenæus quidem, dum in hoc ipſo loco, quo præcipue nituntur viri doctiſſimi, ait Valentinum *ex Gnoſtica hæreſi primum ſic definiviſſe; Dualitatem quandam innominabilem, cuius quidem aliquid vocari inenarrabile; alîud autem Sigen; Poſt deinde ex hac dualitate, ſecundam dualitatem emiſſam, cuius aliud quidem Patrem vocat, aliud autem aletheiam. Ex hac autem quaternatione fructificari Logon & Zoen; Anthropon & Eccleſiam.* Iam ſi hæc Valentinus ex Gnoſticis primus definivit, certe nullus ante eum Gnoſticus ſic definiverat; *Logon* adeo *ex Sige fructificatum* (quod vnum eſt ex illis ſic a Valentino definitis) nemo ante eum Gnoſticum deliraverat. Nam nequis cavilletur, plane ita ſunt accipienda Irenæi verba; ὁ μὲν γὰρ πρῶτος ἀπὸ τῆς λεγομένης γνωστικῆς αἱρέσεως, τὰς ἀρχαίας εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλίας μεθαρμόσας οὐαλεντῖνος, οὕτως ἐξηροφόρησεν. Fruſtra Petavius [l] verba illa, ἀπὸ τῆς λεγομένης γνωστικῆς αἱρέσεως cum verbo μεθαρμόσας coniungens, ſic interpretatur, vt velit Valentinum intelligi illas doctri-

g *Theodor. L. 1. Hæret fabul. c. 7.*

h *Tertull. cont. Valent. c 4. p. 290. D.*

i *Rigalt. ad loc. Tertu. Not. p. 78.*

k *Iren. L. 1. c. 5. p. 59. init.*

l *Vid. Epiph. Petav. Hær. 31. §. 32. p. 203.*

CAPVT XII.

nas ex Gnoſticorum hæreſi deprompſiſſe. Alia eſt Irenæi mens, Valentinum ex illa Gnoſticorum hæreſi primum fuiſſe, qui ex veteribus doctrinis ad ſuam formam tranſlatis & aptatis, quod ſubjicit, dogma tradiderit. Sed & res ipſa id, quod diximus, apertiſſime nos docet. Cedo enim mihi ex iis Gnoſticis, quorum nos theogonias non paucas apud Irenæum & alios veteres habemus, aliquem Valentino antiquiorem, qui ex Sige Logon ortum eſſe definiverit? Nullum invenies. Nos quoſdam nuper ex Irenæo exhibuimus. Nemo fuit qui Sigen Logi vel matrem vel aviam dixerit. Nunc Saturnili ſi placet, & Baſilidis, nobiliſſimorum Gnoſticorum, contextas ante Valentinum fabulas, videamus. Saturnilus [m] vnum Patrem incognitum in primis conſtituebat; ab hoc factos Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, A ſeptem Angelis factum mundum, & quæcumque in eo; inde longam de hominis ab Angelis formati opificio fabulam ſubtexebat; Salvatorem vero innatum, & incorporalem fuiſſe, putative autem viſum hominem. Baſilidis perplexum quoque, & involutum drama; *Nun* [n] ab innato Patre natum, ab hoc Logon, a Logo Phroneſin, a Phroneſi Sophiam & Dynamin; a Dynami, & Sophia virtutes, & Principes, & Angelos; ab his primum cœlum factum. Ab horum derivatione alios item factos, aliud cœlum ſimile priori feciſſe; atque ita deinceps factos eſſe ab Angelis CCCLXV. cœlos Angelorum, qui hoc poſtremum aſpectabile cœlum fecerunt, & gubernant? Principem eſſe Iudæorum Deum; Sed ei ſuæ vni genti cæteras omnes ſubjicere præter ius ac fas meditanti reliquos Angelos reſtitiſſe; Innominatum Patrem ſuorum diſcordias, ruinaſque miſeratum, Nun primogenitum ſuum miſiſſe; hunc eſſe, qui Chriſtus, dicitur; quique Iudæos permutata cum Cyrenæo Simone forma, ita eluſerit, vt hunc pro eo crucifixerint, ipſe eos deridens ad Patrem ſurſum, nemine vidente, aſcenderit. Sed fabularum ſatis eſt. Vt abſoluam, nullum in his, vt vides, nullum in cæteris, Valentino quidem antiquioribus, Logi a Sige emiſſi veſtigium. Non fuit ergo hæc fabella earum vna doctrinarum, quas a Valentino ad ſui dogmatis formam aptatas dicit Irenæus. Quid ergo eſt, inquis, quod ille ait Valentinum antiquas doctrinas *ad proprium characterem tranſtuliſſe* (vt optime vetus interpres) vel (vt recentior) *accommodaviſſe?* τὰς ἀρχαίας διδασκαλίας εἰς ἴδιον χαρακτῆρα μεθαρμόσας; μεθαρμόζειν enim proprie eſt μεταιθέναι τὴν ἁρμονίαν; indeque & ἐπιδιορθῦν *corrigere, emendare.* Itaque veteres illas doctrinas, quæcumque ſint, non totas, & integras, & ſic vt erant, apud vetuſtiores, immutatas, ſed a ſe mutatas, & pro ſuo arbitrio caſtigatas, & correctas in proprium Valentinus characterem tranſtulit. *Characterem* autem *Valentini proprium* dicit, vt opinor, Irenæus propriam doctrinæ eius formam. *Character* enim, vt dicendi, ſic & docendi, & vivendi, propria cuiuſque eſt dicendi, docendi, & vivēdi forma, ac ſpecies. Gloſſæ veteres Græco-Latinæ; χαρακτὴρ *vultus, titulus, figura, lineamentum* (ſic enim iſtic lego ex Vulcanii correctione) Iam vt in omnibus dicendi characteribus voces

[m] *Iren.* L.1.c.22.

[n] *ibid.c.*23.

quidem

quidem ipſæ pæne ſunt omnes eædem; vocum inter ſe συνθέσεις ac συντά-ξεις, & partium orationis, id eſt commatum & periodorum commenſuratio, diverſa, & ſingulorum Characterum propria; ita & in Valentiniano docendi charactere res habuit. Materiæ eædem plæreque erant, quæ vetuſtiorum hæreticorum; materiarum inter ſe compoſitio, ab iis diverſiſſima. Itaque vt ex illa vocum earumdem diverſimoda inter ſe συνθέσει varii ac inter ſe diſcrepantes exſurgunt tres illi; de quibus Rhetores, diverſi dicendi characteres; ita & ex varia Gnoſticarum materiarũ inter ſe connexione, ac diſpoſitione diverſæ illæ exortæ ſunt Gnoſticorum hæreſes & ſectæ. Neque enim credendum eſt, quod miror a doctiſſimis viris fuiſſe poſitum; Valentinum nullius novæ ſectæ conditorem fuiſſe. Novam ille ſectam non minus profecto condidit; quam Baſilides, aut Saturnilus, aut quivis de iſto grege alius. Tametſi enim *Ignotus Pater*, & *Æones*; communis omnium pæne Gnoſticorum dogmatum materia erat; tamen ipſa rerum vel inter ſe nectendarum, vel certo ordine diſponendarum diverſitas ſuum cuiuſque proprium ac ſingulare dogma efficiebat. Itaque illud ego quidem ex hoc Irenæi, & aliis Theodoreti, atque Epiphanii ſimilibus locis legitime confici ac colligi concedo ipſam rerum ſylvam, atque materiam, ex qua Valentinus ſua compoſuit, jam apud vetuſtiores partim Gnoſticos hæreticos, partim etiam Poëtas, aut Philoſophos Ethnicos fuiſſe. Indè vero colligi eandem quoque materiæ diſpoſitionem, ac compoſitionem apud eos fuiſſe, nego; & mecũ negat res ipſa. Si enim doctrinæ & illa materia, & hæc forma vetuſtiorum jam fuerat, nullus ergo proprius Valentinianæ doctrinæ character fuiſſet, quem fuiſſe Irenæus diſertiſſime docet. Verbi gratia & *Patrem innatum*, & *Nun* & *Logon* apud Baſilidem; & *Sigen* apud Antiphanem Poëtam invenio; Logon e Sige ortum, apud neutrum reperio. Ea rerum diſpoſitio apud vnum Valentinum, eiuſque diſcipulos extat. Ille quæ apud alios invenerat, ſua fecit, ea ſingulari quadam ratione diſponendo. Irenæus hunc ſuum eſſe in his ſenſum clariſſime alibi [n] demonſtrat; vbi primo Antiphanis veteris Comici, Theogoniam exponit, in qua Poëta de nocte & ſilentio Choas emittebat, de Chao & Nocte Cupidinem; & hoc lumen; dehinc reliquam primam Deorum geneſim; poſt hos rurſum ſecundam Deorum generationem inducebat, & mundi fabricationem; dehinc de ſecundis Diis narrabat hominum plaſmationem. Hinc, vt addit Irenæus, [o] *Valẽtiniani aſſumentes ſibi fabulam, quaſi naturali diſputatione commenti ſunt, ſolummodo demutantes eorum nomina, id ipſum autem vniverſorum generationis initium & emiſſionem oſtendentes; pro Nocte & ſilentio; Bythum & Sigen nominantes; pro Chao autem Nun; & pro Cupidine (per quem ait Comicus, reliqua omnia diſpoſita) hi verbum attraxerunt, & pro primis, ac maximis Dijs Æonas formaverunt; Et pro ſecundis Dijs, eam quæ eſt extra pleroma, Matris ipſorum enarrant diſpoſitionem, ſecundam ogdoadem vocantes eam, ex qua Mundi fabricationem, & plaſmationem hominum, ſimiliter atque illi,*

CAPVT XII.

n Iren. L.2. c. 19.

o ibid.

que illi,

CAPVT XII.

quæ illi, annuntiant. Et paulo poſt, *hæc eos transferre* dicit *in ſuum argumentum, imo vero iiſdem argumentis docentes; tantum immutantes nomina.* Hæc ibi Irenæus; neque alio ſenſu dixerat, *Valentinum veteres doctrinas in proprium characterem tranſtuliſſe.* Vt ergo ex his quæ poſteriori loco dicit, nemo concluſerit, quod Valentiniani poſtea definiverunt Logon eſſe Siges nepotem, id ipſum jam olim ante eos ceciniſſe Antiphanem; ita profecto neque ex eo quod idem prius dixerat, conſequens eſt veterum illarum doctrinarum auctores ipſos quoque diu ante Valentinum docuiſſe, quod hic de Logo & Sige prodidit. Quin & inde ne tantum quidem colligitur, quantum nos colligi conceſſimus. Apparet enim ex hoc de Antiphane ſimili dicto, hoc vnum inde ex vi quidem & (vt loquuntur ſcholaſtici) ex rigore verborum concludi poſſe, Valentinum ad priorum doctrinarum exemplum ſuam contexuiſſe; non (quod nos vltro conceſſimus) etiam ipſa a prioribus rerum nomina plæraque mutuatum eſſe. Illum enim ex Antiphane exemplum fingendi ſolum ſumpſiſſe conſtat: non ipſa nomina, quæ vel ipſe erat fabricatus, vel certe aliunde quam ex Antiphane petiverat, ſi vnum *Siges* nomen exceperis, quod apud vtrumque invenitur. Cætera ipſe Irenæus monet eſſe e Valentinianis immutata. Atque hinc liquet, abſurde ac præter omnem rationem nobis objici Antiphanem; quaſi ſcilicet auctor epiſtolæ ad eum reſpexerit. Nam hic quidem eos denotat, qui λόγον Σιγῇ prodire fabulabantur; Antiphanes vero, non λόγον, ſed Chaos de Sige emiſſum fingebat. Quid ad epiſtolam vel Antiphanes Poëta Ethnicus, vel Chaos a Sige ortum? Cum ergo ex iis quæ diſputata ſunt conſtet, inter vetuſtiſſimos hæreticos, præter vnum Valentinum, eiuſque diſcipulos, neminem fuiſſe, qui λόγον ἀπὸ Σιγῆς προελθεῖν, *Verbum a Sige progredi*, aut exire docuerit; illud poſtremo concludendum ſupereſt, omnino ad Valentinum reſpexiſſe auctorem epiſtolæ, adeoque Ignatio juniorem neceſſario fuiſſe.

Sed hic Petavio, viro eruditiſſimo, occurrendum eſt; qui cum iſtam fortaſſe noſtrorum ſolutionem videret & nimiis difficultatibus implicatam eſſe, & parum veriſimilem, neque id quod illa ſumit poſſe defendi, ſcriptorem epiſtolæ, non ad Valentinum reſpexiſſe cum illa verba ſcriberet, ſi concedatur ad aliquam hæreſim reſpexiſſe; alio ipſe confugit, hoc quod noſtri concedunt, ipſe negat, & auctoris dum ſcribit, *verbum Dei non ex ſilentio prodiiſſe*, hanc eſſe vult [p] mentem vt Dei λόγον *Sermonem*, non a fictitio, ſive Valentini, ſive alicuius alterius hæretici *Logo*; Sed a *quovis creato & humano ſermone* diſtinguat; cujus ſcilicet hoc omnino proprium eſt, *vt poſt ſilentium oriatur, & in ſilentium deſinat*; hunc vero Dei ſermonem non a ſilentio prodiiſſe, neque demum poſt ſilentium ortum eſſe. Hæc ille, qui ſibi ipſi credo, gratulans, quod nodum difficilem facili ac pæne nullo negotio ſolverit, Salmaſio hæc de Valentinianorum Sige interpretanti ſuperbe inequitat, & eruditam, ac rationi conſentaneam ſummi viri ſententiam ludicræ, & inſcitæ vanita-

p Petav. Theol. dogm. T. 4. Part. 2. Append. de Eccleſ. Hier. L. 2. c. 8. §. 7.

nita-

nitatis inſimulat, procaciter rogans, *Quis hoc illum docuit? Qua ratione, quo argumento cogere nos poteſt, vt illi aſſentiamur?* Quaſi vero obſcurum ſit, hanc ipſiſſimam eſſe Valentini de Logi, ſive verbi Dei ortu hæreſim, quæ a ſcriptore reiicitur ac exploditur? Vel quaſi alio nobis argumento ſit opus ad Valentini Sigen intelligendam, quam ipſius ſenſu & verbis, quæ hic omnia clariſſime expreſſa haberi fuſe nuper oſtendimus. Quam vera, quam ſolida, quamque neceſſaria ſit illa Salmaſii de huius loci ſenſu coniectura, vel ipſæ docent Petavii anguſtiæ, qui cum nollet eam ſequi, coactus eſt ad frigidam, atque inanem argutiam confugere. Primo enim quam frigidum eſt. Magneſianos monere, Ieſum Chriſtum filium Dei verbum eſſe ipſius, non tamen ejuſmodi, vt poſt ſilentium prodierit? Quaſi ſit inter Chriſtianos, nedum vt fuerit inter Magneſianos a ſcriptore ob pietatem & caritatem laudatos, quiſquam adeo fatuus, vt quem audit eſſe *Ieſum Chriſtum*, *Dei filium*, eundem putare poſſit a ſilentio eſſe ortum? Deum-ve ita filium genuiſſe, vt priuſquam gigneret, ſileret, mox loqueretur, & loquendo gigneret? In Auguſtino, qui argutias captat, & in iis pæne totus, certe nimius eſt, minus miramur ſiquid hujuſmodi luſerit; quamquam ne ille quidem ſic plane luſerit. Non enim id dicit, quod noſter *Ieſum Chriſtum Dei filium eſſe eius Verbum quod non prodiit a ſilentio:* Verbum ſolum, & ſeorſum a notione perſonæ (vt ſic dicam) præciſum conſiderat. *Quod eſt hoc* (inquit) [q] *verbum, quod dicturus antea non ſilebat? Quo dicto non ſiluit, qui dicebat? Quod eſt Verbum ſine tempore, per quod facta ſunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit cœptum, clauſit-ve finitum?* Huc accedit, quod Auguſtinus clare id, quod Petavius a noſtro vult intelligi, eloquitur; dum ait hoc eſſe *verbum*, *quod dicturus non ſilebat, quo dicto non ſiluit; qui dicebat; quod labia nullius aperuit cœptum, clauſit-ve finitum.* Noſtri in hunc ſenſum verba, obſcura ſunt, & a nemine, quod ſciam, ita vſurpata. Quem enim Chriſtianorum ſcriptorum reperias, qui id vt ſignificaret, quod in allato loco dicit Auguſtinus, ita loqueretur, *Chriſtus eſt verbum quod non a ſilentio*, ſive *Sige prodiit*? Siquis hæc ita dixit, is profecto nihil aliud voluit, quam Valentinianam Sigen a generatione verbi Dei sũmovere: Neque ergo aliud in animo habuit epiſtolicus Ignatius. Sola eum Petavii a cauſſę ſtudio orta ſubtilitas, in alios sẽſus, invitum ac repugnantem cogit. Vel edat Petavius auctorem idoneum, qui in eum, quem vult ſenſum ita locutus fuerit, vel nos certe patiatur epiſtolæ verba eo ſenſu accipere, quem habere apud auctores Eccleſiaſticos ſolent. Auguſtini enim quem attulit, plane aliam, plane diſſimilem eſſe elocutionem omnes vident. Tum & ſupervacaneus eſt is ſenſus, quem Petavius his verbis affingit. Vult ea a ſcriptore addita, vt ſignificaret Chriſtum non eſſe huiuſmodi ſermonem, qualis eſt humanus, ſive hominis ſermo. Ille vero actum agit, ſi hoc agit. Hominis enim verbum eſſe eo ſatis negarat, quod Dei verbum eſſe dixerat. Sed & hoc Dei verbum non cœpiſſe poſt ſilentium, & ſatis, & quidem per- CAPUT XII.

[q] *Aug. Serm. de Nativit. Dom.*

CAPVT XII.

ſpicue eo docuerat, quod Chriſtum verbum Dei *Æternum* ἀΐδιον eſſe dixerat. Neque enim is ſermo æternus eſt, qui vel a ſilentio cœpit, vel in ſilentium deſinit. Si æternus eſt, neque cœpit, neque deſinet vnquam. Qui ergo Chriſtum Dei *Verbum æternum* dixit, eum nihil neceſſe fuit inſuper negare id verbum poſt ſilentium cœpiſſe. Plane otioſa eſt oratio; id ipſum fruſtra, Batti inſtar, iterans, quod jam dixerat. Quin & eo etiam vitioſa eſt, quod quæ recte ac perſpicuè dicta erant, eadem perperam & obſcure iterum eloqui fingitur. Nemo enim non videt multo rectius, clariuſque dici *Verbum Patris æternum eſſe*, quam id a ſilentio, aut poſt ſilentium non cœpiſſe; quod hoc loco cum & inexpectatum, & ſupervacaneum ſit, abſurde eſt additum; hoc quidem ſenſu. Nam eo, quem nos volumus, ſi acceperis, tota oratio & perſpicua, & gravis, & neceſſaria erit; & hoc ſcriptore, quem a brevitate commendant, digna, quæ ſcilicet conſtituta Verbi divini æternitate, hæreſeos fabulas ab ejus generatione tam ſapienter, tamque breviter excluſerit, vt nihil dici poſſit in hunc ſenſum melius. Sed & ipſa epiſtolæ elocutio ad Petavianum ſenſum inepta, atque abſona eſt, & quantum equidem memini, inuſitata. Quis enim quem ſiluiſſe, antequam loqueretur, ſignificare voluit, eius ſermonem dixit ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν? A ſilentio progreſſum eſſe? At ſi noſtrum Valentinianam Sigen ſignificaſſe admiſeris, clara ac legitima erit oratio, & ipſis tum Gnoſticis, tum noſtris hoc ſenſu familiaris. Vtrique enim fictitiorum Æonum emiſſiones, ac partus eo verbo ſignificare ſolent. Noſtri etiam vtuntur ad diviniſſimas filii a Patre, & Spiritus a Patre & Filio emanationes ſignificandas. Atque ita, paucis ante hunc ipſum locum verſibus, vſus erat epiſtolæ ſcriptor, cum diceret Chriſtum Ieſum ἀφ᾽ ἑνὸς πατρὸς προελθεῖν. Vnum idemque in vtroque loco verbum eſt, quod interpres Vſſerianus vetuſtiſſimus in priori *exire*, in poſteriori *progredi* reddidit. Ergo noſter filium *exire* tam a *ſilentio* negat, quam *a Patre* ait. *A Patre exire* ait, vt a vero ſuæ generationis principio; non ſimpliciter, vt a termino, a quo cœperit generatio. Ergo & a *Sige exire filium*, quod negat, eodem quoque ſenſu intelligit; nimirum *a Sige exire*, vt a matre; vt a generationis, non ſimplici, vnde cæperit, termino, ſed vero principio. Is autem erat Valentini hac de re ſenſus; quem adeo hic a ſcriptore excluſum liquet. Denique cum προελθεῖν ἀπὸ σιγῆς eodem modo dictum fuerit, quo dictum erat paulo ante προελθεῖν ἀπὸ πατρὸς; liquet verbum Græcum προελθεῖν, quod idem vtrobique eſt, tam *exire* in poſteriore reddi poſſe, quam in priore a Latino reddi licuit. Negari ergo non poteſt quin dicat ſcriptor *Ieſum Chriſtum eſſe æternum Dei Verbum, quod non exivit a ſilentio.* Hæc autem verba omnes vident Petavianam gloſſam ferre non poſſe. Signant enim id, a quo quid exivit, eius, quod ab ipſo exivit, vel locum, vel cauſſam; vel certe principium (vt ſcholæ loquuntur) *conſtitutivum* fuiſſe; quorum nihil de Petaviano ſilentio dici poteſt; Neque enim ſermonis, qui ab homine antea ſilente fieri incipit, ſilentium vel

locus

locus eſt, vel cauſſa, vel aliquid denique, quod ad eum conſtituendum conferat. Ergo *ſermonem a ſilentio exire* locutio abſurda eſt. Quod cum ſatis intelligeret Petavius, phraſeos duritiem emollivit, verba epiſtolæ ita deſcribens, *Ieſum Chriſtum eſſe verbum Dei non tamen eiuſmodi vt ex ſilentio, vel poſt ſilentium prodierit.* Ille vero nos fallit. *Sermonem* enim μετὰ τὴν σιγὴν προελθεῖν *poſt ſilentium prodire*, plane aliud eſt, quam ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν, *a ſilentio prodire*, vel *exire*, vt in altero loco reddidit interpres. Illud quidem id vnum ſignificat præceſſiſſe ſilentium, ſermonem ſucceſſiſſe; quod rectum eſt. Hoc vero non id tantum; ſed etiam ſermonis vel locum, e quo prodiit, vel certe cauſam, cuius vi prodiit, ſilentium fuiſſe ſignificat; quod falſum eſt, & prodigioſum. Itaque qui illud dixerit, fortaſſe aliquem; qui hoc, neminem reperies ſanę mentis hominem. Atqui hoc, non illud dixit auctor epiſtolæ; ἀπὸ σιγῆς, non μετὰ σιγήν. Falſo ergo Petavius illud ei aſcribit, qui hoc ſcripſit. Ac vt ſi quis in priore loco, *filium ab vno Patre exiviſſe*, idem eſſe contenderet, ac ſi dictum eſſet, *filium poſt Patrem exiviſſe*, is merito eſſet irridendus; ita & Petavius dignus eſt, qui explodatur, cum quod in poſteriore loco ab eodem ſcriptore eodem modo dictum eſt, ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν, *a ſilentio exire*, ita interpretatur ac ſi ſcriptum eſſet, μετὰ τὴν σιγὴν *poſt ſilentium exire.* Par vtriuſque gloſſæ abſurditas. Atque ita ſatis ni fallor, confutatum eſt Petavii commentum. Ergo ad *Sigen* Valentinianam velis nolis, redeundum eſt; cui omnia, & ſenſus, & ratio, & elocutio belle congruunt. Hanc enim σιγὴν Valentinus, non Petavianum ſilentium intelligebat; Sed Æonem eſſe fingebat, id eſt Deum, ſive perſonam divinam ſequioris quidem illam ſexus (nam & ſexus inter Æones diſcrimen erat apud Gnoſticos) eadem tamen ad gignendum vi præditam, quod apud nos habent mulieres ad procreandos liberos. Itaque quod de Petaviana Sige nonniſi abſurde ſtulteque dixeris, aliquem ab ea exiviſſe, id de Valentiniana dici nihil magis vetat quam vel filium a matre, vel nepotem ab avia προελθεῖν *prodire*, id eſt genitum eſſe. Vnde poſtremo conficitur ſcriptorem, dum negat, *Verbum Dei a Sige exiuiſſe, vel prodiiſſe*, *Sigen* non Petavianam (de qua hæc dici & ſermonis vſus, & ipſa rei natura vetat.) Sed Valentinianam intelligere, cui hæc verba recte convenire, omnes fatentur; multo certe quam Petaviano ſilentio melius, ne ipſe quidem Petavius negaſſet; quem a rectis, clariſque tranſverſum egit vnum Ignatianæ cauſæ ſtudium. Nam ſi Valentinus ante Ignatium vixiſſet, ne ipſe quidem Petavius ferret hæc epiſtolæ verba alio, quam ad Valentini Sigen trahi. Nunc cum pro ſua eruditione, qua in his litteris ſumma fuit, optime intelligeret & Valentinum diu poſt Ignatium mortuum hæreſes ſuas docuiſſe, neque ante eum ex omni Gnoſticorum genere quemquam finxiſſe *Logon Siges* ſobolem; cumque idem nollet (quod Romanæ, ac præſertim Ieſuiticæ generoſitatis eſt) ſuſceptum ſemel a ſuis Ignatianarum epiſtolarum patrocinium plane peni-

CAP. VI
XII.

CAPVT XII.

tuſque deſerere, coactus eſt, ne Ignatium amitteret, hinc ſuam Valentino Sigen dimittere; & aliam ipſe ex divite ingenii ſui penu depromere; quæ periclitantem Ignatium ex tanto diſcrimine eriperet. Præcluſo hoc duplici, noſtrorum ſcilicet, & Petavii effugio, non puto quemquam fore, qui tertio quodam vti velit, a viris quidem doctiſſimis [r] commemorato, ſed ab ijſdem ſtatim derelicto; hoc nimirum, fieri potuiſſe, vt Valentinus ipſe, vivo etiamnum Ignatio, multos clam, ſi non palam, ſeduxerit, ſuamque illam adeo *Sigen* cum filio, vel nepote *Logo* tunc ediderit; vt nihil ſit mirandum, quod Martyr huius fabulæ, vt pote jam notæ, meminerit. Nihil nos neceſſe eſt in hac convellenda ſententia immorari. Supra vicimus certiſſima vetuſtiſſimorum ſcriptorum auctoritate Saturnilum & Baſilidem annis poſt Ignatij martyrium pluribus, quam viginti ſua deliria apud homines ſpargere cœpiſſe. Confeſſum autem eſt apud omnes poſt hos duos erupiſſe Valentinum. Sed & eruditiſſimus Blondellus noſter hanc cauſam ita diligenter egit, vt doctiſſimus eius adverſarius [s] hoc vnum ad illam diſputationis eius partem repoſuerit, non fuiſſe opus, vt Ignatiani martyrij diem, & hæreſiarchæ Valentini ortum adeo punctim, & accurate comparandos duceret. Vel hoc ergo Iudice, ſatis erit παχυλῶς obſervaſſe Valentinum Romam ſub Hygino illius Eccleſiæ Epiſcopo circa a. D. 140. veniſſe. a. D. 144. noſci cœpiſſe; permanſiſſe vſque ad Anicetum, qui a. D. 167. Epiſcopus eſt ordinatus. Tertullianus etiam vltra Anicetum ſummovet. Ita enim de Marcione & Valentino; [t] *Conſtat illos* (inquit) *neque adeo olim fuiſſe, Antonini fere principatu, & in Catholicæ primo doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, ſub epiſcopatu Eleutherii benedicti.* Eleutherium autem, qui maturrime, a. D. 171. Epiſcopum ordinatum volunt, Soteris ſucceſſorem, qui Anicetum exceperat. Cum ergo conſtet Ignatium a. D. 107. vel (vt alii volunt) 109. martyrium Romæ feciſſe; clarum certumque eſt tam multis poſt ejus obitum annis vulgatam Valentini matæologiam Martyri notam eſſe non potuiſſe; vt plane neceſſe ſit epiſtolæ ad Magneſianos ſcriptorem, qui Valentini Theogoniam ſciviſſe deprehenditur, alium ab Ignatio fuiſſe.

r *Hammond. Diſſert. 2. c. 9. §. 5.*

s *ibid.*

t *Tertull. de Præſcrip. c. 30. p. 242. A.*

CAPVT

CAPVT XIII.

CAPVT XIII.

Argumentum IX. Quod ſcriptor Clementem (qui ante Ignatii martyrium paſſus erat) Anacleto, quo tempore ipſe epiſtolas ſcribebat; ſucceſſiſſe dicat. Argumentum X. Quod idem qui primis temporibus Nicolaïtæ dicebantur ipſe Pſeudonicolaïtas dicat, qui vſus videtur a Clemente Alexand. poſt a. D. 192. ortus. XI. Argumentum. Quod ſcriptor Cæſares ſui ævi Chriſtianos fuiſſe duobus locis ſupponat. XII. Argumentum. Quod angelis ad ſalutem, fidem in Chriſti ſanguinem neceſſariam eſſe ſtatuat: quod Origenicum eſſe videtur. XIII. Argumentum. Quod eo ævo vixerit, quo Romanis ignotum erat, qui eſſent Leopardi *in militia Romana. Argumentum XIV. XV. XVI. Inde ducta, quod ſcriptor Copiatas, & inferiores ordines, & Virginum Monaſteria, & Quadrageſimæ ieiunia memoret, res multis poſt Martyrem temporibus inſtitutas. Argumentum. XVII. Quod ſcriptor publice pœnitentes admittat, & poſt ſatisfactionem reconciliet Eccleſiæ; quod tempore Martyris nondum obtinebat. Argumentum. XVIII. Quod ſcriptor B. Mariam adhuc in terris vixiſſe fingat, quo tempore Martyr Antiochiæ Epiſcopus erat. Argumentum. XIX. Quod ſcriptor Oneſimum, Epheſi Epiſcopum ſedere & vivere fabuletur, quo tempore Martyr paſſus eſt; quod communi veterum traditioni repugnat. Baronij & Vſſerij effugia præcluduntur.*

ATque hæc quidem de hæreticis, & hæreſibus obſervata ſunto. Multa alia ſunt in epiſtolis præter temporum fidem perperam ficta. Vt ecce ſtatim in prima ad Mariam Caſtabalenſem epiſtola. Data eodem, quo cæteræ, tempore, fingitur; Cum ſcilicet, Martyr Romam vinctus abduceretur; id eſt a. D. 107. vel 109. vt ex iis conſtat, quæ habet auctor paulo poſt exordium de ſuis cuſtodijs & vinculis, [v] *quibus ſe erudiri* ait, *vt Ieſum mereatur adipiſci*, ſibi *præparatis ærumnis vel cruciatibus* (τῶν δεινῶν) frui exoptans. At impoſtor mox ſcenæ ſuæ oblitus, Clementem Anacleto Papæ nunc ſucceſſiſſe dicit. Cum enim Mariam Romæ ante hac fuiſſe *apud Anacletum* dixiſſet, cui (inquit) *nunc ſucceſſit beatitudine dignus Clemens Petri & Pauli auditor*, ὃν διεδέξατο τὰ νῦν ὁ ἀξιομακάριστος Κλήμης, ὁ Πέτρου καὶ Παύλου ἀκουστής. Ille vero, quem iſte narrat, Clemens aliquot jam ante quam Ignatius vinciretur, annis, Cherſonæ martyrium fecerat, a. D. 100. vel 101. vel certe 102. nedum vt eo, quo Ignatius vinctus fuit, tempore deceſſori in ſede Romana ſuo

v Ign. ad Mar. Caſtab. p. 132.

x ibid. p. 134.

Caput XIII.

(quiſquis ille fuerit) ſucceſſiſſe dici potuerit. Eo coactus eſt Baronius comminiſci [y] hanc epiſtolam ſcriptam eſſe ſimul atque Clemens eſt creatus Romanus Epiſcopus; tametſi illuc alioqui propenderet, vt eam ob vnum idemque omnium argumentum vna cum reliquis ad diverſas Eccleſias exitin ere Romano datis, ſcriptam fuiſſe putaret. Sed ille a veris, quæ videt, fruſtra ad falſa, quæ cupit, more ſuo divertit. Certum eſt ſcriptorem hanc epiſtolam voluiſſe videri eodem tempore ſcriptam eſſe, quo cæteras. Quæſo enim quid illa aliud ſignificant, quæ in epiſtola ad Mariam dicit? [z] *Detinet enim meum propoſitum non concedens ad terminum ire militaris cuſtodia?* ἐπέχει γὰρ μου τὴν πρόθεσιν, οὐ συγχωροῦσα εἰς πέρας ἐλθεῖν ἡ στρατιωτικὴ φρουρά. Nonne illa ipſa eſt militum cuſtodia, quibus ſe Romam abducendum, Trajani ſcilicet imperio, traditum fuiſſe in epiſtola ad Romanos prædicat. Huc accedit, quod vt vere eſt, ac ſolerter ab Vſſerio [a] obſervatum, *non tantum exilia, militares cuſtodias, & vincula ſua hic, vti in cæteris epiſtolis, commemorat: Sed etiam idem hoc argumentum iiſdem ipſis verbis explicat.* Res clara eſt vtraſque inter ſe comparanti. Epiſtolæ ad Romanos auctor ita de ſuis illis militum cuſtodiis ſcripſerat; ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν μᾶλλον μαθητεύομαι· ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο δεδικαίωμαι. ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων. &c. ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. *At ego eorum iniuriis magis erudior; verum non in hoc iuſtificatus ſum. Vtinam fruar beſtiis mihi paratis. &c. vt Ieſum Chriſtum aſſequar.* Omnia pæne eadem in epiſtola ad Mariam occurrunt; ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν μᾶλλον μαθητεύομαι, ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. ὀναίμην τῶν δεινῶν τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων. Hæc ex illis ficta fuiſſe manifeſtum eſt; adeoque vel eodem cum illis tempore ſcripta eſſe vel etiam poſt illa. Quid ergo eſt? *Nimirum* (inquit Vſſerius) *oblitus qui iſta tranſcripſit, quo tempore perſecutionem eam ſuſtinebat Ignatius, Clementem in vivis eſſe deſiiſſe, Anacleto tunc illum ſucceſſiſſe comminiſcitur.* Hæc Vſſerius veriſſime, ex quibus conſtat, quantumlibet recalcitret Annaliſta, planum & impoſtorem, & quidem ſatis craſſum, fuiſſe epiſtolarum ſcriptorem.

Id etiam ſcriptorem arguit diu poſt Ignatii tempora vixiſſe, quod falſi nominis ψευδωνύμους Nicolaitas, quoties, de iis loquitur, dicit. Duobus autem locis eos memorat; in ea quæ eſt ad Trallianos, & in ea quæ eſt ad Philadelphienſes. Prior locus ſic habet; [b] *Fugite quoque, & illos immundiſſimos falſi nominis Nicolaïtas amatores libidinis, malos calumniatores.* φεύγετε καὶ τοὺς ἀκαθάρτους Νικολαΐτας, τοὺς ψευδωνύμους. Alter locus eſt: [c] *Falſi nominis Nicolaïta, neque Dei amicus, neque Chriſti amator eſſe poteſt.* ὁ ψευδώνυμος Νικολαΐτης, οὔτε φιλόθεος, οὔτε φιλόχριστος εἶναι δύναται. Eccleſia vero & Apoſtolica, & ſequentis pæne ad extrema ſæculi, *Nicolaïtas* quidem hæreticos novit; ψευδωνύμους *falſi nominis Nicolaïtas* nullos, quod equidem ſciam, novit. Ioannes in Apocalypſi: [d] *Sed hoc habes, quod odiſti facta Nicolaïtarum.* Iterum in eodem libro: *Habes tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Non eſt dubitandum, quin ſanctiſſi-

[y] Baron. a. D. 93 §. 8.

[z] Ign. ad Mar. Caſt. p. 134.

[a] Vſſer. Annot. in epiſt. Ignat. p. 81.

[b] Ignat. ep. ad Trall. p. 78.

[c] Id. ad Philad. p. 102.

[d] Apoc. 2. 6. 15.

ctiſſimus Martyr Ignatius Ioannis præceptoris ſui, & ſententiam & ſermonem ſequuturus fuerit, ſi quid de Nicolaïtis ſcripſiſſet. Certe ſequuti ſunt, etiam diu poſtea eius poſteri. Irenæus circa a.D.180. [e] *Nicolaïtæ magiſtrum quidem habent Nicolaum, vnum ex ſeptem, qui primi ad diaconium ab Apoſtolis ordinati ſunt, qui indiſcrete vivunt.* Pleniſſime *autem per Ioannis Apocalypſim manifeſtantur qui ſint, nullam differentiam eſſe docentes in mæchando, & idolothyton edere.* Tertullianus, Ireneo pauxillo iunior, [f] *Alter hæreticus Nicolaus emerſit hic de ſeptem diaconis, qui in Actis Apoſtolorum allecti ſunt.* Illum autem ipſum non ſolius nominis, ſed turpiſſimæ ac ſceleratiſſimæ diſciplinæ auctorem fuiſſe tradit. Primus noſtrorum Clemens Alexandrinus in opere paulo poſt a.D.192. ſcripto, flagitioſi inventi invidiam a Magiſtro in diſcipulos deflexit; [g] hos quoddam illius dictum ambigue ad laſciviam, & ad ſcelera perperam detorſiſſe tradens; & alibi [h] refert ſe audiviſſe Nicolaum ipſum virum fuiſſe honeſtum, vna vxore contentum, liberos eius vtriuſque ſexus perſeveraſſe Virgines. Ita optimus ac mitiſſimus Clemens, Diaconi Apoſtolici nomen illa, qua flagrabrat, infamia purgare conatus eſt. Scriptor epiſtolarum id avide arripuit, & in ſua tranſtulit, neque Nicolaïtas dubitavit ψευδωνύμους præter ſolennem Eccleſiæ vetuſtiſſimæ conſuetudinem vocare, vt a vulgari vſu ac ſenſu remota appellatio ſingularis ei, & Ignatio dignæ eruditionis ſpeciem conciliaret; quo etiam conſilio alibi eundem obſervabimus Paulum ex hoc ipſo Clemente inter conjugatos retuliſſe.

CAPVT XIII.

e Iren. L.1.c. 27.

f Tertull. de Præſcr. c.46. extr. p.250.b.

g Clem. Alex. Strom. L.2.p. 411.c.

h Id. ibid. l.3. p.436.b.c.

Sed multo etiam eſt iſtius in epiſtola ad Philadelphienſes ſtultior atque abſurdior κακοπλαστία, qui cum Ignatii Martyris nomen mentiatur, ita tamen ſcribit, quaſi jam tum Romani Cæſares Chriſtiani fuiſſent. Iubet [i] enim homo ineptiſſimus *presbyteros & Diaconos, atque omnem clerum, ſimul cum omni populo & militibus, atque Principibus, & Cæſare, obedire Epiſcopo, epiſcopum vero Chriſto, ſicut* (inquit) *Chriſtus Patri, & ita vnitas per omnia ſeruatur.* Atqui vt de Principibus taceam, nullum pæne duobus poſt Ignatii mortem ſæculis Cæſarem Chriſto nomen dediſſe, eiuſque diſciplinam profeſſum eſſe, nemo eſt tam rerum Eccleſiaſticarum ignarus, qui neſciat. Neque τὸ κακόπλαστον purgat Mæſtræus, [k] qui Ignatium fingit *inſinuaſſe his verbis, non quod Cæſar ipſe tunc temporis præſtaret, ſed quod illum præſtare oportuiſſet.* Atqui non jam id quæritur obedierit-ne tunc Cæſar Epiſcopo, an non obedierit. Quæritur an Chriſtianus fuerit. Nam ſi non fuit, deliraſſe tuum Mæſtræe, Ignatium neceſſe eſt, qui homini Ethnico, qui Ethnicorum Principi, ac Pontifici Maximo, qui ſuo, qui noſtrorum omnium hoſti, ac perſecutori infeſtiſſimo, a quo ipſe ad beſtias erat damnatus, præceperit, vt Epiſcopo ſeſe Morigerum, ac dicto audientem præberet. Si hoc ille, quod tu ei affingis, voluiſſet, plane aliter hanc totam de Epiſcopo orationem inſtituiſſet; dixiſſet tantam eſſe ejus dignitatem, vt ei parere neceſſe ſit, non Clerum tantum & plebem, ſed ipſos etiam milites, ac Principes,

i Ignat. ad Philad. p.99.

k Mæſtr. Not. ad loc. Ignat.

CAPVT XIII.

quin & ipſum omnium Dominum Cæſarem, ſi Chriſtiani eſſent, & in Eccleſiæ album aſcripti. Nunc longe aliter dicit; *Presbyteri vero* (inquit) *& Diaconi, atque omnis Clerus ſimul cum omni populo, & militibus atque Principibus, ſed & Cæſare, obediant Epiſcopo. Epiſcopus vero Chriſto, ſicut & Chriſtus Patri; & ita vnitas per omnia ſervatur.* Qui ſic loquitur, iſtos omnes de quibus verba fecit, Chriſtianos eſſe apertiſſime ſtatuit, presbyteros, Diaconos, plebem, milites, Principes, Cæſarem. Si Cæſarem vis nondum fuiſſe tunc temporis Chriſtianum, ne Principes quidem ac milites, imo ne populum quidem, aut clerum aut Diaconos, aut presbyteros vllos tum fuiſſe neceſſe fuerit, qui Chriſtiani iidem eſſent. Tota hæc præceptio mere idealis erit, veluti Platonis de ſua republica leges, ac decreta. Quod cum ſit longe abſurdiſſimum; ergo velit nolit Mæſtræus, illud poſtremo quod nos diximus, confitendum eſt, ſcriptorem de Cæſare, deque Principibus loqui, qui vere jam tum Chriſtiani eſſent; adeoque poſt Conſtantinum vixiſſe, iis temporibus, quibus Imperatores eorumque miniſtri Chriſtianam plærique religionem profitebantur. Si quis plura contra illam Mæſtræi inficetam gloſſam deſideret, is vel Vedelium eam prolixe confutantem adeat, vel Vſſerium, quem [l] Vedelii argumenta referre ac deſcribere non piguit. Ego hoc vnum ex eodem [m] addam, Mæſtræo longe fuiſſe hac in parte candidiores Turrianum, [n] & quemdam ab eo memoratum Bobdorfenſis Monaſterii Priorem, Kilianum Leibum, quibus hæc de Cæſaris in Epiſcopum obſequio a.D.109. dici vſque adeo ſtultum & abſurdum viſum eſt, vt ea minime dubitaverint Ignatio Martyri fuiſſe affiction; *Quaſi vero* (inquiebat Leibus in epiſtola ad Cochlæum ſua) *mandare potuerit, aut debuerit, Traiano, Hadriano, Diocletiano, Maximino, Decio, aliiſque tot tyrannis Cæſaribus vt Epiſcopo eſſent obtemperantes.* Similis quoque ineptiæ eſt, quod idem ſcriptor alibi, [o] dum fidei de Domini carne ac cruce, neceſſitatem exaggerans, quemquam negat cujuſcumque ſit ordinis, abſque eius confeſſione poſſe ſervari, aliis quas recenſet, vitæ humanæ conditionibus *principalem* quoque & *Regiam*, ſive *Imperatoriam* adiicit. [p] *Nemo* (inquit) *ſe ipſum ſeducat. Si enim non crediderit Ieſum Chriſtum in carne fuiſſe converſatum, & confeſſus fuerit crucem eius, & paſsionem, & ſanguinem, quem effudit pro mundi ſalute, vitam æternam non conſequetur; ſive Rex ſit, ſive ſacerdos, ſeu Princeps, ſeu privatus, ſeu dominus, ſiue ſervus ſeu vir, ſeu mulier,* ὁ τῆς αἰωνίου ζωῆς τεύξεται, κἂν βασιλεὺς ᾖ, κἂν ἱερεὺς, κἂν ἄρχων, κἂν ἰδιώτης, κἂν δεσπότης, κἂν δοῦλος, κἂν γυνή. Rogo te, quid ineptius aut frigidius dici poteſt, ſi tum cum iſte hæc ſcriberet, nulli neque Principes, neque Reges, aut Imperatores, Chriſtiani erant? Ignatii autem temporibus nullos fuiſſe conſtat. Non ergo hæc ſcripſit Ignatius; quem nihil inepte, nihil non ſui ævi rebus conſentaneum ſcripſiſſe & ſcribere potuiſſe perſuadet noſtra de eius gravitate ac ſapientia opinio. Ne ipſe quidem ita ſcripſerat primus epiſtolæ auctor; ſed quædam longe alia; ipſa tamen etiam ſatis mira; [q] *Nullus*

erret

l *Vſſer. Proleg. ad Ignat. c.* 16. *p.* 119.

m *Vſſer. ibid. p.* 120.

n *Turrian. Explan. in Clem. Conſtit. Apoſt.* L. 6. c 17.

o *Ignat. ad Antioc. p.* 160.

p *Ignat. ad Smyrn. p.* 115.

erret (inquit) *Et ſupercæleſtia, & gloria Angelorum, & Principes viſibiles, & inviſibiles, ſi non credant in ſanguinem Chriſti, & illis iudicium eſt. Qui capit capiat.* μηδεὶς πλανάσθω. Καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ ἡ δόξα τῶν ἀγγέλων καὶ οἱ ἄρχοντες ὁρατοί τε καὶ ἀόρατοι, ἐὰν μὴ πιστεύσωσιν εἰς τὸ αἷμα χριστοῦ, κἀκείνοις κρίσις ἐστίν. ὁ χωρῶν χωρείτω. Quod hic de *Principibus viſibilibus* ſcriptor ideo fortaſſe dixerat, quod ejus ævo aliqua jam erat de Conſtantij, vel Conſtãtini ejus filii vel Chriſtianiſmo, vel ad Chriſtianiſmum propenſione ſparſa fama id interpolator ſolum arripuit, & crucis fidem Principi, neque Principi tantum, ſed etiam ipſi Βασιλεῖ *Imperatori* ad ſalutem neceſſariam eſſe dixit, quia ſcilicet ſub Principibus & Imperatoribus Chriſtianis vivebat. Cætera de Angelis dicta, vt obſcura, neque apud Eccleſiam vulgo audiri ſolita aſpernatus eſt: neque plane immerito: Illa enim ni fallor neſcio quid Origenicum ſapiunt. Hoc quippe eſſe Origenis dogma notum eſt, etiam Angelis ad ſalutem opus fuiſſe expiari Domini in cruce fuſo ſanguine; iiſque adeo fidem in Chriſti ſanguinem eſſe neceſſariam. Id primus quidem auctor ad effingendam illam, quam cupiebat, ſingularis cuiuſdam, & Archaicæ ſapientiæ ſpeciem aſſumſerat; ideoque illa addit. *Qui capit capiat.* Interpolator vero hoc prætermiſit; quod eo vt videtur, ſæculo viveret, quo odioſa erant & ſuſpecta omnia Origenica.

CAPVT XIII.

q *Ignat. Vſſer. ad Smyrn. p. 220.*

Sed & hic obſervare operæ pretium eſt quoddam huius ſcriptoris ab Ignatii vt videtur, ævo alienum interpretamentum. Cum in ea, quę eſt ad Romanos, *ſe* dixiſſet *alligatum decem leopardis*, diligenter docet, quid hoc ſit; *Vinctus* (inquit) *decem leopardis, quod eſt militaris ordo.* ἐνδεδεμένος δέκα λεοπάρδοις ὅ ἐστι στρατιωτικὸν τάγμα. Veritus eſt ſcilicet, ne Romani quid eſſent illi leopardi, a quibus ligatum ſe duci ſcribit, non intelligerent. Hoc vero Ignatius non eſſet veritus, cuius ævo omnibus, præſertim civibus Romanis, nota erat, & familiaris illa militum certi cujuſdam ordinis appellatio vulgaris. Sed cum res & rei nomen in vſu eſſe deſiiſſet, ducenteſimo poſt Ignatii mortem anno, quo tempore ſcriptæ fuiſſe videntur epiſtolæ, Ignatii ſimulator *leopardorum* quidem nomen ad antiquitatis ſpeciem retinuit; Sed ne ob obſcuritatem lectores turbaret, etiam interpretandum putavit; ac ſe ita nimia diligentia ipſe prodidit.

r *Ignat. Vſſer. ad Rom. p. 23.*

Ad hunc quoque cenſum pertinet, quod impoſtor ſuum Ignatium fingit ordines nondum in Eccleſia notos commemorare. [s] *Saluto* (inquit) *Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborãtes,* (τοὺς κοπιῶντας) *Exorciſtas, Confeſſores. Saluto cuſtodes ſanctarũ portarum.* At hi Martyris tẽpore nulli adhuc erãt. Primitiva enim Eccleſia ſolos majores ordines habuit, presbyteros ſcilicet, & Diaconos ſubdiaconos vero, & Acoluthos, adeoque exorciſtas, Lectores, & Oſtiarios procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit: vt eſt ab Vſſenio [t] ad hunc locum ex Lombardo [v] veriſſime obſervatum. *Copiatarum*, quos impoſtor nominatim dicit, *Foſſarios*, ſive *Veſpillones* ſignificans, nomen ſub Imperatoribus de-

s *Ignat. ad Antioch. p. 160.*

t *Vſſer. Proleg. c. 16 p. 115.*

u *Lombard. Sent. L. 4. d. 24*

Caput XIII. mum Chriſtianis diu poſt Ignatij tempora vſurpari eo ſenſu cœpiſſe planum eſt ex Conſtantii lege a. D. 360. lata, quæ de his infimi in Eccleſia ordinis miniſtris verba faciens, [x] *quos* (inquit) *Copiatas recens vſus inſtituit nuncupari*; vt eſt ab eodem Vſſerio ibidem animadverſum. Idem quoque Gerardus Ioannes Voſſius annotaverat. [y] Eiuſdem eſt ineptiæ, quod in epiſtola ad Philippenſes *Virginum collegia* memorantur, [z] quæ conſtat non niſi diu poſt Ignatium apud Chriſtianos inſtituta fuiſſe. *Saluto* (inquit) *congregationem Virginum*; τὸ σύστημα τῶν παρθένων. Atque hinc Baronius [a] illa Virginum monaſteria firmat, quæ vaniſſimus Metaphraſtes ſub Diocletiano jam apud noſtros fuiſſe in Nicomedienſium martyrum Actis ſcripſerat. Ille vero nugas de more agit, dum certa ex incertis convellit. Certum enim eſt ex veris, & indubitatis, quotquot extant, primæ ad a. D. 300. antiquitatis monumentis, nulla toto illo tempore apud noſtros fuiſſe monachorum, vel monacharum aſceteria, ſive monaſteria; nulla cœnobia, ſive ſyzzytia, vel (vt loquitur pſeudo Ignatius) *Syſtemata*; quod priori de Areopagiticis diſputatione; etiam Hieronymi & Chriſoſtomi teſtimonio conſtituimus. Ex hoc ergo, quod certum eſt ac perſpicuum, Baroniana ſapientia argumentari debuerat falſam eſſe, & illam de Philippenſium Virginum Ignatianis temporibus ſyſtemate epiſtolam, & hanc Metaphraſtæ de Nicomedienſibus ſub Diocletiano monaſterijs narrationem; non autem quod inepte facit, ex his duobus ſubleſtæ fidei teſtimoniis ſua monaſteria in mediam Apoſtolorum & proximorum diſcipulorum Eccleſiam inferre, & immittere, præter manifeſtam rerum, ſcriptorum, & temporum fidem.

x C. Theod. L. 16 tit. 2. de Ep. Eccleſ. & Cler. L. 15.
y Voſſ. L. 3. de vitijs Serm. c. 6 p. 399.
z Ignat. ep. ad Philip. p. 187.
a Baron. a D. 301. § 22. 21.

Neque vero melius eſt, quod eadem epiſtola quadrageſimæ meminit. [b] *Quadrageſimam* (inquit) *nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Domini converſationis.* τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε. μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας. quem idem Annaliſta locum magna, ſed inani vt ſolet, pompa circumvehit, atque oſtentat; hoc vno ſe contentum ac beatum prædicans; [c] neque enim *ſua* quidem *ſententia quemquam de his, quæ ab Apoſtolis agerentur ac per eos inde Eccleſiæ traderentur, S. Ignatio teſtem fideliorem adhiberi poſſe videri.* Fateor; ſi verum Ignatium haberemus. Quod enim Latinus Annaliſta ſtatim negat has, quas habemus, Ignatii nomine inſcriptas epiſtolas *vlla vnquam fuiſſe vel levi ſaltem labefactatas ſuſpicione, vt earum ſcriptore certior, aut dignior teſtis adduci nullus poſſit*; id inquam, quam temere, quam falſo, quam denique inverecunde dictum ſit, vel vnus hic locus apertiſſime oſtendit. *Quadrageſimæ* enim, quam epiſtola Philippenſibus commendat, neque res, neque nomen primis duobus Chriſtianiſmi ſæculis vſpiam apud illius memoriæ ſcriptores occurrit. & Tertulliani de jejuniis diſputatio, aliaque eiuſdem ævi non pauca vincunt nullam adhuc a. D. 212. fuiſſe apud noſtros quadrageſimam, nedum vt Apoſtolicis temporibus aliqua iam fuerit. Quæ quoniam ſunt alibi a nobis fuſe in propria de

b Ign. ad. Philip. p. 186.
c Baron. a. D. 57. §. 193. 194.

Qua-

CAPVT XIII.

Quadrageſima diſputatione [d] demonſtrata, hic iterum ea retractare nihil neceſſe eſt.

d *Libris 4. de jejun. & Quadrag.*

Huc etiam pertinet illa, quæ in epiſtola ad Philadelphienſes legitur, conſtitutio; [f] *Rogo vos in Domino, quicumque pœnitentes venerint ad vnitatem Eccleſiæ, ſuſcipite eos cum omni manſuetudine, vt per bonitatem & patientiam veſtram reſipiſcentes ex Diaboli laqueis, digni iam Ieſu Chriſto facti, ſempiternam ſalutem recipiant in regno Chriſti.* Pro quibus hæc in priore editione, Vſſeriana, in eundem ſenſum leguntur. [g] *Quotquot vtique pœnitentes veniunt in vnitatem Eccleſiæ, & iſti Dei erunt, vt ſint ſecundum Ieſum Chriſtum viventes.* His & illa conſentanea ſunt, imo etiam diſertiora, quæ paulo poſt ibidem ſequuntur; [h] *Omnibus pœnitentibus dimittit Deus, ſi pæniteant in vnitatem Dei, & concilium Epiſcopi.* Hoc de ſuſcipiendis ad pœnitentiam lapſis decretum Montaniſtas, & Novatianos aperte pulſat diu poſt Ignatium exortos. Obſervat autem Albaſpineus, Aurelianenſis Epiſcopus, [i] ipſius Eccleſiæ ante iſtorum tempora, diſciplinam ſeveriorem fuiſſe, quam vt lapſos ad pœnitentiam admitteret; a qua idololatras & homicidas, etiam Tertulliani ævo, id eſt ineunte tertio ſæculo, a noſtris excluſos fuiſſe conſtat. Itaque hoc vetuſtiſſimæ Eccleſiæ vſu fretus Albaſpineus Ignatiani noſtri ſimilem Clementinorum Διαταγέων [k] de admittendis ad pœnitentiam lapſis canonem negat [l] eſſe Apoſtolicum; negat ante Cyprianum ſanciri potuiſſe; quod illa demum tempeſtate admittẽdos eſſe lapſos decretum ſit. Si vera eſt doctiſſimi Epiſcopi cenſura, idem eſſe neceſſe eſt de hoc epiſtolæ noſtræ decreto, Clementini plane gemino, judicium; id ſcilicet poſt Cypriani tempora fuiſſe conditum; diu poſt Ignatii martyrium; Vnde ſequitur ſcriptorem Ignatio eſſe recentiorem, & ejus auctoris, quem ſimulandum ſuſceperat, tempora non ſatis accurate vel calluiſſe, vel certe attendiſſe. Neque in illis fœlicior fuit, quæ Ignatium ad Ioannem Apoſtolum ſcripſiſſe fingit. In primis obſervandum eſt Ignatium, quo tempore hęc ſcribit, fingi iam fuiſſe Epiſcopum, vt ex ipſo prioris epiſtolæ titulo deprehenditur; [m] *Ioanni Sancto Seniori. Ignatius, & qui cum eo ſunt fratres.* Quorum nomine ſcribit, & quibus ſe ipſum præfert, iis ille *fratribus* præfuit; eorum adeo Epiſcopus fuit. Neque eum veriſimile eſt, niſi hoc in Eccleſia munere eſſet ornatus, tam familiariter fuiſſe cum Apoſtolo acturum, imo etiam juſſurum ocyus eum venire; *Properes* (inquit) *venire, quia credimus expedire.* Iam tradit Nicephorus P. CP. [n] Petrum Antiochenæ Eccleſiæ præfuiſſe annos XI. Evodium poſt Petrum, annos XXIII. Poſt hunc demum, Ignatium annos non plures, quam quatuor, epiſcopatum geſſiſſe; Vnde eum liquet a. D. 102. nondum fuiſſe Epiſcopum, qui anno ſcilicet 107. martyrio functus Epiſcopus eſſe deſierit. Ex his videre eſt, quam ſtulte fingatur & ad Ioannem ſcribere, qui a. D. 99. e terris exceſſerat, & Iacobum Iuſtum cupere videre, [o] qui jam pridem a Iudæis lapidibus obrutus a. D. circiter 62. Martyrium fecerat, & B. denique Mariæ Virginis videndæ deſi-

f *Ign. ad Philad. p. 94.*

g *Ignat. Vſſer. p. 215.*

h *ibid. p. 216.*

i *Albaſp Obſerv. L. 2. c. 15.*

k *Conſt. Apoſt. L. 2. c. 15. & c. Apoſt. 9.*

l *Albaſp. obſerv. L. 1. c. 13. p. 38.*

m *Ignat. ad Ioan. ed. 1.*

n *Niceph. Cp. Chron.* Comp. 417.

o *Ignat. ep. 2. ad Ioann.*

CAPVT XIII.

deſiderio flagrare,[p] quæ a.D. (vt plurium ſententia eſt) XLVIII. mortua erat. Quod vero Baronius & alii hanc Nicephori traditionem, quam ipſe quoque ex Latinis Anaſtaſius ſequitur, ſollicare ac convellere non dubitant; eorum ego pace, vetera recentiorum argutiis & coniecturis antehabeo. Quamquam ne ſi alia quidem ſequamur, facile ſit hæc ſcriptoris a parachroniſmo & κακοπλάσῳ liberare. Sed iſtæ Ignatii ad Ioannem epiſtolæ tanti non ſunt, vt in iis revincendis diutius immorari operæ pretium ſit. Temporum quoque ſeriem a pleriſque veteribus traditam turbat, quod epiſtola & ad Epheſios,[q] & ad Antiochenos,[r] Oneſimum vtraque facit eo anno Epheſiorum Epiſcopum, ſive Paſtorem, quo Ignatius Romam vinctus ad martyrium abductus eſt. Nam vt ipſe obſervat Vſſerius,[r] neque a Græcorum Menæis, vel a Symeone Metaphraſte, hic agnoſcitur. Oneſimi Epheſinus epiſcopatus; & Oneſimus apud fictitium quidem, ſed veterem tamen, Conſtitutionum Apoſtolicarum ſcriptorem[s] non Epheſi, ſed Berrœæ epiſcopus fuiſſe ordinatus dicitur; & Dorothei Synopſis non hunc, ſed Gaium Timotheo in Epheſino epiſcopatu ſucceſſiſſe affirmat; aſſentiente, vt idem tradit Vſſerius, & Hippolyto in libello de LXX. diſcipulis inedito. Nicephorus denique Oneſimum ſub Domitiano multis ante Ignatii mortem annis, paſſum narrat.[t] Ex his auctoribus plane ridiculus eſt epiſtolarum ſcriptor, qui ab eo, quem ſimulat, Ignatio hominem ſalutari, ac velut viventem, & epiſcopatum gerentem memorari facit, qui quo tempore ipſe ſcribere fingitur, jampridem erat mortuus. Quod vero Baronius[v] Nicephorum plane errare dicit, id non alia, quam harum epiſtolarum auctoritate facit; quæ ſi Ignatii vere certoque eſſent, faterer earum potius, quam Nicephori & aliorum eſſe ſequendam fidem; Nunc cum dubias eſſe, & apocryphas ex aliis multis appareat, cur earum teſtimonium Nicephori & aliorum alia narrantium traditioni præferamus, nulla ratio ſuadet His certe favet ipſe ordo temporum. Cum enim Paulus in epiſtola ad Philemonem arguat jam tum cum illam ſcriberet (id eſt a. D. ut putant eruditi, 56. ævi maturum fuiſſe neceſſe eſt a. D. 109. aut certe 111. quo ex quorumdam ſententia paſſus eſt Ignatius, valde grandævum fuiſſe, & cum ipſe poſtea martyrium fecit, etiam grandiorem; centum aut certe nonaginta annorum. Atqui hanc Martyris ætatem, æque ac aliorum ſimilium obſervaturi erant ſcriptores, ſi ea vere paſſus eſſ. t Nullus obſervavit. Iunior ergo paſſus erat: adeoque ſub Domitiano potius, quam poſt annum Traiani duodecimum. Noſter Vſſerius[x] multo, de more, modeſtius, qui hæc vt ſoluat, ſuſpicatur duos fuiſſe Oneſimos, vtrumque Epheſi Epiſcopum; vnum ſeniorem, Pauli diſcipulum ſub Domitiano paſſum: alterum Gaii ſucceſſorem, Ignatio ſuperſtitem. Sed hæc ne admittantur, prohibet primo Bedæ, Adonis, Notkeri, & aliorum fides, qui iſtum ab Ignatio epiſtolico memoratum Oneſimum magno omnes conſenſu Pauli diſcipulum fuiſſe affirmant; ſecundo veterum auctorum penuria, quorum plane nemo eſt, qui tradat duos.

p ibid.

q Ignat. Vſſer. ep. ad Epheſ. p. 195 & ad Antioch. p. 161.

r Vſſer. Not. in ep. Ignat. ad Epheſ. Not. 9. p. 5.

s Conſt. Apoſt. l. 7 c. 48.

t Niceph. Call. l. 3. c. 11.

v Baron. Not. ad Martyr. Rom. d. 16. Febr.

x Vſſer. vbi ſupr.

duos ante Trajani obitum in epiſcopali ſolio ſediſſe Epheſi Oneſimos. CAPVT XIV.
Ex vno autem nomine duos, & quidem ejuſdem pæne ætatis, viros, ejuſdemque vrbis Epiſcopos, nullo de antiquis auctore, nullo teſte, nulla alia de cauſſa facere, quam vt nos aliqua animi noſtri ſtudiis adverſante difficultate liberemus id, vt mihi quidem videtur, periculoſiſſimum eſt, & fovendæ fabulatorum audaciæ valde commodum; quorum etiam abſurdiſſima commenta, admiſſa ſemel hac libertate, nullo negotio defendi poterant. Longe ſatius ac tutius eſſe duco hanc ceteri Ignatiis epiſtolici κακοπλαςίαις annumerari, quam illam fabulatorum temeritati portam aperiri.

CAPVT XIV.

Argumentum adverſus Ignatiana. XX. Quod ſcriptor epiſcopos ſupra Reges & Imperatores efferat, contra Pauli, & antiquiſſimæ ad tertium ſæculum Eccleſiæ fidem. Argumentum XXI. Quod idem ſine epiſcopo & presbyteris vllam conſtare poſſe Eccleſiam negat; quod & a vetuſtiſſimorum Chriſtianorum placitis, & a recentium Hierarchicorum dogmate alienum eſt. Argumentum XXII. Quod ſcriptor de diebus vel feſtis, vel eſurialibus leges fert cum Apoſtolicis decretis apertiſſime pugnantes. Argumentum XXIII. Quod idem pœnas in ſuarum ſtraminearum legum violatores decernit ab Apoſtolica, imo & ab omni Chriſtiana lenitate abhorrentes. Argumentum XXIV. Quod ſcriptor graviſſima pœna eos afficit, qui Paſcha eo modo, ac ritu celebrarent, quo id & ipſum Ignatium, & Polycarpum, & omnes Syros, atque Aſianos primis temporibus celebraſſe conſtat. Halloixij impudens ad Ignatianam Legem gloſſa refellitur.

SEd præter temporum fidem, alia multa in epiſtolis occurrunt a perſonæ, cui affinguntur, vel moribus, vel dignitate, vel ingenio, vel pietate aliena, quæ auctorem apertiſſime produnt alium eſſe, quam qui fingitur. Ignatius, cuius ſcriptor perſonam aſſumpſit, Epiſcopus fuit Antiochenus, Apoſtolorum idem diſcipulus, tanta in Chriſtum pietate, vt crudeliſſimos pro ejus nomine cruciatus, mortemque acerbiſſimam perferre minime dubitaverit. Talis viri nemo credo negaverit & ingenium modeſtum fuiſſe, & orationem gravem, ac prudentem; & temporibus opportunam, & fidem rectam, & pietatem magna cum caritate conjunctam, & rerum divinarum atque Eccleſiaſticarum cognitionem tum præceptoribus Apoſtolis, tum Antiochenę Eccleſiæ ipſi commiſſo magiſterio dignam. Hanc tam ſingularem ideam ſic effingere vt ab eius lineamentis nuſquam deflectas, non eſt profecto cujuſvis artifi-

Caput XIII.

cis. Itaque non miror noſtrum ſæpiſſime in ea repræſentanda aberraſſe. Illud miror non modo Euſebium, & Hieronymum, qui ad hæc penitus exploranda non videntur magnam attuliſſe animi attentionem, ac diligentiam; ſed & Latinos plæroſque, & ex noſtris etiam quoſdam præſtantiſſimos, qui in hanc curam ſummo ſtudio quadam ob diſſentientes neceſſitate compulſi incubuerunt, hunc tam ab Ignatii forma alienum ſcriptorem pro vero germanoque Ignatio habere potuiſſe. Nam vt hinc ordiar, illud ab Apoſtolica doctrina, vel fatente optimo ac doctiſſimo Vſſerio, alienum eſt, quod iſte vna cum Pſeudo-Clemente, vt ſupra iam attigimus, regno ſacerdotium, Regibus epiſcopos præfert;

y *Ignat. ad Smyrn. p.* 118.

[y] *Honora* (inquit) *Deum, vt omnium auctorem & Dominum; Epiſcopum autem, vt Principem ſacerdotum, imaginem Dei referentem, Dei quidem propter principatum. Chriſti verò propter ſacerdotium. Poſt hunc honorare oportet etiam Regem.* Quo pertinet illud, quod paulo poſt decernit, dogma;

z *ibid. p.* 119.

[z] ἱερωσύνη γάρ ἐστι τὸ πάντων ἀγαθῶν ἐν ἀνθρώποις ἀναβεβηκός. *Sacerdotium enim eſt omnium bonorum, quæ in hominibus ſunt apex.* Atqui Paulus longe aliud ſtatuit,

a *Rom.* 13. 1. 4.

b *Act.* 25. 11.

[a] qui omnem animam, adeoque etiam epiſcopum, *poteſtatibus ſublimioribus*, & quidem *gladium portantibus, ſubiectam eſſe* iubet; quiq; preceptũ exẽplo ſuo ſancivit. Cũ enim eſſet omni Epiſcopo in Eccleſia Dei longe eminentior, ad Cęſarem tamen, veluti ad ſuũ judicem, ſeque adeo ſuperiorem appellavit; vt teſtatur in Actis Lucas. Proximam Apoſtolorum ad tertium vſque ſæculum, Eccleſiam eadem quoque ſenſiſſe Tertullianus locupletiſſimus teſtis eſt, qui de ſe, & de cæteris Chriſtianis loquens;

c *Tertull. ad Scap. c.* 2. *p.* 86.

[c] *Colimus* (inquit) *Imperatorem, vt hominem a Deo ſecundum, & quicquid eſt a Deo conſecutum, & Solo Deo minorem.* Tum; *ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Abſurdum eſt qui Apoſtolicæ huic & apud Eccleſiam ſecundi ſæculi apertiſſimæ veritati contraria ſcribit, eum Ignatium fuiſſe credere Apoſtolorum diſcipulum, & Chriſtianorum ſecundi ſæculi præceptorem ſanctiſſimum.

d *Ignat. ad Trall. p.* 207.

Sed neque veriſimile eſt Ignatium illa, quæ ſupra ex epiſtola ad Trallianos recitavimus, ſcripſiſſe *ſine Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis Eccleſiam non vocari.* Id enim non modo cum Tertulliano, contrarium diſertiſſime, vt ſupra diximus, decernente, ſed etiam eum Alexandrinæ per illa tempora, & Æthiopicæ ad hodiernum vſque diem, Eccleſiæ judicio pugnat, quæ Eccleſias vtraque multas in Ægypto, & in Æthiopia ampliſſimas abſque vllo ſingulari Epiſcopo a ſolis Presbyteris adminiſtratas ac gubernatas agnovit, vt ſupra oſtendimus. Quid, quod illa lex, etiam doctiſſimi Hammondi, quantumvis ſtudioſi Ignatianorum patroni, & aliorum multorum eadem ſentientium, & quidem quorumdam Latinorum vtiliſſimam, ac pæne in tota Hierarchiæ cauſſa præcipuam, hypotheſin evertit? Hi enim omnes ſtatuunt primis Apoſtolorum temporibus Eccleſias Chriſtianas plurimas, ac pæne omnes fuiſſe, vere proprieque ſic dictas, ſolo Epiſcopo cum aliquot Diaconis contentas abſ-

que

que vllo ſecundi (vt vocant) gradus presbytero? At Ignatianus legiſlator, ad hoc vt aliquot Chriſtianorum corpus Eccleſia,& dici,& eſſe poſſit, requirit, vt non modo Epiſcopum & Diaconos, ſed etiam Presbyteros habeat; qui ſine his ſcilicet, Eccleſiam vocari negat. Nam vt hæc eius verba diſiunctive ſumantur; ſic vt etiam ea Eccleſia vocari poſſit, quæ vnum quemvis ex iſtis tribus gradibus habeat, etiamſi aliis careat, nemo (vt opinor) paſſurus eſt Hierarchicorum, qui Eccleſiam cenſeri, quæ ſolum habeat Diaconatum vetant. Ergo ipſi quoque confiteri debent ſuum iſtum epiſtolarum ſcriptorem nihil minus eſſe, quam Ignatium; qui ex ipſorũ quidem ſententia primis, veriſſimis, puriſſimis, ac cęterarũ omniũ matricibus Eccleſijs Apoſtolici ſcilicet ęvi pęne omnibus) ipſum Eccleſiæ nomen arripit; quod profecto Martyrẽ Ignatiũ, ipſarum illarũ Eccleſiarum alumnum, facturum fuiſſe, nemo crediderit.

CAPVT XIII.

Præterea erat hæc certiſſima Apoſtolorum diſciplina, ne quiſquam fideles *in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti aut neomeniæ aut ſabbatorum iudicet, vel condemnet*; item *ne homines Chriſtiani iterum ad infirma, & egena elementa convertantur, vt ijs denuo ſerviant, dies obſervantes, & mẽſes & tempora, & annos.* [f] Quid noſter epiſtolicus Ignatius? Ille vero hæc palam refigit, & plane alia decernit. Dies feſtaque ſervari vetat Paulus; Noſter quid? De feſtis quidem ita; *feſta* (inquit) *nolite ſpernere*, vel *ſine honore tranſmittere.* τὰς ἑορτὰς μὴ ἀτιμάζετε. Dies vero audi quam multos ſervari præcipiat; primo *quadraginta* illos ante Paſcha eſuriales; tum quartam ſextamque feriam ieiunio, ſabbatum & dominicam prãdio neceſſario obſervari vult; [h] *Quadrageſimam* (inquit) *nolite pro nihilo habere. &c. Quarta feria, & ſexta jejunate* [i] &c. *Quicumque Dominicum aut ſabbatum ieiunaverit præter vnum ſabbatum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector.* Sed & paucis interiectis: *Quicumque* (inquit) *cum Iudæis Paſcha egerit, aut ſolennia dierum feſtorum eorum ſuſceperit; communis eſt eis, qui Dominum & Apoſtolos eius occiderunt.* In his autem poſtremis verbis non eſt hæc mens, vt Paſcha a noſtris ſervari ſimpliciter vetet, veluti rẽ Iudaïſmi quidẽ propriã, a Chriſtianiſmo vero alienã; minime vero. Vult quod omnes & vident & fatẽtur, Paſcha quidẽ a Chriſtianis religioſiſſime ſervari; ſed ſeorſũ tamẽ a Iudæis, hoc eſt non præciſe, vt apud iſtos fit, quartadecima primi mẽſis Luna; Omnia vt ex Pauli paulo ante recitatis legibus patet Apoſtolicę diſciplinæ plane aduerſa, ac contraria Primo dies ſervari, quod Paulus egenis Iudæorũ elementis, & Moſaicę ſervituti deputat, noſter enixe pręcipit; & multos nominatim, hos jejunio, illos lætitiæ, ac feſtivitati ſeponit. Paulus vetat nos a quoquam ob non ſervatum aliquod feſtum, damnari. Iſte feſta, quod honorari & coli præcipit, eo ipſo ſecus inſtituentes damnat. Paſcha noſtrum Paulus nullum aliud novit, quam *Chriſtum pro nobis immolatum.* Paſchalem aliquam diem Chriſti vel paſſioni, vel reſurrectioni ſacram ac neceſſario feriandam, nullam ſcivit; nullam commendavit, imo diem huiuſmodi de Chriſtianiſmi religione hoc ipſo apertiſſi-

e *Col.* 2. 16.
f *Gal.* 4. 10.
h *Ign. ad Philipp.* p. 186.
i *Id ibid* p. 187.

CAPVT XIV.

apertiſſime expunxit, quod eam; dum dierum ſervatores Galatas cædit, nullus excepit. Sed Apoſtolicæ diſciplinæ non minus repugnat legiſlatoris noſtri in damnandis legum ſuarum reis atrocitas, quam in legibus ipſis ferendis temeritas. Qui Moſaïca vel Moſaïcorum, gemina de cibis, deque diebus, & aliis interdicta Chriſtianis præciperent, ac veluti ex divina lege ad ſalutem neceſſario obſervanda eſſe contenderent, in eos Paulum fateor, acriter, vt dignum erat, vbique invehi, & velut Eccleſiæ perturbatores ac Chriſtianiſmi everſores oppugnare, vt ex iis patet, quæ & alibi non ſemel, & potiſſimum in epiſtola ad Galatas a divino viro diſputata ſunt. Qui vero abſque hoc typho ex quadam conſcientiæ infirmitate, quod eſſent a teneris Moſaïcæ diſciplinæ aſſueti, aliqua legalia ſervarent quidem ipſi; cæterum neque quemquam eadem obſervare cogerent, neque ab iis abhorrerent, qui libertate nobis a Chriſto parta vti fruique mallent; hos inquam, videmus Paulum adeo non refugere, aut decretoriis ſententiis percellere, ac velut alienos inſectari, & a ſe ſuiſque repellere; vt eos plane contra, ferendos, magnaque lenitate, ac caritate fovendos, in epiſtola ad Romanos, & alibi non ſemel præceperit.[k] Et hanc noſtrorum in Iudaizantes manſuetudinem exemplo ſuo ad ſua tempora manſiſſe, teſtis eſt locupletiſſimus, qui Tryphoni roganti, quid de eo eſſet ſtatuendum, qui Ieſum quidem Chriſtum eſſe norit, ac credat, eique pareat,[l] ſed iſta inſuper lege Moſis præcepta ſervare velit, ita reſpondet; *Vt mihi quidem videtur o Trypho ſaluatum iri talem aio, ſi alios mortales (eos autem dico, qui ex gentibus per Chriſtum ab errore, & ſeductione circumciſi ſunt) omni ſtudio in ſententiam ſuam adducere anniſus non fuerit; non ſervatum eos iri affirmans, niſi eadem ſecum obſervaverint.* Ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ ὦ Τρύφων, λόγος ὅτι σωθήσεται ὁ τοιοῦτος ; ἐὰν μὴ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, λέγω δὲ τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν διὰ τοῦ χριστοῦ ἀπὸ τῆς πλάνης περιτμηθέντας, ἐκ παντὸς πείθειν ἀγωνίζηται ταυτὰ αὐτῷ φυλάσσειν, λέγων οὐ σωθήσεσθαι αὐτοὺς, ἐὰν μὴ ταῦτα φυλάξωσιν. Quibus plura in eandem ſententiam magna (vt mihi videtur) obſervatione digna adiicit; ſeque negat eos laudare, qui de his aliter ſentiant; quales eſſe ex Chriſtianis aliquos non diffitetur. Videamus nunc quam belle ad hanc Paulinam & Iuſtinianam lenitatem collineent noſtri Draconis voces. Illi vero quicumque *vel ſabbato, & Dominico ieiunaverint*, vel *cum Iudæis Paſcha celebraverint*, quacumque de cauſſa id fecerint, omnes nullo diſcrimine Chriſti interfectores, & Chriſti interfectorum communicatores eſſe pronuntiat. Potuit-ne quicquam vel dirius vel a Paulinæ lenitatis exemplo, atque præcepto magis alienum dici? Itaque cum non Ignatium modo ipſum, ſed & omnem illius temporis recens ab Apoſtolis ſatam, atque irrigatam Antiochenorum Eccleſiam, in ſanctiſſimorum Magiſtrorum doctrina ad Traianum permanſiſſe veri ſit ſimillimum; ab ea tam brevi deflexiſſe plane abſurdum ſit, atque incredibile; abſit, vt ego non dico Ignatium, ſed vel vllum Chriſtianorum, qui tum erant Antiochiæ, epiſtolas illas ſcripſiſſe putem, in quibus non abſque

k Rom. 14. 1. 2. 3. 4. 5.

l Iuſt. adverſ. Tryphon. p. 206 lin. 14.

CAPVT XIV.

abſque aliquo animi horrore lego leges cum omni Apoſtolorum & diſciplina & manſuetudine, tam aperte pugnantes. Sed hæ epiſtolici Ignatii leges non modo cum illa prima Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum ab omni vllius diei religione libera diſciplina, ſed & cum proximorum poſt Apoſtolos, Chriſtianorum ritu apertiſſime pugnant. Quod enim Apoſtolos eorum ſucceſſores vidiſſent Paſcha, non quidem vlla in ipſam diem religione, ſed quadam ad Iudæos & Iudaizantes συγκαταβάσει, ne eos oſtenderent, pro ſua illa lenitate & charitate ſervare; eo factum eſt, vt ipſi quoque eadem ſequerentur. Atque ita contigit, vt is Paſchalis ritus latiſſime apud noſtros omnes diffunderetur; ita tamen, ut primo ex mera charitate obtineret, nō ex aliqua certa ac neceſſaria lege; idque vel hinc videre eſt, quod res non vno modo, ſed ab aliis, atque alijs diverſe obſervaretur. Siqua enim eſſet de Paſchate ſervando ab Apoſtolis lata lex, ea apud omnes vniusmodi fuiſſet. Nunc conſtat vetuſtiſſimos, Apoſtolicæque diſciplinæ obſervantiſſimos Paſcha jam inde (a primis temporibus ſervaſſe; Aſianos quidem, & vicinos Syros cum Iudæis, quartadecima primi menſis luna, in quancumque hebdomadis feriam incideret; Romanos vero, & Paleſtinos, & alios plurimos die ſemper Dominica, non alia vlla feria. Atq; hęc quidem primo diverſitas nullam apud noſtros litem, aut ſciſſionem peperit, cum omnes agnoſcerent, rem eſſe per ſe mediam, atque indifferentem; quam nihil ad ſalutem referret hoc potius quam illo modo ſervari, imo ne ſervari quidem ex veris & indubitatis Chriſtianiſmi legibus neceſſe eſſet. Ita ſenſiſſe antiquiſſimos inde conſtat, quod Xyſtas, Teleſphorus, Hyginus, Pius, & Anicetus, Vetuſtiſſimi Eccleſiæ Romanæ epiſcopi diverſa a Iudæis die Paſcha agentes ſanctam nihiloſecius cum Polycarpo, & aliis Aſianis eadem cum Iudæis die Paſcha celebrantibus communionem, pacemque indivulſam ſervarent. Sed cum noſtri labente tempore quem ab omnibus vbique ſervari Paſchatis ritum videbant, eum legitimum eſſe, & in religione neceſſarium (vt fere in his fieri ſolet) facile ſibi perſuaſiſſent, eo factum eſt vt aliqui tandem illam in re, quam pro neceſſaria habebant, diverſitatem ferendam minime putarent. Primus hujus erroris, ac diſſidii auctor erupit Victor, Romæ Epiſcopus, qui ab a.D.194. ad 203. ſedit. Is acceptam a majoribus ſuis conſuetudinem præferens, Aſianos cum Iudæis Paſcha agentes primo pulſare, terrere, denique excommunicare ἀκοινωνήτους ἀνακηρύττειν cœpit. Sed iſte eius conatus irritus, vt apparet, fuit. Tenuerunt Aſiani & Syri ſuum ritum; neque ritus diverſitas cuiquam fraudi fuit. Manſit hoc inter noſtros in Paſchatis die diſcrimen ad Synodum vſque Nicænam, cujus lex de Paſchate die Dominica agendo ab omnibus Eccleſiis quodam vnitatis ſtudio ſuſcepta eſt. Clara omnia ex Polycratis Epheſii, * & Irenæi Lugdunenſis, † Victoris æqualium epiſtolis; & ex Athanaſii, Alexandrini, ac Chryſoſtomi Antiocheni luculentiſſimis teſtimoniis. Ille enim Syros Paſcha cum Iudæis ad Nicænam Synodum egiſſe tradit; [a] Hic

* *Polycr. apud Euſ. L. 5. c. 24.*
† *Ibid.*
a *Athan. de*

Caput XIV.

Syn Arim & Sel p.872. C. T. 1. & ep. ad Afric. p.933. B. T.1.

b Chryſoſt. Hom. 52. in eos qui Paſch. prim jejun. T.5 in V.T. 611. D. 612. A. 613. A.

vero ſuos Antiochenos fatetur olim quoque ita inſtituiſſe; Nicænæ demum definitioni, concordiæ amore, ceſſiſſe. *Obſervationi temporum (inquit) concordiam prætulimus.* προετιμήσαμεν τὴν συμφωνίαν τῆς τῶν χρόνων παρατηρήσεως. [b] Iam ex his, quæ conſtant, neque vlla arte convelli poſſunt, liquet & Polycarpum ſummum Ignatii amicum, & cæteros Aſianos, imo ipſum etiam, ſi Polycrati credimus, Ioannem Apoſtolum, & Syros omnes, potiſſimum Antiochenos, Syrorum caput, ipſumque adeo Ignatium, Antiochiæ Epiſcopum omneſque eorum ad Nicænam Synodum ſucceſſores Paſcha cum Iudæis egiſſe. Iam ſpecta quale jecur impoſtori illi noſtro epiſtolico fuerit, qui ſuum Ignatium ita decernentem inducit; *Siquis cum Iudæis Paſcha egerit, is Chriſti interfectorum communicator eſt.* Atqui tuus ille cariſſimus amicus, Ignati, Polycarpus; tuus præceptor, divinus Ioannes; tui cives Antiocheni, tui omnes Syri Paſcha cum Iudæis agunt; Tu denique ipſe, qui te Syrorum gloriaris eſſe Epiſcopum, non aliter quam cum Iudæis agis. Iſti-ne ergo omnes tui, tuque ipſe cum iis, interfectorum Chriſti communicatores eſtis? Sed quid Ignatium vexamus? Nullæ profecto eius ſunt, nullæ eſſe poſſunt, tam abſurdæ, tāque ab omni eius fide, dignitate, charitate alienæ voces; Hæ quas ejus nomine venditari videmus, impoſtoris ſunt, non modo nequiſſimi & improbiſſimi, ſed etiam ſtultiſſimi ac craſſiſſimi; qui res in publica Eccleſiaſticæ hiſtoriæ luce, etiam hodie, tam multis poſt Ignatiana tempora ſæculis extantes neſcivit. Sed ecce hæc cæcitatis atque inſcitiæ prodigio aliud pæne etiam turpius audaciæ ac temeritatis monſtrum nobis hoc loco edit Ieſuita Halloixius. Is enim non modo Polycarpum & cæteros Aſianos ac Syros agnoſcens Paſcha ad Nicæna tempora cum Iudæis egiſſe; ſed & ipſum Petrum, dum Antiochiæ fuit, & eius ſucceſſorem Evodium & ipſum denique Ignatium eundem morem ſervaſſe concedens; idem tamen pertendit Ignatii vere eſſe hanc legem. *Siquis Paſcha cum Iudæis egerit, is Chriſti interfectorum communicator eſt.* Ergo-ne inquam, & ſe & Petrum ipſum Ignatius Chriſti parricidis aggregavit? Minime vero, inquit. Non enim hæ voces, *Paſcha cum Iudæis agere*, id ſignificant, quod *vos rerum & hiſtoriarum ignari putatis, eadem cum Iudæis die Paſcha agere*; ſed quiddam longe aliud quod neque Ignatius, neque Petrus, neque piorum quiſquam fecit, neque vero fieri fas putavit; nempe *in eadem menſa cum Iudæis Iudaïcæ agnum edere, aut eius partes ad ſe miſſas manducare.* Hæc eſſe veriſſima Ignatianus magiſter dejerat; hæc ſe *certis & inexpugnabilibus rationibus* conſtituiſſe gloriatur. Digna profecto homine Ieſuita Confidentia. Nos vero tametſi *rerum & hiſtoriarum ignari*, ſcimus tamen vetuſtiſſimos Eccleſiæ ſcriptores ita loqui ſolere, vt eos *Paſcha cum Iudæis agere* dicant, qui id eadem cum Iudæis die agunt, licet neque ad eandem cum Iudæis menſam accumbentes, neque ex eiuſdem agni particulis eſitantis. Athanaſius de Syris, Cilicibus, & Meſopotamianis Chriſtianis, ante Nicæna tempora; μετὰ τῶν Ἰουδαίων (inquit) ἐποιοῦντο Πάσχα τῷ καιρῷ ἐν ᾧ

Hall. Illuſtr. Eccl. Orient. ſcript. T.2. Not. ad c. XI. vitæ Iren. & T.1. in vita Iren. c.22.

Athan. de Syn. Arim. & Seleuc. p.872. D.

ποιοῦσιν

CAPVT XIV.

ποιοῦσιν οἱ Ἰουδαῖοι ἐποίουν καὶ αὐτοί. *Paſcha quo tempore agunt Iudæi, eodem ipſi quoque agebant.* Canonum Apoſtolorum conditor; *Siquis feſtum cum Iudæis egerit*, εἴ τις ἑορτάζοι μετὰ Ἰουδαίων, id eſt *ſiquis Paſcha cum iis egerit.* Et in Conſtitutionibus; vetat noſtros μετὰ Ἰουδαίων ἑορτάζειν, *feſtum* (id eſt Paſcha) *cum Iudæis celebrare.* In his, *cum Iudæis paſcha*, vel *feſtum agere* eſt eadem cum Iudæis die Paſcha agere; non ad eandem menſam, vel ex eodem agno. Quidni ergo eadem verba in epiſtola Ignatio afficta eodem ſenſu ſumantur? Nam ἐπιτελεῖν πάσχα, quod in epiſtola legitur, *Paſcha agere*, idem eſſe cum Athanaſiano illo πάσχα ποιεῖσθαι *Paſcha facere*, & cum Clementino ἑορτάζειν, *feſtum agitare*, ſatis omnes vident. Noſter vero *rerum & hiſtoriarum* arbiter Halloixius auctores edere debuerat Eccleſiaſticos, qui illam Ignatii epiſtolici phraſin de Chriſtianis loquens, eo, quo ipſe vult, ſenſu vſurpaverit; qui inquam, aliquos Chriſtiani nominis homines *Paſcha cum Iudæis agere* dixerit, vt ſignificaret eos Paſcha cum Iudæis *ad eandem menſam accumbentes*, *& ex eodem Agno veſcentes, agere.* Atqui nullum qui ſic in hoc argumento ſit locutus, edidit; nullum (quod equidem ſciam) quem ederet, habuit. Faceſſat ergo ille cum ſuis *rebus atque hiſtoriis*; quarum quantalibet ſcientia neque ei, neque alii cuiquam id juris dare poteſt, vt ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſermonem præter communem eorum vſum ad ſuam libidinem interpretetur. Hęc præter verba quæ ad ſenſum inuſitatum torquet ſumma accedit rei ipſius, quam inducit, abſurditas. Nam epiſtolę ſcriptor, qui tanta cũ vehementia in *iſtos Paſchatis cum Iudæis obſervatores*, detonat, *Chriſti parricidarum communicatores* exſerte pronuntians, hoc ipſo ſatis ſignificat ſuo ævo fuiſſe ex noſtris multos, fuiſſe ſaltem aliquos, huius culpę reos. Non enim credibile eſt, ſi nulli eſſent, tam dirum carmen fuiſſe in eos conditurum, ac de nihilo, *fluctus* quod aiunt, in ſimpullo excitaturum. Dicat vero nobis Halloixius, vbinam vnquam iſti Iudaïci vervecis liguritores, & menſæ recutitorum aſſectatores apud Chriſtianos fuerint? Quo loco? Qua in gente? Quo ſæculo? Qui Luna XIV. cum Iudæis Paſcha agerent, nos *rerum ac hiſtoriarum ignari* plurimos ex veterum monumentis dabimus & in Syria, Cilicia, Meſopotamia, & in Aſia, & in ipſa Ignatii vrbe Antiochia. Halloixius tantus *rerum & hiſtoriarum* promus condus ne vnum quidem ex priſcorum libris edere poteſt Chriſtianum, qui ad Paſchalem Iudæorum menſam diſcubuerit, & carnes ex eorum Agno eſitarit, quive iſtic vel diſcumbere vel veſci vna cum iis fas fuiſſe homini Chriſtiano putaverit. Ita Halloixius Ignatium ſuum facit aërem nequicquam verberare, & grandes ac terribiles voces abs re nullaque de cauſa, inſanorum inſtar profundere; atque ita mavult ſanctiſſimum Martyrem manifeſtæ ſtultitiæ infamia aſpergere, quam quod res eſt, fateri, iſtum qui ſic loquitur, plane alium eſſe, quam Martyrem. O durum, & in vera invictum Loyolitarum genus! Mitto aliam Halloixiani commenti ſatis a doctiſſimo Vſſerio confutatam ineptiam; quod fingit homo vaniſſimus Chriſtia-

Id. ep. ad Afric. p. 933. B.
Can. Apoſt. 70.
Conſt. Apoſt. L. 5. c. 16.
Exod. c. 12. 45. 46. 48.

CAPVT XIV.

nos a Iudæis ad Paſchalem ſuam menſam vnquam admiſſos agnum ſecum comeſturos; vel ab his ad illos partes toſti agni aliquando miſſitatas; quæ totidem ſunt apud omnem recutitorum gentem inaudita; vni iſti Ieſuitæ ſomniata, portenta. Iudæis enim, quis neſcit diſerta Moſis lege vetitum eſſe ne vel ipſi advenæ & mercenarii apud eos degentes, ex Agno illo ederent? & ſiquis eſſet incircumciſus, ne ex eo veſceretur, neve *ex eius carnibus* quicquam *foras efferretur?* Nimirum juſtiſſimo Dei judicio accidit, vt Ieſuita dum veteris impoſtoris τὸ κακόπλαστον purgare iniquo animi ſtudio ſatagit, ipſe in aliud non minus abſurdũ κακόπλαστον inciderit. Neque enim impune rem Dei, veritatem a quoquam Violari licet. Quod vero Halloixius illa σύμβολα τῶν Ἰουδαίων, *ſymbolo*, vel *ſolennia feſti* Iudæorum, vrget, quæ epiſtolicus Ignatius *ſuſcipi* a ſuis prohibet, ea nihil eius cauſam promovent. His enim verbis ſcriptor, non agni toſti particulas (quas delirat Halloixius) ſed *azyma* intelligit; quæ noſtri a Iudæis ſuſcipere & in Canonibus Apoſtolorum, & in Laodicena, & diu poſtea in Trullana Synodo diſerte vetantur, vt eſt a præſtantiſſimo Vſſerio fuſe demonſtratum. Ergo vt eo vnde diſceſſimus redeamus, illud poſtremo confitendum eſt fieri nequaquam poſſe; vt qui Chriſtianos cum Iudæis Paſcha agentes devovet, epiſtolæ ſcriptor, is vel Ignatius ſit, vel homo ſecundi aut tertii ſæculi, cum toto illo tempore conſtet omnes Aſiæ & Syriæ Eccleſias Paſcha cum Iudæis egiſſe, neque tamen eo nomine a cæteris diverſi hac in parte moris Eccleſiis excommunicatas, aut denotatas fuiſſe.

Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 14. p. 98.

Can. Apoſt. 7. & 70. Syn. Laod. c. 38. Concil. in Trul. c. 11.

CAPVT

CAPVT XV.

Argumentum XXV. Quod quam ſcriptor præcipit, feſtorum obſervationem, ea non modo ab Apoſtolorum, ſed etiam ab Eccleſiæ ſecundi ſæculi, quo ineunte paſſus eſt Martyr, moribus ac diſciplina abhorrere videatur. Argumentum XXVI. Quod ſabbati veluti feſti, præcepta a ſcriptore celebratio, ea & a vetuſtiſſimorum Chriſtianorum, & ab ipſius impoſtoris, qui primas epiſtolas Martyri ſubdidit, ſententia aliena ſit. Hammondi lapſus. Argumentum XXVII. Quod quæ ſcriptor de certis ſtatiſque diebus præcipit, quibus vel ieiunare, vel prandere, in perpetuum neceſſe ſit; ea ab Eccleſiæ ad a.D.200. antiquiſſimæ inſtitutis aliena ſint. Argumentum XXVIII. Quod ſcriptor ullo (niſi uno Paſchali) ſabbato ieiunantis Iudæis aggregat, id & ſtultum & frivolum, & ab omni vetuſtiſſimæ Eccleſiæ, & ab ipſis Latinorum novis ſatis eſſe plane penituſque alienum. Latinorum variæ, ſed vaniſſimæ de hac Pſeudo-Ignatii lege exceptiones diſcutiuntur ac refelluntur.

Idem eſt alterius de feſtis in eadem ad Philippenſes epiſtola legis ingenium *Dies feſtos nolite dehonorare.* Τὰς ἑορτὰς μὴ ἀτιμάζετε. Nulla enim apud noſtros feſta fuiſſe, non modo Apoſtolicis temporibus (quod nuper demonſtravimus) ſed ne primo quidem ſæculo, aut ſecundo (quo ineunte vixit Ignatius) etiam adulto, ſatis vt videtur, ex veteribus libris conſtat. Nam & ex Origene diſcimus. Celſum Hadriani temporibus exprobraſſe noſtris, quod *publicorum* ſive *ſolennium feſtorum nulli eſſent participes* & Tryphonem Iudæum iiſdem circa annum D. 150. apud Iuſtinum objicientem legimus, quod *neque feſtos dies, neque ſabbata ſervarent,* μήτε τὰς ἑορτὰς, μήτε τὰ σάββατα τηρεῖν. Iuſtinum vero ad hanc Tryphonis objectionem ita reſpondere videmus, vt nulla a noſtris feſta Iudaicorum loco inſtituta, aut celebrata reponat, & Origenem Celſo reſpondentem non obſcure concedere nulla apud nos proprie dicta feſta fuiſſe; Dominicas, Paraſcevas, Paſcha, & Pentecoſtem haberi quidem apud nos, ſed in vulgi tantum gratiam, & eorum, *qui credentes videntur magis quam ſunt, qui vel non poſſunt, vel nolunt quotidie feſtum agere*; quod eorum eſſe dixerat, *qui perfecti ſunt Chriſtiani.* Atque huic iſtius doctrinæ conſentanea ſunt, quæ Clemens eius præceptor, jamdudum ſecundo ſæculo præcipiti ſcripſerat, nos Deum & ſervatorem colere juſſos eſſe *non* (inquit) *ſelectis quibuſdam & eximiis diebus,* ἐν ἐξαιρέτοις ἡμέραις *vt aliqui alii* (Iudæos autem ni fallor, dicit) *ſed continenter per totam vitam hoc agentes, & omnibus modis. Vnde* (inquit) *nec in definito loco, neque in templo ſelecto, neque diebus aliquibus*

Orig. contr. Celſ. C.8.p.403
Iuſt. Dial. cum Tryph. p. 175. l. 36.
Clem. Alex. Strom. L.7.p. 7.9.C.

Caput XV. *feſtis, ſe per totam vitam is, qui cognitione præditus eſt in omni loco honorat Deum.* Apoſtolicos viros, a quibus hanc iſti ſanctiſſimam diſciplinam acceperant, *feſtorum honorem* ſuis Chriſtianis præcepiſſe, mihi quidem non fit veriſimile; neque adeo Ignatium eſſe hunc epiſtolarum ſcriptorem, apud quem de *honorandis feſtis* præceptum extare videmus.

Ign. ad Philip. p. 186. Id ipſum vero apertiſſime oſtendit, quod idem de ſabbato proprie decernit, quem diem pro feſto a ſuis Philippenſibus haberi hoc ipſo præcipit, quod eum jejunio pollui adeo ſevere jubet, vt quiſquis tum jejunaverit eum Chriſti interfectorem futurum pronuntiet. Atqui ſabbatum a Chriſtianis feſtum haberi & ſervari non modo pugnat cum *Col. 2. 16.* ſupra recitata Pauli lege, nos de ſabbatis judicari vetantis; ſed etiam a vetuſtiſſimorum Apoſtolici chori diſcipulorum ac ſucceſſorum vſu & praxi alienum eſt, apud quos nuper allatus Iuſtini locus docet nullam *Iuſtin. Dial. cũ Triph. p. 175. lin. 36. p. 182. lin. 30. 40. 183. lin. 5.* circa a. D. 150. fuiſſe ſabbati religionem. Ibi enim videmus non modo Tryphonem noſtris nominatim objicere, quod *ſabbata non ſervarent*, ſed ipſum Iuſtinum Tryphoni reſpondentem hoc adeo non inficiari, vt diſerte neget ſabbata ſe ſuoſque ſervare, & rationem cur non ſervent, hanc afferat, quod iſta cæremonialia, ſcilicet *circumciſio*, *ſabbatum*, & cætera ejuſdem generis ſolis Iudæis fuerint nondum per Evangelicam diſciplinam emendatis, neceſſaria. Neque vero nos eo peccare quod ſabbatum non ſervemus, oſtendit allatis Abelis, Enochi, Noe, Loti, Melchiſedeci, ipſiuſque Abrahami exemplis; *qui* (inquit) *iuſti omnes ſine ſabbati obſervatione Deo complacuerunt, ipſiuſque Abrahæ cuncti liberi ad Moſen vſque.* μὴ σαββατίζοντες οἱ προωνομασμένοι πάντες δίκαιοι τῷ θεῷ εὐηρέστησαν, καὶ μετ' αὐτοὺς Ἀβραὰμ, καὶ οἱ τούτου υἱοὶ ἅπαντες μέχρι *Tertull. adv. Iud. c. 2. extr. & 3. init. p. 207 B. C.* Μωϋσέως. Paria apud Tertullianum adverſus Iudæos diſputantem legimus; quo loco juſtos quoque obſervat qui ad Abrahami tempora vixerant, *neque ſabbatizaſſe*, *neque circumcidiſſe*; Adamum neque circumciſum, neque ſabbatizantem a Deo inſtitutum; Abelem a Deo laudatum; Noe diluvio liberatum; Enoch de hoc mundo tranſlatum; Melchiſedeck ad ſacerdotium electum; Lot de Sodoma ereptum, omnes neque circumciſos, neque ſabbatizantes: Abrahamum ipſum, tametſi circumciſum, non tamen ſabbatizantem. Quorſum hæc iſti, ſi ſabbatum ipſi adhuc ſervabant? Sed quid ego alios conſector? Ipſe epiſtolarum primus ſcriptor eoſdem docuerat, quo loco verorum Dei fidelium diſciplinam deſcribens, *ad novitatem ſpei venerunt* (inquit) *non amplius ſabbatizantes, ſed ſecundum Dominicam vitam viventes, in qua & vita noſtra exorta eſt per ipſum, & mortem ipſius.* Sic enim habent Græca a doctiſſimo Voſ*Ignat. ad Magneſ. p. 13. edit. Vſſer. Gr. Lat.* ſio ex Florentino libro edita; εἰς καινότητα ἐλπίδος ἐλήλυθον μηκέτι σαββατίζοντες, ἀλλὰ κατὰ Κυριακὴν ζωὴν ζῶντες, ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε δι' αὐτοῦ, καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ. Locum ſane egregium, & Vſſerii interpres Latinus vetus non ſatis plene reddidit, & interpolator totum corrupit & pervertit; ſenſum auctoris menti contrarium exhibens; quaſi his ſcilicet præ-

CAPVT XIV.

cipiat eſſe quidem ſabbatum obſervandum, non tamen plane ad ſuperſtitioſum Iudæorum ritum; quæ nugæ ſunt a Chriſtianorum eius ævi, quo primus ſcriptor vivebat, vſu & ſententia alienæ. Sed interpolator (vt optime animadvertit præſtantiſſimus Vſſerius) veritus ne vera Orientalium ſuorum conſuetudini officerent, aliquid obſervationis ſabbato perperam tribuentium; pro verbis ſcriptoris alia ſui ſæculi mori conſentanea ſubſtituit; quæ neſcio cur doctiſſimus Hammondus dicat *Laurentianum codicem nobis largiri,* in quo ea tantum pagina 35. leguntur, quæ nos paulo ante exhibuimus, Vſſerianis pæne in omnibus conſentanea, ab his autem, quę deſcribit doctiſſimus Hammondus, quęque in ſolis vulgatis codicibus habentur, longe diverſa; Illa autem, vt intelligas quantum ſit inter vtraque diſcrimen, hic quoque ſubiicere placuit; μηκέτι οὖν σαββατίζωμεν Ἰουδαϊκῶς καὶ ἀργείαις χαίροντες &c. ἀλλ' ἕκαστος ὑμῶν σαββατιζέτω πνευματικῶς· μελέτῃ νόμου χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει. δημιουργίαν θεοῦ θαυμάζων, οὐχ ἑῶλα ἐσθίων, καὶ χλιαρὰ πίνων, καὶ μεμετρημένα βαδίζων. καὶ ὀρχήσει καὶ κρότοις νοῦν οὐκ ἔχουσι χαίρων. καὶ μετὰ τὸ σαββατίσαι ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. *Non ergo ſabbatizemus Iudaïce, vt feriis gaudentes,* &c. *Sed vnuſquiſque noſtrum ſabbatizet ſpiritualiter, meditationi legis congaudens, non corporis remiſſione; fabricationem Dei admirans; non pridiana comedens, & tepida bibens, & menſurate ambulans, & ſaltatione, & inſanis plauſibus gaudens; Sed omnis Chriſti amator poſtquam ſabbatizaverit, Dominicum diem feſtum agat, reſurrectioni Dominicæ conſecratum, reginam & principem omnium dierum*: Hæc vero, non *Laurentianus*, ſive Florentinus (quod ait doctiſſimus Hammondus) ſed vulgatus tantum codex nobis largitur, Laurentianus vero codex longe alia exhibet. Nam his quidem negat Chriſtianos *adhuc ſabbatizare* μηκέτι σαββατίζειν; codex vero vulgatus *Chriſti amatorem* vult *ſabbatizare*, πᾶς φιλόχριστος μετὰ τὸ σαββατίσαι. Fateor hunc, quod dixi, ſuperſtitioſos ritus rejicere, quibus a Iudæis ſabbatum celebratur, ſic vt *pridianos* tantum, id eſt heſterno die coctis cibis Veſcantur, & Saltationes quaſdā atque plauſus vſurpent, neque vltra certum quemdam paſſuum numerum ambulent; cæterum diem ipſum ſabbati a noſtris obſervandum eſſe docet, ſic, vt totus exercitiis ſacris tranſigatur, meditatione legis, admiratione creationis & aliis huiuſmodi; quod vt liquet, nihil aliud eſt, quam ſabbatum eodem modo ac ritu celebrare, quo Dominicam ſolemus. At ita *ſabbatizare*, ſeculo quidem ſexto, imo & quarto Græcis ſolenne fuiſſe ex Conſtitutionibus Pſeudo-Apoſtolicis, † ex Gregorio Nyſſeno, * & Anaſtaſio Nicęno † patet; Apoſtolico vero ęvo, & toto ſecundo poſt eos ſæculo id jam apud noſtros factitatum fuiſſe non liquet; imo non factitatum ex adductis Iuſtini & Tertulliani locis intelligimus. Qui ergo illam ſabbati religionem conſtituit epiſtolicus Ignatius, Apoſtolici ſæculi vir eſſe non poteſt, neque adeo veri nominis Martyr Ignatius.

Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 11. p. 71.

Hamm. Diſſ. 2. c. 4. § 2.

Ign. Vulg. ad Magn. p. 57.

† *Conſt. Apoſt. L. 7. c. 24. 37. L. 2. c. 36.*
* *Greg. Nyſſ. ep. ad Flavian. T. 3. p. 649. C. & contr. eos, qui ægre re-*

Sed

CAPVT XV.

prehenſ. ferunt ibid. p. 312. D.
† Anaſt. Nicæn. l. Quæſt. Q. 77. quæ Gretſero 64. extr.
Ign. ad Phil. p. 186.
Aug. ep. ad Caſul. quæ eſt 86.
Socr. l. 5. c. 22.

Sed & ab eiuſdem Eccleſiæ non minus quam a Pauli inſtitutis aliena ſunt, quæ idem ille epiſtolarum ſcriptor de jejuniis præcipit. Primum enim quod certis ſtatiſque diebus ac temporibus, vt quartæ, ſextæque feriæ, ac quadrageſimæ jejunia ſingulis annis in æternum recurrentia indicit; atque econtra quoſdam dies, vt Dominicum & Sabbatum, ab hoc jejunandi officio in perpetuum liberat; id inquam, in genere non ab Apoſtolorum tantum, ſed & a ſequentium ad ſecundi (& vltra etiam) ſæculi finem, Chriſtianorum diſciplina vehementer abhorret. Veriſſimum enim eſt, quod ſcribit Auguſtinus, neque Domini, neque Apoſtolorum præcepto definitum inveniri quibus diebus *non oporteat jejunare & quibus oporteat.* Veriſſimum, quod in eandem ſententiam tradit Socrates, Apoſtolos *liberam de his poteſtatem cuiuſque menti & arbitrio permiſiſſe, vt quiſque nec metu, nec neceſſitate inductus quod bonum ſit, ageret.* Ex horum certe ſententia non eſt Apoſtolicus, non adeo Ignatius, qui tam accurate iſta docet epiſtolæ ſcriptor; quo die vel jejunandum, vel prandendum, ſollicite definiens. Sed eſſe Veriſſima illa Auguſtini & Socratis ſcita, ipſi antiquiſſimæ Eccleſiæ mores oſtendunt. Apud vnum ex eius ſcriptoribus atque defenſoribus Apollonium legimus Montanum hæreſiarcham Phrygem primum fuiſſe, qui *leges de jejuniis ferret.* Nondum ergo tum eruperat epiſtolicus ille noſter de jeiuniis legiſlator Ignatius. Non ergo is verus ille Antiochenus Ignatius, quem multis annis ante latas a Montano leges martyrium feciſſe conſtat. Eadem, quæ Auguſtini poſtea fuit, vetuſtiſſimæ quoque illius Eccleſiæ erat de Apoſtolorum in iſtis facilitate ac moderatione ſententia. Hæc enim Montani præſumptiones damnans docet *de cætero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus & cauſis vniuſcuiuſque. Sic & Apoſtolos obſervaſſe nullum aliud imponentes iugum certorum & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum; proinde nec ſtationum, quæ & ipſæ ſuos quidem dies habeant, quartæ feriæ & ſextæ; paßive tamen currant; neque ſub lege præcepti, neque vltra ſupremum diei.* Vide quam ab his ſecundi ſæculi & quidem extremi Catholicis diſtet noſter ille legiſlator epiſtolicus. Ieiunare fideles volunt illi *ex arbitrio,* hic ex *imperio*; illi *indifferenter & paſſive*; hic *ſub præcepti lege*, illi pro *vniuſcuiuſque temporibus & caußis*; hic ſtatis certiſque ac publicis anni diebus ac temporibus, Illi nulla *ab Apoſtolis impoſita eſſe nobis certa & in commune omnibus obeunda ieiunia* docent; Hic vltra & ſupra Apoſtolos ſapiens, quadrageſimæ nobis ſuæ, certarumque eſurialium feriarum onus imponit. Illi *ſtationes* quartæ ſextæque feriæ habebant; ſed *quæ paſſive currerent, neque ſub lege præcepti*; huic vtramque diem diſtricte ſervari præcipit. Ex illorum diſciplina, tam ieiunare, quam non ieiunare quovis die liberum fidelibus fuit; ex huius vero præceptis vtrumque certis quibuſdam legibus circumſcriptum. Itaque tibi apud illos, tam *Sabbato & dominica* ieiunare, quam quarta ſextaque feria non ieiunare licebat, ſi vel hoc, vel illud ferrent

Apollon. apud Euſ. Hiſt. L. c. 5. c. 18.

Tertull. de jejun. c. 2.

tua

tuæ cauſæ, tuaque tempora; Apud hunc neutrum licet. Vtcumque ſeſe tuæ cauſæ, tuaque tempora habuerint, ſi dominica, vel ſabbato ieiunaveris, Chriſtum occidiſti. Si quarta ſextave feria pranderis, piaculum feciſti. Qui ergo tam diverſe ab Eccleſia ſecundi ſæculi jam præcipitis ſapit, eius profecto civis non fuit; Montani, quam Apollonii ſimilior fuit; nedum vt Ignatius fuerit in ipſis illius ſæculi primordiis e terris in cælum tranſlatus. CAPVT XV.

Sed hoc ipſum luculentiſſime vincit ea lex, quam iſte proprie contra ſabbato ieiunantes tulit; *Siquis* (inquit) *ſabbato ieiunet* (*præter vnum ſabbatum Paſchæ*) *ipſe eſt Chriſti interfector.* εἴτις σάββατον νηστεύει (πλὴν ἑνὸς σαββάτου τοῦ πάσχα) οὗτος χριστοκτόνος ἐστίν. Quid dici potuit, non modo ab Apoſtolorum manſuetudine, & ab Ignatii ipſius lenitate, quem *mitiſſimum* fuiſſe & affirmat Halloixius, & nos incunctanter credimus, ſed & a totius Chriſtianiſmi ingenio magis alienum? Vt hominem cætera probum, & inſontem, Chriſtianæque diſciplinæ accuratum obſervatorem, pro *Chriſti Dominini interfectore* habeas ac damnes, ſi vel ad Chriſtum ipſum diligentius orandum, vel ad aliquem animæ ſuæ curandum morbum, vel ad Eccleſiæ calamitatem, aut deflendã ſiqua vrgeat, vel avertendam, ſi immineat, vno ſabbato jejunaverit? Quæ vnquam lex vel Draconis illius Athenienſis, fuit hac noſtri ſcriptoris, dirior, atque truculentior? Libet hoc loco Halloixii de ſimili argumento verba vſurpare; *Sane perabſurdum eſſet tam graviter denotare id quod tam multi ſancti viri factitarunt, atque etiamnum factitant. Neutiquam profecto iſtud fecit mitiſſimus Ignatius; neutiquam fecit, imo ne cogitavit, ne ſomniavit quidem.* Mitto jocularem noſtri Legiſlatoris exceptionem; qui ex omnibus totius anni ſabbatis vnum Paſchale elegit, quo tuto ac impune illud nobis facere concedit, quod cæteris abſque omnium ſcelerum graviſſimo admitti non poſſe definivit; Quaſi ſabbatorum aliquod eſſe poſſit tantum tamque immane inter ſe diſcrimen, vt res vna eademque ſi cæteris quidem fiat, Chriſti parricidium; ſi hoc vno, bonum ac ſanctum opus futura ſit. Scio Græcis ſequentium ſæculorum hanc legem valde placuiſſe. Sed ſi hominum ſepoſitis ſententiis rem ipſam expendamus; quid fingi poteſt ſtultius & anilius? Quid rectæ rationi, aut divinis Chriſtianæ religionis inſtitutis magis adverſum? Ieiunium ſcilicet pro tempore ingenium mutabit; ſanctimonia erit, ſi aliis diebus fiat; ſi ſabbato, ſcelus, imo Chriſti parricidium. Ac ne hic quidem conſiſtit ſuperſtitionis væſania. Omnem illam ſabbati cum jejunio irreconciliabilem pugnam ſolvit; ſed ad vnum modo diem. Sabbato, quod Paſcha præcedit, illud ipſum facere concedit, quod cæteris ſcelus, & quidem Chriſti ipſius parricidium erat; quaſi Dominum Chriſtum Paſchali Sabbato impune poſſe occidi ſtatuat. Iſta diſciplinæ noſtræ propudia dicam, an ludibria, ſi ſequiorum temporum Chriſtiani mirari, ac probare potuerunt; Apoſtolis quidem atque eorum diſcipulis, a quorum regulis & dogmatis plane aliena ſunt, nequa-

Ign. ad Philip. p. 186.

CAPVT XV.

quam placuiſſe,& ſcimus,& nuper docuimus. Par olim fuit,tametſi diverſiſſimus,Innocētii P.R.I. error;qui omni ſabbato,vt Gręci *ieiunare*, ita ipſe *non ieiunare* nefas putavit;niſi quod paulo mitius ſabbato non jejunantes habet quam epiſtolicus Ignatius eodem jejunantes. Hos enim noſter parricidii & quidem ſingularis, omnique alio parricidio tetrioris, illos clementior Innocentius *dementiæ* duntaxat damnat; *dementis eſſe* pronuntians ſabbatum in ſingularum hebdomadum jejuniis *protermittere*. Vtrique ab Apoſtolicis & primæ ad tertium ſaltem ſæculum Eccleſiæ regulis diſcedunt, dum ſabbati jejunium rem mediam, & *indifferenter pro temporibus & cauſis*,quæ varie incurrunt, varie quoque, & *ex arbitrio*, non *ex præcepti lege* vel factitandam, vel omittendam,Pſeudo-Ignatius cum ſuis Græcis omitti, Innocentius cum Latinis *obſervari* in perpetuum ab omnibus & ſingulis Chriſtianis jubent. Sed tametſi Latinorum in cæteris elati ſint & injuriæ impatientes ſpiritus; hunc tamen illi,a quo tam indigne vapulant, Græcum epiſtolarum ſcriptorem ferunt. Omnem injuriæ ſenſum vicit cæcum in epiſtolas,magnas Baronii delicias, ſtudium, & impotens ſcriptoris incerti amor. Atqui nemo iis, nemo eorum Pontifici Innocentio acerbiorem, aut majori cum contumelia conjunctam plagam inflixit. Qui enim vel vnum præter Paſchale, ſabbatum jejunantem pro Chriſti interfectore habet, quo quæſo, nomine, quove elogio & hos & Innocentium dignos putavit, qui ſabbata non vnum aut alterum, ſed omnia jejuniis funeſtare audent? Qui ſabbato jejunare Chriſtianum adeo nefas eſſe non judicant, vt eo non jejunare, id capitale crimen eſſe cenſeant, quique aliter ſentiat, eum *pro demente* habeant? Hunc tamen ſcriptorem, qui omnem eorum in ſabbatarium jejunium religionem ita deſpuit atque infamavit, Ignatium eſſe contendunt, virum Apoſtolicum, ſanctiſſimum atque ſapientiſſimum Martyrem eſſe contendunt. Eum vero Innocentius, ſi viveret, longe alio vt opinor loco & numero eſſet habiturus, qui quod ipſe *dementis* eſſe putabat; ita ſexta feria jejunandum eſſe concederet, vt ſabbato non niſi a Chriſti interfectoribus ieiunari poſſe iudicaret. Sed Latini ſtramineum hunc ſuum Ignatium ne dimittere cogantur, cum Innocentio & ſecum reconciliare variis artibus conantur. Negant ſe ab eo hic eſſe pulſatos; non enim ſua, ſed Menandri, Saturnini, Baſilidis, Cerinthi, & Carpocratis in Creatoris contumeliam inſtituta ſabbati ieiunia intelligi. Hæc vero ſolennis iſtorum eſt Stropha; vt quæ ſimpliciter vetantur, ea a ſe reiecta in alios ſiqui ſint, eius quod vetatur, criminis rei, transferant. Ita quæ Paulus ſimpliciter ac in genere contra *Angelorum culturam*, ſcripſit, ea iſti ad ſuas in beatos illos ſpiritus religiones nihil pertinere hoc ſe ſatis demonſtrare putant, quod alii olim fuerint, qui Angelos coluerint; in quos hæc dicta eſſe concedunt. Et Dei de non adorandis ſculptilibus præceptum ita ſe præclare eluſiſſe arbitrantur, cum id ad Gentilium, non ad ſua ſimulacra pertinere reſponderunt; Et

Innoc. ep. ad Decent. c. 4.

Apo-

CAPVT XV.

Apoſtolo futuros ſeductores prædicẽti, qui *abſtinentiã a cibis* ſint Chriſtianis imperaturi, egregie ſe ſatisfeciſſe arbitrantur; cum oſtenderunt Marcionitas, & Manichæos, & neſcio quot alios hoc oraculum jampridem impleviſſe; quaſi reum eo quiſquam purgatum judicet, quod ſui criminis habeat conſortes, qui etiam, quam ipſe, gravius in legem commiſerunt. Sed hic certe omnis eos fugit ratio. Quos enim memorat Baronius hæreticos, eorum ſabbataria in odium Creatoris jejunia aliqua fuiſſe, nemo veterum, ac ne recentiorum quidem ſcriptorum dixit. Hoc ſolus Annaliſta pro conſueta temeritate ad cauſæ ſuæ commodum fingere auſus eſt. Marcionis, quem non memorat, aliquod fuiſſe hujuſmodi ieiunium docet, fateor, Epiphanius; ſed id qualecunque fuit, eo certe tempore, quo vixit Ignatius, nondum fuit; poſt cuius mortem exortum eſſe Marcionem clarum atque confeſſum eſt. Huc accedit, quod elogium ſabbatariis ieiunatoribus a ſcriptore attributum ad hanc hæreticorum iſtorum cauſam ineptum eſt. Cur enim Chriſtum ab iis occidi diceret, qui ſabbato in Creatoris odium jejunant? In Dominica jejunantes hoc quidem belle congruit, qui dum Domini reſurrectioni ſacram diem ſuo jejunio funeſtant, videntur eum negare de mortis tenebris emerſiſſe. In Marcionem ſabbato jejunantem, abſurde hoc dici patet; in quem aliud eius crimini appoſitius erat dicendum, vt hoc verbi gratia. *Qui ſabbato ieiunat, Creatorem blaſphemat*, vel *in Creatorem eſt blaſphemus*, aut aliud ſimile. Non dubito, quin Legiſlator epiſtolicus ita dicturus fuerit, ſi hæreticorum in Creatoris numen blaſphemantium jejunia ſignificare hic voluiſſet. Non dixit. Ergo Sabbatarii illi, quos ferit, jejunatores, ii profecto de Creatore nihil lęvum, aut heterodoxum docebant. Albaſpineus hac merito repudiata Baronii cavillatione, alio confugit. Ait ſabbati feſtum ab Apoſtolis, & primis Chriſtianis aliquandiu ne Iudæos offenderent ſervatum eſſe; ideo vetitum nequis eo jejunaret. Ego vt concedam fuiſſe Chriſtianæ charitatis Iudæorum infirmitati aliquid largiri, quandiu quidem ſpes fuit hoc fraterna *συγκαταβάσει* ad eorum converſionem nonnihil poſſe profici; illud donare non poſſum in eorum gratiam veritatem vnquam vel ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris fuiſſe proditam. Quis Iudæis plura quam Paulus in hoc genere conceſſit? Non ſic tamen iis indulſit, vt non clare liquidoque doceret ſolutam eſſe a Chriſto omnem ſabbati religionem; nedum vt vſquam aliud decerneret. Neque hæc noſtrorum in recutitos benignitas diu manſiſſe videtur; quod gens indurata omnem medicinam reſpueret. Certe quæ ex Iuſtino paulo ante recitavimus, ſatis docent ejus ævo ſabbatum jam a noſtris ſervari plane penituſque deſiiſſe. Sed quid ego de re ipſa contendo? Decreti epiſtolici tam dura eſt locutio, vt molliri non poſſit. Non enim *ferendos*, aut *fovendos*, aut *aſſumendos* monet, quibus aliqua religio eſt ſabbato jejunare; qualiter in re ſimili Paulum cum Romanis agere videmus; Noſter longe aliter; Non modo liberum, aut etiam fraternæ ædificationi vtile eſſe definit ſabba-

Baron. a. D. 57 § 202.
Bin. & Mæſir ad loc. Ign.

Epiph. Hær. 42. § 3. p. 304. A. B.

Albaſp. Obſ. L. 1. c. 13.

Rom. 14. 1.

to non ieiunare; id eſſe plane ad ſalutem neceſſarium decernit; idque iis verbis eloquitur, quæ ſummam atque ineluctabilem ac tantam denique parendi neceſſitatem ſignificant, vt maior dici non poſſit. Ait enim exſertiſſime *qui ſabbato ieiunarit eum eſſe Chriſti interfectorem.* Alibi certe nihil in eum dicit dirius, qui Chriſti divinitatem negat; *Siquis* (inquit) *hominem nudum dixerit Dominum, Iudæus eſt Chriſti interfector.* εἴτις ἄνθρωπον ψιλὸν λέγῃ τὸν Κύριον, Ἰουδαῖος ἐστι χριστοκτόνος. An eum quæſo ferret Albaſpineus, qui hęc contenderet per quandam cum infirmis συγκατάβασιν dicta eſſe; non quod revera ſcriptor putaret tantum, tamque execrabile eſſe eorum ſcelus, qui Dominum nudum eſſe hominem, omnis divinitatis expertem putarent? Abſit. Cum ergo plane eadem ſit verborum contra ſabbatarios jejunatores atrocitas, non eſt quod quiſquam ſibi perſuadeat aliam in his, quam in iſtis fuiſſe ſcriptoris mentem. Petavii & Bellarmini ad hunc nodum deſperatio verius, quam ſolutio, vix digna eſt quæ memoretur. Ille enim ſatis habet reſpondere ſuum Ignatium *ad Philippenſes ſcripſiſſe, non vniverſali Eccleſiæ iura hoc loco conſtituiſſe.* Atqui Euſebius longe aliter, eum affirmat ideo ſcripſiſſe Eccleſiis, vt traditionum Apoſtolicarum litteris conſignata forma & memoria extaret. Et Latini ex hac ipſa epiſtola dum adverſus noſtros diſputant, conficiunt feſtorum & quadrageſimæ religionem Chriſtianæ religionis partem fuiſſe; ſtulte ſi Petavio credimus, quæ Philippenſium fuiſſe, non vniverſalis Eccleſiæ hinc legitime concluditur. Quid? Quod ipſa hæc ſententia duas continet traditiones, vnam de Dominicæ, alteram de ſabbati jejunio? Priorem non negabit Petavius non Philippenſis, ſed vniverſalis Eccleſiæ jus fuiſſe. Eadem ergo eſt & alterius ratio. *Siquis Dominicam* (inquit) *aut ſabbatum ieiunaverit Chriſti interfector eſt.* Scriptor quæ ſimul ſemelque eadem lege, iiſdem verbis complexus eſt, ea eiuſdem iuris eſſe voluit; neque cuiquam vnam magis quam alteram partem violare concedit. Nemini autem, non Philippenſi, ſed Chriſtiano; Dominica ieiunare concedit; ergo neque ſabbato. Æque ei χριστοκτόνος, Chriſti interfector eſt, qui hoc, & qui illud fecerit. Denique ſiquibus ſcriptor præter Philippenſes Chriſtianis ſabbato ieiunare citra noxam licere putaviſſet, non ſic tragice & ἀποτόμως ſimpliciter atque in genere decreviſſet *Chriſti eſſe parricidam quicumque ſabbato ieiunat.* Stultum ac ridiculum eſt ſic loqui de rebus mediis & adiaphoris; quæ apud Chriſtianos pro locis ac temporibus varie aliterque atque aliter, ſed ſemper & vbivis innoxie & citra crimen vſurpantur. Ne ipſi quidem Latini, quorum genus eſt ſuarum traditionum tenaciſſimum, dixerint *Chriſti parricidas eſſe quicumque pane fermentato Euchariſtiam conficiunt;* quod Græcos facere notum eſt; tametſi ipſi plane aliter, azymis ad hoc ſacrum vtantur. Itaque cum ex eo rerum genere ſit ſabbato non ieiunare; fieri profecto non poteſt, vt Ignatius, quem virum & ſapientem, & juris Eccleſiaſtici peritum, adhæc ſanctum & mitem & magna in quoſvis fratres charitate præditũ fuiſſe

Ign. ad Heron. p. 164.

Petav. Not. in Epiph. p. 359.

Euſeb. Hiſt. L. 3. c. 35.

fuiſſe omnes conſentiunt, tam dira tamque contumelioſa de ſabbato ieiunantibus ſcriberet; maxime ſi Romani, quod volunt adverſarii, iam tum ſabbato ieiunarent. Id enim ſi verum eſt, ille neſcire non potuit. Bellarminus denique vt ex his ſcopulis evadat, eo ſed timide, ac dubitabundus, confugit, vt dicat *potuiſſe fieri, vt in epiſtola ſolum prohiberetur ieiunium diei Dominicæ, ſed poſtea a Græcis poſterioribus inſertum fuerit nomen ſabbati.* Binius vero, magnus & ipſe Latinarum partium, atque avidiſſimus defenſor, negat *de corrupto hoc loco per Græcos ſuſpicionem eſſe poſſe*; quia ſcilicet non hic vnus ſcriptor, ſed plærique alii Græci, etiam veteres, ſabbatarium jejunium repudiaſſe noſcuntur; vt Clemens L. VII. Conſtit. c. 24. Gregorius Nyſſenus, & Anaſtaſius Nicænus. Sed & vltimæ eſt (vt libere loquar) impudentiæ ea a Græcis vel aliis adverſariis apud ſcriptores corrupta fuiſſe cauſſari, quæ non modo in ipſorum libris, ſed etiam in tuis eodem modo ſcripta inveniuntur, nullo plane codice diſſentiente. Sunt Ignatii libri plurimi; ſunt Græci; ſunt Latini; ſunt manu exarati; ſunt typis excuſi. Omnes ſummo conſenſu ſabbati æque ac dominicæ meminerunt. Græci (inquit Bellarminus) *ſabbatum de ſuo inſeruerunt.* Quod hoc ſuis exemplaribus Græci adiecerint, eius tu non dico idoneum, ſed vel probabile argumentum nullum habes. Donemus tamen ſuis adieciſſe; licuit enim certe ſi libuit. Tuis vero Bellarmine, Latinis codicibus, in quibus idem extat nomen, quis id inſeruit? Plurima apud vos ſunt Latina Ignatii exemplaria; apud Græcos, peregrina fere vel deſpicientes, vel neſcientes, ne vnum quidem fuiſſe probari poteſt. Tu ergo plane iniquus es, qui Græcos vitiati codicis tui inſimulas; quem cum nullum haberent, corrumpere, ne ſi voluiſſent quidem, vlla ratione potuerunt. Sed fac illos & voluiſſe, & potuiſſe. Ita conficies corruptos ab iis aliquot Latinos Ignatii codices; eos ſcilicet, quos apud ſe habebant. Omnes corruptos, etiam eos, qui in ſacris & intemeratis Pontificis tui, vigilantiſſimi & incorruptiſſimi Eccleſiaſticarum litterarum atque antiquitatum omnium cuſtodis, ſcriniis ſervabantur, non opinor dices. Nullis enim in illa adyta ſchiſmaticis, aut hæreticis vel manum, vel pedem inferre licet. Tibi ergo velis nolis, confitendum ſupereſt illam *ſabbati* voculam ab ipſius auctoris manu eſſe; quam omnia Latina exemplaria pariter cum Græcis exhibent; quam de ſuo addere neque Latinos, qui poſſent, voluiſſe, neque Græcos, qui vellent, potuiſſe planum eſt. Vt autem Ignatius *ſabbato ieiunantes* pro totidem Chriſti interfectoribus habendos ſcripſerit fieri nequaquam potuiſſe, & nos probavimus, & Bellarmini de hoc loco deſperatio fatetur. Epiſtolam ergo Ignatius non ſcripſit, in qua ſtultiſſimum iuxta & falſiſſimum illud decretum legitur. Scripſit haud dubie aliquis de ſexti ſæculi Græculis, ſui moris ſtudioſus, & quidem conſulto contra diverſum Latinorum morem ſcripſit; vt gentis ſuæ ritui auctoritatem ab antiquitate conciliaret; diverſæ Latinorum conſuetudini demeret. Ita plana claraque erunt omnia. Eo enim tempo-

CAPVT XV.

Bell. l. 2. de bon. op. in partic. c. 18.

Bin. Not. ad Can. Apoſt. 65.

Caput XV. re fuerunt, quos ſcriptor peteret, *ſabbatarii ieiunatores*, qui Ignatii temporibus nulli erant. Non hæretici; Qui enim ex eo cenſu primus ſabbato jejunare ſuos juſſiſſe noſcitur Marcion, nondum extabat; Non Catholici; Romanos enim, qui ex Catholicis primi, & olim pæne ſoli, ſabbato jejunaſſe deprehenduntur, ne ipſos quidem ante tertii ſæculi extrema eum morem coluiſſe, & Albaſpineus antiquitatis Eccleſiaſticæ curioſiſſimus indagator, fatetur, & ex Tertulliano conſtat. Qui autem nulli vſpiam eſſent ſabbati jejunatores, eos non modo ſciviſſe, ſed etiam diris elogiis confixiſſe Ignatium, ſtultum & incredibile dictu eſt. Omnia ſexto ſæculo alia. Tum enim & Latini ſabbati ieiunium Innocentii ſui lege iamdudum conſtitutum palam ſervabant, & Græci eorum æmuli id, diverſi ipſi ritus, ægre ferebant; vt mirandum non ſit extitiſſe tum huius gentis aliquem, qui cæco vernacularum traditionum zelo impulſus Ignatio epiſtolam de ſuo ſupponeret, quæ tanti nominis auctoritate ritum & Græcanicum firmaret, & Latinum exploderet. Eadem Trullanos poſtea Patres væſania commovit, vt famoſum illum canonem ederent; *Quoniam intelleximus in Romanorum civitate, in ſanctis quadrageſimæ ieiunijs, in eius ſabbatis ieiunari, præter Eccleſiaſticam traditam conſequentiam; Sanctæ Synodo viſum eſt, vt in Romanorum quoque Eccleſia inconcuſſe vires habeat Canon, qui dicit; Siquis Clericus inventus fuerit in Sancta Dominica vel ſabbato ieiunans (præter vnum & ſolum) deponatur; ſin autem laïcus, ſegregetur.* Sed illi quidem ſurdis fruſtra ſuum hunc Canonem cecinerunt; idque bonus Zonaras, ſtulte fateor, & pueriliter, ſed tamen ex ſuperſtitioſo gentis ſuæ errore graviter deflet atque indignatur; *Latinorum* (inquit) *peccatum emendare Synodus conata eſt; verum in ſua pertinacia hactenus permanſerunt arrogantes, hodieque permanent.* Sed hæc quidem de Ignatiano ſabbatarii ieiunii interdicto ſatis ſunt; quæ & clariſſimus Vſſerius ſolide, vt ſolet, atque accurrate exſequitur, & nos * in proprio de ieiuniis opere fuſe diſputavimus.

Albaſp. Obſ. L. 1. c. 13. p. 39. 40. Tertull. de Ieiun. c. 14.

Concil. Trull. Can. 55.

Zon. in Can. Trull. 55.

Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 13. p. 91. 92.

* De jejun. L. 4. c. 2. p. 670. & ſeqq.

Caput

CAPVT XVI.

Argumentum XXIX. Quod ſcriptor dicat æternum Dei verbum eſſe divinæ efficaciæ eſſentiam genitam. Argumentum XXX. Quod idem præter diſerta Pauli verba neget Chriſtum eſſe τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν. *Argumentum XXXI. Quod Filium infra Patris* ὑπεροχὴν *abiiciat. Argumentum XXXII. Quod idem ſcribat Dominum eſſe. Filium ſecundum voluntatem & potentiam Patris. Argumentum XXXIII. Quod Filium idem ſcribat eſſe natura Pontificem. Argumentum XXXIV. Quod idem Chriſto animam humanam eripere videatur; quæ omnia Arianiſmum ſapiunt.*

VT ergo inſtitutum epiſtolarum ἔλεγχον pertexamus, ab Apoſtolica quoque ſanctiſſimi Martyris fide, atque Orthodoxia hæc quę ſequuntur, abhorrent; Primo quod epiſtola ad Magneſianos *æternum Dei Verbum*, diſerte dicat eſſe *divinæ efficaciæ* ſive operationis *genitam* vel *notam eſſentiam* ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσίαν γεννητὴν; quod eſt ab omni quidem ſano, Apoſtolico, & Eccleſiaſtico ſermone alienum, Arianæ vero blaſphemiæ conſentaneum; & a Toletanis Patribus ea de cauſa merito exploſum; *Siquis dixerit, vel crediderit Deitatem naſcibilem eſſe anathema ſit.* Clariſſ. Vſſerium in Prolegomenis videat, ſi quis de hac animadverſione plura deſideret. Ign. ep. ad Magneſ. p. 56. Concil. Tolet. 1. Vſſer. Proleg. ad Ign. 1. p. 108. 109.

Secundo, & id quoque præterquam quod Arianiſmum ſapit, cum diſertiſſimis Pauli * verbis pugnat, quod epiſtolicus Ignatius non ſemel negat Filium eſſe τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν, *Deum ſuper omnia.* Nam quo loco Tarſenſes contra Praxeæ & Patripaſſianorum hæreſin munit, Chriſtum non ſimpliciter dicit *non eſſe Patrem*, quod rectum erat, ſed ita loquitur; *Non eſt ipſe, ille qui eſt ſuper omnia Deus, ſed Filius ipſius*, ita Chriſtum ab eo, *qui eſt ſuper omnia Deus*, diſtinguens, vt illum huius quidem Filium eſſe affirmet; ipſum vero eſſe *Deum ſuper omnia*, neget. Ita habent Latina. In Græcis vt ſermonis duritiem nonnihil mollirent, videntur Patris nomen addidiſſe; Sic enim habent; Καὶ ὅτι οὐκ αὐτός ἐστιν ὁ ἐπὶ πάντων θεὸς καὶ Πατὴρ, ἀλλ᾽ υἱὸς ἐκείνου. Ita ad Philippenſes inter cætera falſa & impia, quæ Diabolus per miniſtros ſuos hæreſiarchas ſpargit, id ipſum quoque collocat, quod Chriſtus *ſit ille, qui eſt ſupra omnia Deus*; *Quomodo* (inquit Diabolum ipſum alloquens) *rurſum non tibi videtur eſſe Chriſtus ex Virgine, ſed ille qui eſt ſuper omnia Deus, ille ſcilicet omnia potens?* Πῶς δὲ πάλιν οὐκ ἔτι σοι δοκεῖ ὁ χριστὸς εἶναι ἐκ τῆς παρθένου, ἀλλ᾽ ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς, ὁ ὢν ὁ παντοκράτωρ; Clare negat Filium vel *Omnipotentem* eſſe, vel *Deum ſuper omnia benedictum*; quod vtrumque blaſphemum eſt, & a ſana Theologia alienum. Quibus, iſta ſane duriſſima, emollire quidam conantur, ea non equidem

* Rom. 9. 5. Ign. ad Tarſ. p. 146. Ign. ad Phil. p. 178.

repu-

CAPVT XVI.

repudio; vera tamen eſſe magis opto, quam vel credo, vel ſpero. Vtcumque ſit, hoc quidem pro certo habeo, vt vt aliis fortaſſe ſequentium temporum Patribus quædam de Domini Chriſti divinitate incommode atque infeliciter dicta exciderint, fieri tamen non potuiſſe, vt ipſorum Apoſtolorum diſcipulus Ignatius verba ea vſurparet, quæ Pauli ſui verbis plane eſſent, vt hæc ſunt, contraria, & rectà adverſantia. Pauli enim hæc eſſe nemo neſcit; *Rom.9.5.* ἐξ ὧν [Ἰουδαίων] ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. *Ex quibus* [Iudæis] *eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt SVPER OMNIA DEVS benedictus in ſæcula. Amen.* Quis eum qui ex hoc Cœleſti fonte fidem ſuam hauſerat, qui Paulum viderat docentem, qui hoc ipſum oraculum ex eius non tantum epiſtolâ, ſed ore ipſo fortaſſe ſæpius audiverat, tam divinæ, tamque admirabilis doctrinæ ita oblivisci potuiſſe putaverit, vt ei non oblique & ſubobſcure ſed recta & aperte contradiceret, & quem Filium a Paulo didiciſſet eſt *DEVM SVPER OMNIA, benedictum in ſæcula. Amen.* Eam ipſe neque ſemel ſcriberet non eſſe DEVM SVPER OMNIA, & qui id affirmaret (id eſt Paulum) hæreticis & heterodoxis aggregaret? Hoc plane eſt incredibile. Apoſtolorum diſcipulus non fuit, qui iſta ſic ſcripſit. Non fuit eorum manu Antiochenæ Eccleſiæ conſecratus Epiſcopus; Ignatius non fuit. Eo autem iſte ſuſpectior eſſe debet, quod non tantum his duobus locis in hanc partem peccat; ſed rurſum alibi in eundem lapidem graviter impingit; vbi Dominus Ieſus hæc ad Tentatorem adorationem a ſe flagitantem, reponens inducitur; *Ign.ep.ad Phil. p.185.* *Novi vnum, Scio ſolum, cuius tu deſertor factus es. Non ſum Deo adverſus; confiteor eminentiam.* 1. *Cognoſco generationis meæ auctorem Patrem.* οἶδα τὸν ἕνα, ἐπίσαμαι τὸν μόνον, οὗ σὺ ἀποστάτης γέγονας. οὐκ εἰμὶ ἀντίθεος. ὁμολογῶ τὴν ὑπεροχήν, ἐπίσαμαι τὸν τῆς ἐμῆς γεννήσεως αἴτιον. Omnino videtur Filium infra divinam Patris ὑπεροχὴν, excellentiam, majeſtatem ac divinitatem demittere atque abjicere; hæc certe incautius dicta eſſe apparet, vt Ario favere videantur; *Vſſer. Proleg. ad Ign. c.12. p. 87.* De quibus vide ſis clariſ. noſtrum Vſſerium ſapientiſſime diſſerentē. Sed neque ſatis ſanum videtur, quod epiſtolæ Chriſtum *Filium Dei* eſſe dicunt *ſecundum voluntatem & potentiam Dei*, *Ign. ad Smyrn. init. ed. Vſſer. p.218.* υἱὸν θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν θεοῦ (vt eſt in Vſſerianis & Voſſianis libris) Nam Chriſti quidem munus Filio a Patre per voluntatem & potentiam datum, vel commiſſum fuiſſe dixeris. Ipſum eſſe Filium, id eſt ipſum eſſe *genitum*, & a Patre ab æterno communicatam divinam eandem cum Patre eſſentiam habere *per voluntatem & potentiam Patris*, durum eſt & vix ferendum. Huc & illud pertinet, quod epiſtolæ Filium ſemel atque iterum natura Pontificem eſſe dicunt. Sic enim de Chriſto ſcriptum legimus in ea quæ eſt ad Magneſianos; *Ignat. ad Magn. p.52.* *Verus & primus eſt Epiſcopus, & ſolus natura Pontifex.* ὁ ἀληθινὸς καὶ πρῶτος ἐπίσκοπος, καὶ μόνος φύσει ἀρχιερεύς. Iterum in ea quæ eſt ad Smyrnæos *Id. ad Smyrn. p.120.* *Ieſus Chriſtus* dicitur *primogenitus totius creaturæ, & ſolus natura Pontifex*, ſive *princeps ſacerdotum Dei.*

Dei. Χρισὸς Ἰησοῦς ὁ πρωτότοκος καὶ μόνος τῇ φύσει τοῦ Πατρὸς ἀρχιερεύς. Hæc liquido pugnant cum Pauli & ſententia & verbis in divina ad Hebræos epiſtola, vbi Chriſtum, Pontificem, non natura eſſe, ſed Patris voluntate, & vocatione, adeoque inſtituto & ordinatione factum fuiſſe docet; *Nec quiſquam* (inquit) *ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, vt Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum; Filius meus es tu; Ego hodie genui te; quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck*; Et infra, eum dicit ſacerdotem eſſe factum *cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum, Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum.* Ex his intelligimus, neque Apoſtolorum diſcipulum, neque adeo Ignatium fuiſſe, qui quod eſt ab eorum & ſententia & ſermone alienum, auſus eſt non ſemel profiteri ac ſcribere, Chriſtum ſcilicet eſſe natura Pontificem. Fuit & hæc Arianicæ tametſi minus nobilis pars hæreſeos, ſolam a Dei Filio carnem eſſe aſſumptam, cui vice animæ fuerit ipſa Verbi ſubſtantia, vt eſt a Petavio ex Athanaſio, Epiphanio, & aliis demonſtratum. Sunt & huius erroris non obſcura in epiſtolarum ſcriptore veſtigia. Nam in ea quæ eſt ad Philadelphienſes rectam de Filii incarnatione fidem eo definit, vt quis credat ὅτι Θεὸς Λόγος ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι κατῴκει, ὢν ἐν αὐτῷ ὁ Λόγος ὥσπερ καὶ ψυχὴ ἐν σώματι, διὰ τὸ ἔνοικον εἶναι Θεὸν, ἀλλ᾽ οὐχὶ ἀνθρωπείαν ψυχήν. *Quod Deus Verbum in humano corpore habitabat, Verbo exiſtente in ipſo, ſicut anima in corpore, eo quod Deus in eo habitat, non autem anima humana.* Hic enim eſt verborum Græcorum ſenſus, optime a doctiſſimo Vſſerio his Latinis verbis expreſſus; quæ nos ideo deſcripſimus; quod Vulgatus interpres Latinus vel locum de induſtria corruperit, vel ipſe ab aliis conſulto corruptus ſit, ne quæ in his ſubeſt pravæ opinionis labes a lectore poſſet animadverti. Quædam ſimilia fuiſſe etiam in epiſtola ad Philippenſes oſtendit vetus interpretatio Latina; quo loco hæc apud eam leguntur, *Quid ſine lege dicis Legiſlatorem, qui non humanam animam habuit? Verbum caro factum eſt. Verbum homo, ſed non in homine.* Ita enim manuſcriptos codices legere teſtatur candidiſſimus Vſſerius. In vulgatis ne lectorem craſſus auctoris error offenderet, Chriſtum *animam humanam habuiſſe* diſerte negantis, hic locus eſt immutatus; ac in Latinis quidem *natura* pro *anima* repoſita; In Græcis vero ita interpolatus legitur; τί παράλογον λέγεις τὸν νομοθέτην, τὴν ἀνθρωπείαν ψυχὴν ἔχοντα; ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ κατοικήσας. In his vides detractam negandi particulam, vbi auctor negabat, Chriſtum *animam* habuiſſe; tum additum nomen adiectum τέλειος, *perfectus*, vbi *Verbum homo* dicebatur; denique & κατοικήσας eodem conſilio adiectum; omnia, vt Arianicus ſenſus, Chriſti humanam naturam anima multans ac mutilans occultaretur. Hæc autem ita interpolata recentes Interpretes varie pro ſuo quiſque captu reddiderunt. Sed manuſcripti Latini codicis ſimpliciſſimam lectionem

CAPVT XVI.

Hebr.5.4 5.6.

Ibid.c.7.21.28.

Petav.T.4. Theol. Dogm. L.1.de Incarn.c.5. §.4

Ign.ad Phil. p.102.

Vſſer.Proleg. ad Ign. c.15.p. 108.

Ign.ad Philip. p.177.

Vſſer.Proleg. c.12.p. 87.

etiam antiquiſſimam, & ipſius auctoris fuiſſe veriſimillimum eſt; atque ita iudicat Vſſerius. Quem ergo ſcriptorem ex his videmus Ariana peſte afflatum, ac de Christo quædam cum Apoſtolorum ſermone ac doctrina, veraque Eccleſiæ fide pugnantia dicere, eum quis credat Ignatium, ſanctum Chriſti Martyrem, & Apoſtolorum diſcipulum?

CAPVT XVII.

Argumentum XXXV. Quod ſcriptor apocryphis vtatur, veluti veris ac certis; & quidem ſic interdum, vt fallere voluiſſe videatur. Quæ ad eum purgandum de Papiæ exemplo attulit Rev. Vſſerius, ea dilucide refelluntur. Argumentum XXXVI. Inde ductum, quod ſcriptor quandam Salomonis ſententiam corrigit, & ſenſum ei contrarium ipſe conſtituit, & quod idem quædam Pauli verba ad alia præter auctoris mentem detorquet; quæ ab ea reverentia, qua ſcripturis divinis debetur, aliena eſſe videntur.

SVnt etiam in epiſtolis nonnulla, quæ licet rectam fidem non pulſent; aliena tamen videntur vel ab ea reverentia, quæ divinis libris debetur, vel a pietate, vel a veracitate, qua hominem Chriſtianum, præſertim vero epiſcopum, decet. Quale eſt, quod ex apocryphis quædã furatur, eaque pro veris ac indubitatis ponit; quaſi apocryphorũ fides certa ſit; Vt hæc de Chriſto ad Magneſios, *deſcendit* (inquit) *in infernũ ſolus; aſcendit vero cũ multitudine.* κατῆλθεν εἰς ᾅδην μόνος· ἀνῆλθε δὲ μετὰ πλήθους. Hæc enim iſtum ex apocryphis Thaddæi ſumſiſſe, & verba ipſa apud vtrumque eadem, & illa, quæ apud noſtrum ſequuntur, oſtendunt; *& dirupit maceriam, quæ erat a ſæculo*, καὶ ἔσχισε τὸ ἀπ' αἰῶνος φραγμὸν; quæ ipſa quoque in Thaddæanis illis leguntur; hoc modo, διέσχισε φραγμὸν τὸν ἀπ' αἰῶνος μὴ σχισθέντα. Tum; κατέβη μόνος· ἀνέβη δὲ μετὰ πολλοῦ ὄχλου πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ. Martyrem apocryphis Magneſios ſuos lactaturum fuiſſe, parum eſt veriſimile.

Ign. ad Magn. p. 74. Thadd. apud Euſeb. Hiſt. L. 1. c. 13. extr. p. 35. A.

Sed his etiam deterius eſt, quod ſequitur. Noſter enim ille epiſtolicus Ignatius Dominicæ carnis veritatem adverſus hæreticos confirmans, verba quædam veluti Chriſti, ſic recitat; *Et quando ad eos, qui circa Petrum, venit, ait ipſis, Apprehendite, palpate me, & videte; quoniam non ſum dæmonium incorporeum.* Καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς, Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον. Ita locum hunc exhibet & Vſſerianus interpres Latinus vetuſtiſſimus, & Græcus ex libro Florentino manuſcripto a Voſſio editus Ignatius. Iam illam Domini ῥῆσιν, *Non ſum dæmonium incorporeum*, vnde hic ſcriptor ſumpſerit, neſcire ſe fatetur Euſebius. Hieronymus vero docet vnde eam deſcripſerit, *ex Evangelio* (inquit) *quod nuper a me tranſlatum eſt;*

Ign. ad Smyrn. edit. vetuſt. Vſſer. p. 219.
Id. ibid. Voſſ. edit. p. 3.
Euſeb. Hiſt. L. 3. c. 36.
Hier. in L. de

& ali-

& alibi diſerte teſtatur, id *Evangelium*, ex quo hæc deſumpta ſunt, *Hebræum* eſſe, a *Nazaræis hæreticis* olim lectitatum. Id autem Evangelium falſum & apocryphum fuiſſe, & omnes conſentiunt, & vniverſæ Eccleſiæ fides probat, quæ non alia, quam quatuor iſta, quæ nunc habemus, Evangelia jam inde a prima Chriſtianiſmi origine ad hæc vſque tempora in canonem retuliſſe, proque divinis habuiſſe noſcitur. Sed & Origenes hæc eadem Chriſti ſcilicet, quæ in Nazaræorum Evangelio habebantur, verbo, in alio quoque æque apocrypho, libello extitiſſe teſtatur, qui *Doctrina Petri* vulgo dicebatur. Nunc ergo quæro, cur his noſter Ignatius Chriſti verba, veritatis fontes faſtidiens, ex impuris apocryphorum lacunis ficta, quam vera ex certis, ac divinitus inſpiratis libris apud Smyrnæos promere maluerit? Peregriniſque & exoticis impoſtorum figmentis puras & divinis aſſuetas fidelium aures offendere ac turbare, quam ſinceris ac familiaribus Paſtoris ſui vocibus ædificare? Id credo, non feciſſet Ignatius. Itaque qui fecit, abſit vt eum Ignatium fuiſſe putem. Mitto, quod hoc ipſum incertum eſt, an ſpurii illi & apocryphi libri, ex quibus iſtas Chriſto affictas voces deſumpſit epiſtolarum Parens, ante Ignatii tempora ſcripti jam extarent. Vero propius videtur nonniſi poſt Martyris mortem prodiiſſe. Vtcumque hoc ſe habeat, rei certe ipſius abſurditatem & ſenſit, & corrigere, vel certe obumbrare conatus eſt alter impoſtor, qui has epiſtolas poſt primam earum editionem interpolavit. Is enim iſtis Domino affictis ab hæreticis verbis veras eius ex Evangelio voces adjecit, quæ in vulgatis codicibus leguntur; *Spiritus enim carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et Thomæ dicit; Injice digitum tuum in fixuram clauorum, & offer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Sed auctoris fuiſſe Voſſianam & Vſſerianam abſque hac lacinia lectionem, arguit, & ipſa ejus ſimplicitas, & codicum ex quibus deſcripta eſt, antiquitas, & Euſebii & Hieronymi auctoritas, qui non plura, quam quæ in ea habentur, hunc locum laudantes recitant. Clariſſ. Vſſerius, vt primum epiſtolæ auctorem purget, affert ex Euſebio* *aliam quandam hiſtoriam, a Papia Ioannis diſcipulo ex Evangelio ſecundum Hebræos propoſitam fuiſſe*; vnde colligit nihil eſſe, quod miremur *ex eodem quoque Evangelio & hanc ab eius condiſcipulo Ignatio productam eſſe.* Sed quod viri magni pace dictum ſit, non videtur hoc exemplum admirandi cauſſam tollere; primo ob auctorum; ſecundo ob rerum diſſimilitudinem. Auctores ſunt Papias & Ignatius. Hunc Apoſtolorum fuiſſe diſcipulum omnes conſentiunt; Illum ipſius Ioannis auditorem fuiſſe, tametſi tradenti Irenæo non credidit Euſebius; Papiam de ſe teſtem omni exceptione maiorem citans, qui ſe in operis ſui procemio *ipſorum Apoſtolorum ſpectatorem atque auditorem fuiße nequaquam dicat, ſed ab eorum familiaribus normam fidei ſe accepiſſe teſtetur.* Tum quod multo majus eſt, idem ille Euſebius *hunc Papiam* ibidem *virum fuiſſe* ait *mediocri admodum ingenio, idque ex illius ſcriptis con-*

CAPVT XVII.

Script. Eccl. in Ign.
Id. in Iſai. L. 18 in procem.
Orig. L. 1. περὶ ἀρχῶν.
Euſeb. Hiſt. L. 3 c. 36.
Hier. in Catal. in Ignat.
Vſſer. in ep. Ign. ad Smyrn. Not. 23 p. 48.
** Euſeb. Hiſt. L. 3. c. 39. extr.*
Id. ibid. c. 39. init.

CAPVT XVII.

Ibid.p.112.C.

coniicere licere. Σφόδρα γὰρ (inquit) *μικρὸς ἂν τὸν νοῦν. ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν φαίνεται.* De Ignatio, nihil huiuſmodi; omnia plane alia traduntur; vt ſiquid Papias, vir ab Apoſtolis aliquanto remotior, adhęc puſilli intellectus, peccaverit, eadem peccare potuiſſe Ignatium putemus, Apoſtolorum abſque controverſia diſcipulum, & famę tum apud Euſebium, tum apud alios integræ ac illibatæ. Sed neque de rebus ipſis facile eſt iudicare. Scriptoris enim epiſtolici exemplum ipſum tenemus, Papiæ plane nihil habemus; exceptis illis pauculis, quæ in hunc modum refert Euſebius; *Aliam quoque* (inquit) *exponit hiſtoriam de muliere, quæ multorum criminum coram Domino accuſata eſt; quæ quidem hiſtoria in Evangelio ſecundum Hebræos ſcripta habetur.* Hinc neque ſcire poſſumus, quænam illa hiſtoria, quaque de muliere fuerit, & an apud noſtros extet, an vero apud ſolum Nazareorum Evangeliſtam legeretur; neque certo aſſequi, quorſum & quo conſilio eam Papias memoraverit, & an memorans lectores ſimul admonuerit, vnde eam didiciſſet. Hæc vero neſcientes, Papiam hoc nomine reprehendere, magnæ neque ferendæ eſſet temeritatis. Neque enim nos ii ſumus, qui nihil ex apocryphis a viris piis afferri, vel memorari licere cenſeamus. Quid ſi Papias hanc hiſtoriam expoſuit, vt confutaret? vel vt cum aliqua canonicorum Evangeliorum narratione comparet? Multa ſunt huius generis loca, in quibus apochrypha non modo abſque crimine, ſed etiam cum laude atque vtilitate legentium tangi ac recitari licet; Et vero ab auctoribus idoneis, vt Clemente, Origene, Hieronymo, aliis, merito & opportune memorata ſcimus. Scriptoris, quod arguimus, peccatum nihil iſtorum ſublevat. Nam quam tangit hiſtoriam ea in Evangelio noſtro, æque ac in Hebraïco extabat, quin & in noſtro expoſita erat multo quam in hoc, gravius atque luculentius, & quæ ad id locorum in libris noſtris habentur, non minus erant ad carnis Dominicæ veritatem confirmandam appoſita, quam illud a noſtro ex Nazaraico volumine allatum; niſi quis ita deſipiat, vt plebeiis illis ac inſueto apud noſtros dicendi genere expreſſis; *Non ſum dæmonium incorporale.* hæc Evangelica, *Spiritus carnem & oſſa non habet; ſicut me videtis habere,* & ea quæ mox de Thoma eiuſdem argumenti ſequuntur, deteriora putet, & ad demonſtrandam carnis Dominicæ veritatem invalidiora; quod plane contra eſt; neque aliter vel ipſos Ethnicos iudicaturos credo, ſi vtraque inter ſe contenderint. Quæ cum ita ſe habeant, apparet nullam Ignatio, ſi epiſtolam ſcripſiſſet, futuram fuiſſe rationem, cur hęc ex apocryphis potius ficta, quam ex Evangelicis vera præter communem fidelium morem, debitamque ſacris ac divinis libris reverentiam afferret. Huc & illud accedit, quod hæc ipſa, ſiqua ratione impulſus ex apocryphis recitaſſet, omnino videtur Smyrnæos moniturus fuiſſe, illa ſe ex apocryphis hæreticorum libris deprompſiſſe; ne ſcilicet eorũ animi inſuetis & apud divinos ſcriptores inauditis vocibus turbarentur; quod tamen ab epiſtolæ auctore nequaquam factum eſſe videmus; Vnde ex-

de extitit illa Euſebii, tametſi viri alioqui eruditiſſimi, vbi in hunc locum incidit, admiratio dicam, an perturbatio; *In epiſtola* (inquit) *ad Smyrnæos de Servatore noſtro loquens, quædam eius verba recitat, quæ vnde acceperit, ignoro.* ὁ δὲ αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων, οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται, τοιαῦτά τινα περὶ τοῦ Χριστοῦ διεξιών. Smyrnæos quanto magis hæc erant turbatura, magnam partem Euſebio multo indoctiores, & rei litterariæ imperitiores? Hæc vero talia ſunt omnia, vt ne ipſum quidem, quem epiſtolam finxiſſe arbitror, impoſtorem his apocryphis canonica hoc loco poſthabiturum, & his ſpretis illa memoraturum fuiſſe putem, niſi ſingularis quædam ratio ſic eum inſtituere ſubegiſſet. Is nimirum hæc ſic narrat, vt ea velit videri, non ex aliquorum libris didiciſſe; ſed præſens ex ore Domini ipſe audiviſſe; vt mox dicemus.

CAPVT XVII.

Euſ. Hiſt. L. 3. c. 36: p. 107. extr.

Neſcio an illud quoque cum reverentia divinis Scripturis debita ſatis congruat quod hic ſcriptor cum hæc Salomonis verba recitaſſet; *Honora Fili, Deum & Regem*, quæ Regi ſummum a nobis ſecundum Deum honorem deberi apertiſſime definiunt, ipſe velut ea ſibi ſententia parum placeat, aliam ex adverſo, tanquam iſta Prophetica veriorem, his verbis inducit; *Ego vero dico* (inquit) *honorare quidem Deum, vt auctorem omnium, Epiſcopum autem tanquam principem ſacerdotum, imaginem Dei ferentem; principatum quidem ſecundum Deum; ſacerdotium vero ſecundum Chriſtum. Et poſt hunc honorare etiam oportet Regem.* Hæc ille; quibus Salomonis ſententiam Regi ſecundum Deum primas deferentis apertiſſimè corrigit; vel vt verius dicam, repudiat ac refutat; ſecundum illum poſt Deum locum, non Regi (vt Salomo ſentiebat) ſed epiſcopo eſſe tribuendum pronuntians; Regi vero non ſecundum, ſed tertium, poſt Deum ſcilicet, & epiſcopum, adjudicans. Sed & in epiſtola quæ eſt ad Romanos, de quibuſdam Pauli verbis luſiſſe videtur, quod profecto non erat facturus Martyr. Cum enim ſe dixiſſet ita demum fidelem viſum iri, *ſi mundo non apparuerit*, id eſt ſi morte pro Chriſto tolerata ex hac communi luce eripiatur, ſique ipſum *eius corpus* (quod paulo poſt dicit) a beſtiis voratum, & in eorum viſceribus ſepultum, *mundus* non amplius *viderit*; ad hunc probandum ac confirmandum animi ſui ſenſum illa Pauli recitat; *Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna.* Quaſi vero Apoſtolus de fidelium corporibus iſtic loquatur, eaque non aliter æterna futura definiat, niſi per martyrium conſumpta inviſibilia facta fuerint.

Prov. 24. 21.

Ign. ad Smyrn. p. 118.

Id. ad Rom. ed. Græc. Lat. Vſſ. p. 22.

CAPVT XVIII.

Argumentum XXXVI. Quod ſcriptor epiſtolarum non pauca apud Romanos effutiat a Martyris gravitate, atque modeſtia aliena, cuius generis tria quædam maximè inſignia notantur. 1. Quod preces, ſi quæ a pijs ad Deum pro ſua liberatione fiant, & officia ſi qua apud homines ad eandem rem adhibeantur, damnet, velut quædam in ſe & in Deum peccata. 2. Quod ſe beſtias ad ſe laniandum vel blanditijs provocaturum, vel etiam vi coacturum profiteatur. 3. Quod ſe totum a beſtijs ſic conſumi optet, vt nihil ſui ſuperſit; cuius voti ineptam ac iocularem rationem addit. Quin & iſtum videri ſenſiſſe, ſe niſi martyrium faceret, ſeruari a Chriſto plane non potuiſſe.

IAm vt hæc a reverentia divinis libris a fidelibus debita; ita & a Martyrum pietate ac modeſtia illa videntur aliena, quæ epiſtolarum ſcriptor de ſe, ſuaque patiendi voluntate apud Romanos nimium profecto, vt molliſſime dicam, leviter ac juveniliter prædicat. Sic enim præceps fertur, vt Romanos vetet ſuis vel apud Deum precibus, vel apud homines officiis intercedere, quo ea pœna, ad quam erat damnatus, liberetur. Eorum hac inparte benevolentiam deprecatur; *Solum mihi* (inquit) *potentiam petatis ab intra, & ab extra, vt non ſolum dicam, ſed & velim; non ſolum dicar Chriſtianus, ſed & inveniar.* μόνον δύναμιν αἰτεῖσθέ μοι ἔσωθέν τε καὶ ἔξωθεν, ἵνα μὴ μόνον λέγω, ἀλλὰ καὶ θέλω, ὅπως μὴ μόνον λέγωμαι, ἀλλὰ καὶ εὑρεθῶ. Bene hactenus. Sed illa, quæ paulo poſt addit, vltra legitimum modum ferri videntur. Eos enim precatus ne intempeſtiva concordia, ſive benevolentia agonem ſuum morentur; *Dimittite me* (inquit) *beſtiarum eſſe cibum: per quas eſt Deo potiri.* Tum, *Magis* (inquit) *blandite* (id eſt blandimini) *beſtijs, vt mihi ſepulcrum fiant, & nihil derelinquant eorum, quæ corporis mei; vt non dormiens gravis alicui inveniar. Tunc ergo diſcipulus verus Ieſu Chriſti, quando neque corpus meum mundus videbit. Orate Chriſtum pro me, vt per organa iſta Dei Sacrificium inveniar.* ἄφετέ με θηρίων εἶναι βρῶμα, δι' ὧν ἔστι θεοῦ ἐπιτυχεῖν. μᾶλλον κολακεύσατε τὰ θηρία, ἵνα μοι τάφος γένωνται, καὶ μηδὲν καταλείπωσι τῶν τοῦ σώματός μου, ἵνα μὴ κοιμηθεὶς βαρύς τινι εὑρεθήσωμαι. τότε ἔσομαι μαθητὴς ἀληθὴς Ἰησοῦ χριστοῦ, ὅτε οὐδὲ τὸ σῶμά μου ὁ κόσμος ὄψεται. Λιτανεύσατε τὸν κύριον ὑπὲρ ἐμοῦ, ἵνα διὰ τῶν ὀργάνων τούτων θεοῦ θυσία εὑρεθῶ. Et infra in eandem ſententiam; *Ignoſcite mihi, Fratres. Non impediatis me vivere.* Συγγνωμονεῖτέ μοι ἀδελφοί· μὴ ἐμποδίσητέ μοι ζῆσαι. Quin & Diabolum adiuturos, eique quodammodo miniſtraturos denuntiat, ſiqui ſe fideles in vita retinere conentur. *Nullus præſentium* (inquit) *de vobis adiuvet* (*eum* ſcilicet, vel *ei opituletur*) μηδεὶς οὖν τῶν παρόντων ὑμῶν βοηθείτω αὐτῷ. Sin certent, vt adhuc

Ign. ad Rom. p. 211. ed. Lat. p. 22. edit. Græc. Lat.

ibid. Lat. 211. 212. Gr. Lat. 23

ibid. Lat. p. 212. Gr. Lat. 24.

ibid. Lat. p. 13. Gr. Lat. 24.

vt adhuc maneat in vivis, invidiæ eos & nimium mundo affixi animi, CAPVT XVIII.
non obſcure reos agit. *Ne loquamini* (inquit) *Ieſum Chriſtum, & mundum concupiſcatis. Invidia in vobis non habitet.* Μὴ λαλῆτε Ἰησοῦν Χριστὸν, κόσμον δὲ ἐπιθυμεῖτε· βασκανία ἐν ὑμῖν μὴ κατοικείτω. *ibid.* Vſque adeo autem metuit ne illi aliter in ſe affecti ſint; vt eos in ſententia manere, etiamſi ipſe forte mutet, velit atque jubeat. *Neque ſi ego præſens vos* (inquit) *obſecrem obtemperetis; verum his potius credite, quæ vobis ſcribo.* *ibid. Gr. Lat. 24. extr.* μηδὲ ἐὰν ἐγὼ ὑμᾶς παρὼν παρακαλῶ, πεισθῆτε· τούτοις δὲ μᾶλλον πιστεύετε, οἷς γράφω ὑμῖν. Denique, ſi ſe non mori contigerit, denuntiat eos reos fore odii in ſe; *Si patiar* (inquit) *adamaſtis me; ſin reyciar, odiſtis me.* *ibid. Gr. Lat. p. 25.* ἐὰν πάθω, ἠγαπήσατε· ἐὰν ἀποδοκιμασθῶ, ἐμισήσατε. Hæc ille a Romanis ſuis exigit. De ſe mox eadem ſpondet; *Sortiar* (inquit) *beſtijs mihi eſſe paratis; & oro promptas mihi inveniri; quibus & blandiar cito me devorare; non quemadmodum quoſdam timentes non tetigerant. Sed & ſi ipſæ volentem non velint, ego vim faciam. Veniam mihi habete; quid mihi confert, ego cognoſco.* *ibid. Lat. 212.* Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων· ἃ καὶ εὔχομαι σύντομά (al. σύντονά) μοι εὑρεθῆναι· ἃ καὶ κολακεύσω, συντόμως με καταφαγεῖν (οὐχ ὥσπερ τινῶν δειλαινόμενα οὐχ ἥψαντο, κἂν αὐτὰ δὲ ἄκοντα μὴ θέλῃ, ἐγὼ προσβιάσομαι. *ibid. H. Lat. 23.* Συγγνώμην μοι ἔχετε· τί μοι συμφέρει, ἐγὼ γινώσκω. Hæc epiſtolæ ſcriptor, in quibus tria quædam a ſanctiſſimi Martyris pietate, ac modeſtia, vt mihi quidem videtur, aliena denoto; primum quod adeo vehementer pios Romanos deterret, ne paratum ſupplicium vllis vel officiis, vel etiam precibus ac votis a ſuo capite avertere vel arcere conentur; alterum, quod ſe beſtias vltro ad necem ſuam accelerandam provocaturum ſcribat; tertium denique quod ſe non ſimpliciter a beſtiis laniari atque interfici, ſed etiam ita vorari atque abſumi omnes ſui corporis particulas exoptet, vt earum nihil ad ſepulturam ſuperſit. Horum enim trium nullum in omni Martyrum Chriſtianorum copia exemplum extare memini; neque vllum qui epiſtolis faveat, afferunt. Piorum fateor, eum eſſe omnium animum decet, vt pro Domino Chriſto quævis, etiam crudeliſſima ac diriſſima & pati parati ſint, & vero reapſe etiam patiantur ac perferant, quoties eo vocantur. Cæterum plaudam in his, & humilem, & modeſtam, & ab omni temeritate atque arrogantia & ἀλαζονείᾳ puram, & in Dei vnius voluntate defixam eſſe debere animam, & Chriſti totius diſciplinæ auctoris ac principis diviniſſimum exemplum, & diſcipulorum ejus probatiſſimorum acta, & Chriſtianiſmi pro quo certant, ratio, & victimarum, quibus eorum paſſio tum a ſacris, tum ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus comparari ſolet, imago, & multa tum Domini, tum ſervorum eius præcepta ſatis docent; Neque quiſquam, credo, aliter ſentit. Nunc ergo videamus, an huius, qui ſe in procinctu ad martyrium fuiſſe fingit, ſcriptoris animum, epiſtola ad hunc modum compoſitum exhibeat. Primum ergo ab hoc Martyris officio diſcedit, quod iſte non modo nolit fideles Deum precari vt ipſum mortali hoc diſcrimine eripiat, vel ad hoc procurandum vlla alia ratione

CAPVT XVIII.

tione niti aut contendere;ſed quod eos etiam velit *beſtijs blandiri*, quo eum celerius conficiãt, & in ſuis viſceribus velut in optimo ſepulchro quamprimum condant;quæ profecto truculenta ſunt,neque a piis,quorum ſummam eſſe decet humanitatem, rite & honeſte flagitantur. Id pæne tantumdem eſt, ac ſi eos roget, vt ſui ſint carnifices. Illud vero quis ferat, quod Diaboli cooperatores, ac adjutores eſſe ſatis aperte definiat, qui pio animo votis ac precibus a Deo poſcunt, ne aliquem eximium Eccleſiæ ſuæ Paſtorem a perſecutoribus vinctum & damnatum morte ex eorum ſententia affici ſinat? Pari laborant ineptia,quæ ſequuntur,*mundum concupiſcere,& invidiæ ſuſpectos eſſe*, qui excellentem Epiſcopum ſupplicio, ad quod eſt ob fidem damnatus, liberari optant. *Mundo* ſi huic credis,& *carni* addicta erat,vel certe invida Hieroſolymitana illa Eccleſia, a qua cum Petrus ab Herode in vinculis ad ſupplicium poſt proximum Paſcha ſervaretur,*pro eo oratio ad Deum ſine intermiſſione fiebat*.Doctiſſimus Hammondus reſpondet *Deum fortaſſe inſtinctu quodam præſignificaviſſe huius* (quem Ignatium fuiſſe vult) *imminere* τελείωσιν.*nec igitur precibus contra nitendum,ſed Deo vni rem integram permittendam eſſe*. Quid? Tuus-ne ergo Ignatius,Hammonde, vni *Deo rem integram permittit*,neque aliud a ſuis Romanis exigit,niſi hoc vnum,ne contra *Dei voluntatem nitantur?*Ego vero, ſi ita inſtitueret, laudarem, atque exoſcularer. Sed hoccine quæſo facit, qui fidelis non modo non vult precari ne beſtiis tradatur, ſed inſuper *beſtijs* ipſos *blandiri, vt eæ ſepulcrum fiant?* Qui Romanos ſi ſententiam ipſe fortaſſe mutet,eoſque præſens opem poſcat, vetat ſibi obſecranti obtemperare,& in iis,quæ nunc decernit,conſtanter manere,id eſt vt eum interfici & ſupplicio ad quod erat damnatus, conſumi ſinant? Qui denique exſerte & ἀποτόμως eos denuntiat iniqui in ſe odii reos futuros, ſi ipſum ſupplicio eximi contigerit? Hoc vero eſt, non quod tu ex veri Chriſtianiſmi ingenio ais, Hammonde Doctiſſime, *Deo rem permitte*, ſed ab eo invito martyrium quicquid decreverit,velle extorquere. Si fideles decuit, putare quod iſte ab iis contendit, ne pro ſua ſalute temporali precarentur,id *arcano Dei inſtinctu* fieri, vt nihil eſſet quod contra precibus niterentur, eoſdem certe,ſi Ignatium illum tuum ſententiam mutare, & eorum ad evadendum opem atque preces expoſcere contigiſſet, eoſdem inquam, exiſtimare decuiſſet & hoc quoque divina voluntate ac præſignificatione fieri, adeoque preces ei,quas popoſciſſet,concedere.At hoc ipſo ſi fortaſſe contigerit,nihiloſecius denuntiat ne ſibi tum aliud poſcenti obtemperent.Itaque non eam iſte, quam decebat,divinæ voluntatis rationem habuit; ſed ſe,quicquid fiat, omni modo atque ratione martyrem fieri ſi ei quidem credimus voluit;quod quantum abſit a pia illa Chriſti ſervorum ſeſe totos Domini arbitrio ac voluntati permittentium ſummiſſione atque humilitate, omnes vident.Iſte vni ſuo commodo atque vſui intentus,neque divinæ voluntatis,neque fidelium ædificationis quæ cæteris omnibus potior nobis eſſe debet,

Act.12.5.
Hamm.Diſſer. 2.c.10. §.4.

debet, vllam rationem habuiſſe videtur; *Veniam mihi habet* (inquit) *quid mihi confert*, vel vtile ſit, *ego cognoſco.* Συγγνώμην μοι ἔχετε· τί μοι συμφέρει ἐγὼ γινώσκω. Sed heus tu! non tua tibi tantum; ſed & gregis tui & totius Eccleſiæ vtilitas erat ſpectanda; ac Deo judici atque agonothetæ tuo arbitrandam permittere vtra pars præponderare (vt ſic dicam) debuerit. Tibi hanc exemplo ſuo modeſtiam præiverat is, cuius te diſcipulum fuiſſe gloriaris Paulus, & quidem æque ac tu vinctus; *Quod ſi vivere* (inquit) *in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus; deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto melius; permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.* Neque ſi Deus decreverit aliquem de ſervis ſuis paſſione conſummare, ideo credendum eſt aliorum piorum ad eum in vivis retinendum deſideria, vota, preces, ac officia Domino diſplicere, vel judicandum hos iſtorum conatus vel ab odio vel ab invidia in Martyrem, vel ab humano aliquo carnis affectu proficiſci. Longe aliter ſe geſſit in ſimili negotio idem Paulus; qui cum a fratribus vinculorum & diſcriminum, quæ eum Hieroſolymis manebant, conſciis ab illo itinere vehementer deterreretur; *Quid* (inquit) *facitis, flentes & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu. Et cum* ei (inquit Lucas vnus ex eius comitibus) *ſuadere non poſſemus, quievimus, dicentes, Domini voluntas fiat.* Vides quam modeſte, quamque amanter Apoſtolus vim & vota iſtorum deprecatus ſit; neque odii eos, aut invidiæ, aut carnalis alicuius affectus inſimulatit? Ad hanc ſe formam geſſiſſet Ignatius, ſiquid illi eius ſimile accidiſſet, quod Paulo tunc contigit. Cum plane aliter cum Romanis fidelibus agat epiſtolæ ſcriptor, nihil minus eſt, quam Ignatius. Sed neque ſanctorum & vere Apoſtolicorum virorum moribus ſatis congruunt quæ de ſe ipſe deque animi ſui ſtatu narrat. Illud mitto, non ſatis vt videtur modeſtum, quod animi ſui intrepidam fortitudinem nimium effert, ac pæne oſtentat; *Ignis & crux beſtiarumque congregationes* (inquit) *diſperſiones oſſium, conciſio membrorum, molitiones totius corporis, malæ punitiones Diaboli in me veniant; ſolum vt Ieſu Chriſto fruar.* Πῦρ καὶ σταυρὸς, θηρίων τε συστάσεις, ἀνατομαὶ, διαιρέσεις, σκορπισμοὶ ὀστέων, συγκοπαὶ μελῶν, ἀλησμοὶ ὅλου τοῦ σώματος, καὶ κολάσεις τοῦ διαβόλου ἐπ' ἐμὲ ἐρχέσθωσαν, μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. Mitto alia eiuſdem generis non pauca de ſua fortitudine tota paſſim epiſtola inſperſa. Quanto & modeſtius & gravius nuper ad pios Cæſarienſes Paulus de ſua ad quidvis pro Domino Ieſu patiendum fiducia? Primo hæc de ſe neceſſario, & provocatus amicorum flagitatione, & precibus, ipſius at videbatur conſtantiæ nonnihil diffidentium. Noſter vltro, neque vllo, quod quidem appareat, neceſſitate compulſus de ſe (quod odioſum eſt) magna illa dicit; Romanorum vota, & ad ſe liberandum conſilia ac conatus ante deprecans, quam ad eos veniſſet, aut perpetuum haberet, quid iis de ſe, ſuoque agone, mentis & animi eſſet. Tum Paulus illa quæ de ſe dicit, graviter

CAPUT XVIII.

Ign. ep. ad Rom. ed. Uſſ. r. Lat. p. 21. Gr. Lat. 23. extr.

Phil. 1. 22. 23. 24.

Act. 21. 13. 14.

Ign. ad Rom. Uſſer. ed. Lat. p. Gr. Lat. 24.

Caput XVIII.

& paucis & qua dicebat modeſtia exſequitur, *paratum* ſe eſſe affirmans *propter Ieſu nomen & alligari, & mori.* Noſter ignes, cruces, beſtiarum in ſe ruentium concurſus, lanienas, diſcerptiones oſſium, artuum diſſipationes, membrorum conciſiones, totius corporis contritiones, & Diaboli cruciatus ac tormenta, ante ſuorum Romanorum oculos magna pompa explicat; & ſecurus omnia in ſe vnum provocat. Sed hæc, quod dixi, non vrgebo. Illud vero quis a Chriſti martyre exſpectabat? *Beſtias* (inquit) *blanditiis demulcebo, vt citius me devorent; ſed & ſi ipſæ averſæ nolint, ego illas vi adigam.* O diras & truculentas voces! non alia anima dignas, quam ea, quæ vitæ ſuæ pertæſa, *lucemque* quod Poëta ait, *peroſa* in mortem præceps ruit. Chriſti Martyres mortem exſpectant; non accerſunt; ad metam compoſito, non pręcipiti gradu feruntur, neque mortis inſtrumenta in ſe ante ſævire cogunt; quam ſummus agonotheta iuſſerit; cuius imperia non occupant vel antevertunt, ſed faceſſunt & exſequuntur. Doctiſſimus Hammondus ſcriptorem *hæc* (vt loquitur) *pia* θεοφόρυ *mentis hyperbole ſignificaſſe ſe non ad fugiendum, ſed ad maturandum potius tam honeſtum exitum paratum eſſe.* Atqui *vitæ exitum* primo *piæ mentis* eſt non ipſam *maturare*, ſed a Deo expectare; cuius vnius ius ac poteſtas eſt homines pro ſuo arbitrio vt in hac vitæ vt ſic dicam ſtatione collocare, ita & ex ea dimittere. Tum *beſtias* ad necem ſibi inferendam averſas & invitas *cogere & vi adigere*, non eſt exitum *maturantis*, ſed præcipitantis, & ante ſignum datum ſtationem deſerentis & ex ea fugientis; quod ab Ignatio, ſancto & legitimo Martyre alienum eſt. Montaniſtas olim ab Eccleſia damnatos conſtat, quod negarent in perſecutione fugiendum. Quanto magis damnati eſſent, ſiqui mortem accelerandam, & irritatis vel perſecutoribus, vel beſtiis a quibus ea noſtris inferebatur, accelerandam docuiſſent? Hyperbolis vti etiam Martyri licere, fateor; ſed rectis, & modeſtis, & vſitatis. Hæc enormis, & a conſueto Sanctorum ſermone abhorret; apud quos nullum reperitur huius ſimile exemplum; Neque enim ſi quod extaret, omiſiſſet hoc loco doctiſſimus Hammondus, cui omnis Eccleſiaſtica antiquitas æquè ac domus ſua, nota erat. In Smyrnenſium Martyrum actis, quæ erant a Blondello obiecta certum eſt nihil epiſtolici ſcriptoris ſermoni ſimile reperiri. An hic, quod illi faciendum negabant, *ſe* ipſe *offerat*, nihil neceſſe eſt diſcutere; quamquam neſcio qui iſte negari poſſit de *admovendis ſibi necis inſtrumentis cogitaſſe*, qui clare ac diſerte profitetur, ſe beſtias mortis (vt ipſe appellat) ſuæ *inſtrumenta* ὄργανα, ſi ſe tangere ac lædere refugiant, ad ſe devorandum, *& blanditijs* pellecturum, & vi etiam nolentia adacturum. Diriora ſunt quæ iſte ſolus ſine exemplo ita loquitur, quam vt vllis *Rhetorices* artibus purgari poſſint. Rhetorica nobis *verborum pompas* concedit; ſed tamē ea lege vt nihil ſit in ſermone noſtro dirum, nihil a vero, nihil ab honeſto, & decoro, nihil denique ab eorum, ad quos loquimur, ædificatione alienum. Pompas in illo agone decretorio verſanti ne Poëta quidem concedit, qui in ad-

Hamm. diſſer. 2.c.10. §.4.

verſis

verſis ampullas abiici jubet. Qui in eo ſunt, fortes & intrepidos eſſe decet; putidas & frigidas & Thraſonibus quam viris gravibus, digniores hyperbolas fundere nihil neceſſe eſt. Sed huic ſcilicet noſtro martyrem ſimulanti idem accidit; quod plæriſque Poëtarum, qui heroum ſuorum acta, dum vltra omnem naturæ modum tendunt, corrumpunt; dumque ſe ita demum præclare ac magnifice fingere putant, ſi quæ fingunt, ea nihil cum hominibus commune, ſed omnia ſupra noſtrum captum elata, & procul ab ingenio moreque humano diſcedentia habuerint, in id vitium incidunt, quod Rhetores τὸ ψυχρὸν, id eſt *frigidum*, vocant; quo vix in dicendo quicquam tetrius admitti poteſt. Sic enim iis quæ dicuntur ipſa veri ſpecies detrahitur, vt falſa eſſe ſtatim eo ipſo appareat quod ſic dicantur. Euſebii, quam hic nobis vir doctiſſimus obiicit, auctoritas, ea vera vt ſint, efficere nequaquam poteſt, quæ ſe falſa fictaque ipſa eſſe produnt ac pæne clamant. Quod poſtremo de ſuo Ignatio ex animi ſtudio potius, quam ſenſu, Blondellum hæc quæ ſequimur, ſcripſiſſe vult, ea invidioſe quidem dici video; an & vere dicantur, Deus novit, & lector cordatus judicabit. Equidem vere & quidem juratus teſtari poſſum me in familiari quodam colloquio virum aliquando audiviſſe, honeſtiſſimum quidem illum, atque eruditiſſimum, & in hoc litterarum genere ſumma cum laude verſatum, cæterum Latinorum partibus addictiſſimum, adeoque ab eius, quam doctiſſimus Hammondus intelligit, *cauſæ ſtudio* plane alienum, qui tamen diceret ſibi quæ in hac ad Romanos epiſtola de martyrii voluntate leguntur, ita abſurda ac ridicula videri, vt ea nullus dubitaret non ab Ignatio Sancto & Apoſtolico ſene ſcripta, ſed ab aliquo veteri qnidem, cæterum inepto & imperito homine ſcripta fuiſſe. Verum his miſſis quæ extra cauſam ſunt, ad rem redeamus. Inter ea, quæ in epiſtola perperam atque incommode, neque vt Ignatio dignum erat, dicta ſunt, illa etiam ſuperioribus adiicienda puto, quæ de martyrii neceſſitate in ea occurrunt, ita expreſſa, vt niſi auctori ſubveniat illa miſeris ſalutaris Hyperbole, omnino ſtatuere videantur eos extra Chriſtum eſſe, adeoque & de ſalute periclitari quicũque abſque martyrio moriuntur. Iſte enim ſe ait *nunc incipere diſcipulum eſſe* veluti antehac non fuerit; licet iampridem Chriſtianus & aliquot annos epiſcopus; & Romanorum officia deprecans, eos rogat, *ne ſe vivere impediant, ne ſe velint mori*; quaſi non aliter vel Chriſto vivere, vel mortem æternam effugere poſſit, niſi violentam mortem oppetat. Idem non modo tinniunt, ſed aperte definiunt, quæ paulo ante eadem de re dixerat; *Tunc ero diſcipulus verus Ieſu Chriſti, quando neque corpus meum mundus videbit.* Et mox; *Sed ſi patiar, manumiſſus fiam Ieſu Chriſti, vt reſurgam liber.* Τότε ἔσομαι μαθητὴς ἀληθὴς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτε οὐδὲ τὸ σῶμά μου ὁ κόσμος ὄψεται. Ἀλλὰ ἐὰν πάθω, ἀπελεύθερος γενήσομαι Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀναστήσομαι ἐν αὐτῷ ἐλεύθερος. Plane ac ſi nemo Chriſti vere diſcipulus ſit, cuius corpus non fuerit vel beſtiarum, vel flammarum vi abſumptum; neque quemquam Chriſtus vel nunc

CAPVT XVIII.

Hamm. ibid.

Ign. in ep. ad Rom. edit. Voſſ. p. 212.

Ibid.

Ibid. & in ed. Gr. Lat. p. 23.

CAPVT XVIII.

manumittat, vel olim reſuſcitet, niſi qui martyrium fecerit. Neque enim hic de Apoſtatis, timidis loquitur, qui ad quam vocantur paſſionem, eam per metum detrectant, ſeque ab ea vel negatione, vel pretio, vel turpi aliqua & Chriſti Evangelio indigna ratione redimunt; quos a Domino alienos eſſe omnis Eccleſiæ diſciplina merito decernit; ſed de iis, quos Dei providentia fidelium precibus donat, quoſque non ſua, ſed Domini voluntas repente præter omnem rerum ipſarum apud homines conſtitutionem ex agone ſubducit; veluti Petrũ ex Herodis carcere. Hoc enim noſter ne fiat enixe contendit; ac pugnat, totuſque in eo eſt; adeoque id ſi fiat, ſe Chriſti inde conſortio & diſcipulatu, manumiſſione & reſurrectione multatum iri ſignificat; quæ vident omnes quam mira ſint, & ab Evangelio, & a Domini bonitate, & ab eorum Chriſtianorum ſpe aliena, qui pie quidem, ſed tamen citra martyrium curſum conſummarunt. Illud denique quod nos tertium cenſuimus, occurrit, mirificum profecto, & Cynica nobilitate dignum, apud Chriſtianos quod ſciam inauditum & plane ſingulare, & huius vnius proprium votum, optantis vt beſtiæ ſe totum vorent, neque ſui corpuſculi quicquam reliquum faciant, quod humo mandari poſſit. Diſerta ſunt verba; *Sinite me* (inquit) *ferarum eſcam fieri. Imo blanditiis beſtias potius demulcebo, vt mihi ſepulcrum fiant, nihilque de corpore meo relinquant.* Quo & illa pertinent quæ ſtatim addit; *Tunc ero verus Ieſu Chriſti diſcipulus, cum mundus nec corpus meum videbit*, Nulla eſt hyperbole, quæ tam inſulſi, tamque ab omni non modo Chriſtianorum, ſed etiam hominum ingenio abhorrentis voti abſurditatem ſolari vel mitigare poſſit. Reliquiarii quidem, quorum jampridem frequentiſſima ſunt apud Chriſtianos collegia, præſertim vero Latini noſtri, tam triſte tamque funeſtum votum, abominari debent, ac velut impietatis manifeſtum damnare. Nam ſi Martyres & Sancti ſic, vt iſte fieri cupit, ita *veri Ieſu Chriſti diſcipuli* facti eſſent, ſic nimirum, vt de eorum corporibus, nihil quod a mundo videri poſſet, ſupereſſet; quantis theſauris, quantiſque ſolatiis, ornamentis, præſidiis, miraculis denique fraudata eſſet omnis eorum religio! quanta in ea vaſtitas foret, quæ non aliis fere, quam harum *reliquiarum* munimentis hodie nititur, quas iſte maleferiatus Ignatii ſimius in beſtiarum viſceribus ſepultas procul a communi hominum luce & aſpectu confici, & abſumi optabat! Sed vt inhumanum & truculentum hominis votum eſt; ita ſtulta & jocularis voti, quæ ab eo adjicitur, ratio. Cur enim hunc putas cupiviſſe corpus ſuum ita totum a beſtiis abſumi, vt eius nihil mundus videret? Audi vero gravem, & tanto viro dignam rationem; Nihil (inquit) de corpore meo reliquum faciant beſtiæ, *Ne cum obdormiero moleſtus cuiquam inveniar*, *ἵνα μὴ κοιμηθεὶς βαρύς τινι εὑρεθήσομαι.* Hominem vides plane commodum; ac humani, Chriſtiani vero præſertim generis ſupra omnem modum amantem, ac ſtudioſum, qui neque alicui mortuus creet moleſtiæ tam ſollicite adhuc vivens cavet, vt corpus ſuum totum penitus a beſtiis

conſu-

conſumi malit, quam vllum hominum vel Paganum, vel Chriſtianum tantillum in eo humando fatigari. Delicatam hominis providentiam dicerem, niſi & fratribus contumelioſam fuiſſe viderem; quorum iſte de charitate tam male exiſtimabat, vt iis grave futurum putaret Martyris corpus ſepelire, imo vel officula vnum forte aut alterum legere atque condere; & honorem, qui nemini civi, peregrino, barbaro, ac ne hoſti quidem negatur, eum teſti pro Domini cauſſa mortuo habere. Sed ſatis, ni fallor, demonſtratum eſt, quam abſona ſint, quamque Ignatio indigna quæ hæc epiſtola ei affinxit. Vnum ad cumulum addam; Etiamſi hæc, quæ excuſſimus, omnia, pia, legitima, præclara, Martyris cogitatione, conſilio & opere digna eſſent; hoc certe negari non poſſe, Ignatium ea ipſa de ſe apud Romanos commemorare & prædicare epiſtola non alia de cauſſa ad eos ſcripta, quam vt has viri glorias viderent, atque ſtuperent; id inquam, valde indecorum eſſe, a modeſtiæ, maxime Chriſtianæ, vſu, more, atque rationibus alienum. Ignatii in Chriſtum amorem, vincula, navigationem, leopardorum cuſtodiam, & injurias, ſpretos ignes, contemptaſque cruces ac beſtias, omnia Domino poſthabita; tantam fuiſſe martyrii ſitim, vt ſibi etiam a piorum charitate metueret, eorumque pro ſua liberatione orationes ac vota, veluti quaſdam hoſtium diras, atque imprecationes deprecaretur; & cætera ejuſdem generis, ab aliis narrari, explicari, exaggerari verum & honeſtum erat; ab ipſo Ignatio commemorari, plenas iſtis litteras de longinquo ad Romanos mitti, *hyperbolis & verborum* (quod dicit Hammondus) *pompis*, veluti coronatas, ac lemniſcatas, id vero, quod & noſtrorum & adverſariorum pace dictum ſit, putidum erat, & odioſum; quo fit, vt cuiuſvis potius, quam Ignatii eſſe videatur illa tam inſcite tamque imprudenter ſcripta ad Romanos epiſtola. CAPVT XVIII.

Caput XIX.

Caput XIX.

Argumentum adverſus Ignatiana XXXVII. Quod ſcriptor dicat Apoſtolos præcepiſſe Epiſcopum eſſe venerandum ſicut Chriſtum. Argumentum XXXVIII. Quod idem Paulum ſcribat Epheſiorum in omni epiſtola mentionem facere. Confutantur Reverendiſſimus Vſſerij & doctiſſimi Hammondi gloſſæ & correctiones. Argumentum XXXIX. Quod idem Abedaddam capite apud Scripturas truncatum, ex Conſtitutionibus Pſeudo-Apoſtolicis mutuatus ſit. Quæ omnia apertiſſime falſa ſunt, vero Ignatio plane indigna.

AD alia nunc procedamus partim a veracitate, partim ab ea rerum divinarum atque Eccleſiaſticarum cognitione aliena, qua vtraque haud vulgari præditum fuiſſe eum virum certum eſt, qui & ab Apoſtolis inſtitutus, & Antiochenæ Eccleſiæ præfectus, ad hæc martyrio conſummatus eſt. Cum vtraque pugnat, quod epiſtolarum ſcriptor in ea quæ eſt ad Trallianos ſcribit; *Veneramini Epiſcopum veſtrum ſicut* Ignat. ad Tral. p. 70. *Chriſtum, ſecundum quod vobis beati Apoſtoli præceperunt.* Αἰδεῖσθε δὲ καὶ τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν, ὡς Χριστὸν, καθ' ὃ ὑμῖν οἱ μακάριοι διετάξαντο Ἀπόστολοι. At falſum eſt Apoſtolos, non dico Trallianis; ad quas nullæ extant eorum litteræ, ſed vllis aliis præcepiſſe, vt *Epiſcopum ſicut Chriſtum venerarentur.* Scio Turrianum, quod etiam eſt a clariſſimo Vſſerio noſtro obſervatum, velle id præceptum ex Conſtitutionibus Apoſtolorum ſuis ab epiſtolæ ſcriptore fuiſſe citatum; in quibus revera præceptum extat huius noſtri geminum; *Epiſcopum* (inquit ille Διατάγεὺς) *ſicut Patrem debetis; timere vt Regem; honorare vt Dominum.* Διὸ τὸν ἐπίσκοπον στέργειν ὀφείλετε ὡς πατέρα· φοβεῖσθαι ὡς βασιλέα· τιμᾶν ὡς Κύριον. Sed hæc Turriani opinio adeo nos non ferit, vt etiam juvet. Donemus ei quod cupit, quodque ſatis credibile eſt, epiſtolæ ſcriptorem, cum διατάγῆς ſive Conſtitutionis de Epiſcopo Apoſtolicæ meminit, eam intelligere, quæ eſt apud Conſtitutionum parentem. Hinc id quod nos contendimus, liquido conficitur. Nam ſi ita eſt, epiſtolæ ſcriptorem neceſſe eſt poſt conditas illas vt vocant, Apoſtolorum conſtitutiones vixiſſe, adeoque Ignatium non modo non fuiſſe, ſed etiam ducentis poſt eum martyrio conſummatum annis vixiſſe; quia ſcilicet illas Turrianicas Apoſtolorum Conſtitutiones conſtat quarto demum ſæculo fuiſſe & ſcriptas, & editas; quod & omnes pæne eruditi conſentiunt, & nos fuſe proprio de iis volumine iamdudum demonſtravimus. Ergo cum ex his conſtet nullam fuiſſe quo tempore vixit Ignatius Apoſtolorum, qualem ille citat, conſtitutionem; omnino conſequens eſt, vt eum ſi hæc ſcripſiſſet, mentitum fuiſſe concedamus; quod cum a talis viri moribus abhor-

Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 10. 76. Turrian. Præfat. Gr. in Conſt. p. 10. Clem. in Conſt. L. 2. c. 34.

abhorreat, illud poſtremo neceſſario confitendum eſt, qui hæc ita ad Trallianos ſcribit, eum nihil minus fuiſſe, quam Ignatium. CAPVT XIX.

Huc quoque pertinet, quod Vſſerianus, Voſſianuſque Ignatius falſo ad Epheſios *ſcribit Paulum Apoſtolum in omni epiſtola memoriam eorum facere in Ieſu Chriſto.* ὃς (Παῦλος) ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Vulgatus Ignatius locum de more interpolavit; & quia Epheſiorum factam in omni epiſtola a Paulo mentionem non reperiebat, pro *vobis*, *nos*; pro *epiſtola*, *orationes* ſic ſubſtituit; ὃς πάντοτε ἐν ταῖς δεήσεσιν αὐτοῦ μνημονεύει ἡμῶν, *qui ſemper in ſuis orationibus memor eſt noſtri.* Nimirum quo ſæculo interpolator vixit (id eſt ſexto) dogma de Sanctorum cœlitum pro fidelibus in terra adhuc militantibus interceſſione & precibus iam paſſim invaluerat. Itaque hac veteris ſcriptoris correctione duo interpolator effecit; 1. evidentem falſitatis notam ex epiſtola eluit. 2. Ignatii auctoritate novum ſui ſæculi de Sanctorum interceſſione dogma firmavit. Quod enim doctiſſimus Vſſerius relativum pronomen, *qui* ὃς, in vulgato codice ad *Chriſtum* (cuius nomen iſtic proxime antecedit) referri vult, non autem ad *Paulum* (cuius nomen aliquanto longius poſitum iſtic extat) id inquam, & vetuſtioris ſcriptoris auctoritas refellit, *quem* ipſe Vſſerius fatetur *ad Paulum clauſulam iſtam referre*, & ipſa locutionis de Chriſto apud omnes ni fallor, Chriſtianos inſolentis ratio reſpuit. Quis enim Dominum Chriſtum, in cœlo nunc glorioſiſſime regnantem, aliquorum fidelium, puta vel Ignatii, vel Epheſiorum, *ſemper in ſuis orationibus meminiſſe* vnquam dixit? Iſta vero de fidelibus orationi jugiter hic incumbentibus dixeris; & Paulus de ſe, & aliis dixiſſe aliquoties reperitur; de Chriſto ad dexteram Patris ſedente, neque Paulus; neque (quod ſciam) veterum quiſquam dixit; neque vt mihi quidem videtur, dici fas eſt. Sunt enim abiectiora, & ſumma eius Majeſtate haud ſatis digna. In terris quidem in humilitatis ſtatu degentem in precibus noctes egiſſe, ac pæne aſſiduum fuiſſe diſcimus; In majeſtatis ſolio nunc ſedentem, eadem factitare, nulla Scriptura docet. Neque id conficiunt, quæ ex Paulo hic affert doctiſſimus Vſſerius. Paulus ſcribit Chriſtum *& reſurrexiſſe, & eſſe ad dexteram Dei etiam* ἐντυγχάνειν *interpellare*, vel *intercedere pro nobis*; & alibi eodem pariter ſenſu, *ſemperque* eum *vivere* dicit *ad interpellandum* vel *intercedendum pro nobis*. Cæterum divinus ſcriptor neque iſtic, neque vſpiam alibi ſcribit Dominum *noſtri memoriam in ſuis orationibus ſemper facere. Intercedere & interpellare* pro nobis apud Patrem, docet; quod concedo (& eſt ſane veriſſimum) *Intercedere* humili *prece*, vt *carnis ſuæ* diebus ſolebat; non docet, neque ego ſane crediderim. Qui ergo (inquit) intercedit & interpellat? Sui inquam, ſacrificii, ſemel quidem hic in cruce oblati, apud Patrem vero ſemper recentis, merito; quo nobis, quæcumque ſunt ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria a Patre impetrat. Diviniſſimi in illa ara fuſi ſanguinis æterna vox, noctes dieſque apud Deum perſonans facile rem omnem noſtram conficit, nihil vt

Ign. Vſſ. ad Eph. p. 199. Ign. Voſſ. ibid. p. 6. apud Vſſ.

Ibid. p. 40. ed. Vſſ.

Vſſ. in ep Ign. ad Eph. Not. 55

Rom. 8. 34.

Hebr. 7. 25.

hil vt

Caput XIX.

hil vt neceſſe ſit Mediatorem noſtrum de regio, cui inſidet, throno conſurgentem ad Patris (vt ſic dicam) genua accidere, & preces, quales olim in terris, ad eum funditare. Huic enim Chriſti ſanguini ſuam eſſe apud Deum pro nobis vocem idem Apoſtolus diſertiſſime nos docuit, quo loco dicit eum *aſperſionis ſanguinem, ad quem nos acceſſimus, meliora loqui, quam Abel*; quibus verbis omnem Dominicæ pro nobis apud Patrem interceſſionis rationem, vim, ac naturam, plane ſingularem, & regia, imo diviniſſima Mediatoria noſtri Majeſtate dignam, breviſſime quidem, ſed tamen pleniſſime ſanctiſſimus ſcriptor admirabiliter complexus eſſe videtur. Atque ita profligata quoque eadem opera eſt doctiſſimi Hammondi ſolutio, qui vt ab Ignatianis epiſtolis hoc telum depelleret, ad vulgatum Ignatium confugit, ex hoc Vſſerianum emendans, id eſt ex interpolato ſincerum, ex falſo verum, & recentiori denique vetuſtiorem. In Laurentiano codice ita ſcriptum eſt; πάροδός ἐστε τῶν εἰς θεὸν ἀναρουμένων. Παύλου συμμύσται τοῦ ἡγιασμένου, τοῦ μεμαρτυρημένου, τοῦ ἀξιομακαρίστου. οὗ γένοιτό μοι ὑπὸ τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι, ὅταν θεοῦ ἐπιτύχω, ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. In his doctiſſimus Hammondus pro primis illis verbis πάροδός ἐστε, &c. hæc reſcribit, παραδοθεὶς ἢ ἐγὼ, quod in vulgato codice reperit. At veram eſſe Laurentiani codicis ſcripturam vetuſtiſſimus Vſſerii interpres Latinus firmat, qui locum ita reddidit, *Tranſitus eſtis eorum qui in eum interficiuntur.* Quis doctiſſimo viro id juris dedit, vt duorum codicum Græci, Latinique quos ipſe optimos putat, conſentientem ſcripturam ex eius libri lectione emendet, quem ipſe interpolatum, ac vitiatum eſſe concedit? Eadem eſt poſtremorum verborum ratio, pro quibus contra vtriuſque illius codicis fidem hic ſex vitioſiſſimo vulgato ſcilicet, exemplari, ita ſcribi jubet, ὅταν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω, ὃς πάντοτε ἐν ταῖς δεήσεσιν αὐτοῦ μνημονεύει ἡμῶν, vel fortaſſis ὑμῶν. Pro θεοῦ, quod delet, reſcribit Ἰησοῦ Χριστοῦ pro ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ, ſcribit ἐν ταῖς δεήσεσιν. Denique poſtrema verba ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, quod novæ ſuæ emendationi moleſta ſint, plane penituſque expungit. Siquid ſimile vel Salmaſius vel Blondellus in Ignatianis auſi eſſent; quos clamores excitaturus erat Hammondus? Quam invidioſe illud ſibi ſolemne hierarchiæ odium obiecturus? Nos vero abſit, vt eruditiſſimo viro, & quidem laboranti, atque ad incitas redacto, ſuccenſeamus. Hoc vnum diſſentientes rogabimus, vt nos ſcriptori diffidere patiantur, quem ipſi non aliter tueri poſſunt, niſi eum pro ſua libidine ſpreta omni meliorum librorum auctoritate refinxerint. Illud mitto, de quo jam ſatis diximus ξένην; novam, & alienam eſſe illam de Chriſti interceſſione phraſin, quod *is ſemper noſtri in precibus ſuis meminerit.* Cum ergo ſcriptor id dicat quod apertiſſime falſum eſt, Paulum ſcilicet in omni ſua epiſtola Epheſiorum meminiſſe; omnino eſt fatendum nihil iſtum eſſe minus, quam Ignatium.

Hebr. 12. 24.

Hamm. Diſſer. 2. c. 15. §. 3.

Ign. ad Eph. vulg. p. 40.

Ign. ad Magn. p. 52.

Idem ſcriptor in epiſtola ad Magneſianos, vbi eorum, qui ſuæ in ſuperiores rebellionis pœnas dederunt, exempla ex veteris teſtamenti ſcriptu-

ſcripturis colligit, poſt Abſalonem, neſcioquem Abedadan memorat; Sic enim in Græco codice hoc nomen ſcribit ex quo non ſatis intellecto interpres Latinus duos viros fecit *Achab* & *Dadan* Nos Græcam lectionem retinemus; Latina enim nihili eſt; *Sic etiam* (inquit) *Abedadan propter ſimilem cauſam capite plexus eſt.* Ἀβιδδαδὰν ἀσώτως τῆς κεφαλῆς ἀφαιρεῖται, δι᾽ ὁμοίαν αἰτίαν. Quis ille capite ob rebellionem plexus Abeddadan? Nullus occurrit in omnibus Bibliis. Scriptor ergo falſa hic pro veris vel prudens, vel quod potius reor, ipſe falſus poſuit. Neutrum cadere potuit in verum Ignatium. Ergo hic noſter a vero Ignatio alius. Is autem quiſquis fuit, non eſt primus huius erroris auctor. Habet ab alio, æque falſo ac ſtramineo Conſtitutionum ſcriptore; qui in eodem argumento eadem affert exempla; *Non enim* (inquit) *Abſalom, & Abeddadan impuniti remanſerunt.* οὔτε γὰρ Ἀβεσσαλὼν καὶ Ἀβιδαδὰν ἔμειναν ἀτιμώρητοι. Idem porro nos docet, quem peregrino hoc nomine ſignificare voluerit, dum ait eum dixiſſe; *Non eſt mihi pars in David, neque hæreditas in filio Ieſſe.* Hæc enim in altero Samuelis volumine, verba ſunt *Sebæ*, filii Bochri; Ergo iſtius ſcriptoris Abedadan nemo alius eſt quam *Seba*, quem cur Abedadan dixerit, ſcire difficile eſt. Sed quæcumque Διαταγῶν fuerit huius ſive hallucinationis, ſive impoſturæ ratio, muſteus noſter epiſtolicus Ignatius hoc Abedadanis nomen apud eum nactus, bona fide retinuit; adeoque vel Διαταγέως ſæculo, id eſt Chriſtianiſmi quarto, vel etiam ſerius vixit.

CAPVT XIX.

Clem. Conſt. L. 6. c. 2.

ibid.

CAPVT XX.

Argumentum XL. Quod ſcriptor Paulum præter apertiſſima ipſius de ſe teſtimonia, coniugatum fuiſſe affirmet; id eum ad ſingularitatis & archaiſmi ſimulationem ex Clemente Alexandrino ſumpſiſſe videri. Refellitur Latinorum irritus conatus, Pauli nomen præter omnium codicum (niſi quos ipſi vitiaverunt) fidem, ex Ignatianis expungentium. Baronij & aliorum peſſima in hac cauſa fides, & calumnia deteguntur.

SEd & illud apertiſſime oſtendit epiſtolarum ſcriptorem alium ab Ignatio fuiſſe, quod in ea quæ eſt ad Philadelphienſes, legimus Paulum Apoſtolum fuiſſe conjugatum. Nam virgines hortatus, vt Chriſtum vnum ob oculos habeant, Sanctorum, qui vel cœlibes, vel coniuges vixerunt non pauca affert exempla, eos inter ſe contendens, vt doceat honeſtum per ſe eſſe, Deoque gratum atque acceptum vtrumque ordinem; *Memor ſum* (inquit) *ſanctitatis veſtræ; ſicut Heliæ, ſicut Ieſu filii Nave, ſicut Melchiſedeck, ſicut Eliſæi, ſicut Hieremiæ, ſicut Ioannis Baptiſtæ, ſicut dilectiſſimi diſcipuli, ſicut Timothei, ſicut Titi, ſicut Evodii, ſicut Clementis, vel eorum qui in caſtitate de vita exierunt. Non detraho autem*

Ign. ep. ad Philad. p. 97. 98.

CAPVT XX. *cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opto enim Deo Dignus ad veſtigia eorum in regno ipſius inveniri; ſicut Abraham, & Iſaac, & Iacob, ſicut Ioſeph, & Iſaias, & cæteri Prophetæ, ſicut Petrus, & PAVLVS, & reliqui Apoſtoli qui nuptijs fuerunt ſociati, qui non libidinis cauſa, ſed poſteritatis ſubrogandæ gratia coniuges habuerunt.* Græca conſentiunt. Ὀναίμην ὑμῶν τῆς ἁγιωσύνης, ὡς Ἠλία, ὡς Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ, ὡς Μελχισεδὲκ, ὡς Ἐλισσαίου, ὡς Ἱερεμίου, ὡς τοῦ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου, ὡς τοῦ ἠγαπημένου μαθητοῦ, ὡς Τιμοθέου, ὡς Τίτου, ὡς Εὐοδίου, ὡς Κλήμεντος, τῶν ἐν ἁγνείᾳ ἐξελθόντων τὸν βίον· οὐ ψέγων δὲ τοὺς λοιποὺς μακαρίους, ὅτι γάμοις προσωμίλησαν, ὧν ἐμνήσθην ἄρτι. εὔχομαι γὰρ ἄξιος Θεοῦ εὑρεθεὶς, πρὸς τοῖς ἴχνεσιν αὐτῶν εὑρεθῆναι ἐν τῇ βασιλείᾳ, ὡς Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ὡς Ἰωσὴφ, καὶ Ἠσαΐου, καὶ τῶν ἄλλων Προφητῶν· ὡς Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ τῶν ἄλλων Ἀποστόλων, τῶν γάμοις προσομιλησάντων· οὐχ ὑπὸ προθυμίας τῆς περὶ τὸ πρᾶγμα, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ εὐνοίας ἑαυτῶν τοῦ γένους ἔχον ἐκείνους. Vides, vt iſte Paulum non modo Ioanni inter cœlibes Apoſtolos non accenſeat, ſed etiam inter coniugatos nominatim edat. Atqui Paulus ſe cœlibem fuiſſe ipſe aperte docet, quo loco de vtroque ſtatu, coniugii inquam, & cœlibatus apud Corinthios diſputans, hunc illi præfert, vt ſolutiorem & liberiorem, adeoque ad Chriſti opus duris illis perſecutionum in noſtros ferventium temporibus expeditiorem; & optat quidem omnes ſui eſſe ſimiles; cæterum monet ſuum cuique eſſe a Domino chariſma, neque omnibus datum eſſe,

1. Cor. 7. 7. vt coniugio carere poſſint. *Vellem* (inquit) *omnes vos eſſe, ſicut me ipſum*; vel, vt eſt in Græco exemplari, *Vellem omnes eſſe ſicut & me ipſum.* Θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν. Totius diſputationis ſeries cogit hæc Pauli verba ſic intelligere, vt optet fideles eſſe cœlibes, vel id habere cœlitus donum, vt cœlibes vitam agere queant. Atqui plane vt patet, aliud optavit, ſi ipſe maritus, non autem cœlebs fuit. Sed ſe fuiſſe cœlibem, etiam diſertius verſiculo ſequenti profitetur; *Dico au-*

1. Cor. 7. 8. *tem* (inquit) *non nuptis & viduis; bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Non potuit clarius ſe cœlibibus accenſere. Negari ergo non poteſt, niſi quis ei de ſe ipſo teſtanti contradicat, quin cœlebs fuerit. Quo autem in ſtatu Paulus fuerit, Ignatius, qui norat, qui cum eo vixerat, qui cupidiſſime eius & ſermones audierat, & epiſtolas legerat, optime omnium ſcivit. Itaque vel aſſerendum eſt Ignatium de re ſibi notiſſima atque compertiſſima mentitum eſſe, & quidem gratis, nullo mendacii pretio; vel confitendum hunc epiſtolæ ſcriptorem, qui Paulum fuiſſe conjugatum liquido ac diſerte affirmat, quemvis alium eſſe potius, quam Ignatium. Illud nemo dixerit, quod ſcilicet cum ſanctiſſimi Martyris veracitate, pietate, atque prudentia vehementer pugnat; Hoc ergo velis nolis neceſſario concedendum eſt. Latini plane ſingularem hic produnt pervicaciam. Qui enim cœlibem vitam præ cæteris Chriſtianis magnifaciunt, & Pauli cœlibatum omnium arctiſſime defendunt, Ignatium tamen ſuum vt abdicent adduci ne eo quidem poſſunt, quod is Paulum præter manifeſtam veritatem, & præter ipſorum maxi-

me ſi-

CAPUT XX.

me fidem ac vota,maritum fecerit. Itaque ex hoc vno iſtius mendacio apud eos enata eſt copioſiſſima aliorum mendaciorum ſeges. Nam vt hunc ſuum ſcriptorem huius mendacii,quo manifeſte tenetur,crimine purgent, eius in alios culpam tranſcribunt, ac vt ſontem vnum abſolvant,multos inſontes inquinant, & graviſſimæ impoſturæ immerentes nulla fide, ſumma iniquitate ac impudentia damnant; perfrictaque fronte fortiter negant auctorem illa quæ exhibuimus,ita ipſum ſcripſiſſe; etiam inverecundius affirmant alios neſcio quos Græcos, an Germanos Pauli nomen verbis auctoris de ſuo inſeruiſſe. Optimus ac doctiſſimus Vſſerius omnes eorum hac in cauſa fraudes atque calumnias diligentiſſime patefecit.Nos ex eius ſcriniis ſumma capita quantum ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt,delibabimus.In primis falſo Latinos negare hæc ab epiſtolico ſuo Ignatio ſic eſſe ſcripta,omnes codices & manuſcripti & typis excuſi,Græci Latinique,etiam vetuſtiſſimi (pauciſſimis ſuſpectæ fidei exceptis) abunde confirmant.Ignatiana Græce primus edidit Gulielmus Vairlenius *ex antiquiſſimo*,vt ipſe narrat, *Ferdinandi Auguſti ſive Auguſtanæ Bibliothecæ codice ms°*. in quo, vt & in exemplaribus inde propagatis,hæc, quæ exhibuimus verba, *& Paulus & reliqui Apoſtoli*, καὶ Παύλου, καὶ τῶν ἄλλων Ἀποστόλων,poſt Petri nomen leguntur. Eadem in Latinis libris invenerant, vnde Ignatiana Latine primi ni fallor, ediderunt, Faber Stapulenſis, Iodocus Clichtovæus, Champerius. Eadem pariter quoque exhibere & vetuſtiſſimum Alexandri Petavii Senatoris Pariſienſis ms°. codicem affirmat Vſſerius; & narrat eadem fuiſſe in antiquo Baliolenſis apud Oxonienſes Collegii libro membranaceo; ſed has duas *Pauli & Apoſtolorum* voces ex eo eraſas fuiſſe;ita tamen vt prioris ſcripturæ manifeſta ſuperſint in eo ipſo codicis loco veſtigia; iſtic enim & vacuum eſſe relictum raſuræ ſpatium, & hæſiſſe in margine antiqua manu exaratam ad eum locum hanc annotationem,*Hoc de Paulo negat Hieronymus*;vnde proclive eſt aſſequi Pauli olim nomen in eo ſpatio ſcriptum fuiſſe, quod falſarii manu ac ſcelere nunc vacuum eſt. Librorum fidem aſtruit ſcriptoris ſuperior oratio; vbi cum cœlibes ederet, vnum ex toto Apoſtolorum collegio *Ioannem* nominavit, quem noto *dilecti diſcipuli* nomine ſignificavit; a Ioanne ſtatim ad Timotheum, & Titum tranſivit. Atqui ante eos Paulum,vtriuſque in Chriſto magiſtrum, cæteroſque vna Apoſtolos hoc loco a ſcriptore memorari manifeſta ratio flagitabat, ſi quem ille Paulum,ſiquos alios præter Ioannem Apoſtolos,cœlibes fuiſſe putabat.Neque Paulum,neque ex Apoſtolis vllum,niſi Ioannem memoravit; miſſiſque ſummis & Chriſtianorum omnium, & maxime Timothei ac Titi præceptoribus, ſolos eorum diſcipulos nominavit.Ergo & Paulum & cæteros præter Ioannem,Apoſtolos maritos fuiſſe putavit;vt non ſit mirandum, quod quos ſuo in tali loco ſilentio ex cælitum cenſu exemerat, eos nunc diſerte in maritorum ordine collocet. Hunc ergo epiſtolæ locum Latini & veterum tum Græcorum tum La-

Vſſer. Proleg. ad Ign c. 1 . to- to p. 121. & ſeqq. ad 128.

Varien. Præf. in interpr. Ign. ſuam.

Vſſer. in Proleg. ad Ignat. p. 124. C. 17.

CAPVT XX.

tinorum librorum e quibus Ignatiana prodierunt, conſtanti fide conſtitutum, & ſcriptoris ipſius menti atque orationi conſentaneum falſo fruſtraque vnius vt liquet, cauſæ ſtudio ſollicitant. Sed huic reliquorum vtriuſque linguæ codicum conſenſui; Budenſem vnum opponunt, quem narrant ab Ambroſio Camaldulenſi in bibliotheca Matthiæ Corvini Hungariæ Regis olim viſum, in quo ille hæc de Paulo & Apoſtolis maritis verba defuiſſe teſtatus ſit. Addunt eadem quoque deſiderari in alio antiquo Magdalanenſis apud Oxonienſes collegii libro manuſcripto.* Ego vero miror in tanta corruptorum & multitudine & licentia, non multo plures Ignatii libros inveniri, in quibus totus hic locus ita vt iſti cupiunt, deſcriptus ſit. Sed & duo iſti, qui afferuntur libri, qui quæſo, qualeſque fuerunt? Priorem Budæ fuiſſe narravit Monachus Camaldulenſis; antequam vrbs ſcilicet capta direptaque eſſet a Turcis, quibus ad hodiernum diem paret. Sed vbi quæſo nunc ille eſt? Cedo; ſodes, Inſpiciam, Græcus-ne ſit an Latinus, & an ea antiquitate quam iactas? Neſcio, inquis; neque eum quiſquam, quod ſciam, poſt fratrem Ambroſium vidit. Vide iam quo res redierit. Librum objiciunt; ſed quem neque exhibent, neque ipſi vnquam viderunt. Tanti-ne eſt vnius Monachi, vel fides vel auctoritas, vt ad illius nutum, ex ſcriptoribus expungi debeant, etiam ea quæ plærique, imo omnes, quos quidem videmus, libri vno conſenſu ſcripta exhibent? Quid, ſi iſte Budenſis liber, vel Latini Vſſeriani, vel Græci Voſſiani ſimilis ac geminus fuit? Si fuit, fatebimur in epiſtola defuiſſe Pauli nomen; negabimus epiſtolam eandem fuiſſe cum vulgata illa, de qua cum Latinis controverſia nunc nobis eſt. Magnum inter vtramque & plane immane diſcrimen; vt ab vna ad alteram nulla ſit argumentandi ratio. Sed de altero, Magdalanenſi illo codice, nunc dicamus. Vſſerius, qui vidit, narrat librum fuiſſe vulgatæ Latinæ editionis, a Ioanne quodam de *Rodenberga Alamanno* circa a. D. 1480. vel etiam ſerius deſcriptum; id enim inde deprehendi, quod in eodem codice coniunctus habeatur eadem manu, iiſdemque litterarum characteribus, Gregorii Presbyteri de Gregorii Nazianzeni vita liber Latine ab eodem illo Ambroſio Camaldulenſi redditus; quem cum tradant Poſſevinus & Bellarminus a. 1430. eſſe mortuum, fieri non poteſt, vt multo ſint vetuſtiores operum ab eo elucubratorum manuſcripti libri. Novitius ergo eſt iſte Ignatii codex; neque de eorum cenſu, qui ob vetuſtatem apud antiquitatis ſtudioſos aliquo in pretio ſunt. Huc accedit, quod ille idem ſuperioris de codice Budenſi fabulæ auctor hic inauſpicato occurrit. Cum enim Ioannem illum Rodenbergium, qui manu ſua Ignatiana exaravit, eundem Ambroſii ſtudioſum fuiſſe deſcriptum eius opus arguat; quidni hominem ſuſpiceris, cum de Budenſi illo codice vel apud Ambroſium legiſſet, vel ex eo ipſo fortaſſe audiviſſet, voluiſſe ad idem exemplum ſua quoque Ignatiana deſcribere? Quem vero Turrianus Latinum Ignatii codicem, duorum ſuperiorum hac in parte ſimilem, in Vaticana Bibliotheca a ſe viſum dicit,

Medina L.2. de ſacr. hom. contin. c.12.

* *Alph. a Caſtro. de contr. Hær. L.4. verbo, Virginitas.*

Poſſ in Appar. ſacr. in Ambroſ. Camald. & Bell. L. de ſcrip. Eccl.

Turrian. Def. Can Apoſt. c 2.

CAPVT XX.

dicit,eum cordatis lectoribus ſatis, vtputo, & hominis, qui profert, & loci,e quo eum profert, fides multo etiam ſuſpectiorem reddit. Itaque cum & recens ſit, & non immerito ſuſpectus Magdalanenſis ille codex & alter Vaticanus ignotus,iniquiſſimum eſt ex duobus deterrimæ notæ codicibus & plurium,& multo vetuſtiorum,& ab omni ſuſpicionis vel vmbra alienorum librorum lectionem mutare, aut ſollicitare velle. Quod Latini cum ſatis ipſi intelligerent, cauſæ labanti præſidium a mendacio quærendum putarunt. Nam & plures reperiri mentiuntur *epiſtolarum Ignatianarum in antiquis Bibliothecis manuſcriptos codices, in quibus Pauli nomen in illo loco non habetur*; neque tamen vllum alium, quam hunc,quem dixi,Magdalanenſem,proferunt,& quem,ſed ſibi ſoli viſum iactat Turrianus;Magdalanenſem illum antiquis,imo *antiquiſſimis characteribus extratum*; item *vetuſtiſſimum*, *miræ vetuſtatis* eſſe fingunt, qui revera novellus eſt,fortaſſe poſt a. D. 1500. certe non multis ante annis ſcriptus Lindanus rem in maius attollens caſtigatiora crepat *exemplaria Græca Matthiæ Regis Hungari*, Anglicana, & Vaticana. Atqui vnum eſt Anglicanum, vnum (ſi Turriano credimus) *Vaticanum*; Latinum vtrumque, non Græcum. Matthiæ vero Regis ſi quod erat, fuit;& Latinum-ne an Græcum fuerit, atrum, an album, caſtigatum, an mendoſum, neque nos neque Lindanus ſcire poſſumus. Iam & de illo Matthiæ Regis exemplari mira,ſed non credenda narrant;Baronius codicem eſſe ait *veneranda antiquitate* nobilem; Ita *nobilem* ſcilicet vt vnus ſit ex omni hominum genere monachus Camaldulenſis, qui eum ſibi notum fuiſſe dicat; De eius *antiquitate,veneranda*-ne ſit,an *contemnenda*, imo an aliqua omnino ſit libri antiquitas, Annaliſta qui tam temere tamque audacter affirmat,æque ſcivit cum ignariſſimis.Qui enim hæc ſciret, de libro quem nunquam ipſe vidit? De quo nunquam ab vllo mortalium quiſquam, niſi pauca illa, & quidem ipſa vaga atque incerta audire potuit, quæ nos nuper ex Ambroſio Camaldulenſi recitavimus? Sed facetum eſt & joculare inprimis, quod ingens Annaliſta & qui eum hac in parte ſecutus eſt Martialis Mæſtræus,ambo nobis hiſtorica fide affirmant illum horribilis antiquitatis codicem *aſſervari in amplisſima Bibliotheca inviciſſimi Regis Pannoniarum Matthiæ Corvini.* Verum boni viri ſua nobis ſomnia, neque bella profecto, neque ſuavia narrant; quaſi quiſquam ſit tam fungus, qui Matthiæ Regis, & Pannoniarum, & Budæ fata neſciat; vel qui putet,quod iſti nobis perſuadere velle videntur, ſtare in ea vrbe ſub Turcarum imperio ampliſſimam illam Bibliothecam, & in ea ſui Ignatii epiſtolas magna cura a Muſulmannorum credo,Genizaris cuſtodiri. Qui de his tam ſplendide nugatur, tamque inverecunde fabulatur Baronius, quis ei ſanus fidem habeat narrãti *intellecturos addititium eſſe Pauli* in epiſtola *nomen,ſi qui antiquiores vel Græcos vel Latinos codices perveſtigarint, quorum alij in Bibliotheca Vaticana & Sfortiana,alij alibi Romæ ſint*? Nam qui de illo Matthiæ codice,quem nunquam vidit, ſibi tam magnifice triumphan-

Alph.à Caſtro adv.Hær.vb. ſupr.
Ibid.& Medi. vb ſupr.
Pamel.in Tert. de Monog. Not.13.
Rich.Smith. in libello de cælib.ſacerdot.
Lind.de Virg. Voto.L.4.c.3.
Bar.a.D.57. §.64.
Mæſtr. in ep. ad Ignat. ad Philad.Not.7

CAPVT XX.

dum putavit, quid faceret, ſi quos ei ad rem ſuam vtiles Ignatii libros vel Sfortiæ, vel Papæ, vel cuiuſquam alterius Romani Bibliotheca exhiberet? Saltem, qui qualeſque ſint, ederet; cujus ævi, qua forma, quo characterum genere, deſcriberet. Qui de his nihil addit, eum ne dubites nullos revera bonæ notæ libros habuiſſe. Mitto quę ipſe & alii earumdem partium vel de noſtris vel de Græcis hominibus, illiberalibus inſperſa convitiis jactant; nullo pudore, nulla veri ſpecie mentientes Ignatii ſui epiſtolam vel ab his Græcam, vel ab aliis Latinam vitiatam fuiſſe, immiſſo in eum quem attulimus, locum *Pauli* inter maritos *nomine*. Sed vnde hæc probant? Quæve habent tam invidioſi criminis argumenta? Plane nulla. Vna iis peſſimæ cauſſæ deſperatio abſurdiſſimas has Sycophantias ſuggeſſit. Græcus-ne erat Vairlenius, qui Ignatium Græce primus edidit? Græci-ne erant Auguſtanæ Bibliothecæ cuſtodes, e qua ille librum habuit, ad quem ſuam editionem concinnavit? De noſtris vero quid dicam? Conſtat Latinum Ignatii interpretem a Fabro ante editum ac publicatum fuiſſe, quam Lutherus Papæ vllam controverſiam moviſſet; Et Clichtovæus & Champerius, Latini homines, ſuos credo, Ignatios, non ex noſtrorum hominum manibus, ſed ex Bibliothecis habuerant; Neque Ignatii vetuſtiſſimum manu ſcriptum codicem Petavianum & alios ſiqui ſint, quiſquam cauſari poteſt a noſtris interpolatos, vel etiam attrectatos fuiſſe. Et omnes tamen hi libri, Latini æque ac Græci, Paulum inter maritos magno conſenſu exhibent. Non ergo id nomen vel a noſtris vel a Græcis in eum locum inſultum; ſed ita primum ab ipſo epiſtolæ auctore ſcriptum. Quamquam vix intelligam cur a noſtris Annaliſta vaniſſimus corruptum fuiſſe hunc ſui Ignatii locum ſuſpicetur, quove colore ſuam ab omni veri ſpecie abhorrentem hanc calumniam fucare poſſit; *Novatores* (inquit) *vt quoquomodo ſuæ ipſorum incontinentiæ Paulum cogant adſtipulari, depravata Ignatij Martyris epiſtola ad Philadelphios inter eos, quos ille recenſet, fuiſſe coniugio obligatos, poſt Petrum addiderunt, Paulum & alios Apoſtolos.* Iam dixi ante exortos eos, quos *Novatores* inficetus veterator ſolens per inſignem ſycophantiam vocat, verba illa in libris Ignatii & manuſcriptis & editis extitiſſe; vt non modo improba & inverecunda, ſed etiam væcors & inſana ſit hæc iſtius accuſatio, noſtros id feciſſe criminantis, quod multis non modo annis, ſed etiam ſæculis ante extabat, quam ipſi eſſent nati. Mitto atrocem maledicentiſſimi oris contumeliam, qua noſtrorum Evangelicam, & Pauli legibus, & vetuſtiſſimæ Eccleſiæ fidei ac praxi conſentaneam de coniugii honeſtate doctrinam *incontinentiam* dicit; veluti caſtum coniugium impuro cœlibatui anteferre, vel Chriſti membris impoſitum cœlibatus a Papa jugum detrectare, *incontinentia* ſit. Illud quæſo, nonne mirabile eſt, quod iſte fingit, noſtros Paulum, vt huic ſuæ plane Chriſtianæ (quicquid ille dixerit) libertati adſtipulantem haberent, maritum apud Ignatium induxiſſe; Quaſi noſtri ſcilicet vel Ignatium tuum Baroni, ſcriptorem eſſe exiſti-

CAPVT XVII.

exiſtimarent magnæ in Eccleſia ad res religionis conſtituendas auctoritatis, vel Paulum maritum fuiſſe contenderent. Atqui non puto te in horum dogmatis, quos aſſidue flagellas atque inſectaris, tam eſſe peregrinum, vt hoc vtrumque ab iis negari neſcias. Nam communis noſtrorum pæne omnium ſententia eſt, & Paulum fuiſſe cœlibem, * & qui Ignatii epiſtolas eſſe & ſubdititias; impoſtoris opus diu poſt Ignatium nati. Itaque neque Pauli coniugium, etiamſi eſſet non a ficto, ſed a vero Ignatio affirmatum, quicquam eos juvaret, qui Paulum ſcilicet cœlibem fuiſſe ex Scripturis docent; neque ſi coniugium Pauli aſſererent, vllum ad eam rem habituri eſſent ex tui huius Ignatii conſenſu præſidium; quem aſpernantur, fictitiumque atque ſtramineum eſſe ſcriptorem cenſent. Vide jam quam craſſa ſit, quamque inſulſa ac κακόπλαςος tua omnis in noſtros criminatio, quos id vis veteri ſcriptori ſubdidiſſe, quod ipſi negant ac repudiant; ac ei quidem ſcriptori ſubdidiſſe, cuius nullam auctoritatem eſſe exiſtimant; vt eos neceſſe ſit ex tua hypotheſi, ſcelus admiſiſſe, non modo nullo pretio, ſed ne vlla quidem pretii ſpe. Tu vero *Novatoris* iſtos tuos nimium profecto ſtultos atque inſubidos imaginaris, qui ex ſcriptoribus eos vitiandos atque adulterandos ſibi ſumant, quos cum nullius eſſe auctoritatis ipſi cenſeant, nihil ſibi profuturos ſciunt; quique ſcriptoribus, quos adulterant, ea inſerunt, quæ ne ipſi quidem credunt. Denique ſi vel Paulum (quod negant) maritum fuiſſe ſentirent, idque placitum vellent aliqua veterum auctoritate munire; quid opus erat Ignatium tuum, ſcriptorem, vt ipſi iudicant, nihili, adulterare; cum certum & indubitatum haberent & quidem ex prima antiquitate huius paradoxi aſſertorem Clementem Alexandrinum ejuſque verba abſque cenſura referentem Euſebium; & rem totam in dubio, velut incertam, relinquentem Origenem? Deſine ergo noſtros eius facinoris accuſare, quod cur vellent nullas habuerunt cauſas; quod iis, etiamſi eſſet vtile, velle per ſuam diſciplinam non licet; quod licet; quod denique etiamſi maxime voluiſſent, nunquam tamen effectum dare potuiſſent, quod libri in veſtra multo magis quam in ſua poteſtate eſſent. Hoc vero Baroni, de quo tantas tragœdias excitas, *Pauli* nomen pauculis, quibus deeſt Ignatii exemplaribus, ſubduxiſſe tuos, quam noſtros, plurimis ac pæne omnibus, in quibus ſcriptum legitur, infulſiſſe, multo probabilius, etiam vt mihi quidem videtur, verius eſt. Noſtri ne cauſam quidem vt oſtendimus habuerunt, cur adderent; Tui habuerunt, cur ſubducerent, veſtrum ſcilicet de cœlibatus neceſſitate hæreſin; Vos clericorum cœlibatum neceſſarium eſſe docetis, non liberum; Itaque Pauli coniugium veſtram ſententiam evertit; noſtram eius cœlibatus adeo non lædit, vt cœlibem fuiſſe Apoſtolum æque ac vos, tametſi aliter & alia de cauſa, doceamus. Tui nomen aliquod ex libro ſubducere, ſi ſibi ſit vtile, fas putant; Noſtri has fraudes, quas vos *pias* vocatis, vſurpare, etiam vbi expedit, licere tamen negant. Tui vetera exemplaria, apud ſe jam olim habuerant; Noſtri ea a vobis

Margin notes: * *Calvin. in Phil. 4.3. Beza Piſcator. in eund. loc. Martyr. & Aret. in* 1. *Cor.* 7. *Cham. Panſtr. T.*3. *L.*16. *c.* 12. §.14. *p.*590.

*Clem. Alex. Strom. L.*3. *p.* 448. *B. Euſeb. Hiſt. L.* 3. *c.* 30. *Orig. in Rom. c.* 2. *L.* 1. *p.* 460.

Caput XX. nuper acceperunt. Tuos denique nomen ſubducere auſos eſſe Balſolenſis, de quo nuper ex Vſſerio diximus, codicis exemplar docet; Noſtris quod obiicias, ſimile nihil habes. Tuos ergo Pauli nomen codicibus ſubduxiſſe, noſtros minime adieciſſe verum eſt. Ex his ni fallor, ſatis jam manifeſtum eſt Paulum coniugatum in epiſtola ab ipſo primum auctore ſcriptum, non aliena in eam manu immiſſum eſſe; quo illud, quod contendimus, plane conficitur, alium quam Ignatium epiſtolæ parentem eſſe quærendum. Sed mirum tamen alicui fortaſſe videbitur, cur auctor, quem quiſquis de cætero fuerit, non plane rudem fuiſſe apparet, ſententiam tam a communi ſexti ſæculi, quo eum vixiſſe cum Vſſerio putamus, ſenſu & opinione alienam ſequutus ſit. Neque enim vel illius memoriæ, vel proximorum retro temporum vllus præter hunc, extat ſcriptor, qui Paulum çœlibem fuiſſe neget. Ego vero reſpondeo hanc ipſam videri cauſſam fuiſſe, cur hoc ita ſcripſerit. Cum enim impoſtor Ignatium ſe vellet videri, primi ſæculi hominem, ea ſtudioſe legenda, ſibique aptanda merito putavit, quæ vetuſtiſſima fuiſſe intelligeret, vt ex his Ignatii quam cupiebat, perſonam effingeret. Itaque cum hanc de Pauli conjugio opinionem apud Clementem ſecundi ſæculi hominem reperiſſet, eam rude tametſi falſo, primam atque antiquiſſimam noſtrorum fuiſſe de Paulo ſententiam ratus, avide arripuit, dignamque eo, quem ſimulabat, Ignatio cenſuit. Qualia ſunt apud hunc alia non pauca ad archaïſmi ſpeciem ſed ſæpe infœliciter aſſumpta; vt quæ de vetuſtiſſimis hæreſibus paſſim ab eo aſperſa ſupra notavimus.

Caput XXI.

Argumentum adverſus Ignatiana X L I. Quod ſcriptor Chriſtum a ſe poſt reſurrectionem in carne viſum affirmet. Quod de Ignatio falſum eſſe liquet ex Chryſoſtomo diſerte id negante. Argumentum XLII. XLIII. XLIV. Quod idem Salomonem iudicaſſe de mulieribus anno ætatis 12. Ioſiam anno ætatis 8. idola excidiſſe; Stellam quæ Magis prævivit, lumen ſuum extendiſſe ſuper vel ſupra omnia &c. Chriſtum item poſt reſurrectionem bibiſſe affirmet; quæ partim liquido falſa, partim dubia & incerta, non adeo ab Epiſcopo & Martyre Ignatio aſſeveranda.

QVo etiam illud pertinet, quod homo audaciſſimus ſcribere non dubitavit Chriſtum Dominum a ſe in carne viſum Diſerta ſunt in epiſtola ad Smyrnæos verba ex vetuſtiſſima; ſimpliciſſima, ac omnium optima interpretatione Latina, quam edidit Vſſerius ὁ μακαρίτης. *Ego enim*, de Chriſto loquens, inquit, *& poſt reſurrectionem in carne eum vidi, & credo*

& credo exiſtentem. Vetuſtiſſimo interpreti plane congruit Hieronymus; de hac Ignatii ad Smyrnæos epiſtola verba faciens. *In qua* (inquit) *& de Evangelio, quod nuper a me tranſlatum eſt ſuper perſona Chriſti ponit teſtimonium, dicens, Ego vero, & poſt reſurrectionem in carne eum VIDI; & credo quia ſit.* Sophronius, qui hunc Hieronymi librum Græce eſt interpretatus, id ipſum perſpicue reddidit; ἐγὼ δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σώματι αὐτὸν εἶδον. Baronius aſſentitur, & Mæſtræus, & alii Latini, qui huius ſcriptoris auctoritate freti ab Ignatio Martyre Chriſtum in carne viſum putant. *Ignatius* (inquit Baronius) *vt ipſe ſcribit, & Hieronymus teſtatur, Chriſtum in carne vidit.* Atque hac de cauſa Baronius harum epiſtolarum de Chriſti & Apoſtolorum rebus teſtimonia cæteris omnibus anteponẽda cenſet. Ac merito quidem ita judicaret, ſi harum epiſtolarum vere eſſet auctor Ignatius. Non eſſe vel hoc quod ipſe de Chriſto a ſe viſo dicit, liquido arguit. Nam Ioannes Chryſoſtomus, auctor graviſſimus, Ignatium, Oratione in eum Panegyrica, ait quidem cum Apoſtolis verſatum eſſe familiariter, & vna vixiſſe, & ipſorum tandem judicio & manu ampliſſimę Antiochenæ Eccleſiæ ordinatum eſſe Epiſcopum. Chriſti vero ipſius aſpectu & conſuetudine gaviſum eſſe nuſquam memorat; quod non erat ſi verum eſſet, in eo ſermone prætermiſſurus, in quo vndique conquirit ac conſectatur, quęcumque ad hujus viri gloriam ac laudem pertinebant. Sed quid dixi nihil Ioannem de re tanta in tali oratione tradidiſſe? Ille vero non modo, non dicit Ignatium Chriſtum vidiſſe; ſed quod multo majus eſt ac gravius, diſertiſſime negat vidiſſe. *Tantam* (inquit) *pro Chriſto animi promptitudinem oſtenderunt non modo Petrus & Paulus, ſed etiam Ignatius, qui neque eum VIDERAT, neque vlla eius converſatione gaviſus erat, vt pro eo vitam ipſam profundere non dubitaret.* μὴ μόνον Πέτρον καὶ Παῦλον, ἀλλὰ καὶ Ἰγνάτιον, τὸν οὐδὲ ἑωρακότα αὐτὸν, οὐδὲ ἀπολελαυκότα αὐτοῦ τῆς συνουσίας, τοσαύτην ὑπὲρ αὐτοῦ προθυμίαν ἐπιδείξασθαι, ὡς καὶ αὐτὴν δι' αὐτὸν ἐπιδοῦναι τὴν ψυχήν. Chryſoſtomi teſtimonium temporum a Grotio allata ratio confirmat, tantam *fuiſſe Ioannis longævitatem, vt vix credibile ſit* Ignatium, vel aliquem alium *ei ſupervixiſſe, qui viſum a ſe Ieſum poſſet meminiſſe.* Non eſt quod Ioannem virum & ſanctiſſimum, & candidiſſimum, adhæc Antiochenum putemus res Ignatii civis ſui, aut neſciviſſe, aut quas ſciebat, mendacio premere & obſcurare voluiſſe. Hoc ergo certiſſimo tanti viri teſtimonio manifeſti mendacii convincuntur & epiſtolarum ſcriptor, & alii non pauci, quotquot Chriſtum ab Ignatio viſum narrarunt. Itaque cum ſit incredibile ſanctum martyrem ita de ſe ipſo mentitum eſſe, vt Dominum, quem nunquam viderat, affirmaret *a ſe in carne viſum*; certũ eſt non ipſum Ignatium fuiſſe, ſed impoſtorem, qui has epiſtolas ejus nomine finxit. Reverendus Vſſerius qui Chriſoſtomi Chriſtum ab Ignatio in carne viſum negantis fidem elevari vel rejici neque poſſe neque debere intellexit; vt eam, quam vere Ignatianam eſſe putat, ad Smyrnæos epiſtolam ex hac flam-

CAPVT XXI.

Hier. in Catal. in Ign. T. 1. fol. 97. a.

Bar. a. D. 34. § 177.
Maſtr. in ep. Ign. ad Smyrn. Not.

Chryſ. Orat. in Ign. T. 5 p. 409 edit. Savil. T. 1. edit. Par p. 499. D. 500. *A.*

Id. ibid. p. 505. *lin.* 36. *Savil. p.* 306. *B. Pariſ.*

Grot. in Matth. 28. 17.

CAPVT XXI.

Vſſer. Not. 30. ad ep. Igna. ad Smyrn.

ma eriperet, ſuum ipſe interpretem Latinum hoc loco deſerere coactus eſt; & ad Græca exemplaria confugere; in quibus omnibus, non εἶδον, id eſt *vidi*, quo Sophronius vſus eſt, ſed οἶδα *novi* legitur, non modo in Voſſiano ex Florentino codice edito, & in vulgatis Ignatianis Græcis, ſed etiam apud Euſebium, & Theodoretum. His addit Ruffinum, veterem Euſebii interpretem, qui locum ita expreſſit; *Ego autem poſt reſurrectionem quoque in carne eum ſcio fuiſſe, & credo*; & recentiorem interpretem Hieronymum Vairelenium, qui eadem verba eodem ſenſu cepit; *Et poſt reſurrectionem ſcio eum in carne fuiſſe, & credo etiam nunc eſſe*; ac denique hanc doctiſſimi Grotii cenſuram; *Siquis locum Ignatii cum cura inſpiciat videbit rectam eſſe lectionem* οἶδα; *neque de viſus ſenſu ibi agi, ſed de fide, quam non ſuo, ſed aliorum teſtimonio confirmat.* Hactenus Vſſerius; cujus inſignis candor, ſinceraque veracitas in eo clariſſime elucet, quod cum epiſtolam, pro vere Ignatiana retinendam putaret, nihil tamen in veteri illa Latina interpretatione mutavit, ſed illa ipſa ſcriptoris de *Chriſto a ſe in carne viſo*, verba, tametſi ſuæ de epiſtola ſententiæ adverſari, ac multum officere intelligeret, intacta tamen dimiſit, eaque vt in ſuo codice invenerat, optima fide edidit; quam viri religionem, vtinam qui veteres libros tractant, imitarentur. Ego vero, tametſi illam ab Vſſerio editam Ignatii Latinam interpretationem, tum ob vetuſtatem, tum ob mirabilem cum veterum locis, vbi aliquid Ignatianum laudaverant, conſenſum, ac denique ſummam ſimplicitatem, plurimi cum ipſo Vſſerio faciam, neque vnquam temere ab ea diſcedẽdum putem; tamen ſi ſola eſſet, fortaſſe deſererem, atque huic rerum & auctorum adverſantium nubi cederem. Nunc me movet Hieronymi, & vetuſtiſſimi, & abſque controverſia doctiſſimi, & in hoc litterarum genere principis auctoritas, qui cum Euſebium, in quo verbum οἶδα hodie legitur, haberet præ oculis, aliter tamen, quam Ruffinus, eodem plane modo quo vetus interpres Vſſerianus Latinus, locum reddidit. Editionem autem Græcam Latinamque vulgatam nihil moror, quam ipſe Vſſerius agnoſcit & vbique & hoc ipſo in loco fœdiſſime fuiſſe interpolatam, ita vt nihil fere in ea ſani aut integri ſuperſit. Fortaſſe vidit interpolator huius de Chriſto ab Ignatio in carne viſo fabulæ abſurditatem, eamque ideo, vt in iiſdem epiſtolis ſexcenta alia ſimilibus de cauſis, obliteravit, aliis in eorum locum immiſſis. De Euſebio & Theodoreto, qui locum ex hac prima editione citantes, οἶδα vterque exhibent, major eſt fateor, difficultas. Quid ſi animadverſa rei abſurditas vel antiquariis, vel Ruffino perſuaſit, vt pro εἶδον facili mutatione οἶδα reſcribendum apud Euſebium putarent, e cujus poſtea libris error ad Theodoretum, & alios manarit, ac poſtremo ad eum, qui codicem Florentinum deſcripſit? Nam non auſim equidem cum viris Græciſmi peritiſſimis contendere, qui negant verbum οἶδα pro *vidi* accipi poſſe. Vtcumque ſe res habeat, præcellens Hieronymi eruditio dubitare me non ſivit, quin ſit is veriſſimus loci ſenſus, quem & ipſe & vetuſtiſſimus

Grot. in Matth. 28.17.

inter-

interpres Vſſerianus exhibent. Ac tametſi Hieronymum donavero Hebraicæ quam Græcæ linguæ fuiſſe peritiorem (quamquam & hoc ipſum neſcio an facile concedi debeat) abſit tamen, vt virum tantum, & in Græcis volutandis aſſiduum neſciviſſe putem quod ſit τὸ *οἶδα* ab εἶδον vel ἑώρακα diſcrimen. Huc accedit conſtans, etiam apud Græcos ſequentium ſæculorum, Latinorum fere librorum incurioſos, de Chriſto ab Ignatio in carne viſo fama; quæ vnde, niſi ex hoc epiſtolæ loco, propagata ſit dicere vel ſuſpicari difficile eſt. Grotio vero *locum cum cura inſpicere* jubenti parui equidem libenter; ſed plane contra, quam ille ſperabat, accidit. Loco enim inſpecto, & quidem quo ad a me fieri potuit, accuratiſſime expenſo, videre mihi viſus ſum multo eſſe appoſitiorem Hieronymianum, quam Grotianum ſenſum. Primo illum poſcit hujus orationis cum ſuperiore nexus; Nam particula γὰρ, *enim*, ἐγὼ γὰρ in Voſſiano codice, *Ego enim* in Vſſeriano, oſtendit ſcriptorem verbis ſequentibus ejus quod præcedentibus dixerat, rationem afferre. Dixerat autem in ſuperioribus *Chriſtum vere, non ſecundum videri paſſum & reſuſcitatum.* Iam huius rei optimum argumentum eſt, quod ipſum *in carne poſt reſurrectionem viderit*; non autem quod hoc ſimpliciter *credat*, ſive *norit*; quod in ſenſu Grotiano eodem recidit. Id enim quod poſuit qui ſe credere ait, non probat; tantum quis ſit ſuæ de eo mentis ſenſus; teſtatur. Secundo. Si id vellet ſcriptor, quod ait Grotius, ſupervacaneum erit verbum *οἶδα novi*; ſatis fuerat dicere; *Ego enim ipſum in carne poſt reſurrectionem & fuiſſe & eſſe credo.* Chriſtum enim *in carne* poſt reſurrectionem *tam fuiſſe, quam eſſe credebat*; neque illud vel *magis*, vel *aliter norat*, ſi Chriſtum ipſe non viderat; Nempe vtrumque pariter ab Apoſtolis auditum fide acceperat, hoc eſt crediderat. Nunc cum duo diverſa verba poſuerit, oſtendit ſe Chriſtum in carne fuiſſe, aliter *noſſe*, quam eum in eadem nunc eſſe. Id autem perſpicuum eſt ex Hieronymo; Nempe illud *viſu* cognorat; Hoc fide tenebat; & plane quod dicit, illud *viderat*; hoc *credebat*. Nam tota oratio ita conſtituenda videtur, vt duo ſignificet Dominicæ carnis tempora; prius in reſurrectione & ſtatim poſt eam, quamdiu hæſit in terris; alterum poſt ejuſdem in cœlos aſcenſum. Id oſtendit participium ὄντα præſentis temporis; æque ac verbum πιστεύω; cui reſpondere debet in priori parte aliud participium & verbum præteriti vtrumque temporis; ita, vt expreſſit Vairlenius, niſi quod *ſcio* dixit pro *vidi*; *Ego autem* * (inquit) *& poſt reſurrectionem ſcio eum in carne fuiſſe, & credo etiam nunc eſſe.* Si pro *ſcio* ſcripſiſſe *vidi*, nihil dici poterat melius, aut concinnius, vel ad auctoris mentem melius; quæ vt ſemel dicam quod ſentio, hæc omnino fuit; *Ego enim* (inquit) *Chriſtum in carne & poſt reſurrectionem fuiſſe vidi, & nunc eſſe credo.* Denique hunc ſenſum etiam flagitant ſequentia, vbi illud Chriſti ad eos, qui reſuſcitatum viderunt dictum recitat, *quoniam nō ſum dæmonium incorporeum.* Nam ſi quod putat Grotius, noſtram de Chriſti carne fidem, *non ſuo, ſed aliorum teſtimonio* confirmare volebat, & rei ratio,

CAPVT XXI.

* *Auctor habet* ἐγὼ γὰρ *ego enim*

Caput XXI.

& piorum vſus poſcebat,vt ipſa eorum,quorum teſtimonium adhibebat,id eſt Apoſtolorum ea de re verba afferret ex veris certiſque & iis quos alloquebatur,notis illorum libris. Non fecit. Hæc enim quæ affert,verba in publicis canoniciſque Apoſtolorum Evangeliis nuſquam extant,vt omnes confitentur. Si vero,quod Hieronymus jubet, ſequamur, ſcriptorem nimirum ſuo ipſius *viſu* carnis Dominicæ veritatem teſtari confirmareque voluiſſe,clara erit ratio,cur non Evangelica, & omnibus nota, ſed alia quædam obſcura & vulgo noſtrorum ignota Domini verba hoc loco recitaverit; nimirum vt ſic is eſſe videretur,qui illi ſpectaculo cum ſe Dominus diſcipulis videndum & attrectandum præbuit, præſens adfuiſſet. Nam ſi nota ex Evangeliis verba recitaſſet,nihil hoc contuliſſet ad id,quod credi volebat,perſuadendum Chriſtum ſcilicet tunc a ſe viſum fuiſſe; quod quivis qui libros Eccleſiæ modo legerit, tantumdem præſtare poſſet. Nunc qui arcana quædã, & a nemine publicorum ſcriptorum prodita verba,a Domino tunc vſurpata & ſciat,& efferat,eum divino illi ſpectaculo interfuiſſe,& quę de eo dicit, eorum ipſum conſcium teſtemque adeo idoneum eſſe, & probabile eſt,& ita omnes,qui legerent,judicaturos,impoſtor facile ſibi perſuaſit.Quæ etiam ratio fuit,cur apocrypha,vnde verba illa revera ſumpſerat,nequaquam vt cæterorum mos eſt,nominarit,aut ſignificarit, ſed ſtrenue diſſimularit; futurum nimirum ſperans,vt plærique omnes, quæ verba in nullis aliorum libris legebant (pauciſſimis enim noſtrorum nota erant apocrypha) ea iſtum crederent, non a quoquam mortali,ſed ab ipſo Chriſto accepiſſe, & ex ore ejus præſentem audiviſſe.Atque ita omnia eo vndique collineant,vt auctorem verbum *vidi* ſcripſiſſe Hieronymo interpretanti potius quam Grotio licet doctiſſimo alia dictanti,credamus;ſed ita tamen,vt eundem auctorem planum atque impoſtorem fuiſſe ſtatuamus; qui ſe non modo *ea vidiſſe* dicat, quæ Martyr nunquam viderat, neque adeo viſa a ſe dicturus erat; ſed inſuper iſta plane ea ratione, eaque arte dicat, quæ ſcriptori fingenti quidem ac lectoribus imponere ſtudenti apprime congruat; res vero geſtas veraſque ſincere ac bona fide narranti, minime congruat.

Idem vero ſcriptor eo etiam alius ab Ignatio fuiſſe deprehenditur, quod quædam affirmet incerta, & dubia & falſis vt quidem videtur propiora; quod non eſt viri gravis ac ſapientis; qualem fuiſſe illum, quẽ iſte ſimulat, Antiochenum Epiſcopum & Martyrem omnes conſentiunt. Tale eſt, quod in epiſtola ad Magneſios ſcribit Salomonem quidem duodecim non amplius annos natum fuiſſe, cum de duobus infantibus,altero vivo,altero præfocato judicavit; Ioſiam vero anno ætatis octavo regni gubernaculis admotum,aras & templa diſturbaviſſe & lucos cõbuſſiſſe. Atqui horũ prius plane incertum eſt,neque vſpiã in Scriptura liquido definitum;etiam falſo propius,ſi rem accuratius expenderis;vt videre eſt vel apud ipſum Sanctium, tametſi in hanc opinio-

Ign. ad Magn. p. 50.

Sanct. in 3. Reg. c. 3. p. 972. 973.

nionem pronũ. Poſterius vero de Ioſiæ ætate, cum idololatriam in Iudæa excîdit, apertiſſime pugnat cũm Scriptura, quæ diſerte tradit Ioſiã anno regni ſui decimo-octavo, magnum illud opus moliri cœpiſſe. CAPVT XXI. 4.Reg.22.3.

Hic quoque ea repono, quæ de ſtella Magis prælucente omnino temere ſcribit; *Stella* (inquit) *in cœlo fulſit, ſplendore exſuperans omnes ſtellas: & lux illius ineffabilis erat, & ſtuporem incuſſit ipſius novitas. Omnia autem reliqua aſtra, vna cum Sole, & Luna, chorus fuere ſtellæ illius; ipſa vero lumen ſuum extendebat ſuper* vel *ſupra omnia*, ὑπὲρ πάντα &c. *vnde ſoluta eſt omnis Magia.* Vnde hæc habet ſcriptor? Quis ei hanc ſtellam omnes alias lucis ſuæ ſplendore exſuperaſſe revelavit? Quin & ſolem ipſum & Lunam vna cum reliquis aſtris chorum huius ſideris fuiſſe? Item illam ſtellam vel ſupra, vel ſuper omnia lumen ſuum extendiſſe? Et illius ſtellæ exortu ſolutam eſſe omnem magiam? Omnia ex vno iſtius cerebro prodiere; a Scriptura aliena, ab ipſo huius ſtellæ vſu abhorrentia, ad domum ſcilicet Bethlehemi indicandam, vbi natus erat Chriſtus. Horum vero abſurditas, vel inde patet, quod ea Chriſtianorum interpretum nemo quod equidem ſciam, ſecutus eſt, qui tam multi de illa ſtella aliquid commentati ſunt. Neque doctiſſimi Hammondi effugia moror; qui illis omnibus ſui Ignatii verbis *nihil aliud ſignificatum* eſſe dicit, *niſi illam inſolitam, a Chaldæis obſervatam ſtellam oculos omnium ad ſe vnam pertraxiſſe; quod eſt* (inquit) *veriſſimum.* Sed verba ipſa aliud ſe præter hoc, ſignificare clamant; vt quivis ea vel leviter expendens videt. *Omnium* vero *oculos ſtellam ad ſe vnam pertraxiſſe*, quomodo probaverit vir doctiſſimus? Atqui nullam a Paganorum ſcriptoribus, talium curioſiſſimis, factam fuiſſe ſtellæ huius mentionem reperimus. Platonicum enim illum Chalcidium, cuius de ſtella teſtimonium Hammondus attulit, non Ethnicum, ſed Chriſtianum, ſaltem Cathecumenum, & a fide Chriſti minime alienum fuiſſe, ipſe ille eius in Timæum Commentarius † & hoc loco & multis aliis paſſim loquitur. Quod idem addit * illa omnia de ſtella hyperbolica quadam locutione dicta ſignificare lucem eius Solari maiorem fuiſſe *fulgore* tantum, aut *ſaltem ſolatio*, non autem re ipſa; & mira ſunt, & exemplo carent; non ad aliud inventa, quam ad Ignatiana ex telis, ſi fieri poſſit, eripienda.

Ign.ep.ad Eph. edit.Vſſ.Lat.p. 200.Gr.Lat. p.8.

Hamm.Diſſ.2. c.18.

§.3.

† *Chalcid.in Tim.p.93.96. 97.98.115.133. 134.151.164. L.L.edit.Pariſ.a.1563.*

*§.5.

Levius eſt fateor, ſed Ignatio tamen non ſatis dignum quod iſte in epiſtola ad Smyrnæos temere, nullo certo auctore aſſeverat; Chriſtum poſt reſurrectionem bibiſſe; *Poſt reſurrectionem autem* (inquit) *comedit cum eis* (Apoſtolis) *& bibit, vt carnalis, quamvis ſpiritualiter vnitus Patri.* Hoc in omnibus editionibus legitur; Latina, Græca, Vſſerii, Voſſii, vulgata. Chriſtum poſt reſurrectionem *comediſſe*, quod ad demonſtrandam ſuæ carnis veritatem erat idoneum, conſtat ex Evangelio, *Bibiſſe*, quod non erat ad id probandum neceſſarium, non conſtat. Lucas quidem ſcribit Apoſtolos cum Chriſto poſtquam reſurrexiſſet a mortuis manducaviſſe & bibiſſe; ipſum cum eis Chriſtum (quod iſte noſter ait) manducaviſſe & bibiſſe, nuſquam dicit.

Ignat. ep.ad Smyrn. edit. Vſſ.p. 2.9.

Luc 24.42.43.

Act.10.41.

Capvt XXII.

Capvt XXII.

Argumentum adverſus Ignatiana XLV. Quod ſcriptor affirmet quoſdam ſui ævi hæreticos euchariſtia abſtinuiſſe; id de Ignatiano ævo parum eſſe veriſimile, idque videri ſenſiſſe interpolatorem, ideoque tum hunc locum ex ſua editione eraſiſſe. Argumentum XLVI. Quod ſcriptor rem ab omni veri ſpecie plane abhorrentem dicat, nimirum in Romanorum poteſtate atque arbitrio ſitum fuiſſe Ignatium paſſione, ad quam erat damnatus, liberare.

Ign. ad Smyrn. p. 220. edit. Vſſ. vet.

Idem ſcriptor de quibuſdam ſuæ memoriæ hæreticis, quorum mores corruptiſſimos & ab omni Chriſtiana charitate ac ſanctimonia alienos exagitat, curam illis vllam *eſſe* negans *de vidua, de tribulato de orphano, de ligato; de eſuriente, de ſitiente*; hæc prætcrea tradit; *Ab Euchariſtia & oratione recedant*, * *propter non confiteri Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti pro peccatis noſtris paſſam, quam benignitate Pater reſuſcitavit.* Voſſianus codex eadem exhibet; εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. Illud mitto, quod hos non modo Euchariſtia, ſed etiam *oratione* ideo abſtinuiſſe dicit, quod non confiterentur euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris; quod ineptum eſt & incredibile. Cur enim *oratione* quiſquam idcirco *abſtineat*, quod euchariſtiam neget eſſe Salvatoris carnem? Iſta, vt omnes vident, non cohærent. Sed locus fortaſſe eſt ex Theodoreto emendandus; & pro προσευχῆς *orationis* nomine, reſcribendum προσφορᾶς *oblationis*. Sic enim ille locum recitat; εὐχαριστίας καὶ προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται; *Euchariſtias & oblationes non admittunt*; & cætera plane eadem cum Voſſianis, quæ exhibuimus. Sed hoc, vt dixi, mitto. Illud quæro; Quinam ſint iſti hæretici, qui Euchariſtia abſtinerent, & quidem ideo abſtinerent, quod eam negarent Servatoris eſſe carnem pro peccatis noſtris paſſam & a Patre reſuſcitatam? Reſpondet ex Bellarmino,* cui hac in parte ſubſcribit, optimus ac eruditiſſimus Vſſerius noſter fuiſſe, Simonianos, Menandrianos, & ſimiles, *veritatem carnis Chriſti negantes*. Ego vero fateor a veteribus tradi multos olim fuiſſe hæreticos qui hanc fidei Chriſtianæ partem negarent, idque eſſe compertiſſimum; Vel vnum requiro ex veteribus, qui ſcripſerit *Simonianos* vel *Menandrianos*, vel omnino aliquos Ignatianorum temporum hæreticos, vel ab Euchariſtia ſimpliciter abſtinuiſſe, vel etiam ideo abſtinuiſſe, quod non putarent Euchariſtiam eſſe Salvatoris carnem pro nobis paſſam? Nullum huius hæreſeos teſtem neque Bellarminus, neque ipſe etiam Vſſerius affert. Atqui id erat plane memorabi-

*Græc. abſtinent.

Theod. Dial. 3. Ἀπαθής extr.

Vſſer. Not. 53. in ep. Ign. ad Smyrn. p. 50.
* Bell. L. 1. de Euchar. c. 1.

morabile; & huiuſmodi, quod ſi verum eſſet, omnino vel ab Irenæo memoratum eſſet, qui omnes hæreſes, quæ ad ſua tempora fuerant, curioſiſſime exploravit & explicavit, vel ab aliquo alio ex tam multis, qui idem argumentum tractarunt. Atqui nullus, quod ſciam, prodidit, hæreticos Ignatii quidem certe ævo, vllos fuiſſe hujus cenſus. Ergo ne fuiſſe quidem vllos veriſimillimum eſt; ſed iſtum hos, quos deſcribit, ſed non nominat, vel ſibi ex ſuo ipſum cerebro fabricatum eſſe, vel qui fortaſſe erat aliquorum ſuæ memoriæ hæreticorum vſus ac ritus, eum Ignatianorum temporum hæreticis, vt alia alibi non pauca, perperam ac falſo tribuiſſe. Simonianos quidem, quicquid de Euchariſtia ſenſerint, quod plane eſt, quantum equidem memini, incertum, fruſtra & præter rem fuiſſe a Bellarmino adductos duo quædam valide ni fallor arguunt. Ac prius quidem hoc eſt, quod manifeſtum eſt eos hæreticos, quos ſcriptor intelligit, Chriſtum auctorem ſuum eſſe profeſſos; eo peccaſſe, quod de eius doctrina ſecius, quam ab ipſo traditum eſt, ſentirent, ἑτεροδοξοῦντες (inquit) εἰς τὴν χάριν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσαν, *alienam opinionem tuentes contra gratiam Ieſu Chriſti quæ in nos venit.* *Simonianos* vero Chriſtum nequaquam pro auctore ſuo profeſſos eſſe & conſtat ex eorum dogmate, & Origenes nos docet, Celſo, qui eos inter Chriſtiani nominis hæreticos memoraverat, ita reſpondens; *Celſum* (inquit) *latet, quod Simoniani Ieſum neutiquam confitentur Dei Filium, ſed Simonem eſſe dicunt virtutem Dei.* Ἀλλὰ λανθάνει τὸν Κέλσον ὅτι οὐδαμῶς τὸν Ἰησοῦν ὁμολογοῦσιν υἱὸν Θεοῦ σιμωνιανοί, ἀλλὰ δύναμιν Θεοῦ λέγουσι τὸν σίμωνα. & quæ ſequuntur in eandem ſententiam. Alterum eſt, quod hos Euchariſtiæ reprobatores hæreticos epiſtolæ ſcriptor ſuis temporibus extitiſſe eo clariſſime oſtendit, quod eos a Smyrnæis ſuis *conſiderari* jubet; id eſt eorum mores & inſtituta animadverti & inſpici; quod fruſtra iuberet, niſi tum extitiſſent. At Simonem & Simonianos brevi ipſis Claudii, quibus exorti erant temporibus, defeciſſe tradit Euſebius; cum ait, res ſub Claudii Principatu geſtas exſequens, *Dei gratiam ſubito reſtinxiſſe flammam a Dæmone* Simonis miniſterio *accenſam*, *& ſuperbiæ faſtum ac tumorem, qui ſe adverſus Dei notitiam extulerat, dejeciſſe ac depreſſiſſe.* ἀναπτεθεῖσαν (inquit) ὑπὸ τοῦ πονηροῦ τὴν φλόγα ἢ τάχος ἐσβέννυ, ταπεινοῦσα δι' αὐτῶν (ἀποστόλων) καὶ καθαιροῦσα πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ. Tum addit *neque Simonis, neque aliorum, qui tunc temporis exorti ſunt, conſpirationem* συγκρότημα *Apoſtolorum ætate quicquam voluiſſe.* Et initio capitis ſequentis *Simonis vim ac potentiam cum ipſo ſimul auctore brevi exſtinctam atque deletam eſſe* dicit. ἡ δ' ἀμφὶ τοῦ σίμωνος ἀπέσβη καὶ παραχρῆμα σὺν καὶ τῷ ἀνδρὶ καταλέλυτο δύναμις. Idem iterum libro ſequenti cum de Menandro Simonis ſucceſſore, de Ebione, Cerintho, & Nicolaitis ad Trajani tempora dixiſſet, ait *eos dicto citius plane penituſque exſtinctos eſſe.* λόγου θᾶττον εἰς παντελὲς ἀπεσβηκότας. Conſentit Hammondus, & hæc ipſa ad eam rem indicat. Quæ cum ita ſint, apparet Simonianos, ſub Claudio pridem exſtinctos Traiani & Ignatianæ paſſio-

CAPVT XXII.

Ign. ad Smyrn. p. 220.

Orig. contr. Celſ. L. 5. p. 28.

Ign. ad Smyrn. p. 220.

Euſeb. Hiſt. L. 2. c. 14. init.

ibid. c. 15. init.

ibid. L. 5. c. 29. extr.

Hamm. Diſſert 1. c. §. p. 13.

Caput XXII.

paſſionis temporibus nullos extitiſſe; neque adeo de illis poſſe accipi, quæ a ſcriptore epiſtolarum de quibuſdam ſui temporis hæreticis dicta recitavimus. Doctiſſim. Vſſerius, vt Docetas, id eſt Chriſti corpus, non veram carnem, ſed inane tantum eius phantaſma fuiſſe blaſphemantis, Euchariſtia omnes abſtinuiſſe probet, affert Tertullianum hunc tæterrimum errorem in Marcione ex Euchariſtia refutare, ex ſacramento carnis, veritatem carnis aſtruendo.*Fateor; ſed neque negaret vir optimus atque candidiſſimus ipſum illũ Dominicæ carnis negatorem Marcionem Euchariſtiam nihilominus retinuiſſe & celebrandam putaviſſe, & quidem eodem illo Tertulliano teſte in eodem opere, vbi Marcionitas & baptizatos & euchariſtia communicatos fuiſſe docet apertiſſime; *Sed ille quidem* (inquit de Chriſto Marcionis loquens) *vſque nunc nec aquam reprobavit, nec oleum quo ſuos vngit, nec mellis & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat, nec panem, quo ipſum corpus ſuum repræſentat, etiam in ſacramentis proprijs egens mendicitatibus Creatoris.* Vnde videre eſt, vſum Euchariſtiæ non eo ſtatim reprobaſſe Docetas, quod Dominicę carnis veritatem negarent. Neque quod Tertullianus ex Euchariſtię ſacramento veram eſſe Domini carnem argumentatur, ideo conſequens eſt, Marcionem & cæteros Docetas vim argumenti pariter vel cum Tertulliano vidiſſe, vel ei conceſſiſſe. Multos enim quotidie cernimus res tametſi inter ſe pugnantes, vna tamen tueri ac defendere. Itaque cum nullus Eccleſiæ ſcriptor hæreticos Ignatianis temporibus extitiſſe dicat, qui Euchariſtiam reprobarent, clarum eſt hunc epiſtolæ auctorem qui ſolus id affirmat, rem dubiam & incertam, pro vera Smyrnæis ſuis temere venditaſſe; quod profecto facturus nequaquam erat ſanctiſſimus Martyr Ignatius; Quod probe intellexiſſe videtur poſterior ille Ignatianorum interpolator, qui hanc de hæreticis Docetis euchariſtiâ abſtinentibus ſententiam totam ex ſuis codicibus eraſit, veritus ne ea ſi retineretur, auctorem alium quam Ignatium fuiſſe proderet, hæreticorum peregrinum & inauditum apud illius ævi ſcriptores genus commemorans, quod ipſe nuſquam apud quemquam aliquid huiuſmodi extare cerneret. Eo factum eſt vt in vulgatis codicibus neque Græcis neque Latinis, qui omnes ſcilicet ex illius interpolatoris exemplari deſcripti ac diſſeminati ſunt, vlla relicta ſint illius ſententiæ veſtigia; ſed eius loco ſubſtituta longiſſima quædam ac plane diverſa ῥῆσις. Nam poſt illa verba; *tribulatum reſpuunt, vinctum derident*, ex Vſſeriano & Voſſiano codice vtcumque expreſſa, hæc ſequuntur; *crucem erubeſcunt, paßionem deludunt, reſurrectionem fruſtrant. Huiuſmodi omnes nepotes ſunt illius inveterati malorum ſpiritus, qui & Adam per mulierem mandatum tranſgredi perſuaſit, qui & Abel per Caïn occidit, qui & Iob decipere conatus eſt, qui & Ieſu filio Ioſedech reſiſtere tentavit, qui & Apoſtolorum fidem ſubvertere voluit*; & cætera quæ deſcribere & longum, & ſupervacaneum eſt. De euchariſtia vero ab illis Diaboli nepotibus repudiata, quæ hoc loco in primis ac vetuſtiſſimis libris erant, omnia penitus deleta;

Vſſer. Not. 53. in ep. Ign. ad Smyrn.

*Tertull. contr. Marc L. 4. c. 40.

Id. ibid. L. 1. c. 11. p. 437. D.

Ignat. ep. ad Smyrn. vulg. p. 116.

deleta; plane eodem conſilio, quo *Sigen* quoque idem impoſtor ex epi- CAPVT
ſtola ad Magneſianos expunxit, ne ſcriptorem Valentino recentiorem XXII.
fuiſſe doceret; vt eſt ſupra a nobis demonſtratum.

Iam neque illud ſatis capio, quî verum ſit, quod idem ſcriptor ſuum potiundi martyrii deſiderium teſtatus, Romanis ſuis ne ſe tanto bono ex nimia in *carnem ſuam* caritate fraudent, blandiens dicit; *Vobis enim* (inquit) *facile eſt, quod vultis facere*, ὑμῖν γὰρ εὐχερές ἐστιν ὃ θέλετε ποιῆσαι. *Ign. ep. ad Rom. p. 211.* Et interjectis verſiculis ſatis multis. *Volens* (inquit) *pro Deo moriar, ſiquidem vos non prohibeatis.* ἑκὼν ὑπὲρ θεοῦ ἀποθνήσκω, ἐάνπερ ὑμεῖς μὴ κωλύσητε. *ibid.* Atque iterum infra; *Non amplius volo ſecundum homines vivere. Hoc autem erit, ſi vos velitis.* οὐκ ἔτι θέλω κατ' ἀνθρώπους ζῆν. τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν ὑμεῖς θέλητε. *ibid. p. 213.* Vel nihil intelligo, vel iſte profecto intelligit in eorum fidelium, ad quos ſcribit, manu ac poteſtate fuiſſe ipſum ſupplicio liberare, ad quod erat damnatus. Quod ſi ita eſt, fatēdum eſt illos Romanos graviſſime peccaſſe, & parricidii cujuſdam reos fuiſſe, qui ſanctam animam, & Eccleſiæ Chriſtianæ ædificationi tam vtilem eripi ſibi, eripi ſuo gregi, beſtiis objici, & ſuam inſuper civitatem, multo jam ſanctorum ſanguine pollutam hac inſuper ferina viri Apoſtolici laniena contamiri paſſi ſint, cum iis totum ſcelus facile ſi iſti credimus, fuerit & a Martyris capite & a Romanorum fama depellere. Neque eos ab hoc crimine iſtius preces purgant, qui ſe ab illis deſeri non parcius neque ſegnius optat ac precatur, quam alii ſe a ſuis ſociis defendi ac juvari petere ſolent. Id enim in proximum officii Deus ipſe nobis impoſuit, ne quemquam etiam volentem, etiam in lethum ruentem, mori aut cruciari quantum quidem in nobis ſitum eſt, ſinamus. Si iſte ſerio atque ex animo poſcebat, vt pii ſe, cum poſſent prohibere, trucidari paterentur, iniquas atque inhoneſtas preces ſperni decuit; hoc a Chriſti ſervis flagitantes ſcilicet ne Domino ſuo obſequantur, ſed quem ille ſervari juſſit, eum vt proculcata ipſius lege, carnificibus in manus crudeliſſime cruciandum atque enecandum tradant. Alia enim ſunt Dei, alia fidelium jura. Ille omnia pro ſua voluntate ab omni lege liber ſapientiſſime gubernans, ac de exitu, quem habet in manu, ſecurus, ſæpe improbos laſcivire, & in furias efferri, pios adverſis vrgeri, diris cruciatibus vexari, occidi denique & ſuppliciis crudeliſſimis necari ſinit; qui ſi libēret, vel ſolo nutu & illos peſſumdare, vel certe coercere, & hos ſervare incolumeſque ac florentes ab omni injuria tueri poſſet. Nobis lex eſt a Deo lata, cui nos neceſſe eſt parere; a qua ne latum quidem vnguem diſcedere licet. Non jam quæro, quæ qualiſque fuerit iſta quæ Romanis fidelibus a noſtro tribuitur poteſtas. Sive gratia, aut jure in homines, ſive prece apud Deum; tantum valuerunt, vt prohibere poſſent ne martyr moreretur; peccarunt qui mori non prohibuerunt. Atqui non peccaſſe eos conſtat, neque vnquam inventus tam iniquus calumniator, qui Romanis fidelibus Ignatii mortem crimini daret. Falſum ergo eſt quod iſte toties affirmat, mortem ejus ſi vellent, nullam

CAPVT XXIII. futuram fuiſſe;neque adeo qui id ſcripſit,is Ignatius fuit,quem non eſt credibile tam inofficioſo mendacio in ipſa martyrii meditatione ſuis Romanis adulatum eſſe.

CAPVT XXIII.

Argumentum XLVII. XLVIII. Quod ſcriptor vxores vetat ſuos viros proprio nomine appellare; item quod ad Ioannem ſcribat multas mulieres cupere B. Virginis vbera tractare, quod vtrumque Martyris vel gravitate, vel pudore parum dignum videtur. Argumentum XLIX. Quod idem hæreticorum nomina, tametſi nulla ſe editurum profeſſus, non pauca tamen edit; quod Martyris conſtantiam & veracitatem minime decebat. Id vero interpolatoris eſſe crimen. Argumentum L. Quod ſcriptor ſe ad Epheſios libellum iterum ſcripturum pollicetur; quod Martyris rebus ac temporibus non convenit,eoque fuit ab interpolatore ex epiſtola prudenter reſectum.

SVnt & quædam in his epiſtolis a viri, cui affictæ ſunt, gravitate ac ſapientia aliena; vt quod mulieribus conjugatis præcipit, ne viros *Ign.ep.ad Ant. p.158.* ſuos propriis nominibus ſalutent. *Mulieres* (inquit) *honorificent viros ſuos, vt carnem ſuam ; & non audeant proprio nomine eos vocare.* *αἱ γυναῖκες τιμάτωσαν τοὺς ἄνδρας, ὡς σάρκα ἰδίαν. μηδὲ ἐξ ὀνόματος αὐτοὺς τολμάτωσαν καλεῖν.* Hæccine quæſo, vna eſt ex illis Apoſtolicis traditionibus,quas *iſte ad certiorem poſteritatis notitiam teſtimonio ſuo confirmatas* **Euſeb.Hiſt.L. 3.c.36.init.* *ſcriptis mandare neceſſarium ducebat* ? * Digna res,quis neget? Quam Antiochenus præſul, & ſenex, & ad martyrium ſub militum cuſtodia properans,vniverſæ ſuæ Eccleſiæ litteris conſignatam commendaret. Quis enim non intelligit,quantum ſalutis periculum aditur æ ſint vxores, quæ viros ſuos propriis nominibus ſalutare auſæ fuerint? Iſte vero quiſquis fuit, ſcriptor peſſime intellexit, quantum virum ſimulandum ſumpſiſſet,cui tam frigidas nugas in tali rerum ſuarum articulo curandas,ac præcipiendas mandavit.

Illud vero nonne bellum eſt,& Ignatii pudore ac ſanctitate dignum, idem alibi ad Ioannem ſcribit, *multas eſſe de ſuis mulieribus, quæ Mariam Ieſu videre cupiant, & a ſe quotidie ad Apoſtolum diſcurrere* *Ignat.ep.1. ad Ioann* *velint, vt eam contingant, & vbera eius tractent, quæ Dominum Ieſum aluerunt, & quædam ſecretiora eius percunctentur?* Hæc Ignatium ad Ioannem, Epiſcopum ad Apoſtolum, virum vtrumque graviſſimum ac verecundiſſimum, ſcribere potuiſſe qui putat, næ ille paleas eſſe & carduos dignus eſt.

Sed & hoc levis eſt, neque ſatis conſtantis judicii, quod iſte nolle ſe hæreti-

hæreticorum vel nomina edere, aut vſurpare profeſſus, conſilii ſui ac decreti immemor non paucos nominatim alibi recenſet ac commemorat. Hæc ſunt ejus ad Smyrnæos verba, vbi de hæreticorum inſania, ac de eorum impiis dogmatis locutus; *Nomina autem ipſorum* (inquit) *exiſtentia infidelia, non viſum eſt mihi inſcribere; ſed neque fiat mihi ipſorum recordari, vſque quo pœniteant in paßionem, quæ eſt noſtra reſurrectio.* τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα, οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι· ἀλλὰ μηδὲ γένοιτό μοι αὐτῶν μνημονεύειν, μέχρις οὗ μετανοήσωσιν εἰς τὸ πάθος, ὅ ἐστιν ἡμῶν ἀνάστασις. At idem alibi ſuæ ipſe legis oblitus, Simonem, Menandrum, Baſilidem, Theodotum, Cleobulum, ad Trallianos, quod ſupra oſtendimus, nominat, & Nicolaïtas tum ibidem, tum alibi ſuæ hujus religionis ſecutus loquitur. Eſt etiam vbi Ebionem, myſtico credo, nominis ſenſu captus, edit; Ejus enim expoſito errore, ipſum quoque hominis nomen ita aperit; *Huiuſmodi* (inquit) *pauper eſt ſenſu, ſicuti vocatur, & adinventor ipſius erroris Ebion.* καὶ ἐστιν ὁ τοιοῦτος πτώχης τὴν διάνοιαν, ὡς ἐπικαλεῖται Ἐβιών. Id enim nominis apud Hebræos *egenum* & *pauperem* ſignificat. Sed nequid diſſimulem, interpolatoris iſta culpa eſt; non primi epiſtolarum auctoris. Hic quam ſibi fixerat de non nominandis hæreticis legem, ſervavit ſane; neque enim quemquam ſi bene memini, nominavit. Et ſapuit. Eſt enim, vt videtur, veritus, ne iſtorum nomina, ſiqua incautius vt fit, ederet, ſuam impoſturam proderent. Interpolator non modo incautior, ſed plane ſtolidus fuit; qui illam quidem auctoris legem ipſe quoque totidem verbis ſuæ ad Smyrnæos epiſtolæ inſcripſit, cæterum ea ſe, vt opinor, quod ab alio lata eſſet, minime teneri ratus, hæreticos, vt diximus, non ſemel nominat. Sed ille quidem ſuæ ſtultitiæ pænas luit. In id enim incidit, quod ille alter vt vetuſtior, ita & callidior planus, caverat. Dum enim Baſilidis & Theodoti nomina temporum immemor epiſtolis ſuis ſecurius admiſcet, videndum ſe præbuit; hoc ſe poſt eum quem videri vult, Ignatium vixiſſe prodens; quo peccato nullum eſt in hoc artificii genere craſſius, aut turpius.

CAPVT XXIII.

Ign. ad Smyr. ad Vſſ. p. 220.

Gr. Voſſ. p. 35.

Id. Vulg. ad Trall. p. 77. 78. Id. ad Philad. p. 102.

Id. ibid.

Ign. ad Smyrn. edit. vulg. p. 114.

Atque hoc quidem loco primo dramatis auctore incautior fuit interpolator. Sed eſt viciſſim vbi ſe callidius quam iſte fecerat, gerit. Nam præter eam, quam ſupra diximus, ab illo ſtulte memoratam, ab hoc ſapienter obliteratam, *Sigen*, ſunt & quædam alia quæ ab auctore inconſiderate poſita, interpolator prudēter delevit. Quale eſt, quod jam ſum editurus. Primus impoſturæ auctor hæc ita ad Epheſios ſcripſerat; *Si me dignificet Ieſus Chriſtus in oratione veſtra, & voluntas ſit; in ſecundo libello quam ſcripturus ſum vobis, manifeſtabo vobis, quam inceperam diſpenſationem in novum hominem.* ἐὰν με καταξιώσῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν καὶ θέλημα ᾖ, ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλιδίῳ, ὃ μέλλω γράφειν ὑμῖν, προσδηλώσω ὑμῖν ἧς ἠρξάμην οἰκονομίας εἰς τὸν καινὸν ἄνθρωπον. Senſit interpolator ab Ignatii non quidem gravitate, ſed tamen judicio & ſapientia nonnihil abhorrere videri illam, quam in hoc rerum ſuarum ſtatu polliceri fingitur, *ſecundi libelli ad Epheſios* mittendi curam; Satis jam

Ign. ad Eph. ed. veter. Vſſ. p. 201 & Gr. Voſſ.

CAPVT XXIII.

mirum naſutis hominibus viſum iri, quod viro ad martyrium tam ardenter anhelanti, & in ea meditatione noctes dieſque defixo, inter hæc, & aſſiduas ſuorum illorum *Leopardorum* vexationes ac moleſtias vacaverit tamen tam multas, tamque longas epiſtolas ad diverſas Eccleſias ſcribere; Ac vt hoc jam per ſe nimis abſurdum lectores concoquant, illud quidem certe neminem vſque adeo vel obeſum vel patientem fore, qui ferre poſſit, vt Martyr ſuæ paſſionis diem ſingulis momentis animo verſans, expetens, ac expectans, non contentus prolixa hac ad iſtos epiſtola, etiam de ſecundo neſcio quo *libello* cogitet. Hæc a ſcenæ ſuæ ingenio abludere intelligens interpolator, totam illam primi actoris, ineptam ſane ac intempeſtivam de *ſecundo libello* ſententiam, fortiter, & ſiquid judico, haudquaquam ſtulte ex opere reſecuit; & omiſſis nugis ad ſua ſeria mature redit, illa quæ apud auctorem ſequebantur, de conſtantiſſima in epiſcopum fide & *imprævaricabili presbyterij obſequia*, pertexens; vt videre eſt in exemplaribus Ignatii vulgatis.

CAPVT XXIV.

Argumentum adverſus Ignatiana LI. Quod ſcriptor ſe quædam de Angelis ſcribere poſſe glorietur, adeo ſublimia, vt Trallianos ſtrangulatura ſint. Reverendiſſi. Vſſerij gloſſæ & παρερμηνείαι refelluntur. Argumentum LII. Quod ſcriptor Martyris nomen vivens ſibi aſſumat. Argumentum LIII. LIV. Quod & Polycarpum, & Ioannem Apoſtolum minus quam decebat, honorifice in epiſtolis ad eos ſcriptis habuit; quæ omnia a Martyris modeſtia, atque humilitate aliena eſſe videntur.

DEnique neque ea omiſerim, quæ in epiſtolis occurrunt non ſatis vt videtur cum Martyris modeſtia, quam ſummam fuiſſe perhibent, conſentanea. Illa mitto, quæ de ſua quadam heroica & omnem hominum modum ſupergreſſa adverſus mortem diriſſimam fortitudine tota paſſim ad Romanos epiſtola iactat, objecto hyperboles præſidio ne quicquam a doctiſſimo Hammondo defenſa, & a nobis ſupra tractata. Alia afferam minus quidem elata; ſed tamen hujuſmodi, quę difficile ſit cum modeſtiæ, præſertim Chriſtianæ, ingenio ac moribus conciliare. Quale iſtud eſt, quod in epiſtola ad Trallianos ſupercœleſtium ſcientiam ſibi vindicat. *Multa* (inquit) *ſapio in Deo, ſed me ipſum menſuro, vt non in gloriatione perdar.* Tum paulo poſt; *Non poſſum vobis ſupercœleſtia ſcribere? Sed timeo ne parvulis exiſtentibus vobis damnum apponam. Et condonate mihi; ne forte non potentes capere, ſtrangulemini. Etenim ego, non ſecundum quodcumque ligatus ſum, ſed potens ſcire cæleſtia, & loci poſitiones Angelorum, & conſtitutiones, principia-*

Ignat. edit. vet. Vſſ. ep ad Tral. p. 207. 208.
** Gr. deeſt.*

*cipiationes,*viſibiliaque & inviſibilia: præter hoc iam & diſcipulus ſum.* CAPVT XXIV.
Voſſiana his congruunt; πολλὰ φρονῶ ἐν θεῷ, ἀλλ' ἐμαυτὸν μετρῶ, ἵνα μὴ ἐν καυχήσει ἀπόλωμαι. Tum; Μὴ οὐ δύναμαι τὰ ἐπουράνια γράψαι; ἀλλὰ φοβοῦμαι μὴ νηπίοις οὖσιν ὑμῖν βλάβην παραθῶ. Καὶ συγγνωμονεῖτέ μοι, μήποτε οὐ δυνηθέντες χωρῆσαι στραγγαλωθῆτε. Καὶ γὰρ ἐγὼ οὐ καθότι δέδεμαι, καὶ δυνάμενος νοεῖν τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς τοποθεσίας τὰς ἀγγελικὰς, καὶ τὰς συστάσεις τὰς ἀρχοντικὰς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα· παρὰ τοῦτο ἤδη καὶ μαθητής εἰμι. Eadem, ſed de more interpolata, & multis, vt Angelorum nominibus aucta in vulgata Ignatii Græca Latinaque editione habentur. A modeſtia autem hic ſcriptor duplici nomine diſcedit; Nam & ſibi ea tribuit, quæ nemini homini mortali conceſſa ſunt, & eo loco ac tempore tribuit, quo ea, etiamſi vere habuiſſet, nil neceſſe erat explicari & oſtentari. De priori, res clara eſt. Nam primo in genere gloriatur *ſe multa ſapere in Deo*; tum addit *ſe poſſe ſupercœleſtia ſcribere*; tam grandia, tamque ſublimia, vt Tralliani ea capere non poſſint. Poſtremo quæ ſint illa quæ dicit *ſupercœleſtia* paulo clarius definiens, neſcio quas loquitur Angelorum τοποθεσίας, *loci poſitiones*, id eſt ni fallor, loca, in quibus ſinguli vel Angeli vel Angelorum ordines a Deo in hoc vniverſo, ſive in cœlis ſive alibi, poſiti ſunt ac conſtituti ſive pro naturæ, ſive pro munerum ſuorum ratione. Addit & συστάσεις ἀρχοντικὰς, *Principatuum* quaſdam velut ſtationes, atque acies, ac denique cætera *viſibilia & inviſibilia*. Hæc autem huiuſmodi eſſe, quæ nulli mortales ſciant ſatis per ſe patet. Neque enim vſquam a Deo, qui ſolus iſta novit, in divinis litteris revelata ſunt. Itaque Paulus apertiſſime eorum vanitatem & immodeſtiam in epiſtola ad Coloſſenſes perſtringit, qui de Angelis multa vulgo ignota philoſophabantur, dicens eos *ambulare in iis quæ non viderunt*; ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων. Hujus temeritatis reum ſe hic auctor facit, dum iſta de Angelis & rebus cæleſtibus ſcribere ſe poſſe profitetur. Doctiſſimus Vſſerius, vt hanc epiſtolam, quam vere eſſe Ignatii putat, ab hac objectione liberaret, locum longe aliter reddidit, quam interpres vterque Latinus, & vulgatus, & vetus, quem ipſe edendum curavit. Ille enim hęc Græca, καὶ γὰρ ἐγὼ οὐ καθότι &c. ita eſt interpretatus. *Etenim ego non quemadmodum vinctus ſum, etiam cœleſtia intelligere poſſim, & ſitus Angelorum, & cœtus Principatuum* &c. Plane vt vides, ac ſi ſcriptor ſe iſta intelligere, non affirmet, ſed neget. Sed, quod viri maximi pace dictum ſit, non eſt hæc mens ſcriptoris. Primo enim hæc cum ſuperioribus, ſi ita ſumantur, non quod decebat cohærebunt, ſed pugnabunt. Scriptor enim paulo ante diſertiſſime affirmabat, *ſe poſſe ſupercœleſtia ſcribere*; nunc ea ſe vel poſſe intelligere (quod minus eſt, quam ſcribere) negabit. Atqui plane eſt incredibile hominem mentis quidem ſanæ in vna eademque perioche duo inter ſe pugnantia ſimul ſemelque poſuiſſe. Tum illa verba, ἐγὼ οὐ καθότι δέδεμαι, καὶ δυνάμενος νοεῖν τὰ ἐπουράνια; nemo credo negabit durum, ac difficile eſſe, mirum ac novum ita interpretari, vt id ſignificent, quod vult clariſſimus Vſſerius, *ego non quemad-*

* *Gr. Principatuum.*

Col.2.13.

Ign. ad Trall. ab Vſſer. Lat. redd. p.18.

Caput XXIV.

modum vinctus ſum, etiam cœleſtia intelligere poſſum qua de re qui Græciſmi periti ſunt per me judicent licet. Mihi quidem illa verba longe aliud ſonare videntur. Tertio ſi admittatur hæc interpretatio, quid quęſo, fiet verbis ſequentibus, παρὰ τοῦτο ἤδη καὶ μαθητής εἰμι? Quæ Vſſerius ita reddidit, *Præter hoc iam & diſcipulus ſum*; ſenſu, qui neque præcedentibus, neque ſequentibus verbis congruit. Huc accedit denique Latini vtriuſque interpretis & Vſſeriani, & vulgati auctoritas; qui tametſi in cæteris fortaſſe hujus loci particulis valde diverſi ſint, in hoc tamen conſentiunt, quod ſcriptorem volunt his affirmaſſe ſe poſſe ſcire cœleſtia. Vetus, vt exhibuimus; *Etenim ego non ſecundum quodcunque ligatus ſum, ſed potens ſcire cœleſtia.* Non incommode; ſed & argute. Negat enim ſui vincta eſſe omnia; vinctum quidem corpus, ſed mentem liberam, ac eo vſque ſolutam, vt etiam cœlum ſi libeat ſcandere, & res cœleſtes intelligere poſſit. Vulgatus vero; *Poſſum quidem* (inquit) *intelligere cœleſtia, Angelorum ſcilicet, atque Archangelorum ordines*; Tum interjectis non paucis ex Dionyſiana vt videtur, hierarchia deſumptis. *Hæc igitur ego cognoſcens* (inquit) *non omnino perfectus ſum, aut diſcipulus eſſe poſſum, qualis Paulus, aut Petrus.* Optime. Itaque Græca expunctis, vt Voſſius exhibuit, quæ interpolatoris manu interjecta ſunt, ſic omnino reddenda ſunt; *Etenim ego, non ideo quod vinctus ſum, & potens ſupercœleſtia intelligere, & Angelorum loca & ſitus, & Principatuum cœtus* ſive *ſtationes, viſibiliaque & inviſibilia, propter hoc etiam diſcipulus ſum. Multa enim nobis deſunt, ne a Deo deſeramur.* Hic eſt ſimpliciſſimus & Græcis ad amuſſim congruens, adhæc rectus & idoneus ſcriptoris ſenſus. Neque vero quiſquam regerat hunc iſta ex hypotheſi tantum dixiſſe, ſignificantem ſe non hac revera facultate fuiſſe præditum, ſed etiamſi eſſet præditus, ne ſic quidem diſcipuli nomine dignum futurum. Ne hæc ita ſumantur, obſtat primo, quod ſe, quo modo ac ſenſu *vinctum* dicit, eodem dicit *potentem ſupercœleſtia intelligere*, vt liquet. *Vinctum* autem dici non *ex hypotheſi*, ſed ex vero, quod reapſe vinctus eſſet, omnes vident. Ergo & *potentem ſupercœleſtia intelligere*, non ex hypotheſi, ſed ex vero, ſignificare fatendum eſt, quod ea intelligentiæ facultate reapſe præditus eſſet. Sed & illud ſecundo hypotheticum hunc ſenſum repudiat, quod proxime plane affirmaverat *ſe poſſe ſupercœleſtia ſcribere*; adeoque *intelligere*. Neque enim quæ non intelligeret, ea ſcribere poſſet. Ex quibus denique manifeſtum eſt iſtum ſibi hanc ſupercœleſtium notitiam de Angelorum locis, deque Principatuum cœtibus ac ordinibus ac de *viſibilium*, & inviſibilium rerum naturis ſcientiam, apertiſſime tribuere; quod profecto non eſt ſimpliciter ad Pauli de Angelis capite ad Coloſſenſes primo locum, quod dicit Vſſerius, *reſpicere*, vbi Apoſtolus nihil aliud nos docet, niſi *a Domino Chriſto creata eſſe omnia viſibilia & inviſibilia*; etiam *Thronos, & Dominationes, & Principatus & Poteſtates*; de *ſitu* vero *Angelorum*, & de *Principatuum cœtibus*, ſive *conſtitutionibus*, & alijs, quæ noſter ſe

Ign. ad Trall. vulg. p. 67.

Vſſ. Not. 22. in ep. Ignat. ad Trall.

ſter ſe *intelligere* poſſe profitetur, nihil dicit. Huc accedit, quod ea quæ iſte ſe & *intelligere*, & *ſcribere* poſſe dicit, tanta tamque ſublimia erant, vt Trallianis *obfutura* fuerint, eoſque *ſtrangulatura*, ſi ſcripta eſſent; vnde ab iſto longe alia intelligi patet, quam a Paulo illo loco dicta; quæ adeo Trallianis vel vllis aliis fidelibus ſcripta non nocent, vt plane contra, etiam multum proſint. Nulla ergo ratio eſt, quæ iſtum talia de ſe ipſo jactantem, purgare ſatis poſſit; quominus jure meritoque veluti καὶ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, *incuſandus ſit.* Sed etiamſi iſtum finxeris (quod non eſt credibile) ea, de quibus gloriatur, vidiſſe ac revera ſciviſſe; ne ſic quidem eum a violatis modeſtiæ legibus purgaveris. Neque enim modeſti hominis eſt, ſed vani ac glorioſi, ſiquid habet excellens & eximium, id efferre apud alios, atque oſtentare. Fateor ea interdum tempora incidere, cum etiam modeſtiſſimis de præclaris ſuis aliquid licet dicere; vt Paulum alicubi videmus, adverſariorum, æmulorum, & ſycophantarum ſuorum iniquitate coactum, quo Apoſtolatus ſui gloriam defenderet, ſuamque apud Corinthios exiſtimationem tueretur, eo prorumpere, vt de ſuis revelationibus aliquid, ſed obſcure ac veluti non de ſe, ſed de alio quodam loquens, innuat potius, quam ſignificet. Sed hoc ipſum, tametſi juſta & neceſſaria cauſſa compulſus, quanto tamen Deus bone! cum pudore, quanta cum verecundia facit! Non ſemel hujus ſuæ vt appellat, *inſipientiæ*, veniam poſcens. Noſtri epiſtolici Ignatii, plane alia ratio eſt. Nihil eum non dico cogebat, ſed ne invitabat quidem ad ſuæ illius ſingularis, planeque Angelicæ de Angelis & inviſibilibus, ſcientiæ glorias ante Trallianorum oculos explicandas. Imo plane erat intempeſtivum, neque loquentis vel perſonæ vel tempori congruens acroama. Quis enim id a Martyre ad Chriſti cõfeſſionem ſuo ſanguine obſignandam properante exſpectaret? Mitto quod hæc ipſa ſatis invidioſe eloquitur; cum profitetur iſta, quorum ſibi ſcientiam arrogat, adeo eſſe excelſa, adeo ſupra mortalium etiam fidelium captum, ſublimia, vt ea a Trallianis ſuis capi poſſe deſperet. Cujus rationem adfert non admodum officioſam; hanc ſcilicet, quod iſti ſint νήπιοι, *parvuli, pueri, infantes.* Non vrgeo, parum videri conſentaneum νηπίους nunc ab iſto dici, quos nuper *Deo dignos, & mentem inculpatam, & inſeparabilem in patientia habere* dicebat. Ita vero de ſua quidem ſapientia magnifice, de aliorum vero captu abjecte atque humiliter ſentire, id vero quid ſit neſcio, ſi non eſt apertiſſime ſe ſupra alios afferre. Cum ergo & hoc, & cætera quæ denotavimus, non parum a modeſtia Chriſtiana finibus abſcedant; fatendum eſt eorum ſcriptorem nequaquam fuiſſe Ignatium, virum vt omnes fatentur, non modo modeſtum, ſed etiam humillimum.

CAPVT XXIV.

Coll. 1. 16.
2. Cor. 12. 2. 3. & 11. 1. 16.
in titulo & initio epiſt.

Neque illud ſatis videtur Ignatii modeſtiæ convenire, quod in epiſtola ad Polycarpum, ſcriptor Martyris nomen aſſumit; *Ignatius Epiſcopus Antiochiæ, qui & Martyr Ieſu Chriſti, Polycarpo.* ὁ καὶ μάρτυς Ἰησοῦ Χριστοῦ. Lugdunenſes vero noſtri, qui annis poſt Ignatium circiter 64.

Ign. ad Polyc. p. 135.

pro

CAPUT XXIV.

pro Chriſto paſſi ſunt, Martyrum nomen; quamdiu quidem in terris vixerunt, adeo non aſſumebant, vt etiam ab aliis delatum recuſarent, ac deprecarentur. Hæc enim ſunt Eccleſiæ Lugdunenſis de iis verba; *Quamvis in tantum gloriæ culmen evecti eſſent, nec ſemel atque iterum, ſed ſæpius martyrium ſubiiſſent, & a beſtiis denuo in carcerem relati eſſent, quamvis ignium impreſſa veſtigia, quamvis vibices & vulnera, toto corpore circumferrent; tamen nec ſe ipſos martyres prædicabant, nec a nobis ita ſe appellari patiebantur.* οὔτε αὐτοὶ μάρτυρας ἑαυτοὺς ἀνεκήρυττον, οὔτε μὴν ἡμῖν ἐπέτρεπον τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν αὐτούς. *Verum ſi quis noſtrum per litteras, aut in familiari colloquio eos Martyres compellaſſet obiurgabant graviter, atque increpabant. Martyris enim appellationem libentiſſime concedebant Chriſto, vt pote fido veroque teſti & primogenito mortuorum, vitæque cœleſtis principi ac auctori. Eos quoque qui jam ex hac vita migraverunt, martyres nobis commemorabant, aiebantque; Hi iam ſunt Martyres, quos in ipſa confeſſione Chriſtus aſſumi voluit, profeſſionem ipſorum morte, tanquam annulo, obſignans. Nos vero viles atque abiecti confeſſores.* Hæc illi; modeſte ſane, ac vt Chriſtiana humilitate dignum eſt. Neque dubitandum eſt, quin ſanctiſſimus Ignatius, qui eodem ſcilicet modeſtiæ ac verecundiæ ſpiritu tinctus atque imbutus erat, eodem quoque modo ſe in pari loco geſſerit; nedum vt ſibi glorioſiſſimum Martyris nomen vltro ipſe in epiſtolis ſuis inſcriberet. Qui ergo id ſibi ipſe imponit atque arrogat ſcriptor, quisquis de cætero fuit, Ignatius certe non fuit. Sed ille vt patet, cum Ignatium, diu ipſe poſt ejus mortem vivens ac ſcribens, Martyrem in Eccleſia audire, neque abſque eo elogio a fidelibus nominari videret, quod conſummato rite meritoque ab aliis tribuebatur, id ipſum a ſuperſtite vſurpari atque aſſumi, temporis vtriuſque tametſi latum diſcrimen non animadvertens, aut cogitans, nulla vel injuria, vel invidia poſſe putavit.

Apud Euſeb. Hiſt. L. 5. c. 2. init. p. 166. B.

Idem denique Polycarpo ſuo condiſcipulo, & admirabili Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopo, de pietate, de ſui muneris officiis ita omnia maxima minima præcipit, vt tironybus magiſtri ſolent; *vt prudentiam ampliorem, quam habet poſtulet; vt vigilet, inobdormibilem ſpiritum poſſidens*; & cætera quæ deſcribere longum eſt. αἰτοῦ (inquit) σύνεσιν πλείονα, ἧς ἔχεις. γρηγόρει ἀκοίμητον πνεῦμα κεκτημένος. Verus Ignatius cum Polycarpo, tanto viro, ſuoque in domino condiſcipulo honorificentius erat acturus.

Ign. ep. ad Polyc. p. 136.

Ejuſdem eſt vel arrogantiæ, vel ruſticitatis, quod ad Ioannem ſcribens, præceptorem ſuum, eum non *Apoſtoli* nomine in epiſtolæ inſcriptione, quod verum erat, & certe decebat, ſed *ſancti* duntaxat *ſenioris* titulo ornat. Neque enim ſi Ioannes ad *Electam Dominam* & *ad Gaium* ſcribens, non aliud, quam *Senioris* nomen aſſumpſit, eo fit, vt Ignatio non alio, quam hoc titulo Ioannem inſignire licuerit. Nam & Ioannem de ſe humiliter, & Ignatium de Ioanne honorifice & ſentire & loqui debebat. Neque is epiſtolarum ſcriptor, qui a decoro tam longe recedit, Ignatius fuiſſe cenſendus eſt.

CAPUT

CAPVT XXV.

De ſcriptoris dictione, & tum de ſingulis nominibus, tum de orationis ex ijs contextæ idea. Argumentum adverſus Ignatiana LV. Quod diverſiſſima epiſtolarum, non modo aliarum ab alijs, ſed interdum etiam ſingularum a ſe ipſis oratio, diverſos fuiſſe earum auctores apertiſſime arguit. Argumentum LVI. A præfixo omnibus epiſtolis Theophori cognomento, quod fictitium & a fabella ortum contra Reverendiſſimi Vſſerij exceptionem oſtenditur. Argumentum LVII. Quod ſcriptor contra Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum conſuetudinem ἱερέα *pro presbytero,* ἀρχιερέα *pro Epiſcopo dicit. Refellitur doctiſſimi Hammondi duplex vitilitigatio. Eundem Papam dixiſſe pro Epiſcopo, quod vetus eſſe & ab ipſis Tertulliani temporibus vſitatum demonſtratur. An ante Tertullianum vſitatum fuerit, incertum eſſe.*

ATque hæc quidem hactenus de rebus ipſis diximus, quæ epiſtolas Ignatio Martyri aliena manu ſubditas fuiſſe arguunt. Nunc de oratione, & verbis, ex quibus oratio contexta eſt, dicamus. Nam in hac parte ſunt non pauca, quæ ſcriptoris ævum & ingenium ab Ignatio alienum produnt.

Epiſtolas ipſa ſtatim oratio oſtendit non eſſe vnius eiuſdemque auctoris; multiplex ipſa, neque vnius generis aut coloris. Nam illæ quidem ſex primæ, quas Vſſerius ex veteribus Anglicanis libris protulit, triſtes, & ſalebroſæ, rudes, & incultæ ſunt; Oratio brevis, & conciſa, & horrida, torrentis inſtar per confragoſa montium inter abrupta & ſaxa & cautes & præcipitia vix enitentis, fertur. Magna ſenſuum vbique obſcuritas; vel nullus, vel malignus verborum inter ſe nexus. Priſcæ Loxiæ Apollinis oracula, vel Sibyllarum folia legere te credas. Ad hoc ſcriptoris ingenium acceſſit in Latinis fœda interpretis barbaries; quæ ſermonem jam per ſe ſatis involutum, novis vitiis inquinatum, plane ſic corrupit, vt nihil eſſe poſſit deterius. Sex aliarum haud paulo melior oratio. Nam tres ad Ioannem, & ad B. Virginem, poſtremas mitto; plane ludicras ac futiles. Quæ vero de ſex aliis prima eſt ad Mariam Caſſobolitam, eius ſermo multo eſt, quam Vſſerianarum melior, & emendatior, & amœnior. Idem eſt de ea judicium, quæ ad Polycarpum ſcripta eſt. Ipſa inſcriptio, non vt aliarum, ſpinoſa, & intricata, ſed clara ac nitida, ab ipſo ſtatim limine orationem qualis ſequitur, promittit, terſam & cultam, & facilem. Sed & quæ eſt ad Tarſenſes, ſatis perſpicua eſt; & rem contra hæreticos non infeliciter gerit. Ejuſdem quoque coloris eſt quæ ad Antiochenos inſcripta eſt; Etiam

CAPVT XXV. melior eſt, quæ ad Heronem ſequitur. Quæ denique ad Philippenſes ſcripta eſt, adeo a ſex primarum illuvie & ſqualore procul eſt, vt etiam munditias affectetur, comptula interdum & venuſtula, ſed in tironum morem, adhuc in ludo declamitantium; quod vel ex ea apoſtrophe apparet; qua ſcriptor, ſermone præter decorum ad Diabolum converſo, hoſtem diu & ſtrenue, ſed pæne pueriliter laceſſit. Hoc quidem eſt omnium in genere epiſtolarum ingenium, hæc idea. Sed quod mireris, ne ſingulæ quidem totæ ſunt vnius vel fili, vel coloris. Sepoſita editione Vſſeriana, ſi, quas illa adhibet, epiſtolas eaſdem in vulgatis Græcis Latiniſque codicibus legeris, reperies ſingulas non eſſe totas vnius ejuſdemque formæ; clara obſcuris, amœna tætricis, ſoluta ſeveris, puerilia vt ſic dicam ſenilibus permixta; omnia denique diverſiſſima, vbique vel nulla vel certe perexigua arte in vnum non tam compoſita, quam congeſta & comportata. Vt ſi pannus ſit aliquis non ex aureis & argenteis & ſericis, & lineis, laneiſque & bombycinis filis magna arte mixtis ac conſertis contextus; ſed ex varii coloris, diverſique operis centunculis temere, inter ſe vel fibula conſtrictis, vel nodo vinctis, coagmentatus; qualia eſſe ſolent mendicabulorum pallia, & veſtimenta. Ea omnino eſt harum epiſtolarum facies; ex iis particulis conflatarum, quas diverſorum eſſe artificum ipſa eorum forma, ipſa ratio, ac elocutio demonſtrat. Quod ſi antehac homines ſtudiis & præjudiciis corrupti minime deprehenderunt, nunc quidem nemo adeo craſſus eſt, qui id facile non poſſit intelligere, ſi modo aliqua cum animi attentione vetuſtiſſimam illam Latinam Græcamque Ignatianarum editionem ab Vſſerio & Voſſio optima fide publice ex libris repræſentatam cum vulgata eorumdem editione comparaverit. Sed hæc de epiſtolarum oratione in genere dicta ſatis ſunt. Nunc ſingula, quæ quidem noſtri erunt inſtituti, videamus.

Primum ergo illud in his occurrit, quod in omnibus duodecim epiſtolis Ignatii nomini adjectum legitur *Theophori* cognomentum. Ita in ea, quæ eſt ad Epheſios; *Ignatius, qui & Theophorus* &c. *Eccleſiæ exiſtenti in Epheſo Aſiæ plurimum in Ieſu Chriſto & in immaculata gratia gaudere*; Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος &c. τῇ οὔσῃ ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας πλεῖςα ἐν Ἰησοῦ Χριςῷ, καὶ ἐν ἀμώμῳ χάριτι χαίρειν. Sic ad Magneſianos; *Ignatius, qui & Theophorus, benedictæ per gratiam Dei Patris* &c. *plurimam ſalutem* Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος τῇ εὐλογημένῃ ἐν χάριτι Θεοῦ Πατρὸς, &c. πλεῖςα χαίρειν. Sic denique, vt vno verbo dicam, habent ſex Vſſerianæ & Voſſianæ; ſic omnes duodecim vulgatæ Græcæ Latinæque editionis; niſi quod in ea, quæ ad Polycarpum eſt, vnum Ignatii nomen habetur hoc modo; Ἰγνάτιος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας, ὁ καὶ μάρτυς Ἰησοῦ Χριςοῦ, Πολυκάρπῳ &c. πλεῖςα χαίρειν. *Ignatius Epiſcopus Antiochiæ, qui & Martyr Ieſu Chriſti, Polycarpo Epiſcopo Smyrnenſium.* Sed ne huic quidem defuiſſe olim Theophori cognomen vetus Vſſerij interpres Latinus indicat, apud quem huic epiſtolæ verba iſta præſcripta ſunt; *Ignatius, qui &*

Id. ep. ad Polyc. p. 135.

ibid. Vſſ. p. 125.

Theo-

Theophorus Polycarpo, &c. *plurimum gaudere.* Iam vero hoc Ignatii nomen *Theophorus*, & apud vetuſtiſſimos omnes eſt inauditum, & plane fabuloſum, & ex fabula ortum. Ergo & ipſas cui id præfixum eſt, epiſtolas non Ignatii, qui id cognomen, vt ſtatim oſtendemus, nunquam vivus geſſit, ſed alterius alicuius diu poſt Ignatium fuiſſe neceſſe eſt. Fabuloſum autem eſſe Theophori cognomen, non ex vero inditum, ſed ex fabella quod dixi, natum apparet. Nam ſi quæras, cur & vnde ſingulare hoc, planeque mirificum, neque vlli quod ſciam, ex omni hominum genere mortali, præter hunc vnum, inditum, cognomentum nactus ſit Ignatius; reſpondent Græci (vt noſter ipſe Vſſerius docet) in publicis ac totius gentis ſuæ communibus libris, *Theophorum* ideo eſſe appellatum, quod eum Dominus Ieſus adhuc tenellum exiſtentem ſanctiſſimis manibus acceptum ſuſtulerit, & in vlnas ſuſceperit. Locus eſt in Græcorum tum Menæo vetere Venetiis, tum etiam novo Anthologio Romæ edito ad diem XX. Decembris; *Hic erat* (inquiunt, de Ignatio verba facientes) *beatus ille, quem adhuc tenellum exiſtentem, ſuſtuliſſe Dominum aiunt, & vlnis eum amplexatum dixiſſe; Niſi quis humiliaverit ſe ipſum, ſicut puerulus iſte, nequaquam intrabit in regnum cœlorum, & qui vnum eiuſmodi puerulorum ſuſceperit in meo nomine, me ſuſcipit. Propterea & THEOPHORVS eſt appellatus.* οὗτος ἦν ὁ μακάριος, ὃν ἔτι νήπιον ὄντα κρατῆσαι φασὶ τὸν δεσπότην, καὶ ἐναγκαλισάμενον εἰπεῖν, Ἐὰν μή τις ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. καὶ ὃς ἕνα τῶν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται. Διὰ τοῦτο καὶ θεόφορος ἐκλήθη. Iidem in Ritualibus; *Theophorus merito appellatus es; quandoquidem te Dominus, ô beate Ignati vt natura ſimiliter affectus, amplexus eſt.* Ὁ Θεόφορος καλούμενος ἀξίως, ὅτι ὁ δεσπότης σε, μάκαρ Ἰγνάτιε, ὡς συμπαθὴς ἠγκαλίσατο. Item, *Vere congruo nomine Theophorus es appellatus, ô Pater. Adhuc enim admodum parvulus in manibus Domini geſtatus ſtetiſti ad nos clamantis, Eſtote mihi, vt hic parvulus.* Ὄντως φερωνύμως κέκλησαι Θεόφορος, πάτερ. νήπιος γὰρ ἔτι κομιδῇ ὑπάρχων εἰς χεῖρας τοῦ Κυρίου φερόμενος ἵστασο, ἀναφωνοῦντος πρὸς ἡμᾶς, Γίνεσθέ μοι ὡς τὸ παιδίον τοῦτο. Hæc ex Vſſerio, omnia vere ex Græcis deſcripta. Fabellam jampridem Metaphraſtes narraverat; *Huic* (inquit) *divino Ignatio cum eſſet adhuc plane puer, aiunt Chriſtum adhuc verſantem in mundo, intemeratas manus impoſuiſſe, & ad populum intuentem dixiſſe; Niſi quis ſe ipſum humiliaverit; vt hic puellus, non intrabit in regnum cœlorum.* Græca, quæ ex eodem Vſſerio habeo, deſcribam. Τούτῳ τῷ θεοφόρῳ φασὶ κομιδῇ ὄντι νηπίῳ τὸν Χριστὸν ἔτι τὰς ἐν κόσμῳ διατριβὰς ποιούμενον τὰς ἀχράντους τε αὐτοῦ ἐπιθεῖναι χεῖρας, καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἀποβλέψαντα, ἐὰν μή τις εἰπεῖν, ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Cum vero Symeonem Metaphraſtem ſæculo nono ante a. D. 859. vixiſſe & Baronius & Bellarminus velint; Voſſius vero ſub Leone. Philoſopho (I. a. D. 885. & ſub eius ſucceſſoribus Conſtantino Porphyrogenaeto, & Romano Lagapeno ad a. D. 919. ſuperfuiſſe clariſſi-

CAPVT XXI.

Bar. a. D. 859. Bell. de ſcript. Eccl. in Sym.

CAPUT XXV.

mus Voſſius demonſtraverit) nihil cauſæ fuit, cur Baronius ſe inveniſſe negaret,* *unde Nicephorus* Calliſti hanc de Ignatio hiſtoriam (quam ipſe quoque narrat) † *acceperit*. Quidni enim a Symeone acceperit, ſuę gentis ſcriptore nobiliſſimo, poſt quem ipſe Nicephorus quatuor pæne ſæculis natus eſt? Neque ii ſoli, quos ex Viſerio edidimus, hanc Ignatiani cognominis rationem afferunt. Anaſtaſius Romanæ ſedis Bibliothecarius, in ſcholis ad octavam a ſe Latine editam & Hadriano P. R. II. poſt a. D. 868. dicatam Synodum, eadem quoque de huius nominis etymo a Græcis tradita fuiſſe teſtatur; *Tradunt* (inquit) *Græci quod parvulus, quem Dominus, advocatum, ſtatuit in medio, dicens, Niſi converſi fueritis, & efficiamini, ſicut hic parvulus* &c. *iſte Ignatius fuit, & idcirco hunc Deiferum nuncupent; Unde nec Apoſtoli auſi fuerint ei, cum ad Eccleſiæ præſulatum promoveretur, amplius manus imponere; nimirum quem ore Dei laudatum, & ipſius tactu ſanctificatum cognoverint.* Certe Mæſtræus ex hac traditione, cum eam ipſe ex Nicephoro deſcripſiſſet, ait non vanam *conſequi coniecturam nomen* θεοφόρου *Ignatio fuiſſe inditum, eo quod a Chriſto Deo manibus aſſumptus ſive geſtatus fuerit.* Si cæteri Latini minus iverunt in hanc ſententiam, hoc inde factum arbitror, partim quod vulgo crederent puerum a Domino in hiſtoria Evangelica in ulnas aſſumptum, non *Ignatium*, ſed *Martialem* ſuum fuiſſe; ut ex Anſelmo, Thoma, & Lyrano memorat Barradius; partim, quod illam ſive Græcorum de Ignatio, ſive ſuorum de Martiale traditionem, totam dubiam ac incertam eſſe, ut eſt ſane, qui ſunt apud eos prudentiores exiſtimarent. Iam vero illam de Ignatio a Domino tacto & in ulnas ſuſcepto traditionem, non modo dubiam, ſed etiam liquido falſam eſſe diſertiſſimo Chriſoſtomi teſtimonio, Chriſtum ab Ignatio viſum negantis, & nuper demonſtravimus, & clariſſimus Uſſerius confitetur. Ergo illud quoque falſum eſſe neceſſe eſt, quod fabulæ ſuperſtructum eſt, *Theophori* cognomine vocatum fuiſſe dum viveret, Ignatium. Neque ſane id nomen unquam de eo uſurpatum apud vetuſtiſſimos reperire eſt; qui rem tam memorabilem dixiſſent alicubi ſi ſciviſſent. Doctiſſimus Uſſerius ut a ſuis ſex epiſtolis, quibus illud nomen æque ac aliis, præſcriptum eſt, hoc telum depellat, fatetur allatum a Græcis huius nominis etymon eſſe vanum & commentitium; nomen ipſum verum & vetus eſſe contendit; & aliud ejus affert etymon; Θεόφορον enim duplici ſenſu a Græcis pro diverſa pronuntiatione accipi; paroxytonon, id eſt cum accentu in penultima θεοφόρον, eum eſſe, qui *Deum fert*; proparoxytonum, id eſt cum accentu in antepenultima, θεόφορον, eum, *qui a Deo fertur*; Plane ut θεοτόκος; quod vel Deiparam, ſi accentum in penultima habeat, θεοτόκος; vel a Deo natum ſignificat, ſi eodem in antepenultima afficiatur θεότοκος. Ignatium ergo non priori ſenſu θεόφορον, quaſi eum Chriſtus tulerit (quod commentitium eſſe fatetur) ſed poſteriori θεοφόρον dici, quod *Deum ferret*, nimirum in corde habitantem per fidem & charitatem, & alia divini in ſe ſpiritus chariſmata; qualiter

Voſſ. de Hiſt. Gr. L. 2. c. 25 p. 290. 291.
* *Bar a. D. 71. §. 13.*
† *Niceph. Call. L. 2 c 35.*
Anaſt. Schol. in Act. 1. Syn. VIII. T. 6. Concil. p. 721. A.
Mæſtr. Præf. in Not. ad Ign.
Barra. Harm. Evang. L. 10. c. 3 p. 788. B.
Uſſ. Not. 4. in Acta Ign. p. 37

& ab

& ab ipſo hoc Ignatio Epheſij,& ab aliis alii inter pios eximii, θεοφόροι dicti ſunt;hoc tantum diſcrimine,quod θεοφόρος aliis,vt epitheton,adjicitur;de Ignatio,vt cognomentum dicitur. Sed quod ſummi viri pace dictum ſit,non poſſunt iſta conſiſtere;Primo quod veterum auctoritate careant.Nam vbi de *facto* quæritur ; non rudis ingenii noſtri ſpeculationibus, ſed teſtimoniis res agenda,ac probanda eſt. Quæritur, an &qua de cauſſa Ignatius vocatus ſit *Theophorus*.Qui hoc eum nomine donant Græci, θεοφόρον cum tono in ſecunda ſyllaba efferunt; atque ita a ſe ſuiſque ideo dictum teſtantur , quod Chriſtus eum adhuc parvulum manu in vlnas ſuſceptum tuliſſet. Neque hoc vnus aut alter Græculus;ſed vniverſa Græcorum gēs hanc hujus nominis rationem affert. Tu quis es,qui in huius generis cauſa contra totius, & quidem Ignatii vernaculæ gentis teſtimonium pugnas? Vel ede de primis,& rerum origini proximis temporibus auctorem idoneum,qui teſtetur Ignatium & Theophorum dictum fuiſſe dum viveret,& ideo dictum fuiſſe,quod *Deum ferret?* Vel cede eorum auctoritati, qui vt de nomine, ita & de nominis ratione primi aliquid tradiderunt. Eſt enim iniquiſſimum,vt a quibus illud Ignatii cognomentum accepiſti,eorum de cognomenti ratione traditionem reſpuas, & quibus de nomine credis, iiſdem de nominis etymo credere nolis. Vtrumque vel cum Græcis admitte, vel nobiſcum reſpue. Sed præterquam quod novum illud *Theophori* interpretamentum ab omnium & vetuſtiorum & recentiorum Græcorum quotquot Ignatium Theophorum vocant, mente & ſententia diſcedit; pugnat inſuper cum omni veri ſpecie. Aiunt ex nominibus adjectivis propria virorum & mulierum nomina multa fieri; vt *Iuſtum*, quod primitus adjectivum erat , ex Luca diſcimus Ioſephi Barſabæ proprium cognomentum evaſiſſe.Scimus,& fatemur multa eſſe einſdem exempli. Sed in jis hoc vſu venire obſervandū eſt, quod quæ ſic ex adjectivis & communibus, propria alicujus viri aut mulieris facta ſunt, eo quod res ſignificata iis eximie inſit,non ſolent in vno hærere,ſed aliis etiam vel eadem,vel alia de cauſa deinceps tribui;ac vt plurimum in nomina virorum aut mulierum propria evadere ; vt in illo ipſo quod affert doctiſſimus Vſſerius, *Iuſti* vocabulo accidiſſe videmus,quod non vni illi de quo in Actis,Ioſepho,ſed & *Iacobo* Epiſcopo Hieroſolymitano parem ob cauſam & multis aliis,datum fuiſſe,conſtat,tandemque eo rem evaſiſſe,vt nomen virorum proprium factum ſit , atque ita etiamnum apud gentes Chriſtianas vſurpetur. Ac vt cætera mittam, idem in *Chriſtophori* nomine,quod Theophori ſimillimū eſt,vſuvenit. Vbi enim ſemel vulgo perſuaſum eſt,ſeu vere,ſeu falſo nihil intereſt,virum quemdam fuiſſe ſanctum cujus id nomen proprium fuiſſet inde alii eodem exemplo & ob ſimilem vt credibile eſt,rationem *Chriſtophori* dici cœperunt,poſtremoque id vocabulum, quod per ſe & ex etymo ſuo adjectivum eſt,ſubſtantivum & virorum apud Chriſtianos proprium, quod omnes norunt,factum eſt.Si ergo revera eſſet Ignatius ſuis temporibus

CAPVT XXV.

Act.1.23.

CAPVT XXV.

Theophorus eam ob rationem dictus, quam fingunt viri doctiſſimi; dubitandum non eſt, quin alii quoque vel iiſdem, vel ſecutis temporibus, apud noſtros ſi quorum eximia virtus, fides, ac pietas in Deum noſcebatur, *Theophori* eadem de cauſſa futuri fuerint; neque ambigendum, quin id vocaculum vt in aliis ejuſdem ingenii factum videmus, ipſum etiam virorum, æque ac *Chriſtophorus*, proprium evaſurum fuerit. Nihil ſimile factum cernimus. Nam neque proximis Ignatii ſæculis quemquam Chriſtianum hominem vel ob pietatem ſuam, vel ob ſingularem in Martyrem amorem *Theophori* nomen nactum eſſe accepimus; neque citerioribus temporibus id vocabulum in nominum propriorum claſſem apud Græcos, vel apud alios Chriſtianiſmi gentes tranſiiſſe. Hujus tu eventus nullam probabilem rationem afferre potes; Ego certam & manifeſtam dabo. Nomina, quæ viri ſancti ac præſertim Martyres geſſerunt, noſtri ſuis libenter donant; quod omnibus notum eſt; vt Ignatii, ne longius abeamus, nomen & de veteri Eccleſia, quibuſnam impoſitum fuiſſe ex libris diſcimus, ob martyris, vt credibile eſt, memoriam. Qui *Theophorus* eadem memoria dictus fuerit, neminem reperimus. Quidni? Quia ſcilicet, cui Ignatii nomen fuiſſet, Martyrem & quidem inſignem atque Apoſtolicum virum norant; qui *Theophorus* dictus eſſet, nullum ſciebant. Si vero conſecuta poſtea tempora ſpectemus, quibus & hominum facilitate & impoſtoris, qui epiſtolas finxit, fraude noſtris vulgo perſuaſum eſt, Ignatium *Theophori* quoque cognomen olim habuiſſe, reperiemus ipſis illis ſæculis, & Ignatii nomen Chriſtianos velut proprium ſuis imponere ſolitos fuiſſe; Sed ne tum quidem quiſquam occurret, qui *Theophorus* dictus fuerit; non quod hoc nomen nullius vnquam fuiſſe putarent (putabant enim fuiſſe Ignatii) ſed quod rationem, cur inditum fuiſſe hoc Ignatio nomen putabant, eam imaginabantur, quæ ejus vnius ita propria ac ſingularis fuiſſet, vt poſt Chriſti in cœlos aſcenſum, nullius alterius communis eſſe potuerit. Ex quibus id quod nos contendimus, intelligere quivis ni fallor, facile poteſt; nimirum neque Ignatium, quandiu vixit, *Theophori* cognomentum habuiſſe; neque quo tempore id cognomen ab hominum vel fraude, vel errore diu poſt mortem habere cœpit, Theophorum tum appellatum a noſtris ideo fuiſſe, quod Deum fide & ſanctimonia in corde habitantem portaſſet; ſed quod hunc Domini Chriſti manibus puerum olim ſuſceptum fuiſſe crederent. Vnde apparet non modo epiſtolarum ſcriptorem, ſed etiam Actorum Ignatianorum auctorem, quem optimus Vſſerius edidit, diu vtrumque poſt Ignatii tempora vixiſſe; quod & alia confirmant, & inter cætera ſermones, quos cum Trajano a Martyre habitos Acta iſta præter omnem veri ac decori ſpeciem fingunt.

Act. Ignat. p. 3. 4.

Sed Acta illa a nemine veterum, ac ne recentiorum quidem, laudata, aut memorato, & nunc primum prodeuntia annis mille & quingentis poſtquam ea conſcripta primum fuiſſe finguntur, nullius adeo au-

ctoritatis,

ctoritatis, mittamus; & inſtitutam de epiſtolici Ignatii λέξει diſputationem pertexamus. Hunc ergo falſo dici Ignatium oſtendunt & vocabula, quæ alio vſurpat ſenſu, quam quo Apoſtolicis temporibus a noſtris vſurpata fuiſſe conſtat. Nam & iis, quos & Apoſtoli, & cæteri divini, quin & vetuſtiſſimi Eccleſiaſtici ſcriptores, presbyteros, vel epiſcopos conſtanter vocant, hic ἱερέων *ſacerdotum*, ſive ſacrificorum nomen donat; vt in epiſtola ad Heronem; *Nihil ſine Epiſcopis agas; Sacerdotes enim (ſacrifici) ſunt, Tu vero miniſter ſacerdotum.* μηδὲν ἄνευ τῶν ἐπισκόπων πράττε. ἱερεῖς γάρ εἰσι. σὺ δὲ διάκονος τῶν ἱερέων. Sic etiam in ea, quæ eſt ad Smyrnæos, vbi quemquam negat vitam æternam conſecuturum niſi qui Chriſti & carnem crediderit, & crucem cõfeſſus fuerit, *etiamſi ille* (inquit) *Rex fuerit, etiamſi ſacerdos,* κἂν ἱερεὺς, *etiamſi Princeps, etiamſi privatus, etiamſi herus, aut ſervus, aut mulier.* In epiſtola ad Philadelphienſes, *Principes* (inquit) *ſubditi eſtote Cæſari; milites Principibus; Diaconi presbyteris & ſacerdotibus.* Οἱ ἄρχοντες πειθαρχείτωσαν τῷ Καίσαρι· οἱ στρατιῶται τοῖς ἄρχουσιν· οἱ διάκονοι τοῖς πρεσβυτέροις, ἀρχιερεῦσιν. Vſſerius ex libris legendum monet, καὶ ἱερεῦσιν, *& ſacerdotibus, vel potius,* ὡς ἱερεῦσι, *vt ſacerdotibus.* Ad rem quidem noſtram, nihil intereſt vtro modo legas. Satis eſt, quod presbyteros ἱερέων nomine hic inſigniti præter omnem Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum videmus. Sic etiam infra in eadem epiſtola; *Boni ſunt ſacerdotes;* Καλοὶ καὶ οἱ ἱερεῖς, vbi presbyteros, vel epiſcopos, apertiſſime intelligit. At presbyteri nuſquam ab Apoſtolis nuſquam a Luca, ac ne a Clemente quidem, aut Iuſtino, aut Irenæo, (quantum equidem meminiſſe poſſum) ἱερεῖς *ſacrifici* ſunt appellati. Id ex ſequentis ævi vſu eſt; quo ἱερέων & ἀρχιερέων nomina a noſtris cœpta ſuis presbyteris & epiſcopis tribui. Neque objectionem hanc ſolvunt illa duo, quæ vir alter, ipſe quoque doctiſſimus excipit. Nam vt a poſteriori incipiam, quod ille negat ἱερέως vocabulum in epiſtolis purgatis, id eſt Vſſerianis, pro presbytero poſitum occurrere; id neque plane atq; omnino verum eſt (nam in loco ex ea quæ eſt ad Philadelphienſes, laudato; καλοὶ καὶ οἱ ἱερεῖς, apparet ἱερέας dici eos, qui ſunt presbyteri) neque ſi plane verum eſſet, efficeret, vt non aliæ ſaltem, vulgatæ ſcilicet, Ignatii epiſtolæ, in quibus illa nomina, ita vt dixi, poſita repeṙiuntur, hinc falſitatis manifeſtæ contra Latinos, qui eas defendunt, coarguantur. II. *Quid* (inquit vir doctiſſimus) *obſtat quo minus Pontifici & ſacerdotibus Iudæorum Chriſtianorum Epiſcopi & Presbyteri ἐκ παραλλήλου reſpondentes notiſſimis inter Iudæos ſimul & proſelytos titulis* [ἀρχιερεῖς & ἱερεῖς] *diſtinguerentur, præcipue cum in inſtrumento novo Chriſtus Dominus* ἀρχιερεὺς, *ſeu Pontifex noſter diſerte dicatur, cumque Epiſcopis, vt Chriſto,* (*quippe a Chriſto per Apoſtolos miſſis, eiuſque jam in cœlo regnantis vicem in Eccleſia gerentibus*) *obedientiam deberi vbique Ignatius pronuntiet?* Sed hæc (quod viri doctiſſimi pace dictum ſit) nihil ad rem, quæ agitur, pertinent. Non enim jam quæritur poſſint-ne hæc ἱερέων & ἀρχιερέων nomina ad præpoſitorum Chriſtianorum in Eccleſia munus ſigniſi-

CAPVT XXV.

Ignat. ep. ad Heron. p. 165.

Id. ad Smyrn. p. 115.

Ign. ep. ad Phil. lad p. 99.

Vſſer. Not. 35. in ep. Ign. ad Philad.

Ign. ad Philad. p. 106. in

Hamm. Diſſ. 2. c. 5. § 1.

CAPUT XXV.

gnificandum vſurpari, & eorum propria fieri (quod in ſequentibus ſæculis factum eſſe concedimus. Id quæritur, quibus nominibus præpoſitos illos Apoſtoli, & Apoſtolici viri ſignificare cum de his loquebantur, ſolerent. Ego eos ab his vnquam Iudaïcis illis duobus nominibus ſignificatos nego; & ex omni eorum ſermone id a me recte negari apparet; in quo nulli primi, nulli ſecundi adulti, ac pæne præcipitis ſæculi ſcriptores Chriſtiani ſive divini, ſive Eccleſiaſtici ſunt, qui ἱερέως vocabulum ad *presbyterum*, vel ἀρχιερέως ad *epiſcopum* ſignificandum poſuerint aut vſurpaverint. Viri doctiſſimi erat, ſi quid volebat efficere, exempla aliqua contraria afferre; ſed non potuit; quia revera nulla hujuſmodi ſunt. Itaque ſtat argumentum; hunc ſcriptorem qui ἱερέα dicit pro *presbytero*, ἀρχιερέα pro *Epiſcopo*, non eſſe Ignatium; virum Apoſtolici ſæculi ſapientiſſimum. Nam qui ſapiunt; vocabulis iis vtuntur, quæ apud ſuos in vſu ſunt ad ea ſignificanda, de quibus ipſi verba faciunt. Ac vt ex Iudæorum ſapientibus neminem reperias, qui epiſcopi nomen ad *ſacerdotem* ſui ritus ſignificandum dixerit; ita neque ex primæva & Apoſtolica Eccleſia, in qua floruit Ignatius, quiſquam occurrit, qui pro ſuæ religionis *presbytero* Iudaïcum ἱερέως vocabulum vſurparit; non quod non aliqua fortaſſe ratio ſit, qua & Iudæis ſacerdotibus *presbyterorum*, & *presbyteris* Chriſtianis ἱερέων viciſſim nomen ex vocabulorum ratione & etymo donari potuerit; ſed quia neutrum in hoc ſenſu admiſerat communis vtriuſque, Iudaicæ ſcilicet & Chriſtianæ reipublicæ, vſus. Viderint ſequentium ſæculorum Chriſtiani, qui aliter inſtituerunt. Ignatiano quidem ſæculo nemo ita locutus eſt; Ignatium autem ſui, non alieni ſæculi more modoque locutum eſſe nemo credo, negaverit, qui eum ſapientem ac gravem virum fuiſſe confeſſus fuerit. Quamquam ne allatæ quidem alterius vſus rationes ſatis validæ videntur. Rogat vir doctiſſimus quid obſtet, quominus ſacerdotis Iudaïci nomen presbytero Chriſtiano ad ſimile illius munus vocato tribuatur? Quaſi obſcurum ſit id ipſum obſtare, quod ille quidem ſacerdos revera fuerit; hic vero minime ſit; ille *ſacrificia* vere proprieque dicta obtulerit; hic nulla offerat. Addit Chriſtum etiam in Novo Teſtamento ἀρχιερέα dixi. Quidni dicatur, qui vere eſt? Qui Patri ſacrificium veri propriique nominis obtulit? Presbyterorum & epiſcoporum alia ratio eſt, qui nulla hujus cenſus ſacrificia offerunt. Eventus docuit, quam ſapienter Apoſtolici hoc ſermone abſtinuiſſent; ex quo ſemel inducto accidit, vt presbyteri cum nomine rem eo proprie ſignificatam, tametſi a ſuo munere alienam, ſibi tandem vindicarint.

Ejuſdem eſt commatis, quod ſcriptor *Epiſcopum*, id eſt (vt ipſe cupit) presbyterorum præſidem ac caput, ἀρχιερέα, *Pontificem*, id eſt ſacrificiorum principem, vocat, *Honora* inquit (nempe ſcriptura) *Fili, Deum & Regem: Ego autem dico, honora quidem Deum vt auctorem omnium & Dominum; Epiſcopum autem tanquam principem ſacerdotum*; Τίμα φησὶν υἱὲ τὸν θεὸν καὶ βασιλέα· ἐγὼ δὲ φημι, τίμα μὲν τὸν θεὸν, ὡς αἴτιον τῶν ὅλων,

ὅλων, καὶ Κύριον· ἐπίσκοπον δὲ ὡς ἀρχιερέα. Clarum eſt Epiſcopum hic *Pontificem* ἀρχιερέα dici; novo & Apoſtolicis viris inuſitato more. Quo & illud pertinet, quod mox ibidem ipſum vel *epiſcopum*, vel certe *presbyteratum*, ἱερωσύνην. *ſacerdotium*, æque novo nomine, appellat; *Sacerdotium*, (inquit) *ſumma eſt omnium bonorum, quæ in hominibus conſtant*. ἱερωσύνη γάρ ἐστι τὸ πάντων ἀγαθῶν ἐν ἀνθρώποις ἀναβεβηκός. Illa ad Philadelphienſes, Κρείσσων ὁ ἀρχιερεύς, *Melior eſt Pontifex*, prudens mitto; quod ea tametſi de Epiſcopo dicta videantur, alii de Chriſto Domino non abſurde interpretentur.

CAPVT XXV.

Ignat ep ad Smyrn.p.118. extr.

ibid.p.119.extr.

Id.ep.ad Philad.p.106.

Neque illud admodum vrgeo, quod idem hic noſter Anacletum Romæ epiſcopum, *Papam* dixerit in epiſtola ad Matiam Caſtabalitam; *Cum adhuc* (inquit) *Romæ eſſes apud beatum Papam Anacletum*. Etſi enim *Papæ* vocabulum vrbico epiſcopo ſingulariter tribui ſexto demum ſæculo, idque ab Italis tantum quibuſdam, Ennodio ſcilicet & ſi forte Caſſiodoro cœpiſſe; ejus vero anno demum 1073. proprium ex Synodi Romanæ a Gregorio VII. habitæ decreto factum fuiſſe, ipſi etiam Roſvveidus, & Baronius confiteantur, conſtat tamen *Papas* etiam aliquot ante vtrumque tempus ſæculis omnes promiſcue epiſcopos dici eſſe ſolitos; vt non modo ex iis, quos Baronius plurimos nominat, Patribus, ſed etiam ex ipſo Tertulliano, iſtis omnibus vetuſtiore conſtat; apud quem de Epiſcopo hæc in libro de Pudicitia legimus; *bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris, & in parabola ovis capras tuas quæris*; vt nihil mirum ſit; quod & *Anacletus*, *Papa* dictus ſit, qua *epiſcopus* ſcilicet, tametſi non qua *Romæ* proprie epiſcopus. Neque ſi Ignatius Tertullianeo ſæculo vixiſſet, vlla ſupereſſet de vſurpato a ſcriptore Papæ nomine dubitatio. Nunc cum primis ſecundi ſæculi, quibus Ignatius mortuus eſt, annis eundem quoque noſtrorum in Papæ nomine de epiſcopis vſurpando morem fuiſſe nullo illius & proximæ memoriæ ſcriptores teſtimonio firment; ſupereſt fateor, ratio cur dubitemus, an Ignatius vel de Epiſcoporum numero quemvis alium *Papam* vocaturus fuerit. Sed id, quicquid eſt dubitationis, nos tamen ideo vehementius vrgendum non cenſemus, quod res obſcura ſit, fierique facile potuerit, vt etiam ante Tertullianum *Papæ* in hoc ſenſu apud noſtros nomen vſurparetur, tametſi ita vſurpatum nuſquam apud quemquam eorum reperiatur, qui ante Tertullianum vixerunt.

Id ep. ad Mar. Caſt.p.p. 133. extr.

Roſvveid in onomaſt. ad calcem Libr. de Vitis Sanctor.

Bart. Not. 3. ad d.1. Ian. in Martyr. Rom.

Tertull. de Pudic. c.13. p.72?. A.

Caput XXVI.

Caput XXVI.

Argumentum LVIII. idque palmarium; Quod ſcriptor præter Apoſtolorum, & Eccleſiaſticorum ad a. D. 200. ſcriptorum conſuetudinem Epiſcopum & Presbyterum, illum de primi, hunc de ſecundi gradus ſacerdote ſemper ac conſtanter, nunquam aliter dicat; quod arguit hominem diu poſt ſecundum Chriſtianiſmi ſaculum vixiſſe. Hammondi effugium præcluditur.

ILlud vero multo majoris, imo longe maximi momenti eſſe mihi quidem videtur, quod ſcriptor *presbyteri & epiſcopi* nomina, non ſemel aut iterũ, ſed perpetuo, & in omnibus vbiq; epiſtolis, aliter vſurpat, quã Apoſtoli & Apoſtolici viri, eorumque etiã diſcipuli. Hic enim duo illa nomina plane eodem ſenſu accipit, quo a tertii ſæculi, & ſequentium Chriſtianis ad hæc vſque tempora accepta fuiſſe & ſcimus, & libenter concedimus; ſic nimirum, vt duas dignitates a ſe invicem diſtinctas ſignificent; *Epiſcopus*que is intelligatur, qui presbyter quidem ipſe quoque eſt, ſed & presbyterio præeſt, & in eorum collegio caput eſt; *presbyter* vero is fit qui epiſcopo ſubeſt. Vnde neceſſario exſurgunt tres in Eccleſia miniſtrorum ordines; *epiſcopus*, primus & ſummus; *presbyter*, ſecundus & medius; *diaconus* denique tertius & infimus. Nunc de re ipſa non diſputo. Donemus doctiſſimo Hammõdo, quod ille tam vehementer cupit, hos tres ordines jam ipſis Apoſtolorum temporibus ita vt diximus, in Eccleſia ſtetiſſe. *Ordinum* certe nomine, de quibus nunc ſolis diſputo, nondum iſtis Apoſtolorum & Apoſtolicorum temporibus ita a ſe invicem diſtincta fuiſſe videntur, vt non aliquando, imo ſæpiſſime nomen *presbyteri*, quod ſecundi ordinis miniſtros nunc ſignificat, de iis diceretur, quos nunc volunt eſſe primi; & viciſſim *epiſcopi*, quod eſt primi ordinis nomen, de ſecundi ordinis miniſtris acciperetur *Diaconorum* nomen ſeorſum ab his habitum confiteor; neque vnquam his vel *epiſcoporum*; vel *presbyterorum* nomen, ne ab ipſis quidem Apoſtolis tributum lego. De *epiſcopi* tantum & *presbyteri* nominibus quæro; Cur quæ apud Apoſtolos & Apoſtolicos viros confuſa ac promiſcua lego; apud hunc ita accurate, ac religioſe diſtincta, ac diſcriminata, ſuiſque ſeorſum finibus alterum ab altero diſterminata reperio, vt ne ſemel quidem in hac quantacunque eſt, epiſtolarum ſylloge, vel *epiſcopi* cum *presbytero*, vel *presbyteri* cum *epiſcopo* communicatam appellationem obſervare potuerim? Neque hac in re vllum eſt inter Vſſerianas, & vulgatas epiſtolas diſcrimen. Caſte vtræque & religioſe hoc nominum diſcrimen ſervant; neque vnum cum altero vſpiam confundunt. Apud vtraſque lego Epheſinæ Eccleſiæ *presbyterium ſic concordatum eſſe Epiſcopo, vt chordas citharæ*; τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον,

Ignat. ad Eph. Vſſ. p. 195. Vulg. ibid p. 28

τέειον, τοῦ θεοῦ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. Vtręque CAPVT XXVI.
Ephesios laudant, *quod obediãt Episcopo, & presbyterio indiscerpta men-*
te, vel *imprævaricabili ſenſu*; εἰς τὸ ὑπακούειν ὑμᾶς τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσ- *Ibid. Vſſ. p. 201. vulg. p. 46.*
βυτερίῳ. Vtræque Magneſianæ Eccleſiæ & *Damam Episcopum, & pres-* *Id. ep. ad Mag. Vſſ. p. 102.*
byteros Baſſum & Apollonium, & *Sotionem* † *Diaconum* memorant, *Vulg. p. 49.*
Episcopo, vt gratiæ Dei, & presbyterio, vt legi Ieſu Chriſti ſubiectum. † *al. Sationem.*
Ἠξιώθην ἰδεῖν ὑμᾶς διὰ Δαμᾶ τοῦ ἀξιοθέου ὑμῶν ἐπισκόπου καὶ πρεσβυτέρων ἀξίων Βάσσου καὶ Ἀπολλωνίου, καὶ συνδούλου μου διακόνου Σωτίωνος, οὗ ἐγὼ ὀναίμην, ὅτι ὑποτάσσεται τῷ ἐπισκόπῳ ὡς χάριτι θεοῦ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς νόμῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ.
Vtræque paulo poſt jubent *præſidere Episcopum in loco Dei, & presby-* *Ibid. Vſſ. p. 103. Vulg. p. 54.*
teros in loco Confeſſionis Apoſtolorum, & Diaconos habentes creditam
miniſtrationem Ieſu Chriſti. προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Vtræque Tralleſianis præcipiunt, *ſine episcopo ni-* *Id. ad Trallia. Vſſ. p. 207. Vulg. 65. 66.*
hil operari, ſed & ſubiici presbyterio, vt Apoſtolis Ieſu Chriſti, oportere
autem & Diaconos omnibus placere; & omnes revereri Diaconos, vt man-
datum Ieſu Chriſti, & Episcopum, vt Ieſum Chriſtum; presbyteros autem,
vt Concilium Dei, & coniunctionem Apoſtolorum. ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράττειν ὑμᾶς. ἀλλ' ὑποτάσσεσθε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς Ἀποστόλοις Ἰησοῦ χριστοῦ &c. δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ χριστοῦ κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν &c. ὁμοίως πάντες ἐντρεπέσθωσαν τοὺς διακόνους ὡς Ἰησοῦν χριστὸν ὡς καὶ τὸν ἐπίσκοπον, ὄντα υἱὸν τοῦ Πατρός. τοὺς δὲ πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον θεοῦ, καὶ ὡς
συνδεσμὸν ἀποστόλων. Et paulo poſt; *Qui ſine Episcopo, & Presbytero, &* *Ibid. Vſſ. p. 203. Vulg. p. 70.*
Diacono operatur aliquid, iſtum non eſſe mundum in conſcientia. ὁ χωρὶς ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτερίου, καὶ διακόνου πράσσων τι, οὗτος οὐ καθαρός ἐστι τῇ συνειδήσει. Vtræque apud Philadelphienſes prædicant *vnam eſſe carnem Do-* *Id. ep. ad Philad. Vſſ. p. 215.*
mini noſtri Ieſu Chriſti, & vnum calicem in vnionem ſanguinis ipſius, v-
num altare, & vnum Episcopum, cum presbyterio, & Diaconis; Et mox; *Vulg. d. 96.*
magna voce, Dei voce pariter vtræque *clamant*; *Episcopo attendite, &* *ibid Vſſ. p. 216.*
presbyterio, & Diaconis. Μία γὰρ σὰρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ. ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος, ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις...... ἐκραύγασα μεταξὺ ὤν, ἐλάλουν μεγάλῃ φωνῇ. τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις. *Vulg. 104.* Denique vtræque Smyrnen-
ſibus eadem occinunt; *Omnes episcopum ſequimini; vt Ieſus Chriſtus Pa-* *Id. ep. ad Smyr. Vſſer. p. 221.*
trem, & Presbyterium, vt Apoſtolos; Diaconos autem reveremini vt Dei *Vulg. 117.*
mandatum. Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς χριστὸς τῷ πατρί. καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς Ἀποστόλοις. τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς θεοῦ ἐντολήν.
Hæc Vſſerianę Voſſianæque, & vulgatæ epiſtolæ; quibus nihil dici po-
teſt ad diſtinguenda *presbyteri* & *episcopi* nomina clarius. Idem eſt alia-
rum, quę pręter has in vulgatis codicibus habentur, epiſtolarum ſermo.
Ea quæ eſt ad Polycarpum, *corruptum eſſe* ait, *qui videri velit plus Epiſ-*
copo, & *conjuges cum ſententia Episcopi vnionem facere* jubet; & *Episco-* *Ign. ep. ad Polyc p. 139. 148.*
po (inquit) *attendite, vt & Deus vobis*, attendat ſcilicet. In his *Episco-* *Id. ep. ad Tarſenſ. p. 158.*
pum dici patet, primi, non ſecundi gradus ſacerdotem. Ita & ad Tarſen-

Caput XXVI.

ſes diſertiſſime; *Presbyteri ſubditi eſtote Epiſcopo; Diaconi presbyteris, populus presbyteris, & diaconis.* Οἱ πρεσβύτεροι ὑποτάσσεσθε τῷ ἐπισκόπῳ· οἱ διάκονοι τοῖς πρεσβυτέροις ὁ λαὸς τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς διακόνοις. Ad Antiochenos;

Id. ep. ad Antioch. p. 150.

Ἀσπάζομαι τὸ ἅγιον πρεσβυτέριον. Ἀσπάζομαι τοὺς διακόνους. *Saluto ſanctum presbyterium. Saluto ſacroſanctos Diaconos. Presbyterium*, vt liquet, dicit ſacerdotum ſecundi gradus collegium; Ipſe enim qui eos ſalutat, ſe ab eo *presbyterio*, quod ſalutat, ſecernit ac ſeparat, primi ſcilicet gradus ſacerdos, id eſt, Epiſcopus. Ad Heronem Antiochenum Diaconum;

Id. ep. ad Heron. p. 165.

Μηδὲν ἄνευ τῶν ἐπισκόπων πράττε· ἱερεῖς γάρ εἰσι· σὺ δὲ διάκονος τῶν ἱερέων· ἐκεῖνοι βαπτίζουσι, χειροτονοῦσι, χειροθετοῦσι. *Nihil ſine epiſcopis agas, ſacerdotes enim ſunt; tu vero miniſter ſacerdotum. Illi enim baptizant, ſacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt, Tu vero ijs miniſtras.* Hic videri poterat epiſcopos pro ſecundi gradus ſacerdotibus dixiſſe. Sed ſe primi gradus miniſtros, id eſt veri nominis epiſcopos intelligere oſtendit, dum iis, de quibus loquitur, *ordinandi & manum imponendi* jus diſerte tribuit. Denique eadem ad Philippenſes;

Id. ep. ad Phil. p. 186.
ibid. p. 186.

Subiecti (inquit) *eſtote Epiſcopo & Presbyteris & Diaconis.* ὑποτάσσεσθε τῷ ἐπισκόπῳ, τοῖς πρεσβυτέροις, τοῖς διακόνοις. Et mox; *Saluto ſanctum Epiſcopum Polycarpum; Saluto ſanctum Epiſcopum Vitalem, & ſacroſanctum Presbyterium, & conſervos meos Diaconos.* Ἀσπάζομαι τὸν ἅγιον ἐπίσκοπον Πολύκαρπον. ἀσπάζομαι τὸν ἅγιον ἐπίσκοπον Βιτάλιον, καὶ τὸ ἱερὸν πρεσβυτέριον, καὶ τοὺς συνδούλους μου τοὺς διακόνους. Tũ; *Adhuc dico Epiſcopo, & Presbyteris in Domino;* ἔτι συντάσσομαι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις ἐν Κυρίῳ, Atque hic perpetuus eſt epiſtolici ſermonis canon; vt *Epiſcopus* nunquam niſi de primi; *presbyter* nunquam, niſi de ſecundi gradus ſacerdote vel dicatur, vel intelligatur. Nomina vbiq; diſtincta apparent, neque vel ſemel alterum pro altero poſitum occurrit. Atqui Apoſtolici ſermonis non modo non eadem, ſed plane diverſa contrariaque lex eſt. Fatentur Latini. Bellarminus, vnus pro omnibus ſatis erit; qui ex Chryſoſtomi & aliorum multorum commentario dicit

Bell. l. 1. de Cleric. c. 15. §. Facilior eſt.

Apoſtolorum tempore nomina illa Epiſcopus & Presbyter, communia fuiſſe omnibus ſacerdotibus, tam majoribus, quos nunc Epiſcopos dicimus, quam minoribus, quos presbyteros appellamus; licet res ipſæ & poteſtates diſtinctæ eſſent. Idem paulo poſt;

ibid. §. Quinta objectio.

Ad hæc (inquit) *omnia vno verbo reſpondetur, nomina* (epiſcopus & presbyter) *eo tempore* (quo vivebant Apoſtoli) *fuiſſe communia, & propterea in his omnibus locis veros etiam Epiſcopos, presbyteros appellari.* Ergo Bellarmine, neque Apoſtolorum tempore vixit, neque Apoſtolicus fuit, neque adeo verus Ignatius fuit tuus hic epiſtolicus Ignatius; cuius tempore *diſtincta*, non *communia* fuiſſe *epiſcopi & presbyteri* nomina, conſtans ac perpetuus ejus vſus hæc a ſe invicem religioſiſſime vbique ſecernentis ac diſtinguentis, docet. Neque ea tantum Bellarmini & aliorum Latinorum eſt obſervatio. Idem jam olim de his *epiſcopi & presbyteri* nominibus obſervatant Hieronymus, Chryſoſtomus, & alii Patres; quorum, quia res eſt minimè controverſa, teſtimonia deſcribere nihil neceſſe eſt. Apoſtolis ipſos potius, & divi-

nos

nos Novi Teſtamenti ſcriptores audiamus. Paulus Timotheo manus a *presbyterio* impoſitas fuiſſe dicit, *Noli* (inquit) *negligere gratiam quæ in te eſt,* (Miniſterii Evangelici *gratiam* intelligit) *quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij*; qui vnicus eſt in divinis libris locus, in quo Chriſtiani *presbyterij* mentio fiat; ſed ita vt id nomen miniſtrorum primi gradus collegium neceſſario ſignificet, non autem ſecundi, quibus ſcilicet ordinandi & imponendi manus facultas, huic collegio a Paulo attributa, nulla ex eorum dogmate eſt, qui hunc ſecundum gradum a primo diverſum ſtatuunt. Cur Ignatius epiſtolicus, qui toties *presbyterij* meminit, conſtanter vbique aliter quam Apoſtolus, id nomen vſurpat, ſcilicet pro ſacerdotum, ſecundi gradus? Nunquam vt Paulus, pro ſacerdotum primi gradus collegio? Imo ne pro eo quidem corpore, cuius pars ſit Epiſcopus? Vbique enim Epiſcopum ſeorſum a *presbyterio* habet; quaſi nulla presbyterii pars ſit Epiſcopus; vt novum ei conſeſſui nomen ſit ex hujus quidem dogmate quærendum, in quo presbyteris Epiſcopus præeſt. Scio locum a doctiſſimo Hammondo vnum eſſe in epiſtola ad Philadelphienſes obſervatum, in quo ſcriptor non *Epiſcoporum*, ſed quod multo majus atque mirabilius eſt *Apoſtolorum* collegio *presbyterij* nomen dedit; quo in loco dicit ſe ad Evangelium confugere, tanquam ad carnem Ieſu, & ad Apoſtolos, velut ad Eccleſiæ presbyterium; προσφυγὼν τῷ εὐαγγελίῳ, ὡς σαρκὶ Ἰησοῦ. καὶ πρεσβυτερίῳ Ἐκκλησίας. Sed is locus nihil habet cum argumento hoc noſtro cõmune. Non enim hic de Apoſtolis loquitur, in terris Apoſtolatũ exercentibus, & certæ alicui Eccleſiæ miniſtrantibus, in qua *presbyteri* fuerint. *Apoſtolos* ſpectat, vt vniverſæ Eccleſiæ ſub Domini Ieſu, vnici eius capitis, imperio, duces ac principes miniſtros; eumque in medio conſidentem ac præſidentem habentes; quo ſenſu eos metaphorice dicit *Eccleſiæ presbyterium*; idque ſcite & eleganter. Vt enim in ſingulis Eccleſiis presbyterium; ita in vniverſali ſe habet Apoſtolorum collegium. Presbyterium regit Epiſcopus; Apoſtolorum collegium Chriſtus. Vt Epiſcopus & presbyterorum, & totius gregis, cui miniſtrant presbyteri; ita Chriſtus & Apoſtolorum, & Apoſtolicæ totius Eccleſiæ caput eſt. Vt ſine Epiſcopo presbyteri; ita neque ſine Chriſto Apoſtoli quicquam agunt. Ob eam ordinis in vniverſa Eccleſia cum ordine ſingularum Eccleſiarum ſimilitudinem, ſcriptor non dubitavit Apoſtolorum collegium ſub Chriſto, proximo collegii & immediato capite ac præſide, *Eccleſiæ presbyterium* appellare. Cæterum ne in hac quidem imagine ſummi ſacerdotes ii ſunt, quibus presbyterorum nomen dedit. Nam etiam Apoſtolos cum capite collegii Chriſto conſideratos, ſecũdi gradus eſſe ſacerdotes, conſtat; vni Chriſto primi, principis, ſummique ſacerdotis vt dignitas, & poteſtas, ſic & nomen convenit. Aliorũ Eccleſiæ collegiorum, quibus non vt Apoſtolorum collegio, ipſe per ſe Chriſtus immediate, ſed eius (vt vult ſcriptor) vice Epiſcopus præeſt, eadem quoque ratio eſt. Sacerdotes ſecundi gradus, ex quibus conſtant colle-

CAPVT XXVI.

1.Tim.4.14.

Hamm.Diff.4 c.20.§.12.& c.21.§.6.

Ign.ep.ad Philad.p.29.

Caput XXVI. gia, *presbyterio* vocat ſcriptor; *ſacerdotē* primi gradus, qui Eccleſiaſtico *presbyterio* præeſt, extra *presbyterium* & ſeorſum ab eo ſemper habet; neque tu mihi vllum ex eo locum attuleris, in quo ſacerdotum primi ordinis plurium vna congregatorum conventum *presbyterium* dixerit; quod fecit in laudato nuper loco Paulus. Ergo hic quidem ſcriptor, qui aliter loquitur, quam Paulus, eſtque adeo diverſæ ab Apoſtolo linguę ἑτερόγλωττος, nihil minus eſt, quam Ignatius Apoſtolorum congener, concors, ὁμόψυχος, καὶ ὁμόγλωσσος diſcipulus. Iam & nominis *epiſcopi* eadem ratio eſt, quod in plurali numero Apoſtolus apertiſſime pro iis, quos ſecundi gradus eſſe volunt, ſacerdotibus poſuit; *Paulus & Timotheus* (inquit) *ſervi Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum epiſcopis & diaconibus.* Vnius Eccleſiæ vnus eſt primi gradus ſacerdos, ſive prępoſitus. Ergo qui Eccleſiæ Philippenſium vnius,
Phil. 1. 1. plures dicit *Epiſcopos* Paulus, non *primi gradus* propoſitum qui vnus erat, ſiquis erat, ſed *ſecundi gradus* præpoſitos *Epiſcoporum* nomine ſignificavit. Sic & alibi vtitur, vbi vnius Eccleſiæ Epheſinæ ad ſe vocatos
Act. 20. 17. 28. præpoſitos, ac vt Lucas diſerte vocat *presbyteros*, ipſe ait *a Spiritu Sancto in vniverſo grege poſitos eſſe Epiſcopos ad regendam Dei Eccleſiam.* Ergo hi Epheſi, vnius vrbis plures, non primi, ſed ſecundi gradus *præpoſiti* Epiſcoporum nomine ſignificantur; atque ita vtrumque locum ve-
Chryſ. hom. 1. *in Phil.* teres interpretantur. Priorem Chryſoſtomus; *An vnius civitatis multi erant Epiſcopi? Nequaquam; ſed presbyteros iſto nomine appellavit. Tunc enim nomina adhuc* erant communia. μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; οὐδαμῶς, ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε. τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμα-
Theod. in Phil. 1. 1. T. 3 p. 323. σι. Theodoretus ἐπισκόπους δὲ τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ. ἀμφότερα γὰρ εἶχον κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τὰ ὀνόματα. *Epiſcopus vero appellat presbyteros. Vtrumque*
Theophil. in Phil. c. 1. 1. *p.* 577. *enim nomen habebant illo tempore.* Theophylactus; *Coepiſcopos presbyteros appellavit; non enim in vna vrbe multi Epiſcopi fuerunt.* συνεπισκόπους εἶπε τοὺς πρεσβυτέρους. οὐ γὰρ δὴ ἐν μιᾷ πόλει πολλοὶ ἦσαν ἐπίσκοποι. Ac vt presbyteris *epiſcoporum*; ita & *epiſcopis presbyterorum* nomen datum fuiſſe
Oecum. in Phil. 1. 1. *p.* 65. *B C.* hinc colligit; Καὶ αὖθις οἱ πρεσβύτεροι ἐπίσκοποι ἐλέγοντο. Denique Oecumenius; qui diſerte ipſe quoque obſervat *nomina adhuc fuiſſe communia*, & presbyteros epiſcoporum, epiſcopos presbyterorum nomine fuiſſe
Hier. in ep. ad Tit. 1. 9. 7. appellatos. Latinorum veterum eadem eſt ſententia, Hieronymi, de loco ad Philippenſes; *Quia* (inquit) *eoſdem epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant; propterea indifferenter de epiſcopis, quaſi de*
* *Id. ep.* 85. *ad Evagr. Ambr. in Eph.* *presbyteris eſt locutus.* Eadem quoque alibi* habet. Commentarius in Paulum vetus, Ambroſii, ſed falſo, nomine gaudens; *Primum* (inquit) *presbyteri epiſcopi appellabantur.* [a] Pelagius ſub Hieronymi nomine latens commentario in ipſum locum; *cum omnibus epiſcopis & diaconi-*
Primaſ. in Phil. 1. 1. *bus.* &c. *Hic* (inquit) *Epiſcopos presbyteros intelligimus.* Primaſius ibidem; *Epiſcopos hic non ſolum Pontifices, ſed & presbyteros intelligimus.*
a *In locum Apoſtoli.* *Non enim in vna civitate plures erant Epiſcopi.* Latini recentiores ſic quoque interpretantur; Gagnæus, [a] Sa, [a] Menochius, [a] Tirinus [a] Eſtius,

CAPUT XXVI.

[a] Bellarminus, [b] alii. Sed & de poſteriori ex Actis loco eadem quoque eſt eorumdem ſententia. Oecumenius ex Græcis vnus ſatis erit, qui notat hanc eſſe *Novi Teſtamenti conſuetudinem, vt Epiſcopis presbyterorum; presbyteris epiſcoporum nomen tribuat*; idque tum ex illo Lucę loco firmat, tum ex epiſtola ad Titum capite primo, vbi Paulus quos presbyteros dixerat, eoſdem ſtatim vocat *epiſcopos* ac denique ex capite tertio prioris ad Timotheum, Latini Hieronymus, Pelagius, Primaſius, locis nuper indicatis itidem interpretantur; & Beda in ipſum locum, *Eoſdem* (inquit) *Presbyteros, vt vere ſacerdotes ſub nomine Epiſcoporum ſignificat.* Latini recentiores id ipſum confitentur; Bellarminus, [a] Caietanus, [b] Sa, [b] Tirinus, [b] alii, quos recenſere nominatim nihil neceſſe eſt. Doctiſſimi Hammondi interpretamentum non moror; contra tantam teſtium nubem, contra diſertas divinorum ſcriptorum voces, *epiſcopos qui ſunt Philippis*, de omnibus totius Macedoniæ Epiſcopis, & *presbyteros Epheſinæ Eccleſiæ*, de Aſiæ totius presbyteris, id eſt *epiſcopis*, accipientis; quaſi vel *Philippis eſſe* dici poſſint, qui in cæteris Macedoniæ partibus ſunt extra Philipporum vrbem; vel *Epheſinæ Eccleſiæ presbyteri*, vocari, qui in aliis Aſiæ extra Epheſum Eccleſiis presbyteri ſunt; quæ phraſes, cum nullo exemplo firmentur, neque in vllo ſcriptorum, vel etiam hominum ſermone vſitatæ ſint, procul a divinis libris arcendæ ſunt; veluti totidem orationis prodigia; quæ ſi admittantur, nihil amplius certi ſupererit de locis, vbi vel homines habitaſſe, vel res geſtæ fuiſſe ab auctoribus ſacris vel Eccleſiaſticis memorantur. Sed & divinos illos ſcriptores *epiſcopis* viciſſim *presbyterorum* nomen dare conſtat & ex iiſdem auctoribus, quos nuper laudavimus, & ex ipſo etiam illo eruditiſſimo Hammondo; qui vltra cæteros omnes hac in parte progreſſus, miſeros ſecundi gradus ſacerdotes ex divinis Novi Teſtamenti libris ſimul ſemelque omnes exterminavit, presbyteros Chriſtianos quicumque iſtic & vbicumque memorantur, totidem fuiſſe primi gradus ſacerdotes, id eſt epiſcopos, acerrime contendens, & accuratiſſime diſputans. Quin & aliud facinus multo majus molitus videtur, vt huius ſecundi generis ſacerdotes ex primis illis Eccleſiis, quamdiu quidem cæteri Apoſtoli vixerunt, plane penituſque tollat; Nullum ab Apoſtolis huius cenſus miniſtrum vel inſtitutum, vel viſum; niſi a Ioanne, qui collegis omnibus ſuperfuit, & valde longævus fuit ſupremis fortaſſe vitæ ſuæ temporibus. Certe negat diſerte *vllis ſibi indiciys, aut veſtigiys comparuiſſe hos Eccleſiæ* συνέδρους (ſic enim hos vocat ſecundi gradus ſacerdotes) *vllos Epiſcopis allectos eſſe*, toto Apoſtolorum, niſi vnius Ioannis, tempore; vt Eccleſias ſingulas ab vno duntaxat eoque primi gradus præpoſito, id eſt *Epiſcopo*, vna cum aliquot Diaconis res omnes ſacras procurante rectas fuiſſe pæne ad Traiani imperium, ſi doctiſſimum virum audimus, fateri neceſſe ſit. Sed nos miſſa de rebus ipſis diſputatione, nunc quod agimus, de vſu nominis *Presbyteri* Apoſtolico videamus. Omnes vident ac conſentiunt Petrum,

[b] *Bell. L. 1. de Cler. c. 15. §. Primo loco.*

Oecum. in Act. 20. 17. p. 150.

Beda in Act. 20. 28 T. 5. p. 659.

[a] *Bell. de Cler. L. 1 c. 15. §. Quinta obiectio.*

[b] *Caiet. Sa. Tirin. in Act. 20. 28.*

Hamm. Differ. 4. c. 6 §. 5. p. 197. & ſeqq. fuſe.

Id. Diſſ. 4. c. 19. §. 5. p. 229.

Caput XXVI. trum, quos Presbyteros πρεσβυτέρους jubet ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντας μὴ ἀναγκαστῶς, *providentes*, & ad verbum *epiſcopatu fungen-*
1.Petr.5.1.2. *tes non coacte ſed ſpontanee*, eos fuiſſe veri nomini Epiſcopos; neque quiſquam credo putaverit vel eundem, vel Ioannem ejus collegam,
2.Ioan.1.3. Ioann.1. cum vterque ſe ipſum *presbyterum* vocat eo nomine ſignificaſſe aliquem de minutis iſtis & gregariis ſacerdotibus, qui a ſuperioris ſacerdotis nutu ſic penderet; vt abſque eo nihil agere poſſet. Sed neque ob-
Tit.1.7. ſcurum eſt de hoc genere non fuiſſe quos Paulus a Tito *conſtitui* præcipit *per Cretæ civitates presbyteros*; quoſque ipſe ſtatim *epiſcoporum*
Act.20.17.28. nomine donat. Neque quiſquam credo dubitat, quos Lucas dicit Ephe-
Act.11.30. ſinæ Eccleſiæ *presbyteros* quin ii *epiſcoporum* nomine vere digni eſſent; quos Paulus *epiſcopos in ſuo grege a Spiritu Sancto poſitos* diſerte dicit. Hæc quidem perſpicua ſunt, & ab omnibus non modo confeſſa, ſed etiam obſervata. De cæteris vero ſiquis dubitat, non certe doctiſſimus Hammondus, qui primi, non ſecundi gradus fuiſſe decernit *presbyteros*,
Act.14.22. ibid.15.2.4.6.22.23. ad quos Lucas narrat collectam ab Antiochenis fratribus miſſam in Iudæam; & eos omnes, quos idem teſtatur *per ſingulas civitates conſtitutos*, & eos quos idem dicit Antiochenam Eccleſiam ſuper quadam quęſtione vna cum Apoſtolis conſulendos ſtatuiſſe, & a quibus mox & ſuſceptos fuiſſe Hieroſolymis Antiochenorum legatos tradit, & concilium cum Apoſtolis habitum, & factum ſuper propoſita quæſtione de-
ibid.16.14. cretum, & ſcriptam ad fratres Syros, & Cilices epiſtolam, & quorum denique dogmata ac decreta Paulum dicit cuſtodienda Eccleſiis tradi-
ibid.21.18. diſſe. Quos vero idem Lucas *presbyteros* Hieroſolymis ob Pauli adventum apud Iacobum collectos fuiſſe memorat, neque ipſos profecto minutos iſtos, Epiſcopo veluti capiti ſuo ſubjectos miniſtros ſignificari. Eodem quoque ſenſu illa eſſe accipienda, quæ Paulus ad Timotheum
1.Tim.5.17.19. ſcribit, *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*, Item; *Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Hammondus non modo in illo, ſed etiam (quod quis fortaſſe mirabitur) in hoc loco *presbyteri* nomen idem ſignificare quod
Iac.5.14. *epiſcopum* pertendit. Denique & illos a Iacobo memoratos Eccleſiæ
De his omnibus vid. Ham. Diſſ 4.c.20. & c.19. & c.21. *presbyteros, orantes ſuper infirmum & vngentes eum oleo in nomine Domini, ſecundarios* (quod aiunt Latini) *ſacerdotes* idem fuiſſe negat; *primarios* fuiſſe dicit. Atque hæc quidem loca divinorum ſcriptorum niſi fallor, omnia, in quibus *presbyteri* nomen de Eccleſię Chriſtianæ miniſtris eſt vſurpatum; ex quibus hunc Pauli, Petri, Ioannis, Iacobi, & Lucæ vſum fuiſſe videmus, vt qui ſunt *primi* (vt loquuntur) *gradus* Eccleſiarum præpoſiti, eos & presbyteros & *epiſcopos* indifferenter, imo multo ac longe ſæpius illo, quam hoc nomine, vocarent. Ipſum enim
* Act.20.28. Phil.1.1. 1.Tim.3.2. Tit.1.6. *epiſcopi* in hoc ſenſu nomen quater, * ſi bene putavi, in ſacris libris legitur; ἐπισκοπεῖν vero verbū ſemel.* Et ex quatuor illis locis, in quibus extat *epiſcopi* vocabulum duo ſunt vbi id de ſecundariis ſacerdotibus
* 1.Petr.5.2. non pauci neque contemnendi tum veteris tum recentis memoriæ inter-

interpretes accipiunt. *Presbyteri* vero nomen de primi gradus miniſtris abſque controverſia ſæpius, & doctiſſimo Hammondo judice, ſemper, neque vnquam aliter dictum eſt. Nunc ergo a vobis, Latini; a te Hammonde quæro, cur hanc Apoſtolici ſermonis Lucæ, Pauli, Petri, Ioannis, & Iacobi, imo Sancti Spiritus per eos ſcribentis vſu conſignatam ac conſecratam conſuetudinem cariſſimus atque excellentiſſimus eorum (vt vos vultis) diſcipulus, ſucceſſor, ac filius Ignatius, ita plane penituſque averſatus ſit, vt quos viri θεόπνευστοι, ad hæc ſanctiſſimi ejus parentes, etiam interdum *epiſcopos* dicerent, eos ipſe nunquam epiſcopos, ſemper presbyteros? Quos illi viciſſim *presbyteros* ſæpe imo ſæpiſſime vocant, ipſe nunquam *presbyteros*, conſtanter ac vbique *epiſcopos* vocaret? cur *presbyterorum*, honoris ac dignitatis plenum nomen, quod eius magiſtri nunquam, ſi tibi Hammonde, credimus, niſi de primi ac ſummi in Eccleſia gradus præpoſitis vſurpaverant, ipſe ita contempſerit, vt id ne ſemel quidem, de aliis quam de inferioris gradus miniſtris dixiſſe reperiatur? Ede aliquam rationem cur tam ſubito, tamque penitus tantus diſcipulus a tantorum præceptorum ſermone ſibi deſciſcēdum putaverit? *Aliquem dic Quintiliane colorem?* Non potes. Nam quod Paulo ſcribente, & cæteris viventibus Apoſtolis Eccleſias vis presbyterum vnum ſive epiſcopum ſingulas gubernaſſe, abſque vllis ſecundi gradus ſacerdotibus ſolo diaconorum miniſterio adiutum; Ioannem diu poſtea ſecundarios illos ſacerdotes Eccleſiæ vt vocas συνεδρευτὰς inſtituiſſe; id & conſtituere vt ego quidem iudico, difficile eſt; & ſi conſtitueris, inde aliquid colligere, quod idoneam Ignatio tuo cauſam dederit, cur ab Apoſtolorum ſermone & vſu deſciſceret. An Ioannem, quem novum & ignotum ſuis collegis miniſterium in Eccleſia inſtituiſſe vis, dices Apoſtolici & Eccleſiaſtici ſermonis qui retro fuerat, vſum mutaſſe, & aucto ſacerdotiorum numero, ad vitandam confuſionem, ſuum cuique nomen addixiſſe, & qui iam ante fuerant; primi ſcilicet gradus ſacerdotes, eos decreviſſe in poſterum *epiſcopos* tantum, non vt olim, etiam *presbyteros* vocari, quos vero ipſe recens inſtituebat *ſecundi gradus* ſacerdotes eos *presbyterorum* ſibi nomen vnum habere? Hoc fateor, Ioannis decretum, ſiquod haberes, Ignatium fortaſſe tuum purgaret. Sed peſſime accidit, quod iſtiuſmodi a Ioanne latæ legis, vel innovati ab eo & amplificati Eccleſiaſtici miniſterii nullum extat in veris antiquitatis monumentis certum, ac diſertum documentum; eaque res tota tuis tantum quibuſdam non tam ratiocinationibus, quam coniecturis & ſuſpicionibus nititur. Sed ne illud quidem, quod dixi, pertendis innovatum a Ioanne fuiſſe hac in parte Apoſtolicæ Eccleſiæ ſermonem; Tantumque ab eo abes, vt ipſum etiam Ioannem fatearis plane eodem, quo Collegas, more modoque locutum; qui ſe ipſum ſcilicet non modo Apoſtolum, ſed etiam, vt tu quidem vis *totius Aſiæ primatem*, *presbyterum* tamen in vtraque poſteriori epiſtola præſcripſerit. Sed quoniam quod tu ipſum quoque ſignificas, non pauci olim an ejus germa-

CAPUT XXVI.

Hamm. Diſſ. 4 c. 26. §. 10. *Id. ibid* c. 19. §. 20. & c. 21. §. 4.

Id. ibid. c. 21 §. 4.

Caput XXVI. næ ſint hæ epiſtolæ dubitarunt, alia afferenda ſunt argumenta, quibus demonſtretur, a Ioanne Apoſtolo, ſiue res ipſæ quod tu vis, novatæ ſint, ſiue non, certe in ſermone Eccleſiæ nihil fuiſſe hac in parte mutatum; idque primo docent duæ illæ poſtremæ Ioannis epiſtolæ, quæ ſi Apoſtoli non ſunt, antiquiſſimi tamen fuerunt, atque Apoſtolici alicuius viri, quique magnæ in Eccleſia dignitatis atque auctoritatis eſſet, (neque enim aliter eſſent in Scripturarum canonem jam a vetuſtiſſimis temporibus relatæ.) At ille quiſquis fuit, Ioannes non aliud ſibi quam *presbyteri* nomen præſcribit; non facturus, ſi Apoſtolico decreto antiquatus eſſet illius nominis de primi gradus ſacerdote vſus. Neque enim credo, iſtum divinitus inſpiratarum epiſtolarum ſcriptorem ſecundi tantum ordinis ſacerdotem fuiſſe quiſquam dixerit. Sed quid aliunde argumenta mendicamus? Doctiſſimus Hammondus plurima ipſe ad hanc rem nobis ſuggerit. Fatetur enim, imo ſolidiſſime multis iiſque clariſſimis allatis teſtimoniis demonſtrat veterem hunc Apoſtolici ſermonis vſum, quo qui primi ſunt gradus ſacerdotes, ii tamen *presbyteri* dicantur, non modo ad Ignatiani martyrii tempus, ſed etiam diu poſtea, vltra ſæculum ſecundum, id eſt totos centum & amplius poſt Martyris agonem annos in Eccleſia permanſiſſe; quod profecto non eſſet factum, ſiqua Ioannis lege interdictum fuiſſet nequis id nomen hoc ſenſu vſurparet. Hic inprimis occurrit paucis ante Ignatii martyrium annis, Ioanne adhuc ſuperſtite, Romanæ Eccleſiæ Paſtor Clemens. Ille *presbyteros* non ſemel nominat; vbi *turpe eſſe* affirmat firmiſſimam & antiquam Corinthiorum Eccleſiam propter vnam aut alteram perſonam *ſeditionem adverſus presbyteros concitare.* στασιάζειν πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους. Seditionis auctoribus præcipit vt *in obedientia ſubditi ſint presbyteris.* ὑποτάγητε (inquit) τοῖς πρεσβυτέροις. Siquis apud Corinthios ſit vere generoſus, aut miſericors, eum iubet vel ſuo damno procurare, *vt ovile Chriſti cum presbyteris conſtitutis pace fruatur,* μόνον τὸ ποίμνιον Χριστοῦ εἰρηνευέτω μετὰ τῶν καθεσταμένων πρεσβυτέρων. Si quæris, quos dicat *presbyteros* Doctiſſimus Hammondus reſpondet ſignificari *Achaiæ epiſcopos.* Mihi quidem fateor, nondum de Achaia perſuaſit, quam illis jure quodam αὐτοκρατορικῶς, nulla alia niſi ſui arbitrii lege, provinciam donat; Nunc ſatis eſt, quod epiſcopos fatetur; quod ſane veriſſimum eſt. Eadem eſt eius loci ratio, in quo Clemens exclamat; *Beati Presbyteri, qui viam ſunt emenſi, & diem obierunt.* Μακάριοι οἱ προοδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι. Hos enim & rerum & orationis nexus demonſtrat ex eo miniſtrorum ordine fuiſſe, quos paulo ante *per regiones & vrbes ab Apoſtolis Epiſcopos conſtitui ſolitos* fuiſſe dixerat. Duo alia eiuſdem ſcriptoris ab Hammondo * huc quoque allata loca mitto, vnum de Corinthiorum honore erga τοὺς πρεσβυτέρους, alterum de honorandis τοῖς πρεσβυτέροις; quod hoc in vtroque vocabulum ætatem, non munus aut dignitatem ſignificare videatur. Polycarpus Ignatii condiſcipulus, & amicus, in epiſtola paulo poſt ejus martyrium ſcripta, Philippenſibus præcipit *vt ſubiecti ſint presbyteris & diaconis*

Hamm. Diſſ. 4 c. 22. tota, & alibi paſſim.

Clem. Rom. ep. ad Cor. p. 62.

ibid. p. 73.

Ibid. p. 69.

Hamm. Diſſ. 5. c. 3. & 8.

Clem. ad Cor. p. 58.

ibid p. 55.

ibid p. 2. & 30.

** Hamm. Diatr. 5. c. 4. § 2.*

diaconis ſicut Deo & Chriſto. ὑποτάσσεσθαι τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς θεῷ καὶ χριστῷ. Mox ipſos presbyteros inſtituit; *Presbyteri* (inquit) *ſimplices ſint, in omnibus miſericordes*; & quæ ſequuntur. Οἱ πρεσβύτεροι δὲ εὔσπλαγχνοι, εἰς πάντας ἐλεήμονες. Quos intelligit presbyteros? Non certe minutos illos & ſecundarios, epiſcopis vt vmbras, corporibus affixos; ſed vere *epiſcopos*; Macedoniæ, ſi Doctiſſimum Hammõdum ſequimur, *provinciales*, id eſt Philippenſem, ac vt nunc loquuntur, eius ſuffraganeos. Sed & qui in epiſtolæ inſcriptione ſtatim occurrunt *presbyteri*, *Polycarpus, & qui cum eo ſunt Presbyteri*, non dubito quin eos idem aliarum civitatum, quarum Smyrna, Polycarpi parœcia, caput ac metropolis erat, epiſcopos fuiſſe exiſtimarit; tametſi id plane ac rotunde non ſit elocutus. Nobis, qui neque de iſtis *ſuffraganeis* quicquam apud Polycarpum legimus, neque divinare, aut hariolari audemus, hoc vnum ſatis eſt, quod hinc liquet *presbyterorum* nomine adhuc tum, cum Ignatius paſſus eſt, *Epiſcopos* appellari conſueviſſe. Papias, quem vetuſſimum fuiſſe virorum Apoſtolicorum auditorem conſtat, eodem ipſe quoque modo locutus eſt, vbi ſe *presbyterorum* ſermones ſciſcitatum eſſe dicit, ſiquis veniſſet, qui *presbyteros* ſecutus eſſet; εἰ δέ που παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους. *Presbyteros* dicit, ipſos, ſi Doctiſſimum Hammondum audis, Apoſtolos; Mihi & verius videtur, & ſatis eſt, vt intelligas *primos illos ab Apoſtolis per regiones & vrbes conſtitutos*, quos dicebat Clemens, Epiſcopos. Idem ſtatim *Ioannem* quemdam ab Apoſtolo diverſum, Domini diſcipulum, *presbyterum* quoque eodem ſenſu vocat. Sed & Papia recentior Irenæus, hunc Apoſtolicum loquendi morem crebro vſurpat, vt in epiſtola ad Victorem, Anicetum, Pium, Hyginum, & Teleſphorum & Xyxtum notiſſimos Romæ epiſcopos, de iis verba faciens, non aliter vocat, quam *Presbyteros, qui ante Soterem Eccleſiæ* vrbis *præfuerunt*, οἱ πρὸ Σωτῆρος (inquit) πρεσβύτεροι οἱ προστάντες τῆς ἐκκλησίας, ἧς νῦν ἀφηγῇ. Et mox Victoris anteceſſores Romanos Epiſcopos vocat eos *qui ipſum præceſſerant*; *presbyteros*. οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι (inquit) Et ſtatim Anicetum tradit Polycarpo dixiſſe eorum, qui ante ſe fuerant, presbyterorum *morem* (in Paſchate celebrando) *ſibi retinendum eſſe*; epiſcopos Romanos ſe anteriores ſignificans. τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ὀφείλειν κατέχειν. Idem Irenæus Polycarpum alibi, illuſtriſſimum illum Smyrnæ Epiſcopum, & Chriſti martyrem, *beatum & Apoſtolicum presbyterum* vocat. εἴποι τοιοῦτον (inquit ad Florinum) ἀκηκόει ἐκεῖνος ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος. Ibidem de epiſcopis, qui ante ſe vixerant, Apoſtolorum ſucceſſoribus; *Iſta* (inquit) *dogmata Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant ipſorum Apoſtolorum diſcipuli, minime tibi tradiderunt*. ταῦτα τὰ δόγματα οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι. Idem ſcriptor in eximio adverſus Hæreſes opere, quam ſæpe eodem *presbyteri* vocabulo eodem ſenſu vtitur. Vt cum ſcribit *traditionem Apoſtolorum per ſucceſſiones presbyterorum in Eccleſiis cu-*

CAPVT XXVI.

Phyc. ep ad Philip. p. 18. 19.

Hamm. Diſſer. 4. 6. 22.

ibid.

Papias apud Euſeb. Hiſt. L. 3 *c.* 39.

Hamm. Diſſ 4 *c.* 22. §. 22.

Iren. apud Euſeb. L. 5. *Hiſt. c.* 24. *p.* 193. *B.*

ibid. C.

Iren. ibid. C. 28. *ep. ad Florin. p.* 188. 8.

ibid.

Iren. adv. Hæreſ. L. 3. *c.* 2.

CAPVT XXVI. *ſtodiri*; Quas hic *preſbyterorum*, infra dicit *Epiſcoporum ſucceſſiones*; & alibi *eis*, *qui in Eccleſia ſunt Preſbyteris*, *obaudiendum eſſe*, *his* (inquit) *qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus*, *qui cum*
ibid.L.4.c.63. *ibid L.4.c.43.* *epiſcopatus ſucceßione chariſma veritatis certum ſecundum placitum Patris acceperant*; quo loco manifeſtum eſt, iſtos quibus obediri vult, preſbyteros, eoſdem fuiſſe epiſcopos; quos ait capite ſequenti *cum preſbyteri ordine ſermonem ſanum*, *& converſationem ſine offenſa praſtare*; vnde
ibid. c.44.9. 383.A. liquet iſti epiſcopatum & preſbyterii ordinem plane idem eſſe. Et libro ejuſdem operis quinto *Epiſcopos, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias*, paulo poſt *ſanctos Presbyteros* vocat. Neque dubitandum eſt,
ibid.L.5.c.2. *ibid.p.466.A* quin eos, quos multos paſſim laudat, antiquioris memoriæ viros, *preſbyteros* paſſim eodem ſenſu dixerit, vt ſignificaret eos in Eccleſia Chriſtiana; non *ſecundi*, ſed *primi* ordinis fuiſſe miniſtros; qualis eſt ille
ibid.L 4.c 45. init.c.47.in.c. 49.in c 50. Presbyter, a quo ſe quiddam accepiſſe refert, quod *ille audierat ab his, qui Apoſtolos viderant*; a quo & alia quædam ſibi tradita poſtea recenſet, & alia rurſum in ſequentibus, egregia; quibus commemoratis; *Talia quadam* (inquit) *enarrans de antiquis Presbyter reficiebat nos, & dicebat*; non alio, quam *presbyteri* elogio, virum exornans. Eiuſdem
c.52.init. *ibid.L.ſ.c.33.* quoque cenſus fuerunt & *ſenior ille* (id eſt presbyter) *Apoſtolicus*, cujus meminit in ſequentibus; & ilii *preſbyteri* Ioannis Apoſtoli diſcipuli, quorum traditiones non paucas recitat; quoſque alibi iterum *Presbyteros*, Apoſtolorum diſcipulos vocat. Clemens Alexandrinus, eiuſdem
ibid.c.36. cum Irenæo ævi, eundem & ipſe nominis vſum frequentat; vt cum ſuum illum perfectæ pietatis Chriſtianum, vt ſumma apud Deum habere, & primo in cœleſti regno conſeſſu honoratum iri ſignificet, *revera*
Clem. Strom. L.6.p.667.B. *Presbyterum Eccleſia eſſe*, *& verum Diaconum divina voluntatis*; quæ non ita diceret, ſiqua apud noſtros dignitas fuiſſet presbyteratu ſuperior. οὗτος πρεσβύτερός ἐστι τῷ ὄντι τῆς Ἐκκλησίας, καὶ διάκονος ἀληθὴς τῆς τοῦ θεοῦ βουλήσεως. Et in quodam ex ejus operibus, quod apud Euſebium extat
Id. apud Euſ. Hiſt. L. 3.c.23. p.92.AB. fragmento, quem primo *Epiſcopum* dixerat, eundem paulo poſt *presbyterum* dicit. His poſtremo addendus eſt Anonymus contra Montaniſtas ab Euſebio memoratus auctor; qui ſe quidem *preſbyterum*, & *Zoticum* quemdam *Otrenum ſympresbyterum ſuum* vocat, cum tamen ex iis, quæ a ſe apud Ancyram Galatiæ ad Eccleſiam loci adverſus hæreſeos venena confirmandam geſta narrat, ſatis appareat eum, adeoque & colle-
Euſ. Hiſt. L.5 c.16.p.175. C.D. gam Zoticum; vtrumque in primo ſacerdotum ordine fuiſſe. Neque aliter accipiendum videtur, quod iſte ibidem refert, ſe ab ejus loci *presbyteris* rogatum fuiſſe, vt quæ coram iis adverſus hæreticos diſputaverat, litteris mandare vellet. ἀξιούντων τῶν κατὰ τόπον πρεσβυτέρων ὅπως τῶν λεχθέντων κατὰ τῶν ἀντιδιατιθεμένων τῷ τῆς ἀληθείας λόγῳ ὑπομνήματι καταλίπωμεν. Erant iſti nimirum Ancyranæ Eccleſiæ præpoſiti, non inferioris ordinis, quos parum eſſet decorum iſta ab hoſpite poſcere, ſed primis; ad quos illa cura proprie pertinet. Hæc ex Græcis. Latinorum pauciori illius memoriæ habemus ſcriptores; Quos habemus, eorum

ſermo idem in hac parte eſt. Nam & Irenæi interpres Latinus, ex quo quæ fuerunt Irenæana, plæraque deſcripſimus, ita & ipſe loquitur, & eruditis fatentibus vetuſtiſſimus fuit, eiuſdem cum Irenæo, vel certe cum Tertulliano ævi. Sic etiam Pius Romæ epiſcopus; *Presbyteri* (inquit) *illi, qui ab Apoſtolis educati ad nos vſque pervenerant, cum quibus ſimul verbum fidei partiti ſumus, a domino vocati in cubilibus æternis clauſi tenentur*, Eo factum videtur; vt Hermas (qui Pii ipſius frater fuiſſe creditur) miniſteria Eccleſiæ a Chriſto data obiter alicubi commemoras, non alios recenſeat, quam *Apoſtolos, & Epiſcopos, & Doctores, & miniſtros* (id eſt Diaconos) *Presbyteros*, vt ejuſdem nominis, ſub *Epiſcopis* complectens. Sed & ipſum Tertullianum tertii ſæculi initia ingreſſum, obſervat Hammondus ſic etiam interdum loqui, vt cum apud noſtros præſidere *ſeniores* (id eſt πρεσβυτέρυς presbyteros) in Apologetico dicit; pro Epiſcopis; quos & alibi *maiores natu* vocat, *quod idem eſt* (inquit Hammondus) *& Greco πρεσβυτέροις directe reſpondet.* Eadem voce eodem ſenſu vſus eſt ipſe Cyprianus in Firmilianeæ epiſtolæ interpretatione; *In Eccleſia* (inquit) *præſident maiores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi & ordinandi poſſident poteſtatem.* Firmilianus Græce πρεσβυτέρυς dixerat, *presbyteros*; quos noſter Latine reddit *maiores natu.* Vnde liquet ne tertio quidem ſæculo jam adulto, quo & Firmilianus & Cyprianus vixerunt, plane apud noſtros deſiiſſe illum Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum *presbyteri* nomen pro ſacerdote primi gradus vſurpandi. Toto quidem ſuperiore, id eſt ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo, adeoque centum annis poſt Ignatii martyrium, hunc apud noſtros; præſertim vero Græcos, ſermonis vſum non modo manſiſſe, ſed etiam fuiſſe, pæne vt apud ipſos Apoſtolos, frequentiſſimum, iſta quæ ex multis, iiſque probatiſſimis illius memoriæ ſcriptoribus, adduximus, apertiſſime demonſtrant; idque ingenue confitetur doctiſſimus Hammondus, *Hoc toto ſæculo* (inquit) *vocem πρεσβυτέρυ πολύσημον fuiſſe, aliquando ad Epiſcopos, aliquando ad inferioris gradus presbyteros vbicumque tales eſſent, accommodatam*; & infra iterum, *promiſcuum voculæ illius* (*presbyter*) *vſum* ex his recte concludi concedit, eamque πολύσημοι *eſſe, quandoque de primo, quandoque de ſecundo Eccleſiæ gradu antiquitus vſurpatam* largitur; ſic tamen, vt in Scripturis nunquam aliter, quam de primo gradu vſurpatam *ſciat*; in Patrum, qui poſt Apoſtolos ſcripſerunt libris, ſæpe quidem & in hoc ſenſu occurrere, ſed & in altero pro *ſecundi gradus* hominibus, id eſt ſecundariis ſacerdotibus, aliquando poſitam inveniri; vtrumque vocis ſenſum ita fuiſſe communem, & liberum, atque indifferentem, vt vter gradus ſignificetur, *non aliter quam ex locorum circumſtantijs diſtingui* poſſit. Sed tamen qui hoc ita conſtituit, idem noſtrum epiſtolarum ſcriptorem, qui nomen *presbyteri*, quod innumeris locis poſuit, neque cum Apoſtolis ſemper, neque cum Apoſtolicis & ſequutis ad tertium ſæculum Theologis aliquando, pro *primi gradus* ſacerdote vſurpavit, cum ipſum Ignatium eſſe vult, Apoſtolorum filium,

CAPVT XXVI.

Pius ep.o.T.1. Conc.p.84.

Herm.L.1.p 6. col.2. A.T.3. Bibl. Patr.

Hammon. diſſ. 4.c.21.§.16. Tertull. Apol. c.39.

Id.L.5 contr. Marc.

Firmil.apud Cypr.ep.75.p.159.extr.

Hamm.Diſſ. 4.c.22.§.8.

ibid.§.17.

ibid.§.8.

CAPVT XXVI.

Apoſtolicorum fratrem, poſterorum inde ad tertium ſæculum parentem; & quidem ita vult, vt id nemo voluiſſe videatur vehementius. Atqui hoc monſtrum ingens, ac plane incredibile eſt. Presbyteri nomine Apoſtoli quidem eum ſemper ac conſtanter, doctiſſimo Hammondo judice, vocant, qui *primi gradus* eſt; ſcriptor vero nunquam. *Presbyterium* ſcriptor quidem vbique dicit, qui ſecundi gradus eſt; Apoſtoli vero, ſi doctiſſimum Hammondum audimus, ne ſemel quidem dicunt. *Presbyterium* Apoſtoli quidem præpoſitorum primi ordinis collegium vocant; ſcriptor vero ſecundi; ſemper; nunquam primi *Epiſcopum* Apoſtoli quidem, etiam interdum dicunt, qui ſecundi ordinis eſt; ſcriptor, nunquam; hoc vbique nomen conſtantiſſime pro ſummi gradus præpoſito vſurpans. Tu-ne hunc tam diverſi ab Apoſtolis ſermonis hominem, eum cariſſimum atque obſervantiſſimum Apoſtolorum diſcipulum, id eſt Ignatium, cenſebis? Abſit. Ipſa hoc eius lingua negat; & in aliis ſcholis educatum hominem prodit. Audi veros & indubitatos Apoſtolorum filios Clementem Romanum & Polycarpum Smyrnæum; audi certiſſimos eorum nepotes Papiam, Irenæum, Clementem Alexandrinum. Omnes paternum & avitum ſermonem retinent; *Presbyteros* cum Apoſtolis Eccleſiaſticos primi ordinis præpoſitos non ſemel atque iterum, ſed ſæpe & paſſim vocant. Quid tuus ille epiſtolarum ſcriptor? Nunquam, ac ne ſemel quidem, in totis duodecim epiſtolis, ita eſt locutus (nam duæ illæ ad Ioannem quiſquiliæ ſunt, nullo loco, ac numero cenſendæ) Ergo neque iſte Clementis & Polycarpi frater fuit; neque Papiæ & Irenæi parens. Quem vero neque illorum fratrem, neque horum parentem, neque Apoſtolorum filium fuiſſe diverſus ab omnibus ſermo manifeſte arguit, is profecto Ignatius eſſe non poteſt; quem omnes & Apoſtolorum obſervantiſſimum, & cum Apoſtolicis corde & ore, anima & lingua coniunctiſſimum fuiſſe conſentiunt. Quid hominem peregrinum, alieni generis, ſanguinis, ſermonis, vel Apoſtolicæ familiæ, vel proxime conſecutæ Eccleſiæ inſeris? & Apoſtoli, & proximi eorum ad tertium ſæculum diſcipuli *prebyteros* loquuntur, ſummi gradus in Eccleſia præpoſitos. Iſte nullos edit; quicumque hoc nomine cenſentur, eos ad inferiorem gradum reiicit; & primis ad a. D. 200. Chriſtianis familiariſſimum de iſtis ſermonem vſque adeo refugit, atque exhorreſcit, vt eius in tam multis quæ de Eccleſiæ præpoſitis, ac regimine *ἄνω καὶ κάτω*, omnibus pæne paginis garrit, nullũ ne leviſſimum quidem deprehendi poſſit veſtigium. Doctiſſimus Hammondus, tametſi & divinos ſcriptores ſemper, & eorum ad a. D. 200. poſteros ſæpiſſime ac fere paſſim nomen *presbyteri* de primo præpoſitorum ordine dixiſſe doceat & confirmet, id tamen ſtatuit *& de ſecundariis ſatis commode vſurpari, quotieſcumque diſtincta ſingulorum graduum enumeratio facienda erat, & hoc apud Ignatium* (inquit) *vbique factum videmus, Epiſcopis πρεσβυτέριον, aut πρεσβυτέρους, πρεσβυτέροις διακόνους adiungentem.* Ad hæc primum illud obſervo, mirum eſſe ſi hæc vera ſint, cur Apoſtolus cum diver-

Ham. Diſſer. 4 c. 21. §. 8. 9.

diverſos miniſterii a Domino Chriſto datos & inſtitutos gradus, ſive ordines, enumerat, *presbyteri* nomen non modo in hoc, quem doctiſſimus Hammondus dicit, ſenſu, ſed ne omnino quidem vſurpaſſe. Ille quidem in his locis Apoſtolos, Prophetas, Doctores, Evangeliſtas, item Paſtores memorat; *presbyteros* nominatim non memorat. Vel iſta de diſtinctis tribus illis Eccleſiaſtici miniſterii gradibus doctrina neceſſaria eſt, vel non neceſſaria. Si neceſſaria non eſt, peccavit epiſtolicus ſcriptor, qui eam tamquam plane neceſſariam, vrget. Si eſt; cur ab Apoſtolis omiſſa ac præterita eſt? Si neget omiſſam, vere-ne id neget, an ſecus, non diſquiro. Illud vnum nunc vrgeo, eam doctrinam, ſicubi in Novi Teſtamenti Scripturis expoſita eſt, nomen certe presbyteri ad eam explicandam nuſpiam de *ſecundariis* miniſtris fuiſſe vſurpatum; quod ad rem *ita commode vſurpari* dicit doctiſſimus Hammondus. Putat-ne ergo illam graduum diſtinctionem a ſuo Ignatio, qui presbyterum pro *ſecundario* tantum *ſacerdote* vſurpavit commodius, quam ab Apoſtolis, qui presbyterum nunquam hoc ſenſu, ſemper alio pro *primario* ſacerdote vſurparunt, explicatam fuiſſe; Si ait; ergo Apoſtolici ſermonis corrector & emendator fuit Ignatius; qui res divinas ſcilicet melius ac commodius tractavit, quam divini eius magiſtri; quod neſcio an aliis probabile ſit futurum; mihi quidem plane incredibile eſt. Sin ſatis *commode* hæc erant ab Apoſtolis explicata; nihil ergo neceſſe erat ab Apoſtolici ſermonis idea diſcedere, & *presbyteri* nomen ſemper alio quam ipſi ſenſu dixerant, vſurpare. Non hoc Clemens; non Polycarpus; non Papias, non Irenæus fecit. Ergo neque Ignatius facere debuit. Sed quid ego Ignatium dico feciſſe? Qui fecit, hoc ipſo alium ſe eſſe ab Ignatio prodit; quem abſit vt concedamus ab Apoſtolico & Apoſtolicorum virorum vſu vel in doctrina vel in ſermone diſceſſiſſe. Quod ergo doctiſſimus Hammondus ſcribit *illud apud hunc ſcriptorem vbique factum videri epiſcopis presbyteros, presbyteris diaconos adiungentem*; hoc inquam ipſum magno & invicto eſt ad ejus falſitatem demonſtrandam argumento; quem hæc ea ratione inſtituere videmus, quæ & ab Apoſtolis, & ab eorum proximis ad a. D. 200. diſcipulis aliena eſt. Secundo ita loquitur de ſuo illo Ignatio doctiſſimo Hammondus, quaſi is *presbyteri* nomen pro *ſecundario presbytero* ibi tantum vſurpet, vbi ſingulos miniſterii Eccleſiaſtici gradus diſtincte enumerat; alibi vero extra hunc locum, etiam eos, qui primi gradus ſunt, aliquando *presbyterorum* vocabulo, vt cæteri illius ævi ſcriptores ſolent, ſignificet. Atqui res plane ſecus habet. Nuſquam enim ille presbyterum aliter quam de *ſecundario* intelligit; & vbi *gradus ſingulos diſtincte enumerat*, & vbi vnum de iis ſolum recenſet, ſive epiſcopos, presbyteros, & diaconos *adjungat*, ſiue de epiſcopis ſolis loquatur, nulla aut presbyterorum, aut diaconorum facta mentione. Itaque fruſtra eſt vir doctiſſi. cum ſui Ignatii loca, in quibus presbyteri nomen pro *ſecundario* ſacerdote Policarpi locis opponit, in quibus eadem vox aliter ſumitur. Loca ſunt apud

CAPVT XXVI.

1. Co. 12. 28.
Eph. 4. 11.

CAPVT XXVI.

apud epiſtolarum ſcriptorem eorum gemina, in quibus Polycarpus *presbyterum*, dixit pro *epiſcopo*, & quidem plurima. Nullum ne in iſtis quidem reperies, vbi hoc Polycarpi ſenſu presbyterum dixerit. Polycarpus ſe & eos, quorum nomine Philippenſibus ſcribit epiſcopos, *presbyteros* dicit, Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι; *Polycarpus, & qui cum eo ſunt Presbyteri.* Sic & ante Polycarpum Ioannes; Ὁ πρεσβύτερος ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ, *Presbyter electæ Dominæ.* Iterum; ὁ πρεσβύτερος Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ. *Presbyter Gaio dilecto.* Similis eſt apud ſcriptorem noſtrum locus in epiſtolæ ad Polycarpum limine. Siccine ergo iſtic, vt ad Philippenſes Polycarpus? Hic certe ex doctiſſimi Hammondi canone licebat ei ſe Antiochiæ presbyterum dicere. Atqui non hic magis, quam alibi eo vocabulo ita vſus eſt; Hic & ſe & Polycarpum *epiſcopum* vtrumque dixit; neutrum *presbyterum*; *Ignatius* (inquit) *Epiſcopus Antiochiæ, qui & Martyr Ieſu Chriſti, Polycarpo, Epiſcopo Smyrnenſium.* Ἰγνάτιος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας, ὁ καὶ μάρτυς Ἰησοῦ Χριστοῦ, Πολυκάρπῳ ἐπισκόπῳ Σμυρναίων. Eſt vbi de ſe vno loquēti *presbyteri* nomen nulla ſua invidia, nulla aliorum fraude aſſumere licebat; Non fecit. Se *epiſcopum* dixit; ex ſui ſcilicet ſermonis inviolabili canone, presbyterum niſi qui ſit ſecundi ordinis, dici quemquam vetante; *Epiſcopum* (inquit) *Syriæ ſignificavit Deus inveniri in Occidente*, τὸν ἐπίσκοπον Συρίας κατηξίωσεν ὁ Θεὸς εὑρεθῆναι εἰς δύσιν. Sed & in ea epiſtolæ inſcriptione, quam Halloixius, & ipſe etiam, vt videtur, Vſſerius, ex Metaphraſte petitam, vulgatæ præferunt, proque vera & genuina habendam putant ipſe, ſe auctor *epiſcopum* præſcribit; Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος, ἐπίσκοπος τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. *Ignatius, qui & Theophorus, ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ Antiochiæ eſt, Epiſcopus.* Eadem eſt eorum quoq; locorum ratio, in quibus de ſingularibus quibuſdā Eccleſiarū Epiſcopis loquitur; vt de Oneſimo, Epheſiorū; de Dama Magneſiorū de Polybio Tralleſiorū epiſcopis, quos ex iſti Apoſtolici ſermonis lege non minus, quam Irenæo Anicetū, Piū, Hyginum, Teleſphorum, & Xyxtum, Presbyteros ſuę quemque Eccleſię dicere licebat. Sed ille quidem & hic, non ſecus atque alibi, ab hac appellatione, velut a quodam ſcopulo ſibi cavit, *epiſcopos* conſtanter omnes vocans. *Plurimam multitudinem veſtram* (inquit Epheſios alloquens) *in nomine Dei ſuſcepi in Oneſimo, qui in charitate inenarrabilis eſt, veſter autem in carne Epiſcopus.* Tum ſtatim; *Benedictus, qui tribuit vobis dignis exiſtentibus talem Epiſcopum poſſidere.* Et mox bonum diaconum optat *permanere in honorem* (inquit) *veſtri & Epiſcopi.* τὴν πολυπληθίαν ὑμῶν ἐν ὀνόματι Θεοῦ ἀπείληφα ἐν Ὀνησίμῳ, τῷ ἐν ἀγάπῃ ἀδιηγήτῳ, ὑμῶν δὲ σαρκὶ ΕΠΙΣΚΟΠΩ. εὐλογητὸς ὁ χαρισάμενος ὑμῖν ἀξίοις οὖσι τοιοῦτον ΕΠΙΣΚΟΠΟΝ κεκτῆσθαι. εὔχομαι παραμεῖναι αὐτὸν (Burrhum) εἰς τιμὴν ὑμῶν καὶ τοῦ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ. Sic de Dama alibi; *Salutat vos Damas, Magneſiæ Epiſcopus.* Ἀσπάζεται ὑμᾶς Δαμᾶς, ὁ Μαγνησίας ΕΠΙΣΚΟΠΟΣ. De Polybio [itidem ad Tralleſios]; *Polybius EPISCOPVS veſter advenit voluntate Dei & Ieſu Chriſti in Smyrna.* Πολύβιος ὁ ΕΠΙΣΚΟΠΟΣ ὑμῶν παρεγένετο

2. & 3. Ioan.

Ign. ep. ad Polyc p. 135.

Ign. ad Rom. init.

Vid. in Not. Vſſ. ad Ign. ad Rom. p. 30.

Ign. ad Eph. p. 196.

Id. ad Antioch. p. 161.

Id. ad Trall. p. 206.

πρεσβυτέρῳ θελήματι θεοῦ καὶ Ἰησοῦ χριστοῦ ἐν Σμύρνῃ. Eundem vna cum Dama hoc ipſo elogio alibi ornavit; *Salutat vos Polybius Trallianorum*; vbi ex proximo commate repetendum EPISCOPVS. Neque aliter ad Magneſios de Polycarpo; *Salutant vos Epheſii a Smyrna, vnde & ſcribo vobis &c. ſimul cum Polycarpo EPISCOPO Smyrnæorum*. Ἀσπάζονται ὑμᾶς Ἐφέσιοι ἀπὸ Σμύρνης, ὅθεν καὶ γράφω ὑμῖν..... ἅμα πολυκάρπῳ ἘΠΙΣΚΌΠΩ, Σμυρναίων. In his omnibus (plura enim piget deſcribere) vides iſtum, etiam extra doctiſſimi Hammondi legem, EPISCOPI ſemper PRESBYTERI nunquam nomen vſurpantem. Sed & ad Philadelphienſes Paulinæ ad Philippenſes epiſtola inſcriptionem vt videtur æmulans, vbi hæc verba leguntur *cum epiſcopis & diaconibus*; noſter ſimiliter quidem dicit *cum Epiſcopo*; At illud quod addit Paulus, *& diaconibus*, ne præcedentibus continuaret, cavit; ne ſcilicet in leges vel ſuas, vel ſui ſæculi peccaret; ſed hæc iis conſentanea adjecit, *& eis, qui cum ipſo Presbyteris & Diaconis*. Atqui ex Pauli & Apoſtolicorum virorum diſciplina ac vſu tam recta, tamque appoſita futura erant illa *cum Epiſcopo & Diaconibus*, quam hæc quę noſter maluit; quia eo ſcilicet ſæculo vivebat, quo vel nulli vel rariſſimi erant ſine presbyteris illis ſecundariis Epiſcopi. σὺν τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις. Tertio denique in hoc peccat Hammondina Polycarpi cum epiſtolarum ſcriptore comparatio, quod etiam ille presbyteros quos dicit, non ſimpliciter, ſed ita dicit, vt etiam iis diaconos adjungat; Philippenſes jubens ſubjectos eſſe *presbyteris & Diaconis*; illo nomine vtriuſque gradus, *primi*, aut *ſecundi* presbyteros complectens, ſi ab vtriuſque ordinis ſacerdotibus jam regebatur illa Eccleſia. Si ſatis fuit Polycarpum *presbyteros* dicere, vt fidelium adverſus vtroſque officia ſignificaret; idem quoque ſatis epiſtolico Ignatio fuiſſet, vt iiſdem & cæteris eandem adverſus præpoſitos ſubiectionem præciperet. Nihil ergo fuit, cur non huic æque ac Polycarpo ſatis eſſe potuerit *presbyterorum* in illis quoque præceptionibus vocabulum, quod illo ſæculo Eccleſiaſticos vtriuſque generis præpoſitos, etiam fatente Hammondo, ſuæ ſignificationis ambitu continebat. Ille vero ne ſemel quidem in tā multis, vbi hæc præcipit locis, ſic, vt Polycarpus inſtituit; ſed vbique & hos ipſos Philippenſes, & cæteros, quoties de eorum erga præpoſitos officio monet, toties iubet non *presbyteri* in genere vt *Polycarpus*, ſed diſerte diſtincteque *Epiſcopo & Presbyteris* eſſe ſubiectos; vt videre eſt in ſingulis epiſtolis. Ad Philippenſes, *Subjecti eſtote Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis*. Ad Philadelphienſes; *Epiſcopo attendite, & presbyterio, & diaconis*. Hic Polycarpus ſatis habuiſſet dicere; *Presbyterio, & Diaconis attendite*. Vnde hoc tantum ſcriptoris a Polycarpo diſcrimen; Vertat ſe in omnes partes doctiſſimus Hammondus; non aliam diſcriminis rationem reperiet, quam hanc; quod Polycarpi quidem temporibus πολύσημον vt ipſe ait, *presbyteri & presbyterij* vocabulum eſſet, vtriuſque gradus prępoſitos complectens; ſcriptoris vero ſæculo ſtrictius, ſolos ſe-

CAPVT XXVI.

Id. ad Antioch. p. 161.

Id. ep. ad Magn. p. 206.

Phil. 1. 1.

Ign. ep. ad Philad. Vſſ. p. 214. in vulg vero p. 91. σὺν τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις.

Ign. ad Phil. p. 186.

Ign. ad Philad. p. 104. 216.

Caput XXVI.

los ſecundi gradus ſacerdotes ſignificaret; primarios aliud nomen, nempe *epiſcopus*, deſignaret. Non ergo ſcriptor Polycarpi σύγχρονος fuit, neque adeo Ignatius. Quod ſi iſtum voluiſſe regeras vtriuſque ordinis miniſtros his diverſis vtrorumque vocabulis alteros ab alteris accuratius diſtinguere; (quæ videtur doctiſſimi Hammondi ſententia fuiſſe) primo hoc ipſum eos ita diſtinguendi, quorum Apoſtoli nomina confuderant, ſtudium, arguit hominem non fuiſſe illius ſæculi; quo neminem cura ſimilis inceſſiſſe reperitur; imo ne ſecutis quidem ad a. D. 200. temporibus, ita vt iſte diſtinguit, diſtincta fuiſſe hæc apud noſtros nomina videmus. Cur hunc ex omni illo ſæculo ſolum hæc cura ſollicitaret? Paulus, Petrus, Iacobus, Ioannes, Lucas, Clemens, Polycarpus, Papias, Irenæus, cæteri, omnes denique eiuſdem memoriæ, vt veriſimile eſt, Chriſtiani *presbyteros* ſecuri dicunt, loquuntur, celebrant, tam qui primi, quam qui ſecundi ſunt ordinis. Nullum ex hac vocabuli vt ſic dicam, *indiſtinctione* periculum metuunt. Solus iſte, nequid ſubſit lævi, nequid inde oriatur incommodi veretur. Solus anxie cavet, ne presbyterum alium vſpiam, niſi ſubiectum edat. Hoc vero nonne eſt ſupra ſuum ſæculum, ſupra divinos cœleſtis ſapientiæ præceptores, qui iſto proprie ſæculo exorti floruerunt, ſupra ſapientiſſimos ac religioſiſſimos eorum diſcipulos, fratres tuos venerandos, temetipſum efferre, ac velle te vnum plus, quam totam illam admirabilem Dei ſcholam ſapere? Longe alii erant Ignatii noſtri mores; quam vt in eum iſta ſingularitas caderet. Sed eum tamen fingamus duos illos miniſterii Eccleſiaſtici gradus clare ac perſpicue voluiſſe a ſe ſe invicem diſcernere ac diſtinguere; facile erat homini docto ac ſapienti id præſtare abſque vlla paterni, fraternique ſermonis contumelia; nihil ad hoc neceſſe erat novos vſitatis nominibus ſenſus affingere, & poſitos ab Apoſtolis & eorum diſcipulis fines movere, eoſque in arctiorem gyrum cogere. Licebat *presbyteri* & *epiſcopi* non mutatis vocibus hanc omnem operam Eccleſiæ navare; monendo fideles quidem, vt *presbyteris* parerent non tantum iis, qui præerant, ſed etiam iis qui ſecundas in præpoſitorum collegio tenebant; hos vero monendo, vt ſuis capitibus debitum honorem haberent, neve de nominis communione ſuperbirent, quaſi quorum ſit vnum commune nomen; vnam in omnibus ac parem dignitatem quoque eſſe neceſſe ſit. Hæc & alia in eundem modum dicta *primos* a *ſecundis* ſatis diſtinxiſſent, nihil vt opus fuerit a nominum ſenſibus Apoſtolico vſu tritis propterea diſcedere. Sed Ignatium poſtremo; quo minus *presbyteri* nomen ſic, vt iſte ſcriptor de ſolis ſecundi ordinis miniſtris vſurparet, ſi neque Apoſtolorum, neque fratrum ſuorum qui aliter vſi erant, exemplum ac reverentia deterreret; ipſa certe rerum ratio prohibebat. Fac enim commodius eſſe voces iſtas diſtinctum habere quam confuſum ſenſum; fac quod epiſtolarum ſcriptor & tertii quartique ſæculi homines maluerunt (vt *presbyter* ſcilicet non alius ſit quam ſecundi, *epiſcopus* non alius, quam primi ordinis ſacerdos) id multo melius eſſe, quam

quam quod Apoſtoli ſecuti ſunt, vt vtriuſque ordinis commune eſſet vtrumque nomen; quicquid dixeris, aut finxeris, illud quidem certe quod & concedit doctiſſimus Hammondus, & nos demonſtravimus, fixum ratumque manet *presbyteri* vocabulum Ignatianis temporibus apud Eccleſiam fuiſſe ambiguum, ac πολύσημον, duoſque miniſtrorum ordines, & quidem ſi Hammondo credimus, diverſiſſimos ſignificaſſe. Hic erat hujus vocis publicus apud noſtros vſus; hæc Chriſtianorum illius memoriæ hominum inſtitutio, ac conſuetudo, vt *presbyterum* vulgo in omni ſuo ſermone tam qui eſſet primarius, quam qui ſecundarius, & dicerent ipſi, & ab aliis dictum intelligerent. Hoc Apoſtolorum libri; hoc Clementis, & Polycarpi epiſtolæ; hoc Papiæ & Irenæi & aliorum ſupra a nobis recitatæ voces vincunt; Neque enim hos aliter ſcripſiſſe mihi perſuaſeris; quam quibus verbis, & quo ſenſu omnis eius ſæculi loquebatur Eccleſia. Iam vero qui ſapiunt, neque ſolent, neque profecto debēt verba cum vel loquūtur, vel ſcribūt aliter vſurpare quā fert publicus ac cōmunis eorū hominū, quorū lingua loquūtur, vſus, *quē penes arbitriū eſt, & vis & norma loquendi*, vt vetuſtiſſime eſt a doctiſſimo & harū rerum in primis perito Poëta traditum. Ignatiū ergo, quē ſapientiſſimum virum omnes fuiſſe conſentiunt, omnino fatendum eſt *presbyteri* vocabulū tū loquentem, tum ſcribentem pro ſui ſæculi vſu ac more tam de primis, quam de ſecundis Eccleſiæ cuiuſque ſacerdotibus vſurpaſſe. Ac tametſi eum in omni ſuo ſermone ita hoc vocabulo vſum fuiſſe minime ſit dubitandum; in præceptionibus tamen ac inſtitutionibus Eccleſiaſticis hunc morem atque vſum maxime ac præcipue ſervaſſe verum eſt. Quæ cum ſint quædam hominibus latæ ac propoſitę leges, eas ſermone inprimis claro, & facili, & vnicuique audientium obvio ac familiari concipi ſcribique decet, nulla in iis vocabula dubia & obſcura miſceri; vel hujuſmodi denique; quorum lectores non ſtatim intelligant eum ipſum eſſe, quem auctor voluit; ſenſum. Si vero ſcriptorem, vt fit, ſermonis, quo vtitur inopia cogit aliquod verbum alio, quam quo vulgo ſumitur, ſenſu vſurpare; is, ſi vel mediocri prudentia fuerit, ea de re lectores ſuos ſedulos monebit, ac docebit, quo ſenſu id *verbum* intelligi velit. Ad hanc ergo normam epiſtolas ſcripſiſſet Ignatius, ſi quas eiuſdem cum iis, quæ vulgo ipſius nomine circumferuntur cenſus ſcripſiſſet; *Presbyterorum* nomen vel communi vulgarique illius ævi more indifferenter pro Eccleſiaſticis vtriuſque ordinis miniſtris accepiſſet; vel ſiqua eum ratio pro ſolis ſecundariis accipere coegiſſet, dixiſſet profecto, & Eccleſias ad quas ſcribebat, diligenter ea de re monuiſſet; oſtendiſſetque cur a publico vſu hac in parte diſcederet; ſic cavens- ne quid lectoribus inſuetus & invſitatus ſermo offenſionis crearet. Atque hoc quidem tali loco plane erat neceſſarium. Homines enim in Eccleſia *presbyteros* indifferenter & dicere & audire aſſuetos; qui vel ſecundi, vel primi eſſent gradus quantopere commoveri, ac conturbari credibile eſt, ſi quem id, quod apud epiſtolas tam ſæpe legi-

CAPVT XXVI.

CAPVT XXVI.

legimus, dictantem audiant, *Presbyteri ſubditi eſſe Epiſcopo?* Quos vero iſte nobis (dicerent) *presbyteros*, & quē narrat *Epiſcopum*? Atqui & epiſcopus presbyter eſt; & presbyter Epiſcopus. An vnū eundēque hominē hic ſibi & ſubiici & præeſſe vult? Nos quidem, qui aliter ſumus inſtituti, quique a teneris didicimus non *Presbyterum*, ſed *Epiſcopum* dici vnum illum, qui in cuiuſque Eccleſiæ clero ſummus eſt; cæteros proximi ab hoc gradus, *presbyteros* eſſe, non *epiſcopos*; nos inquā, hoc vocabulorum ſenſu mature imbuti, nihil miramur talia presbyteris præcipi. Eadem aliter inſtitutis, ne dubites quin totidem gryphi, totidemque futura ſint ænigmata. Quis Latinorum moribus ac verbis innutritus neque doctus diverſum olim a ſuo fuiſſe Apoſtolorum ſermonem, non movetur, ac turbatur, cum iſta ex Apoſtolo recitari audit, *Paulus & Timotheus ſervi Ieſu Chriſti omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & diaconibus, Gratia vobis & pax a Deo*; Quis iſtorum ad hoc acroama non id exclamet, quod apud Chryſoſtomum adhuc locum legimus; *Quid hoc eſt? An vnius civitatis plures erant Epiſcopi?* τί τοῦτο; μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; Atqui & hoc velim cogites non minus diverſa ex parte commoveri, ac turbari eos, qui & *presbyteros* primi gradus, & *epiſcopos* ſecundi audire aſſueti, illa tui ſcriptoris tam multa ab hoc vſu plane penituſque aliena legunt. Cum ergo huius modi fuerint omnes Eccleſiarum ad quas ille ſcribit, fideles, Ignatius vel ſuo & ſui ſæculi more ſcripſiſſet, vel ſi aliter, id eſt, vt tuus ille falſi nominis Ignatius, ſcribendum ſibi putaſſet; profecto fideles illos ad quos ita ſcripſiſſet, ad cavendam eorum offenſionem de ſuo hoc inſtituto inprimis monuiſſet, & quid ab illis tum *epiſcopi*, tum *presbyteri* vocabulis intelligi vellet; clare ac perſpicue expoſuiſſet. Qui ergo nihil horum fecit, epiſtolarum ſcriptor, is non modo Ignatius non eſt, ſed ne Ignatii quidem ſimulandi ac mentiendi ſatis peritus artifex. Nam ſi hanc artem bene calluiſſet, Ignatium feciſſet apud eos, ad quos ſcribit, illa *presbyteri* & *epiſcopi* vocabula diligenter exponere. Sed ille cum has voces omnibus ſui ſæculi Chriſtianis, in eo quem vſurpat, ſenſu, notiſſimas eſſe videret; putavit eundem ab initio earum vſum ac ſenſum apud Apoſtolicas Eccleſias fuiſſe; cuius generis licet in re diverſa illud quoque eius ſupra a nobis obſervatum peccatum fuit, quod cum *Leopardorum* nomen pro certo quodam militum ordine dici ſuo ſæculo eſſet inuſitatum, homo optimus eum vocis vſum æque olim Romanis ignotum fuiſſe delirans, Ignatium ſuum inducit diligenter Romanis, ad quos ſcribit, quid hoc eſſet nominis, interpretantem.

Chryſ. Hom. 1. ad Phil. T. 6. in N. T. p. 7. B.

CAPVT

CAPVT XXVII.

CAPVT XXVII.

Argumentum adverſus Ignatiana LIX. Quod ſcriptor vocabulum αἱρεσιώτης *vſurpet; eius vocabulorum formæ, quæ diu poſt Martyris ævum inventa eſt. Argumentum LX. LXI. LXII. Quod ſcriptor ad pompam nominibus vel nove, vel poëtice compoſitis affatim vtatur. Hammondi ſolutiones refelluntur. Quod nomina & verba, vel novo, vel poëtico ſenſu vſurpet. Quod vocabula mirifice inter ſe nectat & componat; vnde ſenſus exiſtunt obſcuriſſimi. Fides caro Chriſti. Charitas, ſanguis Chriſti. Carnalis & ſpiritualis, reſurgere in vinculis, Spiritum Sanctum funi comparat, crucem machinæ. B. Mariam vocat ſacratiſſimum monſtrum. Smyrnæos Salutat in Chriſti carne & ſanguine &c. Ea omnia pueriliter putideque affectata videri; & a Martyris ad paſſionem ſeſe comparantis ſtatu & animo aliena.*

MVlta nos alia hunc ſcriptorem vocabula diu poſt Ignatium vixiſſe docerent; ſi, quis fuerit ſingulorum ſermo, quis verborum vſus, perſpectumque haberemus, ac iſtum duorum nominum *epiſcopi & presbyteri* illis temporibus ſenſum; de quibus ideo fuſius dicendum putavimus, quod hos, ſi vel vnum eſſet, argumento abunde vt mihi videtur, demonſtretur non Ignatii, ſed impoſturis eſſe omnes has duodecim epiſtolas. Cætera ſiqua obſervare liceat, brevius perſtringemus.

Scriptoris ergo novitatem αἱρεσιωτῶν quoque pro *hæreticis* vſurpatum nomen arguit; φεύγετε (inquit) τὸν μερισμὸν τῆς ἑνότητος, καὶ τὴν κακοδιδασκαλίαν τῶν αἱρεσιωτῶν, ἐξ ὧν μολυσμὸς ἐξῆλθεν εἰς πᾶσαν τὴν γῆν. *Fugite divisionem vnitatis, & malam doctrinam hæreticorum, ex quibus exivit coinquinatio in omnem terram.* Αἱρεσιῶται, & alia ſimiliter inflexa, vt ἐπαρχιῶται, ἐργασιῶται, ταξιῶται (vt doctiſſimus Vſſerius noſter ex veteribus Gloſſis verborum iuris, Ioanne Leunclavio & aliis docet) poſteriori ævo recepta fuerunt, ſequioribus imperii Romani temporibus, vt qui illa vſurpat, ſcriptor Ignatiani ſub Traiano temporis nequaquam eſſe poſſit.

Ignat. ep. ad Phil. init. p. 93.

Ierem. 23. 15.

Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 1. extr. p. 79.

Illa Latina non vrgeo, quæ Græcus ſcriptor parum probabiliter ſuis epiſtolis multa inſerit, ἐξεμπλάριον, δεσέρτωρ, ἄκκεπτα, δεπόσιτα; pro *exemplari, deſertore, acceptis, depoſitis*, quæ doctiſſimus Hammondus & divinorum & aliorum ſcriptorum exemplo tuetur, apud quos non paucæ extant ejuſdem cenſus voces Latinæ. Sed alia, eidem ſiquid judicio, non ſatis purgata me fateor, movent; vt illa verbi gratia, tam multa; quibus epiſtolæ ad faſtidium ſcatent, nomina varie compoſita, quædam

Hamm. Diſſ. 2. c. 4.

CAPUT XXVII.

ſane mirifica, σαρκοφόρος, νεκροφόρος, πνευματοφόρος, θεοφόρος, χριστοφόρος, ἁγιοφόρος, ἁγιοφόρος, ναοφόρος; & iſta alterius formę, ἀξιόπλοκος, ἀξιόθεος ἀξιοθαύμαστος, ἀξιονόμαστος, ἀξιομνημόνευτος, ἀξιομακάριστος, ἀξιαγαπητὸς, ἀξιεπαίνετος, ἀξιέπαινος, ἀξιεπίτευκτος, ἀξίαγνος, ἀξιοπρεπὴς, & ἀξιοπρεπίστατος; & hæc item ſuperioribus nihilo inferiora, θεομακάριος, θεομακαριστότατος, θεόδρομος, θεοτίμητος, θεοπρεπέστατος, χριστόληπτος, ἀνθρωπόμορφος, ἀνθρωπόμιμος, χριστεμπορέμπορος, οἰκοφθόρος, πολυαγαπητὸς, ἀνοσέρητος, ἀναπάρτιστος, χριστώνυμος, πατρώνυμος, & alia. Doctiſſimo Blondello noſtro τῷ μακαρίτῃ qui hæc veluti nimium turgida, & ſanctiſſimi Martyris modeſtæ gravitati parum congrua obiecerat, eruditiſſimus Hammondus reſpondet ea *nihil grande, aut horrendum ſonare*; & nimio vt alias ſolet, Blondelli noſtri pro parte Epiſcopis adverſa ſtudio imputat, quod ei aliter viſum fuerit. Quid? Siquis doctiſſimi Hammondi de his iudicium, eius quoque in Epiſcopos ſtudio imputaverit? Inique fecerit, vt ego quidem cenſeo; neque belle profecto, neque vt honeſto viro dignum eſt, diſputaverit. Hic enim diſputantium rationes & argumenta expendi, ſtudia & affectus Deo, qui animos noſtros vnus videt, relinqui decet, neque quicquam ſecius de fratribus temere pronuntiari. Ego cum hæc, grandia plæraque, & vel nova, vt χριστεμπορέμποροι, (de quo idem eſt optimi ac eruditiſſimi Vſſerii iudicium) vel poëtica, vel rara, vel etiam inuſitata congeſſi, non eo hoc feci, quod putem vnum aut alterum iſtorum ſemel fortaſſe, atque iterum optimis auctoribus non poſſe in opere laudabili excidere; qualia ſunt, quæ ex Luca, Paulo, Petro, & Ioanne & pauciſſima, & ſemel tantum ab iis dicta, &, ſi verum amamus, multo iſtis epiſtolicis modeſtiora, Doctiſſimus Hammondus Blondello regeſſit. Hoc duntaxat volui, nequaquam eſſe veriſimile Ignatium, virum & gravem & ſanctum, adhæc in martyrii, ad quod ſe accingebat, meditatione verſantem. eo animo, ea ætate, ea dignitate, in hoc denique rerum ſuarum ſtatu, in his conquirendis, & conſtruendis luſiſſe, & hanc inanem ac puerilem pompam tam intempeſtive, vt cum Blondello noſtro loquar, affectaſſe. Eſſe enim hæc affectata aſſiduus eorum vſus arguit. Velim mihi vel apud Paulum, vel apud Petrum aliquid horum, quæ in epiſtolarum ſcriptore extant, ſimile oſtendi. Sic ille ad Epheſios loquitur; ἐστὲ οὖν καὶ σύνοδοι πάντες θεοφόροι, καὶ ναοφόροι χριστοφόροι, ἁγιοφόροι. Vetus Vſſerii interpres Latinus ita reddidit; *Eſtis igitur conviatores, Deiferi, & templiferi, & Chriſtiferi, Sanctiferi.* Iſta vero adeo ſunt putida, vt non poſſim mihi perſuadere, quin Hammondo, viro in paucis erudito, excitura fuerint nauſæam; niſi præcepta animo de ſcriptoris ſanctitate opinio ſenſus eius in aliis acerrimos; in hoc vno religione quadam defixos tenuiſſet. Sed hæc ipſa quæ tam multa & hic & paſſim in epiſtolis occurrunt a verbo φέρω compoſita adiectiva, doctiſſimus Hammondus breviter purgat, *omnia in idem recidere* dictitans, *cum eadem componendi forma ex verbo φέρω eodem plane modo exſurgant*. Tum addit *notiſsimum eſſe, & ab antiquiſſimis rerum geſtarum ſcriptoribus ſatis*

Hamm. Diſſ. 2. c. 3. §. 5.

Vſſer. in ep. ad Magn. Not. 63.

Ign. ad Epheſ. Gr. Lat. Vſſer. & Voſſ. p. 5.

Hamm. Diſſ. 2. c. 3. §. 5. 7.

ſatis agnitũ, Ignatiũ diu ante exitum eius θεοφόρου *nomine inſignitum fuiſſe.* Cui ergo ſæculo θεοφόρου nomen placuit, ab eius genio neque cætera, quę exhibuimus ad eandem formã facta abhorruiſſe. Illa de Ignatiano Theophori cognomine iampridem iactari ſcio; *ab antiquiſsimis ſcriptoribus agnita*, neſcio; niſi forte. Acta illa Ignatii nudius tertius ab optimo Vſſerio edita pro *antiquiſſimis* habeantur; quæ abſit, vt ego eo loco ac numero cenſeam. Ne Euſebius quidem, aut Hieronymus de *Theophoro* quicquam memorant; quod cum ſit plane ſingulare, non videntur fuiſſe diſſimulaturi ſiquid de eo ſciviſſent. Sed de fabuloſa huius cognomenti origine ſupra ſatis diximus. Iam fac vera eſſe, quæ de ea produntur. Si vir vnus ob ſingularem vel ſanctimoniam vel Dominicæ manus, qua tactus, & ſuſceptus fuiſſe fertur, gratiam *Theophorus* dictus eſt; ideo-ne conſentaneum eſt, vt vel toti illi ſęculo placuerint vocabula ad eandem formam facta, vel vt ipſe Ignatius, vir quod dixi, gravis; in ipſo pæne agone, talia paſſim paucis epiſtolis inſpergere, plura iſtiusmodi congerere; iiſque lectorem vt ſic dicam obruerit? Neque ſi ad eandem formam ex verbo φέρω compoſita ſint, eo fit vt omnia pariter probare, ac vſurpare liceat. Verba non ex ſola origine, vel etiam analogia, ſed etiam, & quidem præcipue ex vſu æſtimanda ſunt. Denique verba tametſi per ſe optima vitioſum tamen eſt captare, & affectare puerile; quod ſcriptor facit apertiſſime in hoc adiectivorum genere. Ratio autem cur iſta tam avide tamque ſtudioſe conſectatus ſit, non eſt obſcura. Nimirum qui magnum virum ſimulandum ſumpſiſſet, putavit aliquam Ignatianæ magnitudinis ſpeciem præbiturum ſermonem ex huiuſmodi vel priſcis, vel raris, vel grandibus, vel audacibus verbis ſtructum; Eo multa huius generis in opus ſuum tranſtulit vel a ſe ficta, vel aliunde hauſta, qualia ſunt præter illa quæ exhibuimus, quædam etiam alia, vt κακεντρεχὴς, πολυεύτακτος, ἐυσυνείδητας, & nomina illa ſubſtantiva μεγαλορρημοσύναι, πραϋπάθεια, κακοτεχνίαι, συνδιδασκαλῖται, βεβαιοσύνη, ἀκαυχησία, πολυπλήθεια; plæraque iam a Blondello noſtro notata. Eo quoque pertinet, quod quædam verba per ſe optima & omnibus paſſim vſitata, ipſe nove vſurpat, & præter aliorum morem. Ita *naturæ* nomine bis abuſus eſt, ſenſum ei neſcio quem abſtruſum & a vulgari vſu remotum affingens; ſemel quidem cum *Epheſios ſuum nomen NATVRA iuſta poſſidere* dicit, τὸ πολυαγάπητον ὄνομα κεκτῆσθε φύσει δικαίᾳ, in quibus extricandis ſudant interpretes; neque mihi quidem ſatisfaciunt; ſic etiam ſe cognoviſſe dicit Tralleſios *incoinquinatam mentem, & inſeparabilem in ſuſtinentia habere non ſecundum vſum, ſed ſecundum naturam.* Ἄμωμον διάνοιαν, καὶ ἀδιάκριτον ἐν ὑπομονῇ ἔγνων ὑμᾶς ἔχοντας, οὐ κατὰ χρῆσιν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν. Iſta vero, ſi archaïca non ſunt, mirifica quidem eſſe nemo negaverit. Facit & hoc ad illum, quem affectat, orationis ὄγκον, quod verbum ᾄδειν *cantare*, non vulgari & legitimo, ſed poëtico ſenſu poſuit, pro *celebrare* in ea quæ eſt ad Magneſianos καταξιωθεὶς ὀνόματος θεοπρεπεστάτου ἐν οἷς περιφέρω δεσμοῖς ᾄδω τὰς ἐκκλησίας. *Dignificatus nomine*

CAPVT XXVII.

Ign. ad Eph. in

Id. ad Trall. in

Deo-

Caput XXVII.

Deo-decenteſſimo in quibus circumfero vinculis Eccleſias canto. Illud quoque magnifice eodem conſilio dictum eſt, quod in extrema ad Antiochenos legimus; ἀσπάζομαι τὸν ἀντ' ἐμοῦ μέλλοντα ἄρχειν ὑμῶν. *Saluto eum, qui poſt me futurus eſt Princeps veſter.* Epiſcopum dicit. ἄρχειν pro ἐπισκοπεῖν. Quod ſane non eſt a divinis ſcriptoribus ſumptum. Apud hos enim de imperio civili dicitur, ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, *imperare*, vel (vt habet Latinus) *principari gentibus*, vnde & magiſtratus civiles, gladio armati, ἄρχοντες, *Principes*; Sed & de Chriſto ex Iſaia dictum lego, ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν; De Epiſcopis nihil ſimile reperio. Iam & voces noſter inter ſe nectit, (quod Græci συντάττειν dicunt) ſingulari quadam & mirifica ratione; vnde exiſtunt ſenſus obſcuriſſimi, diu quærendi, ſcrutandique, vt invenias quod ipſum quoque ad illam, quam affectatur pompam, multum facit. Evangelium *Chriſti carnem* dicit; προσφυγὼν εὐαγγελίῳ ὡς σαρκὶ Ἰησοῦ. *Confugiens Evangelio, vt carni Ieſu.* Doctiſſimus Hammondus interpretatur, *Chriſtum in terris degentem*; Longe alio ſenſu idem ni fallor, dixit Origenes. Fortaſſe inſcriptor voluit. Neque enim neceſſe eſt quæ obſcura ſunt, omni plane ſenſu carere. De hoc dubito, an ea ſcripturus ad familiares ſuos fuerit Martyr, quibus intelligendis face & viatico opus eſt. Tale etiam illud eſt, quod ad Trallianos de hæreticis dicit, ſi eſſent plantatio Patris, *apparerent* (inquit) *rami crucis.* εἰ γὰρ ἦσαν, ἐφαίνοντο ἂν κλάδοι τοῦ σταυροῦ. Fateor me nihil intellexiſſe donec in Voſſium noſtrum, eruditionis Græcæ Latinæque decus, incidi, qui ingenioſiſſime nodum ſolvit, & *ramos* pro *ſobole* hic dici docuit. Vide per quas mihi ambages iſtius mentem veniendum fuerit. Interpolator, qui Ignatiana vulgata edidit, compendio locum totum illuſtravit, pro illis ſcriptoris obſcuriſſimis, ſua hæc clariſſima reponens, εἰ γὰρ ἦσαν τοῦ Πατρὸς κλάδοι, οὐκ ἂν ἦσαν ἐχθροὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ. *Quod ſi fuiſſent rami Patris, non vtique eſſent inimici crucis Chriſti.* Quid illa quæ in eadem epiſtola legimus doctiſſimo Hammondo in ea, quæ eſt ad Philadelphienſens diu fruſtra quæſita, memorem? Ἀνακτίσασθε * ἑαυτοὺς ἐν πίστει, ὅ ἐστι σὰρξ τοῦ Κυρίου, καὶ ἐν ἀγάπῃ; ὅ ἐστιν αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Recreate vos in fide, quod eſt caro Domini, & in caritate, quod eſt ſanguis Ieſu Chriſti.* Iſta quis noſtrum neget ſingulariter, ac plane mirabiliter, ne prodigioſe dicam, elocutum eſſe? Hæc ipſa nimirum cauſa fuit, cur ſic diceret; vt ſcriptor non vulgaris & homo ſui; ſed antiquioris ſæculi, de priſcis & caſcis illis ſapientibus aliquis videretur. Doctiſſimi Hammondi pace his quoque illa non plane immerito a Blondello notata accenſuerim, quod ſcriptor Magneſios ſuos ſubjici jubet Epiſcopo & ad invicem, *vt vnio ſit ſpiritualis & carnalis.* ὑποτάγητε τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα ἕνωσις ᾖ σαρκική τε καὶ πνευματική. Et illa ad Polycarpum; *Defende locum tuum omni cura carnali & ſpirituali.* ἐκδίκει σου τὸν τόπον ἐν πάσῃ ἐπιμελείᾳ σαρκικῇ τε καὶ πνευματικῇ, & quod eidem præcipit, *Sorores* (id eſt mulieres Chriſtianas) *alloqui, vt diligant Dominum, & coniugibus contentæ ſint carne & ſpiritu.* ταῖς ἀδελφαῖς μου προσλάλει ἀγαπᾷν τὸν Κύριον, καὶ τοῖς συμβίοις ἀρκεῖσθαι σαρκὶ καὶ πνεύματι.

Id. ad Magn. init.
Id. ad Antioc. p. 191.
Marc. 10. 42.
Rom. 23. 2.
Rom. 15. 12.
Id. ad Philad. edit Gr. Lat. p. 29.
Hamm. Diſſ. 2. c. 21. 3.
Ign. ad Trall. Gr. Lat. p. 19.
ib. edit. Vulg. p. 78.
Hamm. Diſſ. 2. c. 20. §. 4.
Ign. ad Trall. edit gr lat p. 18 Lat. Vſſ. p. 208.
* Patr. Ian. log putat ἀνακλάσασθε.
Ign. ad Magn. ed. Vſſer. p. 205 extr.
Id. ad Polyc. p. 136. init.
ibid. p. 139.
Id ad Eph. ed. Vſſ. p. 198.

πνεύματι. & illa ad Epheſios; *Maneatis in Ieſu Chriſto carnaliter &* CAPVT
ſpiritualiter. μένετε ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς. Hæc obſcuritate XXVII.
ad conciliandam aliquam antiquitatis & magnitudinis ſpeciem quæſi- *Ham. exer.* 2. c.
ta laborare ipſe doctiſſimi Hammondi in eis explicandis labor ſatis fa- 11. §. 5.
tetur. Niſi enim ille ita juberet, quis crederet *carnaliter & ſpiritualiter*
idem eſſe, quod *perfecte & integre*; *Curam carnalem & ſpiritualem*, cu-
ram itidem eſſe *perfectam & integram*? & vxorem marito contentam
eſſe *carne & ſpiritu*, nihil aliud ſignificare, quam *perfecte & integre* con-
tentam eſſet? ac *vnionem* denique *carnalem & ſpiritualem*, eam dici,
quæ *perfecta* eſt? Quia ſcilicet *integer homo carne & ſpiritu conſtat*? Si
quæras tam bellæ locutionis ex idoneis auctoribus exempla; deſunt qui-
dem. Sed quid tum? Viri doctiſſimi auctoritas ſatis eſt, vt hoc quem
dictat, ſenſu iſta ſcriptor dixerit. Si dubitas, te epiſcopatus & hierar-
chiæ odium ſcilicet excæcat, ne verum videas. Idem doctiſſimus Ham-
mondus *ingratiſſimorum* quoque *nepotum* invidiæ, & cuidam *cavillandi*
(vt loquitur) *vrticæ* tribuit, quod Blondellus noſter hæc in eodem
ſcriptore denotare auſus erat; τὰ δεσμὰ περιφέρω, τοὺς πνευματικοὺς μαργα-
ρίτας, ἐν οἷς γένοιτό μοι ἀναστῆναι. *Vincula circumfero, ſpirituales margaritas,* *Ig ad Eph. p.*
in quibus fiat mihi reſurgere! id eſt, in quibus vtinam reſurgam. Quod 199.
vincula ſua *ſpirituales margaritas* dicit, id ad orationis illum, quem
affectatur. ὄγκων pertinet; Quod vero etiam in iis optat ſuprema die *re-*
ſurgere, id audacius & frigidius eſſe nemo, vt opinor, negaverit. Do- *Hamm. Exerc.*
ctiſſimus Hammondus breviter de more, & vno ictu nodum ſecat; hoc 2. c. 11. § 4.
ſic interpretans, quaſi ſcriptor nihil aliud his verbis optet, quam vt
cum gaudio quo ex vinculis & martyrio pro Chriſto ſuſcepto, perfun- *id. ibid.* § 3.
debatur, *reſurgat, & in æternum permaneat.* Ego an id ſcriptor voluerit,
neſcio. Si voluit, fatendum eſt mirificum eum fuiſſe dicendi artificem,
qui rem tam facilem tam obſcure, tamque abſurde ſit elocutus. Illa
vero ſimilitudo, qua ſcriptor ibidem vtitur, niſi Hammondina pumice
lævigata; neſcio cui lectori placere poſſit. Epheſios alloquitur, eoſque
lapides eſſe dicit *templi Patris, relatos in excelſa per machinam Ieſu* *Ign. ad Eph. p.*
Chriſti crucem, fune vtentes Spiritu Sancto, fidem autem eſſe ſubvecto- 198.
rem. ὄντες λίθοι ναοῦ πατρὸς, ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη διὰ τῆς μηχανῆς Ἰησοῦ Χρι-
στοῦ, ὅς ἐστι σταυρὸς, σχοινίῳ χρώμενοι τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ἡ δὲ πίστις ὑμῶν ἀνα-
γωγεύς. Quam decora ſit hæc imago, quam rebus ſubjectis digna,
quamqne appoſite vel Spiritum Sanctum, totius operis ducem, cau-
ſamque principem, *funis*; vel fidem, ſpiritus in nobis effectum, ἀναγω-
γεὺς exprimat ac repræſentet, cujuſvis eſto judicium. Mihi quidem
nondum tota eruditiſſimi Hammondi vel Rhetorica, vel Dialectica
perſuaſit nihil hic ſubeſſe *novi* aut abſurdi. *Novitas* quidem inde appa-
ret, quod præter hunc, qui ſic iſta inter ſe comparaverit, nemo neque
divinus, neque Eccleſiaſticus ſcriptor vel affertur, vel aſſerri poteſt.
Abſurditas vero, quod funi Dei quidem verbum, miniſterium, benefi-
cia non inepte comparaveris; Spiritum vero, qui his, vt ſic dicam, di-

Caput XXVII.

Ign. ad Ioann. ep. 1. extr. p. 189

divinæ benignitatis funiculis, ad nos movendos, & attrahendos vtitur, ipſi illi quo vtitur, funi cōparare ab omni ratione alienū eſt. Mitto quæ alius impoſtor ſed multo futilior, audaciora, de ſāctiſſima Domini Matre Maria ſcribit, quam *cæleſte prodigiū, & ſacratiſſimum monſtrū*, homo niniū diſertus nō eſt veritus appellare. Deniq; & hoc inter noſtri mirifica cenſendū videtur, quod Smyrnenſis Eccleſiæ præpoſitos ſic in calce epiſtolæ ſalutandos putavit. Ἀσπάζομαι τὸν ἀξιόθεον ἐπίσκοπον, καὶ θεοπρεπέστατον πρεσβυτέριον, τοὺς συνδούλους μου διακόνους, καὶ τοὺς κατ' ἄνδρα καὶ κοινῇ πάντας, ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῇ σαρκὶ αὐτοῦ καὶ τῷ αἵματι, πάθει τε καὶ ἀναστάσει σαρκικῇ τε καὶ πνευματικῇ ἐν ἑνότητι θεοῦ καὶ ὑμῶν. *Saluto Deo dignum Epiſcopum, & Deo decens presbyterium, & conſervos meos Diaconos, & ſingillatim & communiter omnes, in nomine Ieſu Chriſti, vt carne ipſius & ſanguine, & paßione, & reſurrectione, carnali & ſpirituali in vnitate Dei & veſtri.* Fideles in *Chriſti carne & ſanguine, paßione & reſurrectione ſalutare*, inuſitatum opinor, & abſque vllo quod ſciam, vel divinorum, vel Eccleſiaſticorum ſcriptorum exemplo. His & aliis ejuſdem generis novis fictis, grandibus, obſcuris ſcriptor antiquitatem auctoris, quem ſimulandum ſuſceperat, exprimere ac repræſentare conatus eſt.

Id. ad Smyrn. edit. Gr. Lat. p. 38. Vſſer. vet. Lat. p. 222.

Caput XXVIII.

Argumentum adverſus Ignatiana LXIII. Quod in iis manifeſta ſit ſcriptoris κακοζηλία *quaſdam Pauli voces & phraſes cupide ad hoc aſſectantis, & crebro vſurpantis, vt homo Apoſtolicus videatur. Id in verbo* ὀναίμην *obſervatum, ſemel a Paulo a ſcriptore ſexcenties vſurpato. Item in* ἀντίψυχος & ἀντίψυχον *ex Pauli* ἰσόψυχος *ductis.*

IAm vt Apoſtolici viri, qui, qualiſque fuit Ignatius, characterem mentiretur, quædam Pauli Apoſtoli ſtudioſe eſt imitatus; ſperans ſe his veluti Apoſtolici diſcipuli lineamentis, hominibus ſui ſæculi; præſertim poſteris ab Ignatiano tempore remotioribus, adeoque rerum Apoſtolicarum minus gnaris, facile impoſiturum, atque effecturum, vt pro ſcriptore Apoſtolico haberetur. Tale eſt illud ὀναίμην, toties noſtro vſurpatum. Hunc enim iſto verbo non ſimpliciter, vt Paulum, & alios Græce ſcribentes, ſed ſtudio, certoque conſilio vſum eſſe, vt Apoſtolum imitaretur, & Apoſtolicus ex hac ſermonis ſimilitudine videretur, illud arguit, quod eo ſæpe, non ſemel atque iterum vſus reperiatur. Nam, quod eſt a Seneca veriſſime obſervatum, quæ apud auctorem rara ſunt, ea apud imitatores crebra ac pæne perpetua eſſe ſolent; *neque ſine cauſſa* (inquit.) *Ille enim in hac inciderat; at hi illa quærunt.* Cuius rei exemplum affert, memorari hoc loco dignum, Arruntium quemdam belli Punici ſcriptorem, hominem Salluſtiani ſermonis ſtudioſiſſimum,

Seneca epiſt. 114 p. 484.

& in id genus nitentem. Eſt (inquit Seneca *) apud Salluſtium*, exercitum CAPVT
argento fecit, *id eſt pecunia paravit. Hoc Arruntius amare cœpit ; po-* XXVIII.
ſuit illud omnibus paginis. Dixit quodam loco fugam noſtris fecere. *A-*
lio loco; Hiero Rex Syracuſanorum bellum facit; *Et alio loco*; Qui audi-
ta Pęnormitanos dedere Romanis fecere. *Dixit Salluſtius*, aquis hie-
mantibus. *Arruntius in primo libro belli Punici ait*, Repente hyema-
vit tẽpeſtas. *Et alio loco cum dicere vellet frigidum annum fuiſſe, ait*; To-
tus hyemavit annus. *Et alio loco* ; Inde ſexaginta onerarias leves præ-
ter militem, & neceſſarios nautarum, hyemante Aquilone miſit. *non de-*
ſinit omnibus locis hoc verbum inſulcire. Quodam loco Salluſtius dicit;
Inter arma civilia æqui boni famas petit. *Arruntius non temperavit,*
quominus primo ſtatim libro poneret, Ingentes eſſe famas de Regulo. Hęc
de Arruntio Seneca. Vt ille in Salluſtium; ita plane noſter in Paulum ſe
geſſit. Paulus ſemel in epiſtola ad Philemonem dixerat, Ναὶ ἀδελφὲ, ἐγώ σου *Philem.* 20.
ὀναίμην ἐν Κυρίῳ. *Ita frater, Ego te fruar in Domino.* Scriptor noſter non
deſinit (quod ait de ſuo Arruntio Seneca) *omnibus locis hoc verbum inſu-* *Ign. ad Eph.*
lcire. In epiſtola ad Epheſios; Ὀναίμην ὑμῶν διὰ παντὸς, *Fruar vobis perpe-* *Vſſ. Gr Lat. p.* 2
tuo. Ad Magneſianos, Ὀναίμην ὑμῶν κατὰ πάντα , *Fruar, vobis ſecundum* *Id. ad Magn.*
omnia. Ibidem de Diacono Sotione ; οὗ ἐγὼ ὀναίμην , *quo ego fruar.* Ad *Gr. L. Vſſ. p.* 14. 10.
Romanos; Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων , *Vtinam fruar beſtiis* *Id. ad. Rom.*
mihi paratis! Atque hæc quidem Vſſerianus ſcriptor, qui & Voſſianus *p.* 23.
idem eſt. Vulgatus, vt ſe eundem quoque eſſe perſuaderet, idem ver-
bum poſuit omnibus pæne paginis. Ad Trallianos; ὀναίμην ὑμῶν ἐν Κυρίῳ *Id. vulg. ad Trall. extr. p.* 30
Fruar vobis in Domino. Deeſt in Latino. Ad Philadelphienſes ; Ὀναίμην *Id. ad Philad.*
ὑμῶν τῆς ἁγιωσύνης ; *Fruar veſtra ſanctitate.* Ad Mariam Caſtabalitam; *p.* 97.
Ὀναίμην τῶν δεινῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων , *Fuar peniculis mihi præparatis.* Ad *Id ad Mar.*
Tarſenſes ; Ὀναίμην ὑμῶν ἐν Κυρίῳ , *Fruar vobis in Domino.* Ibidem; *Caſt. p.* 132.
Ὀναίμην ὑμῶν τῶν προσευχῶν , *Fruar precibus veſtris.* Ad Philippenſes; *Id. ad Tarſ. p.* 150. 151.
ὧν καὶ ὀναίμην, *quibus vtinam & fruar!* Ad Polycarpum; οὗ ὀναίμην ἐν Θεῷ. *Id. ad Philipp.*
Quo fruar in Deo. Ibidem; ὀναίμην ὑμῶν διὰ παντός. *Fruar vobis ſem-* *p.* 187.
per. Ad Antiochenos; ὧν ὀναίμην ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ. *quibus fruar in Domino* *id. ad Polyc. p.*
Ieſu. Ibidem ; οὗ καὶ ὀναίμην ἐν Χριστῷ. *Quo etiam fruar in Chriſto.* Ad 136 140.
Heronem denique ; ὀναίμην σου παιδίον ποθεινὸν. *Te fruar, Fili deſiderabi-* *id. ad Antioch. p.* 60. 61.
lis! Ibidem, ὧν ἐγὼ ὀναίμην ἐν Χριστῷ. *quibus ego fruar in Domino.* Hæc *id. ad Heron. p.*
qui putida eſſe , & *affectata* (vt nos vulgo loquimur) non ſentit, is ſi- 167. 169.
quid judico , ſenſibus caret. Putida autem ſcripſiſſe verum Ignatium,
nemo dixerit. Ejus ſimiolum hæc , tametſi ; putida , vt ſcriberet,
tranſverſum egit Pauli imitandi ſtudium , inde ortum , quod Apo-
ſtoli diſcipulus ac filius videri vellet ; lectores putans eum pro Pauli
contubernali facile habituros , apud quem tam *crebras*, ac *pæne aſſi-*
duas Apoſtoli voces reperirent. Dixerat Apoſtolus Timotheum ſuum ſe
habere ἰσόψυχον, vnanimem. Ea compoſitionis forma captu epiſtolicus *Phil.* 2. 20.
ſcriptor ad idem exemplum formata ἀντίψυχος, & ἀντίψυχον , non tem-
peravit quin paſſim epiſtolis pæne omnibus inſpergeret. Ad Ephe-

 ſios;

Caput XXVIII.

ſios; εἴλω ὑμῶν ἀντίψυχον. *Vnanimis vobiſcum ego*, ſim ſcilicet. Ad Smyrnæos; ἀντίψυχον ὑμῶν τὸ πνεῦμά μου. *Conformis animæ veſtræ ſpiritus meus.* ſit. Ad Polycarpum; Ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων ἐπισκόπῳ. *Vnanimis ego cum ſubiectis Epiſcopo.* & paulo ante in eadem epiſtola dixerat, τοῦ ἀντίψυχος ἐγώ. *Pro anima tua efficiar.* Ad Antiochenos; Ἀντίψυχον ὑμῶν γένοιμι. *Pro animabus veſtris ego efficiar.* Iterũ; οὗ ἀντίψυχον γένοιμι. *pro cuius anima ego efficiar.* Ad Heronem; Ἀντίψυχόν σου ἐγὼ ὁ δέσμιος. *Pro anima tua ſum, aut ſim, ego vinctus.* Iterum; ἧς ἀντίψυχον γένοιμι. *Pro cuius anima fiam.* Ad Mariam Caſtabalitam; ἀντίψυχος σου γένοιμι ἐγώ. *Pro anima tua ego efficiar.* Ad Tarſenſes; Ἀντίψυχος ἐγὼ τῶν φυλαττόντων ταύτην τὴν τάξιν. *Pro animabus hanc ordinationem cuſtodientibus ego ſim*, vel *efficiar.* Denique ad Philippenſes, de Diaconis, ὧν ἐγὼ ἀντίψυχος γένοιμι. *Pro quorum animabus ego efficiar.* Hæc ſcriptoris noſtri video bifariam ab interprete ſumi; vt ſignificent vel illum, quorum ſe ἀντίψυχον dicit, eorum ſimpliciter cupere conformem ac vnanimem eſſe; vel optare ipſum animam pro eorum anima ponere. Priori modo, illud Pauli, quod diximus, ἰσόψυχος, ſimpliciter æmulatur; poſteriori, hunc præterea eiuſdem ad Corinthios ſenſum imitatur; ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω, καὶ ἐκδαπανηθήσομαι ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν. *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris*; cuius illa quoque ſimilia ſunt, quæ idem alibi dicit, & de ſuo in Philippenſes, & de Priſcillæ & Aquilæ in ſe animo; ita comparato, vt & ipſe pro illis, & hi pro ſe animas ponere parati fuerint. Inter ſcriptorem & Paulum hoc diſcriminis eſt, quod hic, vt auctor graviſſimus, iſta ſemel atque iterum, ſed aliter atque aliter; ille eadem & quidem eodem ſemper modo, vt imitator vitioſus, vbique dicit; quo crebrius diceret, eo ſe impenſius Paulinum hominem viſum iri ſomnians; vt ſimiorum mos eſt, qui quæ a nobis, ſemel & iterum certa & neceſſaria de cauſa fieri viderunt, ea totos dies temere, neque aliam ad rem factitant, quam vt imitentur, & pro captu ſuo repræſentent.

Ign. ad Eph. extr. p. 5. ibid. Vſſ. p. 201. id. ad Smyrn. Gr Lat p. 37. Lat. Vſſ. p. 221. id ad Polyc. p. 110. 137. id. ad Antioc. p. 157. 160. id. ad Her. p. 264. 170. id ad Marc. Caſt. p. 133. id. ad Tarſ p. 150. id. ad Philipp. p. 187.

2. Cor. 12. 15.

Phil. 2. 17.

Rom. 16. 3. 4.

CAPVT XXIX.

Argumentum LXIV. Ab altero cacozeliæ genere ductum, quo ſcriptor Pauli ſenſus, ſed plærumque putide æmulatur. Vt, quod Paulus alicubi dixit ſe minimum eſſe ſanctorum, id iſte pæne in omnibus poſuit epiſtolis. Item, quod Apoſtolus ait ſe quædam ἄῤῥητα *audiviſſe; quod idem dicit ſe Corinthijs lac, non eſcam dare; & veniam ironice ab ijſdem poſcit, quod ijs peperciſſet; ea ſcriptorem cupide quoque vſurpaſſe,* συγνωμονεῖν.

EST & hoc ſcriptoris noſtris cacozeliæ, vt vocant Rhetores, imputandum. Paulus ſe ἐλάχιστον τῶν ἀποστόλων, *minimum Apoſtolorum ac ne dignum quidem, dixerat vocari Apoſtolum, quod Eccleſiam Dei eſſet perſecutus,* οὐχ ἱκανὸν καλεῖσθαι Ἀπόστολον, διότι (inquit) ἐδίωξα τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Idem alibi ſe non Apoſtolorum modo, ſed *omnium ſanctorum minimum* vocaverat, ἐλαχιστότερον πάντων ἁγίων. Noſter iſta avide arripuit; & humilitatem hanc ſummam, veluti certum Apoſtolici hominis characterem, de ſe paſſim prædicare non deſinit. Neque advertit, quod quæ Paulo erat ſui ſic infra cæteros Apoſtolos abjiciendi cauſſa, ea nulla in Ignatio fuit; Eccleſiæ ſcilicet actis ante vocationem temporibus perſecutio; Neque item attendit, quod præter hæc Paulus vbi ſe *omnium ſanctorum minimum* dicit, id eo loco dicit, quo de Apoſtolatu ſibi cœlitus credito loquitur, quo honore nihil eſt majus aut divinius; *Mihi* (inquit) *omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare in inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi in ſæculis in Deo.* Neque denique ſecum reputavit hæc Apoſtolum, tametſi plena rationis ac ſapientiæ, non tamen ſæpius, ne humilitatis ſpecie vanam gloriam conſectari videretur, ſed ſemel tantum atque iterum ad diverſiſſimas Eccleſias ſcribentem, ſuo loco ac tempore appoſitiſſime dixiſſe. Nihil iſtorum neque expendit, neque cogitavit noſter Ignatii ſimius; ſed ad hoc vt homo vere Paulinus diceretur, illud abunde eſſe exiſtimans, ſi qualecumque Paulinæ iſtius modeſtia imaginem vbique præferret, & omnibus εὐκαίρως ἀκαίρως oſtentaret; pæne omnes epiſtolas his & ſimilibus vocibus replevit; ſe Magneſianis minorem eſſe, quibus ſcribit, ac *cautum cupit*, ὡς μικρότερος ὑμῶν, θέλω προφυλάσσεσθαι ὑμᾶς. Mox; *Tametſi vinctus ſum, comparandus tamen vni veſtrum ſolutorum non ſum,* εἰ γὰρ καὶ δέδεμαι, πρὸς ἕνα τῶν λελυμένων ὑμῶν οὐκ εἰμί. Negat ſe *dignum, qui ab Eccleſia, quæ in Syria eſt, vocetur*, id eſt, qui eius membrum nedum vt epiſcopus dicatur; μνημονεύετε..... τῆς ἐν Συρίᾳ ἐκκλησίας, ὅθεν οὐκ ἄξιός εἰμι καλεῖσθαι. Eadem Trallianis ſuis occinit; *Memores eſtote in orationibus veſtris, Eccleſiæ quæ eſt in Syria, de qua dici*

1. Cor. 15. 19.

Eph. 3. 8. 9.

Ign. ad Magn. Gr. Lat. Vſſ. p. 14.

ibid.

ibid. p. 15.

id. ad Trall. ibid. p. 20.

CAPVT XXIX. *non ſum dignus,eorum vltimis exiſtens.* μνημονεύετε ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑμῶν τῆς ἐν Συρίᾳ ἐκκλησίας, ὅθεν καὶ οὐκ ἄξιός εἰμι λέγεσθαι, ὢν ἔσχατος ἐκείνων. Ad
id.ad Smyrn. Gr.Lat.p.37. Smyrnæos eadem vbi de Antiochia Syriæ locutus; *Vnde* (inquit) *Deo-decoris ligatus vinculis , omnes ſaluto ; qui inde exiſtere non ſum dignus, cum extremus ſim eorum, qui ibi ſunt* ; ὅθεν δεδεμένος θεοπρεπεστάτοις δεσμοῖς, πάντας ἀσπάζομαι, οὐκ ὢν ἄξιος ἐκεῖθεν εἶναι, ἔσχατος αὐτῶν ὤν.
id.ad Rom. ibid.p.25. Romanis eadem quoque ſcribit ; *Me pudet vnum de Syrorum numero dici. Neque enim ſum dignus ; cum noviſſimus eorum ſim , & abortivus ; ſed per miſericordiam Dei obtinui , vt ſim aliquis , ſi Deum aſſequar.* Quæ ex Paulino a nobis recitato loco ſumpta ſunt. ἐγὼ δὲ καὶ αἰσχύνομαι ἐξ αὐτῶν [τῶν ἐκ τῆς ἐν Συρίᾳ ἐκκλησίας] λέγεσθαι· οὐ γάρ εἰμι ἄξιος, ὢν ἔσχατος αὐτῶν
id. ad Eph. ibid.p.2. καὶ ἔκτρωμα· ἀλλ' ἠλέημαι τις εἶναι, ἐὰν Θεοῦ ἐπιτύχω. Ad Epheſios ; οὐ διατάσσομαι ὑμῖν ὡς ὤν τις. *Non præcipio vobis quaſi ſim aliquis.* Ad Tar-
id.ad Tarſ.p. 151.vulg. ſenſes ; ταῦτα οὐκ ἐπιτάττω ὡς ὤν τι, εἰ καὶ δέδεμαι. *Hæc autem non præcipio vobis , quaſi ſim aliquid , etſi vinctus.* Ad Philippenſes ; παραινῶν οὐχ ὡς
id. Philip. Vulg.p.136. ὤν τι. *Exhortans , non quaſi ſim aliquid.* Quo & iſta pertinent. Ad Ro-
id ad Rom.edi. Gr.Lat. Voſſ p. 23. manos , οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος, διατάσσομαι ὑμῖν, ἐκεῖνοι Ἀπόστολοι, ἐγὼ κατάκριτος. *Non vt Petrus & Paulus hæc præcipio vobis. Illi Apoſtoli ; ego condemnatus.* Quæ interpolatori , a quo vulgata Ignatiana habemus , inepta viſa ſunt (& ſunt ſane. Nam & Apoſtoli æque ac Ignatius, ob Chriſtum condemnati vinctique fuerunt.) Itaque mutavit, & locum ita melius conſtituit. *Non ſicut Petrus & Paulus præcipio vobis. Illi enim Apoſtoli Ieſu Chriſti ſunt ; ego autem minimiſſimus.* ἐκεῖνοι
id. ad Philad. ibid.p.99. Ἀπόστολοι Ἰησοῦ Χριστοῦ. ἐγὼ δὲ ἐλάχιστος. Sic ad Philadelphios ; *Hæc au-*
id.ad Antioch. vulg.p.159.ext. *tem non ſicut Apoſtolus præcipio.* ταῦτα οὐχ ὡς Ἀπόστολος διατάσσομαι. τίς γάρ εἰμι ἐγώ; Ad Antiochenos ; *Hæc autem non ſicut Apoſtolus præci-*
2.Cor. 12.4. *pio.* ταῦτα οὐχ ὡς Ἀπόστολος παρακελεύομαι. Iam cum Paulus ad Corinthios ſcribens dixiſſet ſe arcana quædam audiviſſe verba , quæ nemini homini loqui liceret ; hoc quoque putavit ſcriptor ille noſter ſuo Ignatio imitandum eſſe. Itaque eum quoque facit ad
Ign.ad Trall. p.207.208. Tralleſios ſcribentem quorumdam arcanorum notitiam ſibi aſſumere ; *Nonne poſſum vobis ſupercœleſtia ſcribere ?* tum ; *Etenim ego , non quia vinctus ſum & cœleſtia intelligere poſſum , & loci poſitiones Angelicas , & conſtitutiones Principatuum , viſibiliaque & inviſibia , propter hoc iam & diſcipulus ſum.* Ibidem quoque aliud quiddam Paulinum æmulatus eſſe deprehenditur. Dixerat Apoſtolus *ſe* Corin-
1.Cor 3.1.2. thiis , *tanquam parvulis in Chriſto lac potum dediſſe , non eſcam ; nondum enim poteratis ; ſed nec nunc quidem poteſtis.* Eadem noſter excuſat , ne illam, quam ſibi aſſumit, ſupercœleſtium arcanorum notitiam
Ign.Tral.p.208 cum ſuis Tralleſiis cummunicet ; *Timeo* (inquit) *ne parvulis exiſtentibus vobis damnum apponam* ; & mox , *ne forte non potentes capere , ſtrangulemini* ; in quibus aperte expreſſa vides Paulini ſenſus veſtigia.
2.Cor.12.13. Idem Apoſtolus cum ſe negaſſet Corinthiis , vt aliis quibuſdam Eccleſiis , gravem fuiſſe , ironice adiecerat ; *Donate* , id eſt condonate *mihi*

hanc

hanc iniuriam; quaſi alicui parcere iniuria ſit, quod beneficium potius eſſe intelligitur. Noſtro placuit ironiæ elegantia. Sibi non temperavit, quin eam quoque vſurparet; Cum enim ea iis, quæ recitavimus, dixiſſet ſe ſua illa myſteria eos celare, ne quid parvulis damni afferrent, continuo ſic pergit; *Condonate mihi*, καὶ συγγνωμονεῖτέ μοι. Sed & iterum idem alibi captus, vt reor, verbi venuſtate poſuit pæne eodem modo in epiſtola ad Romanos; συγγνωμονεῖτέ μοι, ἀδελφοὶ, μὴ ἐμποδίσητέ μοι ζῆσαι. *Ignoſcite mihi fratres; Non impediatis me vivere.* Ad figuræ ſuavitatem accedit quædam verbi συγγνωμονεῖν majeſtas quod his duobus locis, ſpreto vulgari συγγινώσκειν, ad orationis pompam vſurpaſſe videtur.

CAPVT XXIX. *Vid ibid.* 11. 8.

Ign. Trall. p. 208.

Ign. ad Rom. edi. Gr. L. p. 24

Lex. Gr. L. vet. συγγινώσκω, συγγνωμονῶ *ignoſco.*

CAPVT XXX.

Argumentum LXV. Quod ſcriptor ſuis epiſtolis inſcriptionem præfixerit mirificas, laciniosas, inconditas, prodigioſæ longitudinis, præter omnium antiquiſſimorum Sanctorum vſum, vt Clementis, Polycarpi, Smyrnenſium, Lugdunenſium, Cypriani, Cornelij, Firmiliani, &c. tametſi id quoque pravo Pauli imitandi ſtudio feciſſe videatur. Inde quoque profectum eſſe, quod duo quædam quæ ab Ignatio dicta aliunde didicerat, ſuis epiſtolis inſeruerit; & viduas Dei altare Polycarpi exemplo dixerit. Omnia ad Archaiſmum & Ignatianiſmum ſimulandum comparata.

DEnique hoc quoque ad pravam ſcriptoris noſtri imitationem pertinere videtur. Paulus interdum inſcriptiones epiſtolarum habet, non breves, & expeditas, vt vulgo mos erat, ſed longiuſculas, & nonnihil involutas, ob res graviſſimas quibus plenæ ſunt, vt ex ea, quæ ad Romanos eſt, qui vis diſcere poteſt; cujus inſcriptio verſiculos ſeptem totos occupat. Simile aliquid & in ea obſervare eſt, quam ad Titum dedit. Noſter hoc quoque vt egregie Paulinus videretur, imitandum ſibi putavit; ſed perverſe & infœliciter, vt ſolet. Ingens rerum & orationis diſcrimen ex vtrarumque inſcriptionum collatione manifeſtum mitto. Vnum nunc vrgeo; Nimirum quod Apoſtolus ſemel atque iterum fecerat, hoc noſtrum pæne in omnibus feciſſe epiſtolis. Neque enim in quatuordecim Paulinis epiſtolis plures, quam has diximus duas, huius generis inſcriptiones reperies. Apud noſtrum, ſi eas quæ ſunt ad Mariam Caſtabalitam, & ad Polycarpum, & ad Antiochenos, & ad Philippenſes exceperis, cæterarum octo longiſſimæ ſunt, & laciniosæ & impeditiſſimæ inſcriptione; quædam etiam plane prodigioſæ, vel hyperbatis, & hiulcis ac pendentibus, necdum abſolutis membris deformes, vel inanibus & ſtreperis epithetis luxuriantes, vel aliquo

Caput XXX.

aliquo denique vitio inſignes. Quis iſtam verbi gratia, quæ epiſtolæ ad Romanos preſcribitur, patienter; totam legerit? Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος, τῇ ἠλεημένῃ ἐν μεγαλειότητι ὑψίστου Θεοῦ πατρὸς, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, ἐκκλησίᾳ ἡγιασμένῃ, καὶ πεφωτισμένῃ ἐν θελήματι τοῦ θελήσαντος τὰ πάντα ἅ ἐστι κατὰ ἀγάπην Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, ἀξιόθεος, ἀξιοπρεπὴς, ἀξιομακάριστος, ἀξιέπαινος, ἀξιεπίτευκτος, ἀξίαγνος, καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης, χριστώνυμος, πατρώνυμος, ἣν καὶ ἀσπάζομαι ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῖς κατὰ σάρκα καὶ κατὰ πνεῦμα ἡνωμένοις πάσῃ ἐντολῇ αὐτοῦ, πεπληρωμένοις χάριτος Θεοῦ ἀδιακρίτως, καὶ ἀποδιϋλισμένοις ἀπὸ παντὸς ἀλλοτρίου χρώματος, πλεῖστα ἐν Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ ἀμώμως χαίρειν. Neque Latina minus diſerta, minuſve lucida ſunt. *Ignatius, qui & Theophorus habenti propitiationem in magnitndine Patris altiſſimi, & Ieſu Chriſti ſolius Filij ipſius, Eccleſiæ dilectæ & illuminatæ in voluntate volentis omnia, quæ ſunt ſecundum dilectionem Ieſu Chriſti Dei noſtri, quæ & præſidet in loco chorij Romanorum, digna Deo, digna decentia, digna beatitudine, digna laude, digne ordinata, digne caſta, & præſidens in caritate,* Chriſti *habens legem, *Patris nomen; quam & ſaluto in nomine Ieſu Chriſti Filij Patris, ſecundum carnem & ſpiritum vnitis in omni mandato ipſius, impletis gratia Dei indiviſim, & abſtractis ab omni alieno colore; plurimum in Domino Ieſu* Chriſto *Deo noſtro immaculate gaudere.* Hactenus inſcriptio; operoſiſſimum ſane haud magni ædificii veſtibulum. Multæ ſunt etiam optimorum magiſtrorum epiſtolæ hac vna iſtius inſcriptione breviores. Ne ipſe quidem Ἰγνατιομανὴς Halloixius tantas ineptias ferre potuit, qui ſpumoſa illa tam multa in Romanam ſuam Eccleſiam collata elogia fatetur *nihil aliud eſſe quam coacervata, & male congeſta laudis epitheta.* Itaque hanc totam epiſtolæ ἐπιγραφὴν altera quadam, quæ apud Symeonem Metaphraſtem, paulo brevior; concinnior & elegantior extat, vltro commutat; fidenterque pronuntiat eam *merito pro vera & ſincera inſcriptione habendam eſſe*; non hanc vulgatam a nobis editam; & doctiſſimus Vſſerius videtur aſſentiri. Sed repugnat omnium librorum fides; & Græcorum, & Latinorum, qui iſtam, quam recitavimus, exhibent; neque is eſt Metaphraſtes, cui in hoc genere multum credamus; res quas tractat magis ex ingenio ſuo invertere, quam ex vero tradere aſſueto; quem eius morbum & paſſim Baronius, & Bellarminus in Catalogo ingenue notarunt. Hunc ergo diſertum, & ingenii ſane elegantis hominem non miror vulgatam inſcriptionem eius obſcuritate, & ſinuoſis ambagibus, & prolixitate offenſum, interpolaſſe; & in amœniorem formam mutaſſe. Vtinam nihil ille licentius eſſet auſus! Qui martyrum nobis paſſiones, & Paganorum ad fidem converſiones de vna eruditionis ſuæ liberalitate plurimas donavit, qui ſui ſæculi res & ritus nihil veritus eſt vetuſtiſſimis priorum ſæculorum Chriſtianis paſſim diſertiſſime (fateor) ſed mendaciſſime affingere; quis ei religionem eſſe putaverit vnius inſcriptionis ſordes, nequid eæ lectoribus minus arriderent, ſpongia ſua eluere, & ſcabritiem

Ign. ad Rom. edit. Vſſer. Lat, p. 210.

**leg. Gr.* χειρόνομος *non* χριστώνομος.

Hall. in Apol. Ign. c. 12.

Vſſ. Not. in Ignat. ad Rom. p. 30.

Bur. 2 D. 44. §. 53. Bell. de ſcript. in Symeone.

tiẽ ſua quoque pumice lævigare & expolire. Neque aliud ſuadet, quod CAPVT XXX.
optimus Vſſerius Symeonis credo, ingenium de ſuo metiens, illum ait
teſtari ſe Ignatii epiſtolam Actis ſuis ἐπὶ λέξεως *ad verbum* inſeruiſſe.
Quis enim iſtos φιλομύθους neſcit nũquam de ſua veracitate ſanctius te-
ſtari, quam quoties inſigne aliquod mendacium parant? Quanquam &
hoc Symonem de ipſa fortaſſe epiſtola, non de epiſtolæ inſcriptione di-
xit; quam tanti eſſe non putavit, vt plane penituſque eandem quam in-
venerat nullo mutato apice, exhibere debuerit. Denique in his ego
Halloixii conſtantiam deſidero. Cur enim qui cæterarum epiſtolarum
inſcriptiones probat, hanc repudiat, qua illa non ſunt profecto melio-
res? In hac Ieſuitæ naſus ferre non poteſt neque enormen longitudi-
nem, neque illam epithetorum tot in vnum locum temere congeſto-
rum farraginem, ἀξιόθεος, ἀξιοπρεπὴς, ἀξιομακάριστος, ἀξιέπαινος, ἀξιο-
επίτευκτος, ἀξίαγνος προκαθημένη τῆς ἀγάπης, χριστώνυμος πατρώνυμος, πνευμα-
τοφόρος? Laudo, & abſit, vt putem a ſanctiſſimo Martyre extructam tam
ineptam molem. Sed ſi merito hæc Halloixio diſplicent, non video
cur alia eidem alibi ſimilia placeant. Epiſtolæ ad Philadelphienſes in-
ſcriptio, etiam quam hæc longior eſt, neque minus laciniosa, & epithetis
laudis ad faſtidium ſcatet. Iſtic Eccleſia Philadelphienſium dicitur *Ign ad Phil.*
ἠλεημένη, ἡδρασμένη ἐν ὁμονοίᾳ θεοῦ, ἀγαλλομένη ἐν τῷ πάθει τοῦ Κυρίου, πεπλη- *p.91.*
ροφορημένη, ἐν τῇ ἀναστάσει αὐτοῦ, ἀποδεδειγμένη ἐν θελήματι θεοῦ, *miſericor-*
diam conſecuta, confirmata in concordia Dei, exultans in paſſione Do-
mini, repleta in reſurrectione, ita Dei voluntate probata. Iſtis non ſunt
vt videtur, illa ad Romanos deteriora, Smyrnæorum vero Eccleſiam *id. vd Smyrn.*
ipſam quoque ſcriptor pari loco ſalutat ἠλεημένην, πεπληροφορημένην ἐν *p.109.*
πίστει, ἀνυστέρητον παντὸς χαρίσματος, θεοπρεπεστάτην, καὶ ἁγιοφόρον. Neque
Tarſenſes ornat parcius, quorum Eccleſiam vocat ἀξιεπαίνετον, καὶ ἀξιο- *id. vd Tarſ. p.*
μνημόνευτον, ἀξιαγάπητον. Quid illa ad Heronem dicam? τῷ θεοτιμήτῳ, καὶ *143.*
ποθεινοτάτῳ σεμνοτάτῳ, χριστοφόρῳ, πνευματοφόρῳ. *A Deo honorabili deſi-* *id. ad Heron. p.*
rabili, venerandiſſimo, Chriſtifero, ſpiritifero, Heroni. Hæc certe, epi- *162.*
thetis in Romanos congeſtis, tametſi pauciora, non equidem melio-
ra dixerim. Sed neque his minus putida ſunt illa, quæ in ipſa ad Ephe- *Ign. ad Eph.*
ſios epiſtola leguntur, jam a nobis ſupra recitata; ἐστὲ οὖν καὶ σύνοδοι πάν- *Gr. Lat. p.5.*
τες θεοφόροι, καὶ ναοφόροι, χριστοφόροι ἁγιοφόροι, *Deiferi, templiferi, Chriſtife-*
ri, Sanctiferi. Quid, quod & in aliis inſcriptionibus quædam, quod
diximus, hiulca ſunt, quæ in hac ad Romanos nulla ſunt? *Ignatius,*
qui & Theophorus, benedictæ per gratiam Dei Patris in Ieſu Chriſto Sal-
uatore noſtro; in quo ſaluto Eccleſiam, quæ Magneſiæ eſt. Ἰγνάτιος ὁ καὶ *id ad Magn.*
θεοφόρος, τῇ εὐλογημένῃ ἐν χάριτι θεοῦ πατρὸς ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ Σωτῆρι ἡμῶν, ἐν ᾧ *p.48.*
ἀσπάζομαι τὴν ἐκκλησίαν, τὴν οὖσαν ἐν Μαγνησίᾳ. Hinc adhuc oratio, com-
pleri fruſtra exſpectans, addito illius benedictæ nomine; quam ſcri-
ptor ſalutat. Nimirum dicendum erat *Eccleſiæ benedictæ*; vt de ſuo ſup-
plevit doctiſſimus Vſſerius; Quamquam ne ſic quidem ſcriptoris ora-
tio abſoluitur; nondum enim conſtat, quam Eccleſiam dicat; & quæ

CAPVT XXX. continuo ſequūtur, *in Chriſto Servatore noſtro, in quo ſaluto Eccleſiā, quæ eſt in Magneſia ad Mæandrinum* ea nodum ſic conſtringunt, vt explicari non queat. Fatetur vir ſummus Vſſerius; ſed negat mirandum hiulca hic, & alibi in Ignatianis occurrere, quod illa ſcriptor inter *militum cuſtodias feſtinanter effuderit*. Colorem fortaſſe admitterem, ſi in alia parte peccatum eſſet. Nunc quis non miretur in ipſa epiſtolæ inſcriptione, qua nihil eſt notius, vel magis obvium, peccatum eſſe, & ſic quidem vt ipſum illius Eccleſiæ, ad quam epiſtola ſcripta eſt, nomen ſuo loco ac caſu minime redderetur? Si feſtinabat; quid erat promptius, quam epiſtolas breviter præfixo ſuo nomine, iis ad quos ſcribebat cõmuniſſimo illius ſæculi more, deſtinare? Ita facilis, ita omnibus nota erat hæc inſcriptionum epiſtolicarum ratio, vt ne pueri quidem, etiam feſtinantes, peccare in ea potuerint. Hanc haud dubie auctor eſſet ſecutus, ſi tantopere *feſtinaſſet*; ſi inter milites ſcripſiſſet; neque ſe in has, quas maluit, ambages vltro miſiſſet; quæ ſunt otioſi & vacui hominis, non diſtricti, & animam inter militum cuſtodias ægre trahentis. Sed in hæc nimirum peccata ſcriptor non plane invitus incidit; dum per hæc a Paulo non aliena, etiam in inſcriptionibus, hiulca & hyperbata, Apoſtolicum ſe ſermonem egregie ſimulare putat. Id vero vel hinc etiam patet, quod nemo ex omni Chriſtianiſmi poſt Apoſtolos memoria reperitur, qui huiuſmodi inſcriptiones quales iſtius ſunt, ſuis epiſtolis præfixerit. Clementis ad Corinthios epiſtolam habemus Romanæ Eccleſiæ nomine ſcriptam. Huius inſcriptionem vide; *Dei* (inquit) *Eccleſia, quæ Romæ peregrinatur, Eccleſia Dei, quæ Corinthi diverſatur vocatis & ſanctificatis voluntate divina per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ρώμην τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ παροικούσῃ Κόρινθον, κλητοῖς ἡγιασμένοις ἐν θελήματι θεοῦ διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Extat & Polycarpi ſupremis (vt quidem volunt) Ignatii temporibus ad Philippenſes data epiſtola; cuius hæc iam a nobis ſupra recitata, inſcriptio eſt; *Polycarpus, & qui cum eo ſunt Presbyteri, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Philippis, miſericordia vobis & pax a Deo omnipotente, & Ieſu Chriſto Salvatore noſtro abundet.* Supereſt etiam magno Dei beneficio de hujus ipſius Polycarpi martyrio inſignis Smyrnenſium ad Philomelienſes vel vt legit Vſſerii codex, ad Philadelphienſes epiſtola, circa a. D. 169. data. Audi inſcriptionem; ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ ἐν φιλαδελφίᾳ, *-- καὶ πάσαις ταῖς κατὰ τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη, καὶ ἀγάπη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη. *Eccleſia Dei, quæ eſt apud Smyrnam Eccleſiæ Dei, quæ Philadelphiæ commoratur, & vniuerſis, quæ in locis ſunt, Eccleſiæ Catholicæ parœciis, miſericordia, pax, & amor a Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto multiplicetur.* Extat & paucis poſt annis data a noſtris Lugdunenſibus ad Aſianos fratres de Pothini, & Attali & aliorum martyriis plane eximia epiſtola; οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν τὴν αὐτὴν

τῆς ἀπο-

Vſſer. Not. in ep. ad Magn. init. p. 14.

Clem. ep. ad Cor. p. 1.

Edit. Smyrn. de Polyc. edit Vſſer. p. 13. Euſeb. L. 4. Hiſt. c. 15. * Euſeb. legit. οἱ φιλομηλίῳ.

apud Euſeb. Hiſt. L. 5. c. 1. p. 143. d.

τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς, εἰρήνη καὶ χάρις καὶ δόξα ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. *Servi Chriſti, qui apud Viennam & Lugdunum Galliæ degunt, fratribus per Aſiam & Phrygiam conſtitutis, qui eandem nobiſcum fidem, ac ſpem habent redemptionis, pax, & gratia, & gloria a Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Vides, quam ſimplices, quam breves, quamque claræ ſint epiſtolicæ Sanctorum illius memoriæ inſcriptiones; quam ab inani & lacinioſa Pſeudo-Ignatii noſtri pompa alienæ. Par quinque fuit ſequentium in his modeſtia, atque frugalitas; cuius luculentiſſimum habemus in Cypriani epiſtolis exemplum; quorum inſcriptionibus nihil ſimplicius vel abſolutius dici poteſt. *Cyprianus Presbyteris & Diaconibus Romæ conſiſtentibus S.* Item; *Cyprianus Moyſi & Maximo Presbyteris, & cæteris Confeſſoribus, dilectiſsimis fratribus, Salutem.* Item; *Cyprianus Cornelio fratri S.* (Is autem Cornelius erat Romanæ Eccleſiæ epiſcopus) Ita ipſe ad alios. Ita alii ad ipſum; *Cypriano Papæ Presbyteri, & Diaconi Romæ conſiſtentes; Salutem. Cornelius Cypriano fratri; Salutem. Firmilianus* (hic Cæſareæ in Cappadocia epiſcopus fuit) *Cypriano fratri in Domino, Salutem* Cætera exſcribere nihil neceſſe eſt. Eadem enim eſt cæterorum omnium Græcorum, ac Latinorum ratio. Vnus eſt Ignatii ſimulator, qui aliter ſcribat; quod ſatis per ſe demonſtrat non eſſe hunc veri nominis Ignatium. Nulla enim ratio eſt, cur hic tam diverſe a fratribus, & poſteris ſuis ſcriberet, ſoluſque in hoc epiſtolarum negotio ſeorſum e regione vniverſorum tabernacula, velut alter Iſmael, figeret. Sed & hinc illud quod diximus, apparet, iſtum, quiſquis eſt, epiſtolarum ſcriptorem ita epiſtolas illas ſuas perverſo Pauli imitandi conſilio inſcripſiſſe, vt hac cum eo falſa & inani ſimilitudine homo, quod cupiebat, Apoſtolicus eſſe videretur. Nam ſi nullo tali conſilio litteras ipſe ſuo non alieno nomine ſcripſiſſet, non dubito, quin eas communi ac vulgari ſui ſæculi more inſcripturus fuerit, id eſt breviter & paucis verbis, vt Smyrnenſes & Lugdunenſes, & diu poſt eos, Cyprianum, Cornelium & Firmilianum feciſſe videmus. Ille vero, cum quandam Ignatii imaginem in his adumbrare vellet & repræſentare, quo homines incautos falleret; quod vir ille fuiſſet & magnus, & antiquus, & Apoſtolicus, eius primo antiquitatem & magnitudinem ea verborum pompa, de qua diximus, ſimulare ſtuduit; tum Apoſtolicæ diſciplinæ Paulinis verbis, & phraſibus & epiſtolarum inſcriptionibus ſpeciem aliquam effingere conatus eſt; quæ quidem omnia, etſi poſteris, quod ille volebat, ſic impoſuerint, vt diu pro Ignatio & habitus fuerit & etiamnum habeatur; revera tamen huiuſmodi ſunt, quæ ſi penitius inſpiciantur, non obſcure prodant iſtum fuiſſe ſimulatorem & impoſtorem, & alienam perſonam gerere; adeoque neque verum Ignatium eſſe.

CAPVT XXX.

Cypr. ep 3. & 14. & 25. & 42.

ibid. ep. 31.

ibid. ep. 46.

ibid. ep. 75.

Gen. 16. 12.

Quod ſi Ignatius aliqua ſcripſit, eaque ad impoſtoris manus pervenerunt, non dubitamus, quin hic eius vt antiquitatem & communem Apoſtolicorum hominum formam, ita & proprium dicendi characte-

CAPVT XXVI.

rem, quantum ex ſcriptis haurire potuit, pro ſuo captu ſit imitatus, vt hominem totum ad vivum exprimeret. Sed hoc tamen an verum ſit, qui nulla habemus Ignatii certa & indubitata ſcripta, explorare ac perſpicere non poſſumus. Duo tantum tenemus egregia ſanctiſſimi Martyris dicta, quæ & iſtum videmus in ſuas epiſtolas ſtudioſe tranſtuliſſe.

Hier. in Catal. in Ign. Iren. L. 5. c. 18.

Prius eſt, quod ab Hieronymo accepimus, ab Irenæo quoque diu antea commemoratum, Ignatium, *cum iam damnatus eſſet ad beſtias ardore patiendi cum rugientes audiret leones, dixiſſe, Frumentum Chriſti ſum; Dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inveniar;* quæ & in Latinorum ſacris, feſto quotannis Ignatii die ita recitantur.

** Brev. Rom. d. 1. Eebr. Lect. 6. p. 845.*

Ign. ad Rom. p. 23.

* Hæc verba ſcriptor Martyrem facit, non quod ex libris vt nos, aut ex fama didicerat, Romæ præſentem audito leonum rugitu, *dicere*, ſed Smyrnæ abſentem ad Romanos *ſcribere*; *Sinite me* (inquit) *ferarum eſcam fieri, per quas licebit Deum adipiſci. Frumentum ſum Dei; dentibus beſtiarum molar, vt mundus panis Dei inveniar.* σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος Θεοῦ εὑρεθῶ. Hæc ita dici vt narrat Hieronymus, in re præſenti, ac pene in arena ipſa, cum jam dentibus beſtiarum eſſet laniandus, & ratio & ſenſus rectum & appoſitum judicat? Procul Roma Smyrnæ ſcribi, neſcio an ſit conſentaneum. Qui Smyrnæ adhuc erat beſtias ne viderat quidem, vel audiverat; neque in eo adhuc erat, vt ab iis diſcerperetur, & quod ipſe ait; *moleretur*. Abſurde ergo ſcriptor eum inducit hæc in præſenti tempore dicentem, *dentibus beſtiarum molor*, ἀλήθομαι. Dicendum erat *molar*, in futuro tempore, vel certe ita totus ſermo inſtituendus erat; *Frumentum ſum Dei. Sinite me beſtiarum eſcam fieri, earumque dentibus moli, vt panis mundus inveniar.* Nemo non videt plane ita ſcribendum fuiſſe Smyrnæ; non, quod iſte eum facit dicere; *Dentibus beſtiarum molor.* Mitto, quod parum ſit veriſimile Ignatium, ſi hæc Smyrnæ jam antea ad Romanos ſcriſipſſet, eadem ad eoſdem fuiſſe iterum dicturũ, cum aliquo poſt tempore in vrbem paſſurus venit.

Chryſ. Homil. in Ign. T. 1. edit. Pariſ p. 506. 2.

Alterum Ignatii de quo certi ſumus, dictum a Ioanne Chryſoſtomo habemus, narrante Martyrem moriturum, cum id ſibi ſupplicii genus eſſe ſubeundum audiviſſet, dixiſſet; ἐγὼ τῶν θηρίων ἐκείνων ὀναίμην. *Ego vero ô vtinam beſtiis illis fruar!* Hæc quoque noſter in ſuam ad Romanos epiſtolam tranſtulit; vbi ſuum Ignatium ita facit loqui; *Vtinam fruar beſtiis mihi paratis:* Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων.

Ign ad Rom. ed Gr Lat. p. 23

Neque hoc ſatis decore; quod quæ iam Smyrna ad Romanos ſcripſerat, parum ſit eum probabile eadem Romæ ad Romanos, ad quos erant ſcripta, iterum dixiſſe. At ex Chryſoſtomo certi ſumus hæc Romæ Ignatium ad Romanos præſentes dixiſſe. Parum ergo eſt, quod iſte fingit, probabile eadem jam ante eundem Smyrnæ conſiſtentem ad Romanos ſcripſiſſe. Ille vero non adeo accurate rem expendens, vtrumque dictum ſuis Ignatianis inſeruit; vt ex his duobus, homines, quæ certo ſcirent Ignatium olim dixiſſe, hunc argumentarentur ac crederent in cæteris quoque veracem eſſe; neque quiſquam fin-

xiſſe,

xiſſe. Fortaſſe & ex poſteriori dicto factum eſt, vt ſcriptor verbum ὀναίμην tam frequenter vt ſupra oſtendimus, vſurparet; quod præter Paulum Apoſtolum, eo etiam vſum eſſe ipſum Ignatium ſuum hinc intelligeret. Atque ex his quidem patet iſtum & Paulina & Ignatiana ſtudioſe, ſed vitioſe & perperam eſſe imitatum; quod eum alium fuiſſe quam Ignatium evidenter arguit. Eodem quoque conſilio, vt antiquus ſcilicet & Apoſtolici ævi videretur, idem ſcriptor illud ex Polycarpo de viduis ſumpſit, *cognoſcunt* (inquit) *ſe eſſe altaria Dei*; γινώσκουσας ὅτι εἰσὶ θυσιαστήρια Θεοῦ. Sic etiam noſter ad Tarſenſes, *viduas pudicas honorari* jubet, *vt altare Dei*. τὰς ἐν σεμνότητι χήρας, ὡς θυσιαστήριον Θεοῦ. Dictum eadem quoque de cauſa placuit Conſtitutionum conditori, Clementis nomen mentito, idque non ſemel eſt imitatus; *Sciat vidua ſe eſſe altare Dei*. γνωριζέτω ἡ χήρα, ὅτι θυσιαστήριον ἐστι Θεοῦ. Et, *Vidua pro eo precetur qui dedit, quicumque ille ſit, cum ſit ipſa ſanctum altare Chriſti*. ἅγιον θυσιαστήριον χριστοῦ ὑπάρχουσα.

CAPUT XXX.

Polyc. ad Philipp. p. 17.
Ign. ad Tarſ. p. 151.
Clem. Conſt. L. 3. c. 6. & L. 4. c. 4. Vid. & L. 2. c. 26.

CAPUT XXXI.

Argumentum adverſus Ignatiana LXVI. Idque vltimum. Quod ſcriptor eadem omnibus epiſtolis, & quidem interdum iiſdem, perpetuo βαττολογεῖ; *neque fere quicquam ſemel dicat. Quod a ſanctiſſimi Martyris ſapientia & gravitate alienum videtur.*

SEd neque illud Ignatium Epiſcopum, ætatis jam provectæ; & apud Apoſtolos educatum, decere videtur, quod iſte toties eadem præter viri gravis morem repetit, atque inculcat. Illa mitto, quæ dixi nuperrime, ὀναίμην & ἀντίψυχον, quæ vbique apud hunc occurrunt; & hæc item ſe minorem eſſe aliis, & indignum e Syrorum Chriſtianorum numero dici, ſe non eſſe aliquid, neque vt Apoſtolum præcipere, quibus ſuos Smyrnæos, Magneſianos, Trallianos, Romanos, Epheſios, Tarſenſes, Philadelphienſes, Antiochenos, & Philippenſes obtundit. Rara ſunt apud eum, quæ ſemel dicat. Scribit Magneſianis in ipſo epiſtolæ limine ſe eos vidiſſe *per Damam ipſorum Epiſcopum, & per presbyteros Baſſum & Apollonium, & Sotionem Diaconum*; quos illi ſcilicet ad hunc ſuo nomine viſendum miſerant. ἠξιώθην ἰδεῖν ὑμᾶς διὰ Δαμᾶ τοῦ ἀξιοθέου ὑμῶν ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρων ἀξίων Βάσσου καὶ Ἀπολλωνίου, καὶ τοῦ συνδούλου μου διακόνου Σωτίωνος. Id ipſum paulo poſt iiſdem quaſi hoc non ſatis intellexiſſent, iterum narrat; *In ijs perſonis, quos commemoravi omnem* (inquit) *multitudinem fidelium contemplatus ſum in fide & caritate*. ἐν τοῖς προγεγραμμένοις προσώποις τὸ πᾶν πλῆθος ἐθεώρησα ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ. Hoc ſibi falſe & belle viſus eſt dixiſſe; Non ſibi temperavit, quin & Trallianis occineret; Ab his Smyrnam ad ſe, viſendi & gratulandi cauſa veniſſe narrat Polybium Epiſcopum; *In eo* (inquit) *vniverſam multitudinem veſtram contem-*

Ign. ad Magn. ed. gr. Lat. p. 10. extr.
ibid. p. 12 init.
id ad Trall. ibid. p. 16.

CAPUT XXXI.

platus ſum. οὕτως μοι συνεχάρη δεδεμένῳ ἐν Ἰησοῦ χριστῷ, ὥστε με τὸ πᾶν πλῆθος ὑμῶν ἐν αὐτῷ θεωρῆσαι. Neq; hoc Epheſiis ſuis invidit. *Plurimam* (inquit) *multitudinē veſtrā in nomine Dei ſuſcepi in Oneſimo, qui in caritate inenarrabilis eſt, veſter autem in carne epiſcopus.* τὴν πολυπλήθειαν ὑμῶν ἐν ὀνόματι θεοῦ ἀπείληφα ἐν Ονησίμῳ, τῷ ἐν ἀγάπῃ ἀδιηγήτῳ, ὑμῶν δὲ ἐν σαρκὶ ἐπισκόπῳ. Magneſianos hortatus, vt a Iudaizantiū fermēto caverent; negat ſe hęc ideo ſcripſiſſe; *quod cognoviſſet aliquos ex iis ſic habentes*; ταῦτα δὲ ἀγαπητοί μου, οὐκ ἐπεὶ ἔγνων τινὰς ἐξ ὑμῶν οὕτως ἔχοντας. Trallianis eadem; cum juſſiſſet ab aliena herba, id eſt hæreſi recedere, neque ſine Epiſcopo, Presbytero, & Diacono quicquam operari; *Non quia* (inquit) *cognovi tale quid in vobis.* οὐκ ἐπεὶ ἔγνων τοιοῦτόν τι ἐν ὑμῖν. Eadem ſuis quoque Philadelphienſibus. Nam & his cum præcepiſſet *ab herbis noxiis abſtinere, quas Ieſus Chriſtus non excolit*; *Nō quod apud vos* (inquit) *diviſionem invenerim.* οὐχ ὅτι παρ' ὑμῖν μερισμὸν εὗρον. Eadem denique Antiochenis; *Hæc ſcribo vobis* (inquit) *ô Chriſti novella oliva, non quod conſcius ſim vos eiuſmodi ſentire, ſed vt præmuniam vos.* ταῦτα γράφω ὑμῖν ὦ τοῦ Χριστοῦ νεολαία, οὐ συνειδὼς ὑμῖν τὸ τοιοῦτο φρόνημα, ἀλλὰ προφυλάττεσθαι ὑμᾶς. Dixerat in ea, quæ eſt ad Epheſios, eorum presbyterium, *ita coaptatum eſſe Epiſcopo, vt citharæ chordas.* τὸ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τοῦ θεοῦ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. Placuit imago; Eam ergo & Philadelphienſibus in alio argumento repoſuit; Dixit eorum Epiſcopum ſic *eſſe mandatis coaptatum, vt chordis citharam.* συνευρύθμισται ταῖς ἐντολαῖς (inquit) ὡς χορδαῖς κιθάρα. Epheſios monuerat Epiſcopum *tacentem eo magis timendum.* ὅσῳ βλέπει τις σιγῶντα ἐπίσκοπον, πλειόνως αὐτὸν φοβείσθω. Rem dignam putavit, cuius ſimile quid de Philadelphienſium Epiſcopo diceret; *Silens* (inquit) *plus poteſt, quam qui vana loquuntur.* Σιγῶν πλείονα δύναται τῶν μάταια λαλούντων. Idem in epiſtola ad Smyrnæos; *Diaconos* (inquit) *revereamini, vt Dei mandatum.* τοὺς διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς θεοῦ ἐντολήν. Et ad Trallianos itidem (ſi Latino quidem veteri ab Vſſerio edito interpreti credimus) *Similiter & omnes revereantur Diaconos, vt mandatum Ieſu Chriſti.* Quin & hac comparatione ita eſt delectatus, vt eam etiam de epiſcopis loquens vſurpaverit. *Valete in Domino Ieſu, ſubiecti Epiſcopo, vt Dei mandato.* ἔρρωσθε ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς τῇ ἐντολῇ. cuius & illud ſimile eſt, quod de presbyteris alibi ſcribit, Sotionem Diaconum presbyterio, *vt legi Ieſu Chriſti fuiſſe ſubditum.* ὑποτάσσεται (inquit) τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς νόμῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Sed ille quidem ſua hæc adeo ſine rivali amavit, vt non modo aliorum nemo ſic locutus ſit, ſed ne ipſe quidem eius interpolator hanc phraſin ferre potuerit; neque ſane ſine cauſſa. Quis enim non ſentit hoc eſſe dictu abſurdum & abſonum, vel *diaconum*, vel *epiſcopum*, *vt mandatum Dei, eſſe reverendum?* Itaque interpolator hæc in vlgatis, Græcis Latiniſque (hæc enim eius ſunt) haud quaquam ſtulte ſiquid judico, ita mutanda cenſuit; *Diaconos veneramini, ſicut mandato Dei miniſtrantes.* τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς θεοῦ ἐντολὴν διακονοῦντας. Quod nemo

Id. ad. Epheſ. — *id. ad Magneſ. p. 14.* — *id. ad Trall. p. 18.* — *id. ad Philad. p. 8.* — *id ad Antioc vulg.* — *id. ad Eph. p. 3.* — *id. ad Philad. p. 27.* — *id. ad Epheſ. p. 4. init.* — *Id. ad Phil. p. 27.* — *id. ad Smyrn. p. 39.* — *id. ad Trall. in edit. lat. Vſſer. p. 207* — *id. ibid ep extr. p. 210. & Gr. Lat. p. 20.* — *Id. ad Magn. p. 11. init.* — *Ign. Vulg. ad Smyrn. p. 117.*

nemo negaverit multo eſſe melius & concinnius, quam durum illud, CAPVT XXXI.
quod ſcriptor poſuerat, *Diaconos reveremini, vt Dei mandatum.* Ea-
dem in epiſtola ad Tarſenſes plane penituſque ſic reſecuit, vt eorum v-
troque illo loco quo apud veterem Viſerianum interpretem Latinum *Vid Ign. Vulg. in epiſt. ad Trall p 66. & 80.*
extabant, nullum in vulgatis appareat veſtigium. Epiſcoporum vero,
debitæque iis obedientiæ, ac ſubjectionis apud hunc omnia plena ſunt.
Ad Epheſios, *dicere* [a] *eos in vna ſubjectione perfectos eſſe, ſubjectos epiſco-* a *Ign ad Eph. Vij p.196.*
po & presbyterio ſecundum omnia eſſe; & ſtatim *decere eos concurrere*
Epiſcopi ſententiæ; [b] & mox; [c] *Feſtinemus* (inquit) *non reſiſtere Epiſco-* b *ibid.* c *ibid.*
po, vt ſimus Deo ſubiecti; Et pauculis interjectis; [d] *Epiſcopum* (inquit) d *ibid.*
manifeſtum, quoniam vt ipſum Dominum oportet reſpicere; Neque hæc
ei ſatis fuerunt. Antequam epiſtolam claudat, jubet [e] *eos obedire Epiſ-* e *ibid. p.201.*
copo & presbyterio indiſcerpta mente. Ad Magneſios, Sotionem Diaco-
num initio laudat. Cur? [f] *Quoniam* (inquit) *ſubiectus eſt Epiſcopo, vt* f *id. ad Magn. p.204.*
gratia Dei, & presbyterio, vt legi Ieſu Chriſti. Tum; [g] *Decet vos* (inquit) g *ibid p.2.20*
non concuti ætate Epiſcopi, ſed ſecundum virtutem Dei Patris omnem
reverentiam ei tribuere; & ſtatim, [h] *In honorem* (inquit) *Chriſti volen-* h *ibid p.203.*
tis nos decens eſt obedire ſecundum nullam hypocriſin; *quia nequaquam*
Epiſcopum hunc conſpectum ſeducit quis, ſed inviſibilem paralogizat. Hinc
eos culpat, qui Chriſtiani, vocantur quidem, ſed non ſunt. Si quæris cur i *ibid.*
tam atrociter eos damnet, [i] quia (inquit) *Epiſcopum quidem vocant,*
ſine ipſo autem omnia operantur, Et vix paucis interiectis verſiculis, iiſ- k *ibid.*
dem ſuos Magneſios obtundit; [k] *Moneo* (inquit) *in concordia Dei*
ſtudere omnia operari; præſidente Epiſcopo in loco Dei, & presbyteris in
loco confeſſionis Apoſtolorum, & Diaconis mihi dulciſſimis habentibus
creditam miniſtrationem Ieſu Chriſti; & poſt quatuor, non plures, ver- l *ibid.*
ſiculos; [l] *Nihil ſit in vobis, quod poſſit vos partiri, ſed vnanimi Epiſcopo,*
& præſidentibus (iis qui præſident) *in typum & doctrinam incorruptio-*
nis. Ac veluti nihil adhuc de iſtis dixerit, ecce ſtatim rem totam de in- m *ibid. p.extr. & p.204.*
tegro repetit; [m] *Quemadmodum* (inquit) *Dominus ſine Patre nihil fecit,*
vnitus exiſtens, neque per ſe ipſum, neque per Apoſtolos; ſic neque vos ſi-
ne Epiſcopo & presbyteris aliquid operemini. Necdum tamen finis; *Sub-* n *ibid. p.203.*
iicimini (inquit paulo ante concluſionem epiſtolæ) [n] *Epiſcopo & ad*
invicem, vt Criſtus Patri ſecundum carnem, & Apoſtoli Chriſto, & Pa-
tri & ſpiritui, vt vnio ſit carnalis & ſpiritualis. Neque ſegnius aut par- o *Id. ep. ad Trall. p.207.*
cius Tralleſiis & eadem occinit; [o] eos *cum epiſcopo ſubiecti ſunt vide-*
ri non ſecundum homines viventes, ſed ſecundum Ieſum Chriſtum. Neceſ-
ſarium igitur eſt (inquit) *quemadmodum facitis, ſine Epiſcopo nihil ope-*
rari vos; ſed ſubiici & presbyterio, vt Apoſtolis Ieſu Chriſti; & poſt octo p *ibid.*
vinculos; [p] *Similiter & omnes revereantur Diaconos, vt mandatum Ie-*
ſu Chriſti, & Epiſcopum, & Ieſum Chriſtum, exiſtentem Filium Patris,
Presbyteros autem, vt conſilium Dei, & coniunctionem Apoſtolorum. Si-
ne his Eccleſia non vocatur. Et pauca contra hæreticos interfatus, iu- q *ibid. p. 208.*
bet [q] eos *eſſe inſeparabiles a Deo Ieſu Chriſto, & Epiſcopo, & ordini-*

bus

Caput XXVI. *bus Apoſtolorum*, & negat *mundum eſſe in conſcientia, qui ſine Epiſcopo, & Presbytero & Diacono aliquid operatur*. Et poſt multa, veluti veritus ne hæc ſui Tralleſii obliti eſſent, [r] *Decet vos* (inquit) *ſingulos, præcipue & presbyteros, refrigerare Epiſcopum, in honorem Patris, Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum.* Sed ne huic epiſtolæ ſuum deeſſet ſignaculum, ecce in ipſa eius clauſula ſuum illud ſolenne ingeminat, [s] *Valete in Ieſu Chriſto, ſubiecti Epiſcopo, at Dei mandato; ſimiliter & presbyterio.* Philadelphienſes iiſdem quoque præceptis eadem cum diligentia imbuit; ſanciens inprimis [t] *vnam eſſe carnem Chriſti, & vnum calicem, vnum altare, & vnum Epiſcopum cum Presbyterio & Diaconis*; Et, [v] *Clamavi* (inquit) *in intermedio exiſtens; Locutus ſum magna voce, Dei voce, Epiſcopo attendite, & Presbyterio & Diaconis.* Ac veluti Spiritu Dei actus, [x] *Spiritus* (inquit) *prædicavit dicens hæc; ſine Epiſcopo nihil faciatis.* Denique eadem ad Smyrnæos luculentiſſime; [y] *Omnes* (inquit) *Epiſcopum ſequimini; vt Ieſus Chriſtus Patrem, & presbyterium vt Apoſtolos; Diaconos autem revereamini, vt Dei mandatum. Nullus ſine Epiſcopo aliquid operetur eorum, quæ conueniunt in Eccleſiam.* Et, [z] *Vbi vtique apparet Epiſcopus, illic multitudo ſit; quemadmodum vtique vbi eſt Chriſtus Ieſus, illic Catholica Eccleſia. Non licitum eſt ſine Epiſcopo, neque baptizare, neque agapen facere.* Tum ſtatim, *Honorans Epiſcopum* [a] *Deo honoratus eſt. Qui occultans ab Epiſcopo aliquid operatur, Diabolo præſtat obſequium.* Hæc ex Vſſerianis epiſtolis; quæ in Voſſianis quoque omnia extant, In vulgatis vero eadem & iiſdem locis auctiora, & in additiis epiſtolis ſimiliter paſſim ac pæne vbique ad faſtidium repetita & inculcata reperiuntur. Sed hæc quæ nos deſcripſimus, ſatis ſunt. Iam iſta nō modo in diverſis epiſtolis, ſed in vna eadēque toties, vt exhibuimus, repetita, neſcio quis ferre poſſit. Mitto, quæ de Gnoſticis, Ebionis, Nicolaitis & aliis in omnibus pæne non modo diverſis, ſed etiam (quod plane eſt intolerabile) iiſdem interdum epiſtolis eadem aſſidue garrit, quod ea in ſuperioribus ſatis ſint tractata. Satis eſt monuiſſe vix vllum poſt natum Chriſtianorum genus ſcriptorem, extitiſſe hoc noſtro moleſtiorem, qui eandem vbique cantilenam κοκκύζειν ſine fine ac ſine modo non deſinit. Hunc ergo cave eum, cuius nomen mentitur, fuiſſe putes Ignatium; virum, quod omnes conſentiunt, ſanctiſſimum atque graviſſimum; adeoque ab his, vel nugatorum, vel certe impoſtorum propriis battologiis & repetitionibus haud dubie alienum.

r ibid. p. 209.
s ibid. p. 210.
t id. ad Phil. p. 213.
u ibid. p. 216.
x ibid.
y id. ad Smyr. p. 221.
z ibid.
a ibid.

Caput

CAPVT XXXII.

CAPVT XXXII.

Solvuntur argumenta diſſentientium. Solvitur Argumentum pro ignatianis I. a Polycarpi teſtimonio petitum. Oſtenditur verba allata, & Polycarpo ſubdita atque afficta eſſe, neque ſi vere Polycarpi eſſent, Ignatiana iſta quæ hodie circumferuntur, quicquam juvare. Refelluntur ſigillatim quatuor doctiſſimi Hammondi ex ijs conſectaria.

ATque hæc quidem ſunt, quæ nos de epiſtolis, quæ Ignatii nomine vulgo circumferuntur, diſputanda habuimus. Nunc ſequitur, vt eorum, qui veras, & Martyris, cuius nomen præferunt, genuinas germanaſque eſſe putant, argumenta expendamus, & quo ad a nobis quidem fieri poterit, ſolvamus.

Plurimis illis inprimis in ore eſt Polycarpi in extrema ad Philippenſes epiſtola locus ab ipſo jampridem Euſebio ad hanc rem laudatus, ac deſcriptus. *Scripſiſtis mihi* (inquit) *& vos, & Ignatius, vt ſiquis vadit ad Syriam, deferat litteras meas, quas fecero ad vos; ſi habuerimus tempus opportunum ſive ego, ſeu legatus, quem miſero pro vobis. Epiſtolas ſane Ignatij, quæ tranſmiſſæ ſunt vobis* ab eo, & alias quantaſcumque apud nos habuimus, tranſmiſimus vobis (ſecundum quod mandaſtis) quæ ſunt ſubiectæ huic epiſtolæ; ex quibus magnus vobis erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum noſtrum pertinentem.* Hæc Polycarpus, vt quidem habet Latina editio vetus. Græca ab iis in paucis quibuſdam diverſa exhibuit Euſebius; Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα. ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγώ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε· αἵτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ· ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε· περιέχουσι γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομονήν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. His in codice Latino, iſta ſubjiciuntur, quæ apud Euſebium, quidem deſunt, ſed a Photio tamen ita memorantur, vt ea etiam in Græcis libris olim extitiſſe planum ſit; *Et de ipſo* (inquit) *Ignatio, & de his, qui cum eo ſunt, quod certius agnoveritis, ſignificate.* Photius de hac Polycarpi epiſtola; ἀπαιτεῖται ἀντιδιδαχθῆναι παρ' αὐτῶν, εἴ τι περὶ ἐκείνου δικαιοῦσιν. *Petit ab illis, ſiquid de eo* (Ignatio) *inaudierint, edoceri.* Omnes Ignatiani diſertiſſimum hoc eſſe clamant ſanctiſſimi viri, ac ipſius Martyris συγχρόνου, pro ſuis epiſtolis teſtimonium; Et Doctiſſimus Hammondus, quo res tota dilucidior ſit, quatuor quædam ex verbis deſcriptis colligit. *Primo Polycarpum epiſtolas Ignatij aliquas multas penes ſe habuiſſe, quas ſibi communicandas rogaverant Philippenſes, quaſque*

Polyc ad Philipp. p. 23.

* *Gr. nobis quod mollius.*

Euſeb Hiſt. & 3. c. 36. extr.

* al. ἡμῶν, *quod præfero Vſſer. Not. 8.*

Phot. Biblioth. Cod. 126.

Hamm. Diſſer. 2. c. 24 § 7. 8. 10.

CAPVT XXXII.

epiſtolæ ſuæ ad Philippenſes miſſæ ſubiungendas curavit Polycarpus. 2°. Hoc ipſum vivo adhuc & valente, ſed ad vltimum iam ἀτλήσεως actum feſtinante Ignatio factum eſſe. Nec igitur poſt Ignatij ex vivis exceſſum ei affictas epiſtolas eas, quæ a Polycarpo mittuntur. 3°. Ab his epiſtolis legationis Eccleſiarum ad Antiochenos mittendæ mentionem factam eſſe, iuxta illud, quod in ea ad Polycarpum, & ad Smyrnenſes, & in alijs fere ſingulis hodie legimus. 4°. In epiſtolis illis multa, quæ ad fidem, & perſeverantiam, id eſt ad ὀρτοδοξίαν, ſeu veram Chriſti doctrinam contra fraudes & terrores Gnoſticorum tuendam, ſimulque omnem in Chriſto ædificationem plurimum profutura erant, comprehenſa eſſe. Quæ cum Epiſtolis his, quibus jam ſub Polycarpianæ Sylloges nomine vtitur, optime competant; non dubitamus; hoc Polycarpi teſtimonium appoſitiſſime ad rem noſtram adductum eſſe; cui vnico ſi fides adhibeatur, rem omnem confectam putavimus. Hactenus doctiſſimus Hammondus. Ego vero longe aliter ſentio. Nam & quædam obſtare cerno, quominus *illi teſtimonio fides adhibeatur*; neque, ſi ei fidem adhibeamus, ideo rem omnem confectam eſſe puto. Ac teſtimonii quidem imprimis quominus certa & indubitata ſit fides duo quædam nequaquam contemnenda prohibent; prius quidē, quod ejus epiſtolę, ex qua deſcriptum eſt teſtimonium non ſit apud omnes recepta auctoritas; Sunt enim ſcriptores, & ii quidē graviſſimi, qui eam apocrypham eſſe judicant, & in apochryphorum cenſu reponunt. Nicephorus, Patriarcha C P. in Indice Apocryphorum Novi Teſtamenti, *Ignatij, Polycarpi, Paſtoris & Hermæ libri* vel ſcripta, Ἰγνατίου Πολυκάρπου, Ποιμένος, καὶ Ἑρμᾶ. Anaſtaſius, Bibliothecarius Romanus eadem habet in Indice, quem Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ præfixit; quæ niſi eadem cum Nicephoro de his epiſtolis ſenſiſſet, non videtur fuiſſe ſine aliqua cenſura vel animadverſione dimiſſuros. Quæ autem ad hunc Nicephori locum de vocabuli *apocryphorum* ſenſu alibi repoſuit doctiſſimus Hammondus, ea nos ſupra; cum de ipſo Ignatio ageremus, abunde diſcuſſimus. Certe quos hic libros apocryphos ſignificet Nicephorus, res ipſa per ſe oſtendit. Non enim alios in hoc indice cenſet quam Petri, Thomæ, & Ioannis Itineraria, Evangelium Thomæ, Clementis libros 32. id eſt vt opinor, Recognitionum libros, Petri & Appionis dialogiſmos, & ſiqua eſſent alia ejuſdem furfuris Clementina, ac denique Doctrinam Apoſtolorum; quibus omnibus illa, quæ attulimus, de Ignatii, Polycarpi & Hermę ſcriptis, continenter ſubjicit. Illa autem priora quin fuerint omnia ex deterrimo apocryphorum genere nemo dubitat. Eodem ergo cum iis loco ac numero hæc quæ cum iis cenſet, habuiſſe Nicephorum, planum eſt. Itaque vt ſiquis aliquid ex Itinerario Thomæ, vel ex Clementis Recognitionibus ad fidem de re aliqua primis illis temporibus geſta faciendam afferret, is nihil efficeret; quod eos libros conſtet eſſe apocryphos, figmentiſque & fabulis plenos; ita neque viri doctiſſimi hæc ex Polycarpo pro ſuis Ignatianis deſcribentes, quicquam apud Nicephorum pro-

Niceph. Patr. Ind. Libr. N. T. Apocr. num. 7. p. 420.

MOVE-

moverent, qui ſcilicet vtraque & Ignatiana & Polycarpiana apocrypha falſaque & fictitia eſſe cenſet. Nicephori autem, & Patriarchæ primarij, & ſcriptoris, annis circiter octingentis nobis, noſtriſque vetuſtioris, de his libris judicium, Hammondi, tametſi viri eruditiſſimi, & aliorum ævi noſtri ſententiæ præferre, nulla credo invidia eſt. Huc accedit, quod etiamſi ſuperiora hujus Polycarpianæ epiſtolæ omnia vera, ac ſincera eſſe concederemus, & pro genuino viri, cujus nomen præferunt, fœtu haberemus; ſupereſſet nihilominus magna ratio dubitandi de ea, quæ objicitur, poſtrema epiſtolæ particula. Illa enim videtur poſt concluſam ab auctore verbis proxime præcedentibus epiſtolam addita, quæ votum pro Philippenſibus hoc continent; *Deus autem & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ipſe ſempiternus Pontifex, Dei Filius, Ieſus Chriſtus ædificet vos in fide & veritate, & in omni manſuetudine, & ſine iracundia, & in patientia & in longanimitate, & tolerantia, & caſtitate, & det vobis ſortem, & partem inter ſanctos ſuos, & nobis vobiſcum, & omnibus qui ſunt ſub cœlo qui credituri ſunt in Dominum noſtrum Ieſum* Chriſtum, *& in ipſius Patrem, qui reſuſcitavit eum a mortuis. Pro omnibus ſanctis orate. Orate etiam pro Regibus, & Poteſtatibus, & Principibus, atque pro perſequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis; vt fructus veſter manifeſtus ſit in omnibus; vt ſitis in illo perfecti.* In hanc decentiſſimam, vt omnes vident, clauſulam deſinebat epiſtola. Quæ ſequuntur; *Scripſiſtis mihi & vos & Ignatius,* & cætera paulo ante a nobis deſcripta, iſtis minime cohærent, omninoque videntur temere & præter auctoris mentem aliena manu aſſuta; Siquid ab auctore præter illa ſuperiora additum fuiſſe credendum eſt, illa poſtrema, quæ poſt locum objectum ſequuntur, addita fuiſſe crediderim, nimirum iſta; *Hæc vobis ſcripſi per Creſcentem, quem in præſenti commendavi vobis, & nunc commendo. Converſatus eſt enim nobiſcum inculpabiliter; credo, quia & vobiſcum ſimiliter. Sororem autem eius habebitis commendatam, cum venerit ad uos. Incolumes eſtote in Domino Ieſu Chriſto in gratia cum omnibus vobis. Amen.* Ita expunctis iis omnibus, quæ de Ignatio, deque Ignatianis epiſtolis, abſurde & præter manifeſtam orationis ſeriem inſerta atque inſulta ſunt, decenter & conſentanee ſe habebit tota epiſtolæ clauſula; Nihil neque hiulcum, neque obruptum erit. Sed & aliud eſt multo gravius, quod hanc de Ignatianis particulam non auctoris, ſed alicujus alterius eſſe arguit. Hic enim quiſquis eſt, de Ignatio ita loquitur, vt eum quo tempore hæc ſcribebat, adhuc ſupereſſe ſignificet. *De ipſo* (inquit) *Ignatio, & de his qui cum eo ſunt; quod certius agnoveritis, ſignificate.* Et confitentem habemus doctiſſimum Hammondum, qui hinc colligit, epiſtolam ſcriptam eſſe, *quo tempore Ignatius ad* τελείωσιν *ſuam feſtinabat*, & mox illam Ignatianorum memoratam in verbis objectis Syllogen ad Philippenſes eſſe miſſam *vivo adhuc & valente, ſed ad vltimum jam ἀτλήσεως actum feſtinante Ignatio.* Ita quidem objectæ illius particulæ ſcriptor. At epiſtolæ auctor plane alia loquitur;

CAPUT XXXII.

Hamm. Diſſ. 2. c. 24. §. 4. extr. 16. §. 8.

CAPVT XXXII.

Polyc. ad Philipp. p. 22. 2

apertiſſime affirmans Ignatium, quo tempore ipſe ad Philippenſes ſcribebat, jam fuiſſe τετελειωμένον, vltimoque ἀθλήσεως actu glorioſe perfunctum. Res clara eſt. Hortatus enim Philippenſes *ad illam iuſtitiam, atque patientiam*, quam *oculata fide*, κατ' ὀφθαλμοὺς viderant, *non ſolum in beatis Ignatio, & Zoſimo, & Ruffo*, ſed & in quibuſdã de ſuo grege *alijs, & in ipſo Paulo & cæteris Apoſtolis*, hęc inquã ita præfatus, iſta deinceps continenter de iiſdem ſubjicit, *confidentes, quia HI OMNES non in vacuo concurrerunt, ſed in fide & iuſtitia, & ad debitum ſibi locum a* (vel *cum*) *Domino, qui & compaſſi ſunt*, objerunt. πεπεισμένοι ὅτι οὗτοι πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον· ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δικαιοσύνῃ. καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ τῷ κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον. *Hos omnes*, τούτους πάντας (eos omnes ſcilicet, de quibus erat locutus) eo quo epiſtolam ſcribebat tempore, jam *cucurriſſe*, jam *cum Domino paſſos eſſe*; jam *ad debitum ſibi apud Dominum locum abijſſe*, & in eo jam *eſſe* diſerte dicit. Horum autem, de quibus erat loquutus, *Ignatius*, vt liquet, vnus fuit. Ergo Ignatium ille, quo tempore hæc ſcripſit, ſciebat non, quod ait doctiſſimus Hammondus, *vivere adhuc & valere*, ſed jam *paſſum eſſe*, & ἀθλήσεως ſuæ omnes actus conſummaviſſe, non ad ejus ſuprema *feſtinare*; denique jam coronatum ſuo apud Dominum loco quieſcere, ac exultare, neque amplius in his terris morari; vt nihil ſit, quod vel ipſe, vel Philippenſes de eo, ac de his, qui cum eo ſunt, ſolliciti eſſe debeant. Ex his ſole merediano clarius eſt diverſos eſſe homines, qui eadem de re tam diſſentanea, tamque inter ſe contraria ac repugnantia loquuntur. Particulę ſuſpectę auctor putat Ignatium adhuc *supereſſe vivere valere ad* τελείωσιν, *ad vltimum certaminis actum feſtinare*; eo ſe cupit ſiquid de illo Philippenſes inaudiverint, fieri certiorem. Epiſtolæ vero ſcriptor & vna cum eo Philippenſes ad quos ſcribit, ſciunt, certumque ac perſuaſum habent Ignatium *abiviſſe ad Dominum, apud Dominum eſſe*, pro *eo paſſum eſſe, curſu non in vanum, ſed in fide & iuſtitia confecto*. Alius ergo eſt particulę ſcriptor; alius epiſtolæ auctor. Obſecro tuam fidem, nonne hoc bellum eſt, qui Philippenſes ſcripſit *perſuaſos eſſe ac confidere*, quod Ignatius curſu rite conſummato ad locum ſuum apud Dominum abiit; eundem ſtatim eoſdem rogare, ſiquid de Ignatio & his qui cum eo ſunt, inaudierint, vt ſe de his faciant certiorem? Fieri profecto non poteſt, vt vtrumque homo idem ſcripſerit, cui cerebrum quidem ſanum eſſet; omnium vero minime Polycarpus vir ſapientiſſimus ac veraciſſimus. Illam ergo omnem particulam, in qua hæc cum ſuperioribus epiſtolæ verbis tantopere pugnantia leguntur; plane fatendum eſt alterius quam auctoris epiſtolæ manu ſcriptam eſſe; eamque falſo ac vafre epiſtolæ eſſe aſſutam ab aliquo impoſtore. Neque is longe vt ego quidem arbitror, quærendus eſt. Is enim proculdubio ille ipſe eſt, quem nos hactenus Ignatii nomen mentitum epiſtolas ſanctiſſimo Martyri a ſe confictas ſubdidiſſe pluribus, iiſque manifeſtis documentis, demonſtravimus. Is vt facilius fallere, difficilius autem argui, ac revinci poſſet,

a Poly-

a Polycarpo ſanctiſſimo, antiquiſſimo, & Ignatii ſui συγχρόνῳ viro, præſidium ſuis mendaciis petendum putavit. Epiſtolam, quæ ejus nomine extabat, magnæque erat apud noſtrorum vetuſtiſſimos famæ, arripuit; eique ad calcem illa omnia de ſuo adjecit, quæ & Euſebio olim, & poſtea pleriſque omnibus, etiam nuper doctiſſimis viris Vſſerio, & Hammondo impoſuerunt. Neque ipſis mirum videri debet, vnum olim primis ſæculis impoſtorem hæc pauca Polycarpi epiſtolæ inſerere auſum eſſe, qui ſciunt ac fatentur alterum quemdam ſecutis temporibus longe plura ſui Ignatii, non vni, ſed pluribus, ac pæne omnibus epiſtolis de ſuo ita adjeciſſe, ac infulſiſſe, vt niſi ſincerius prioris impoſtoris exemplar Vſſerius & Voſſius nacti eſſent, nulla plane ſpes ſupereſſet interpolatoris aliena a veris ſcriptoris internoſcendi, ac ſecernendi. Atque hanc omnino cauſam fuiſſe ſuſpicor, cur Nicephorus tam triſtem de Polycarpi epiſtola veluti apocrypha, ſententiam tulerit; quod illa ſcilicet quæ de Ignatio & de Ignatianis in epiſtolæ calce adjecta legebat, falſa eſſe crederet. His enim exceptis, nihil in epiſtola videtur occurrere, quod vel quemquam offendere, vel Polycarpo indignum cenſeri debeat. Et ſi hæc ab impoſtore ſubdita configantur, cætera Photii, vnius ex Nicephori ſucceſſoribus, eruditiſſimi ſcriptoris, judicio congruunt; *Lecta eſt* (inquii) *Polycarpi epiſtola ad Philippenſes multis referta admonitionibus, cum perſpicuitate, & ſimplicitate, juxta Eccleſiaſticæ interpretationis * formam.* Ἀνεγνώσθη Πολυκάρπου ἐπιστολὴ πρὸς φιλιππησίους, γέμουσα πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος: κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν τῆς ἑρμηνείας τύπον. Ex his liquet & illa quatuor a doctiſſimo Hammondo magna nequicquam diligentia collecta corollaria in auras, & ventos abire, neque ad conſtituenda Ignatiana hilum valere; & abſque vllius, nedum *ſummæ, imprudentiæ ac temeritatis nota concedi* poſſe *nullam vnquam Ignatianarum epiſtolarum collectionem genuinam ac ſinceram apud antiquos extitiſſe*; contra quam ſentiebat optimus ac reverendiſſimus Vſſerius. Cum enim hanc Polycarpianæ epiſtolæ particulam, in qua de illa collectione fit mentio, totam ab auctore illius epiſtolæ alienam, falſamque & ei ab aliquo impoſtore ſubditam ex ſuperioribus pateat; nunc profecto nullum, vt mihi videtur, crimen eſt eas epiſtolas non eſſe a Polycarpo collectas concedere, quas in hac ad Philippenſes epiſtola, non ipſe, ſed neſcio quis alius collectas eſſe de ſuo ſcripſit. Atque hæc quidem mea eſt de obiecto nobis ex Polycarpi epiſtola loco ſententia; quam nullo cauſſę ſtudio, ſed vnius veritatis amore ſequi me profiteor. Nam ſi ſola Ignatianorum auctoritas agatur, equidem (quod iam dixi) non puto tantam eſſe huius teſtimonii vim, (etiamſi id Polycarpi vere eſſe conſtaret) vt res ideo confecta videri debeat. Argumenta, quibus hæc Ignatiana notha eſſe oſtendimus, firmiora ac validiora ſunt, quam vt tantillo paucarum vocularum momento diſcuti ac diſjici poſſint. Fac enim iſta, quæ abjecta ſunt, omnia ſcripſiſſe Polycarpum (quod nos fieri non potuiſſe demonſtravimus) non ideo tamen conſequens

CAPVT XXXII.

Phot. Bibl. Cod. 126.

* *fort. elocu-*

Vſſer. Proleg. ad Ign. c. 3. *p.* 12.

CAPVT XXXII. eſſe concedemus, vt non ſint illa, de quibus lis eſt, ſpuria, & aliena manu Ignatio ſubdita; quod eſt a nobis ſuperiori omni diſputatione apertiſſime conſtitutum. Sed ex his tamen (inquit doctiſſimus Hammondus) colligo habuiſſe Polycarpum aliquot ab Ignatio vere ſcriptas, non ab aliis poſt Martyris mortem confictas epiſtolas; eaſque ad Philippenſes miſiſſe; & in iis epiſtolis tum legationis ad Antiochenos mittendæ mentionem, tum alia quædam fuiſſe ad fidem & ædificationem vtilia. Eſto; inquam. Quid tum fiet? Fiet (inquit) epiſtolas ſcripſiſſe Ignatium. Quaſi vero quiſquam vſque adeo ſtultus ſit; vt neget ampliſſimæ civitatis Epiſcopum, ad hæc Apoſtolorum diſcipulum, vllas vel ſcribere potuiſſe, vel etiam revera ſcripſiſſe, ſive ad Polycarpum, ſive ad Philippenſes, ſive ad alios litteras? Atqui non illud quæritur, an Ignatius epiſtolas aliquas ſcripſerit; (incredibile eſt hujuſmodi virum nullas ſcripſiſſe; neque ſcripſiſſe aliquas, quod hinc probatur, quiſquam negat) Quæritur, an has, quas nunc habemus, ſcripſerit. Has ſcripſiſſe, non dicit locus abjectus; ſcripſiſſe, ipſæ luculentiſſime negant; vt eſt a nobis ſupra ſatis ſuperque demonſtratum. Sed teſtis, inquit, has quas nunc habemus, eas ipſas eſſe ait, quas olim ſcripſit Ignatius. Ego vero hoc teſtem affirmare nego; Negat ipſe mecum teſtis; cujus nullum eſt de his, quas nunc habemus, verbum. Sed tametſi (inquit) teſtis proprie diſerteque non dicat eas, de quibus loquitur, Ignatii epiſtolas has ipſas eſſe, quæ nunc illius nomine circumferuntur, hoc tamen ego ex iis, quæ dicit colligo. Quomodo, inquam? Quia inquit, iſtas, de quibus loquitur, ipſe dicit ad Polycarpum & ad Philippenſes ſcriptas fuiſſe; dicit ad fidem & ædificationem contra Gnoſticos vtiles fuiſſe; dicit denique legationis ad Antiochenos mittendæ mentionem feciſſe; quæ omnia his, quas nunc habemus, epiſtolis optime competunt. Ergo illæ, quas dicit; hæ ipſæ ſunt, quas nunc habemus. Atqui inquam, hoc ex illo non ſequitur. Non enim ſi bos ſenſu, & motu & inceſſu præditus & mortalis eſt, ſique vt vno verbo dicam animal eſt, quod ipſum quoque homini competit, eo tu bovem hominem fuiſſe concluſeris. Fingamus, quod tu cupis, & quod teſtis iſte tuus ait, fuiſſe aliquas Ignatii epiſtolas; Donemus fuiſſe ad Philippenſes & ad Polycarpum datas; denique ea habuiſſe, quę ex Polycarpo ais, Hæc ſi tibi aſſenſus fuero, concedam ſane ſimiles aliqua in re fuiſſe his, quas nunc habemus; eaſdem fuiſſe negabo. Vt qui bovem concedit, quædam quæ & hominis ſunt habere, eo tamen minime tenetur & bovem hominem eſſe concedere, quod multa ſint ſcilicet in homine quæ non ſunt in bove. Ita & epiſtolæ, ſi vere Ignatii fuerunt quales tu ex illo tuo teſte dicis, hoc habuerunt noſtrarum ſimile quod ad Philippenſes, & ad Polycarpum ſcriptæ fuerint, quod vtiles contra Gnoſticorum fraudes & terrores fuerint; quod legationis ad Antiochenos meminerint; Cæterum quæ hæc habuerunt cum noſtris ſimilia, aliis multis caruiſſe, quæ noſtræ habent, neque adeo eaſdem cum his fuiſſe; clariſſime & multifariam ſupra demonſtratum eſt. Nam hæ noſtræ Valentinia-

nam

nam σιγὴν, & Patripaſſianorum hæreſin, & alia innumera, de quibus diximus, habent; quæ fieri non poteſt, vt epiſtolæ vere ab Ignatio ſcriptæ habuerint; vt ſupra fuſe eſt a nobis demonſtratum. Ita ſimul ſemelque ſoluta confractaque eſt tota doctiſſimi ex hoc teſtimonio ducta ratiocinatio. Nunc ſingulas ejus partes inſpiciamus; vt quam vana ſit, eo etiam clarius eluceſcat. Prima pars erat; Epiſtolas illas Ignatij aliquam multos penes Polycarpum fuiſſe, eaſque ab ipſa Philippenſibus ſuę huic epiſtolæ ſubjunctis miſſas eſſe, Fateor hæc teſtem dicere. Noſtras, quas nunc habemus, apud Polycarpum fuiſſe, & ab eo in vnum collectas ad Philippenſes miſſas fuiſſe, & multis aliis & hoc potiſſimum validiſſime probavimus, quod Irenæo Polycarpi diſcipulo, & admiratori ſingulari plane penituſque ignotæ fuerint. Altera Hammondinæ collectionis pars erat, illas de quibus teſtis loquitur, epiſtolas non fuiſſe Ignatio poſt ejus mortem affictas. Abſit vero, vt epiſtolas quas, ſiquæ vnquam revera fuerunt, ab Ignatio ſcriptas fuiſſe dono, eas contendam ipſi poſt ejus mortem fuiſſe affictas. Sed hoc nihil ad noſtras pertinet; quas nondum demonſtrati eaſdem cum illis eſſe a teſte tuo commemoratis; quaſque ego & fuſiſſime & clariſſime probavi poſt Ignatii martyrium eſſe ſcriptas. Quod vero in hoc collectionis articula præſtruebat doctiſſimus Hammondus, epiſtolas illas, de quibus extat objectum á ſe teſtimonium, vivente & valente Ignatio fuiſſe a Polycarpo, & collectas, & ad Philippenſes miſſas, hoc inquam, ſi teſtem iſtum audimus, ſuperſtite adhuc Ignatio factum eſſe neceſſe eſt. Sed ſi veriorem epiſtolæ ſcriptorem ſequimur, qui cum eam ſcriberet, jam conſummatum fuiſſe Ignatium liquido teſtatur, neceſſe eſt illum Hammondi teſtem (quod nuper demonſtravimus) inſigniter eſſe mentitum, & hanc ipſam quam memorat collectionem, non vivente, quod ex eo concludit doctiſſimus Hammondus, ſed jam mortuo Ignatio, factam eſſe (ſi tamen aliquando vere facta eſt.) Tertius Hammondinæ argumentationis articulus erat in his de quibus teſtis loquitur epiſtolis mentionem extitiſſe *legationis Eccleſiarum ad Antiochenos*, juxta illum quod fere in ſingulis epiſtolis, quæ hodie extant, legimus. Reſpondeo illum revera teſtem dicere ſe, quem Polycarpum videri vult; *legatum ad Antiochenos*, vel iterum ipſum, vel certe *miſſurum etiam pro Philippenſibus*. Qua vero de cauſa eum miſſurus ſit, an gratulatum Antiochenis ob redditam iis pacem, (quod ab Eccleſiis fieri jubent hodiernæ epiſtolæ) an aliam ob rem; & an huiuſmodi ad Antiochenos legatum vnus Polycarpus, an vero etiam alio (vt eſt in hodiernis epiſtolis) Eccleſiæ miſerint; neque ex illo ſuo teſte, neque ex vllo alio docet eruditiſſimus Hammondus. Itaque cubat adhuc in dubio, quod ille pro vero conſtruere molitur, hanc ſcilicet Polycarpi ad Antiochenos legationem, quam ait teſtis, eandem cum illa eſſe, quæ toties in hodiernis epiſtolis occurrit. Quartum, idque vltimum Hammondinæ collectionis hoc erat caput; *In epiſtolis illis multa ad fidem & perſeverantiam, id eſt ad* ὀρθοδοξίαν *ſeu*

veram

CAPVT XXXII.

Capvt XXXII. *veram Chriſti doctrinam contra fraudes & terrores Gnoſticorum tuendam, ſimulque omnem in Chriſto ædificationem plurimum profectura erant, comprehenſa eſſe*; Eadem vero *etiam hodiernis epiſtolis competere*. Breviter reſpondeo; ſi teſtis admittitur, epiſtolas quas memorat, *continuiſſe fidem, & patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum noſtrum pertinentem*; neque ego abnuo, ſiqua, præſertim ad Eccleſias ſcripſerit Ignatius, ea non inania, ſed bonæ frugis plena fuiſſe, ac denique qualia a tanto viro ſcribi decuit; Neque nego in hodiernis epiſtolis nulla valde bona extare, & pro Chriſtiana veritate, & contra hæreticas pravitates neque ſtulte, neque incommode dicta. Inde confici nego noſtras epiſtolas eas ipſas eſſe, quas teſtis dicit; ſi, quas teſtis dicit; eæ revera aliquæ olim fuerunt. Non eſſe eaſdem vincunt plurima jam a nobis expoſita, quæ in his leguntur, hujuſmodi vt ea Ignatius ſcribere vel non potuerit, vel certe non debuerit. Mirandum vero non eſt, quod multa bona & vtilia etiam fortaſſe quædam Ignatio digna in iis epiſtolis reperiantur, quas qui ſcripſit pro Ignatianis haberi voluit. Hoc enim hujus generis artifices, maxime ſi qui ſapiunt ſtudere & conari videmus, vt eum, quem ſimulandum ſuſceperunt, virum diligenter imitentur, & quoad a ſe fieri poteſt, exprimant. Qui ergo Ignatium, id eſt hominem ſanctum, & veri ac Apoſtolici Chriſtianiſmi doctorem, & Eccleſiæ eximiæ Epiſcopum, & Chriſti denique Martyrem ſimulandum in his epiſtolis ſumſit, eum decuit operam dare, primo nequid ſcriberet, quod non ad Chriſtianam & fidem conſtituendam, & pietatem confirmandam, & ad revincendas atque refellendas hæreſes vtile eſſet; tum etiam vt ea diceret, quæ ad proprium Ignatii ingenium, mores, inſtituta, facta, actaque quam proxime accederent. Iam qui primus ſex epiſtolas Martyri ſuppoſuit, eum vltro fatemur haud quaquam ſtultum fuiſſe; eoque quod ſuæ artis fuit, non inepte in plæriſque præſtitiſſe. Inde eſt; quod multa vtilia ſuis epiſtolis, quædam etiam plane Ignatiana, vt ſupra oſtendimus, inſperſerit; neque dubitandum eſt, ſi hæc apud Polycarpum quæ nunc objiciuntur, jam tum cum ille ſcripſit, extabant, quin is ea ad ſuum inſtitutum inde ſumpta accommodavit; quaſdam ex epiſtolis ſuis ad Phillippenſes, & ad Polycarpum mentiendo, ad quos hinc eũ ſcripſiſſe didicerat; & illa delegatione ad Antiochenos, quæ pauca hic legerat, amplificando, & ad omnes Eccleſias trahendo. Hæc ergo & quæcumque ſunt ejuſdem in epiſtolis generis, ſcriptorem oſtendunt non plane ſtultum, ac rudem ſimulandi artificem fuiſſe; Ignatium fuiſſe minime oſtendunt; & epiſtolas aſtute neque infœliciter ſimulatas eſſe arguunt; fuiſſe ab ipſo Ignatio vere ſcriptas, nequaquam arguunt. Sed neque hoc omiſerim, quod obiter quidem, ſed tamen callide in hoc vltimo articulo inſinuatum eſt, multa illa, quæ in epiſtolis a teſte memoratis continebantur, *ad fidem & perſeuerantiam* vtilia, ea ſpectaſſe *ad veram Chriſti doctrinam contra fraudes & terrores Gnoſticorum tuendam.* Id enim totum eſt a doctiſſimi Hammondi ingenio

apud

apud quem omnia jam inde ab ipſis Chriſtianiſmi incunabulis non modo Ignatii, ſed etiam Ioannis, imo & Pauli & Petri temporibus, *Gnoſticorum* plena video, vt paucæ ſint, ſi ei credimus, horum Apoſtolorum epiſtolæ, pauca vel epiſtolarum capita, quæ non adverſus hos Gnoſticos ſcripta ſint. Horum nihil neque apud ipſum teſtem, neque apud vetuſtiſſimos ſcriptores reperio; Quin & ſollicitor nullos putare Ignatio vivente Gnoſticos Chriſtianum nomen ſcidiſſe. Neque enim Chriſti, ſed *Simonis*, aut Menandri nomen profitebantur qui tum erant Menandriani; neque qui pauciſſimis ante Martyris certamen annis Candido & Quadrato Coſſ. (id eſt a.D. 104.) exorti ſunt Ebionæi, eos Gnoſticos fuiſſe verum eſt; neque vllos denique hujus nominis hæreticos ad illa tempora extitiſſe probabile eſt; vt ſi quæ vere Ignatii fuerint epiſtolæ, eas plane ſit a veri ſpecie alienum contra Gnoſticorũ *fraudes*, vel *terrores* aliquid diſerte & nominatim dixiſſe. Vnum certe, & quidem, vt mihi videtur, ęquiſſimum poſtulo, vt viri doctiſſimi, ſi perſuadere nobis cupiunt *Gnoſticos* revera aliquos, qui quidem Chriſti iidẽ nomen profiterentur, vel Ignatii, vel Pauli ac Petri temporibus extitiſſe, eos nobis apud vetuſtiſſimos vel eorumdem, vel certe proximorum temporum ſcriptores diſerte poſitos exhibeant; neque nos tam faciles, tamve credulos atque εὐήθεις putent, vt eorum ſuſpiciones, & ingenioſas elegantesque argutias eadem fide ſuſcipiamus, quæ hiſtoricis rem vel viſam vel certe exploratam ac perſpectam narrantibus debetur. Sed hæc nunc quidem, perſequi nihil neceſſe eſt. Satis eſt quod abunde ni fallor, oſtendimus nihil ex Polycarpo haberi, quod Ignatiana a falſi, quod iis intendimus, crimine abſolvat.

CAPVT XXXII.

Chron. Alex. a.D. 104.

CAPVT XXXIII.

Solvitur argumentum pro Ignatianis II. ex quibuſdam Irenæi verbis, perperam & invalide ad Ignatianas epiſtolas detortis ductum. Reverendiſſimi Vſſerij de hujus teſtimonij infirmitate confeſſio.

CÆtera ergo videamus. Proximo poſt Polycarpum loco Irenæum pro Ignatianis teſtem excitant; quem præfantur Polycarpi diſcipulum jam a puero fuiſſe; vt nemo eum mirari debeat *traditas ab illo epiſtolas accepiſſe*. Ego vero adeo hoc non eſſem miraturus, vt plane non modo concedam, ſed etiam contendam, ſiquæ ſint a Polycarpo collectæ ad rem Chriſtianam valde vtiles, quales iſtæ eſſe dicuntur, Ignatii epiſtolæ; eas Irenæo inprimis notiſſimas fuiſſe; neque cuiquam, quam ei, notiores. Quin & hinc validiſſimum contra earum epiſtolarum, quas nunc habemus, veritatem in prima diſputationis parte argumentum duximus; in qua epiſtolas Irenæo plane penituſque ignotas fuiſſe clariſſi-

Hamm. Diſſ. 2. §. 11.

CAPVT XXXIII.

me inde demonſtravimus, quod eximius ille ſcriptor in prolixo opere nullum harum epiſtolarum teſtimonium adverſus hæreſes, quas refellit; vſpiam attulerit; tametſi in iis plurima ſint, ac pæne innumerabilia ad eam rem vtiliſſima ac diſertiſſima; imo ne Ignatii quidem nomen iſtis oppoſuerit, qui Clementem & Polycarpum iis alicubi nominatim objecit; tametſi Ignatius (ſi epiſtolarum quidem vere auctor eſt) contra illos, quos Irenæus exagitat hæreticos, multo plura ac validiora, quam vel Clemens, vel Polycarpus ſcripſerit. Quid contra hanc claram ac invictam demonſtrationem affert doctiſſimus Hammondus? *Irenæus* (inquit) *Ignatij dictis ex epiſtola ad Romanos petitis, ſic præfatur*; Vt quidam noſtrorum dixit, qui propter teſtimonium Dei, beſtiis adjudicabatur; Frumentum ſum Dei, & per dentes ferarum molor, vt purus Dei panis inveniar. *Ea ipſa, quæ jam in codicibus noſtris habemus verba; quæ igitur ex epiſtola ſanctiſſimi Martyris a Polycarpo Philippenſibus tradita legiſſe Irenæum, & ab Irenæi ſæculo ad nos incolumiter deveniſſe, nulla ſupereſt dubitandi cauſa.* Hæc doctiſſimus Hammondus noſter; ſane magnifice; ſed pace viri magni, neque valide, neque fœliciter. Nos jam ſupra expendimus; & ex hoc ipſo loco duo adverſus Hammondinum Ignatium jacula deprompſimus; nedum vt inde aliquid pro eo idoneum confici poſſe concedamus. Quid enim quæſo, habet eo loco Irenæus? *Quidam* (inquit) *noſtrorum dixit*; *Frumentum Dei*, &c. Ego vero hunc, cujus verba recitat, Ignatium eſſe confiteor; Hęc, quæ recitat ejus verba, vere Ignatii fuiſſe concedo. Quid hoc ad epiſtolas? Rogas? Inquis. Atqui hæc *Ignatij dicta ex epiſtola eius ad Romanos* (quę hodie extat ſcilicet) *petita ſunt*; *hæc ex ea Philippenſibus a Polycarpo tradita legerat Irenæus*. Sed hæc ego apud doctiſſimum Hammondum lego; Apud Irenæum non lego. Irenæus neque de Polycarpo; neque de Philippenſibus, neque de epiſtola Ignatii ad Romanos vllum verbum facit; multo vero minus id affirmat, quod ait doctiſſimus Hammondus, ſe hæc vel in ea vel ex ea epiſtola legiſſe. Nihil aliud denique ſcribit, niſi hoc iſtum, cuius meminit *dixiſſe*. Si ſaltem hęc eum *ſcripſiſſe* diceret, colorem, licet falſum & evanidum, aliquem tamen haberet argumentatio. Sic enim ex aliquo Ignatii *ſcripto* hęc ejus verba Irenęum habuiſſe legitime concluderes; tametſi illud vnde ea ſumpſiſſet, Ignatii ſcriptum, ne ſic quidem conficeres eandem illam eſſe, quam nos hodie habemus, ad Romanos eius nomine inſcriptam epiſtolam. Omnes enim vident facile fieri potuiſſe, vt ſi quod ejuſmodi ſcriptum edidiſſet Ignatius, id & in Irenæi manus veniret; & diu ante noſtra tempora intercideret; neque adeo idem cum ea ad Romanos epiſtola eſſet, quam hodie habemus. Nunc eo futilior eſt hæc pro Ignatianis argumentatio, quod Irenæus hęc, quæ refert verba, Ignatium non *ſcripſiſſe*, ſed *dixiſſe* memorat. Sed vnde (inquit) habuit, ſi ex hac epiſtola non habuit? Quaſi vero iſta dixiſſe Ignatium non aliunde, quam ex hac epiſtola reſciſcere potuerit Irenæus; Qui Polycarpum, qui alios Ignatii æquales viros non

Iren. L. 5. c. 28. extr.

paucos

paucos, vt credibile eſt, viderat, atque audiverat; qui recentem adhuc de Martyre famam acceperat; non pluribus quam ſexaginta ante eius adoleſcentiam annis conſummato. Hoc enim Martyrem ipſo agonis tempore cum rugientes leones audiret, ſeſe ad paſſionem accingentem dixiſſe ſupra ex Hieronymo, & Breviario Romano didicimus; & ipſa Acta Martyrii eius ſic fere narrant; quæ Ignatium circumſtantes his verbis ſupremum allocutum eſſe teſtantur; *Viri Romani, qui hoc certamen ſpectatis, non ſine cauſa laboravi; non propter pravitatem hæc patior, ſed propter pietatem. Triticum enim ſum Dei, & dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus efficiar*; vt refert optimus ac reverendiſſimus Vſſerius, qui & hæc Græce in eandem ſententiam exhibet; ἄνδρες ῥωμαῖοι, οἱ τοῦδε ἀγῶνος θεαταὶ, οὐ φαύλης ἕνεκα τινὸς πράξεως ἢ μεμφῆς ταῦτα πάσχω, ἀλλ᾽ ἕνεκα εὐσεβείας. Σῖτος γάρ εἰμι Θεοῦ, καὶ δι᾽ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα ἄρτος καθαρὸς γένωμαι. Atque his idem Symeonis Metaphraſtæ ſimilia, niſi quod aliquanto vberiora, ſubjicit, quæ deſcribere nihil neceſſe eſt. Omnes nunc intelligunt hoc Martyris apophthegma Irenæũ facile potuiſſe vel ex Polycarpo, vel ex aliis, qui Ignatiani certaminis tempore vixerant, vel ex ipſis martyrii actis diſcere quæ tum multo meliora ac ſinceriora, quam vltimis his ſæculis extitiſſe probabile eſt; vel denique ex fama rei paulo ante ſuam memoriam geſtæ accipere; vt nihil cauſſæ fuerit, cur vel Euſebius Irenæum hæc, quæ de Ignatio dicit, *ex eius ſcriptis citaſſe*, multo etiam minus, *epiſtolarum eius meminiſſe* ſcriberet; minime vero omnium, cur doctiſſimus Hammondus hæc Ignatii verba Irenæum *ex epiſtola*, quæ nunc ad Romanos circumfertur, *petiviſſe* aut *legiſſe* poneret, & hinc eam concluderet ab illius *ſæculo ad nos incolumiter* (vt loquitur) *deveniſſe*; neque *vllam ea de re dubitandi cauſam ſupereſſe*. Multo nobiſcum egit & candidius & verecundius laudatiſſimus Vſſerius; qui tametſi fere eadem cum illo de Ignatianis ſentiens, hunc tamen Irenæi locum minime vrgendum putavit, *Cum verbum illud* εἶπε * (inquit) *& quæ voce, & quæ ſcripto edita ſunt, indifferenter denotet, & hoc ipſum a ſanctiſſimo illo viro, non ſolum in epiſtola ad Romanos enarratum; ſed etiam in ipſo agone fuiſſe repetitum, & acta martyrij ipſius, & Hieronymus in Scriptorum catalogo confirment; vero ſimilius eſſe exiſtimant alij, vt de damnatione Martyris ad beſtias locutus Irenæus, vocem ab eodem, audito beſtiarum rugitu, prolatam potius quam ſcripto antea mandatam memoriæ commendare hic voluerit.* Hæc doctiſſimus Vſſerius; non vltra vrgens hunc Irenæi pro ſua cauſa locum, & in ſolis Origenis & Athanaſii teſtimoniis quæ poſtea addit, & aliis ſequentium temporum conquieſcens. *Sed vt vt hoc habet* (inquit) *ab Origene, qui ad Irenæi ætatem proxime acceſſit, & magno Athanaſio ex Ignatij ad Epheſios epiſtola citatum fuiſſe novimus.* Nos vero Irenæum id, quod recitat. Ignatii apophthegma, ex vulgata ad Romanos epiſtola ſumpſiſſe non modo ab adverſariis probari non poſſe contendimus; ſed eum inſuper hæc inde verba non ſumpſiſſe, neque ſumere potuiſſe eo probamus;

CAPVT XXXIII.

Vſſer. Not. 33. *in ep. Ignat. ad Rom.*

Euſeb. Hiſt. L. 5 *c.* 8. *& L.* 3. *c.* 36

Vſſ. Proleg. ad Ign. c. 3. *p.* 13.

* *dixit. quo vſus eſt Irenæus ſcilicet.*

Caput XXXIII. mus; quod hæc epiſtola Irenæo ignota fuerit; Ignotam porro ei fuiſſe ex iis, quæ ſupra diſputavimus, patet. Oſtendimus enim cæteras Ignatii epiſtolas Irenæo plane ignotas fuiſſe; quarum ſcilicet teſtimoniis adverſus hæreticos quos refellit luculentiſſimis, ac diſertiſſimis nuſquam vſus reperitur in toto adverſus hæreſes opere; tametſi plurima paſſim loca iſtic occurrant, in quibus vtiliſſime, ac pæne neceſſario ab auctore adhibenda erant, ſi ea cognita habuiſſet. Iam vero ſi epiſtolam ad Romanos noſſet, cæteras quæ eodem cum hoc volumine a Polycarpo (vt volunt adverſarii) collectæ & ordinatæ continebantur, neſcire profecto non potuiſſet. Cum ergo eas neſciverit, neque hanc ad Romanos habuit cognitam, neque adeo ex ea quicquam legere vel laudare potuit. Itaque illud Ignatii apophthegma, non Irenæum ab epiſtolæ ſcriptore, quod falſo putavit Euſebius, ſed ſcriptorem ab Irenæo habuiſſe verum eſt, & ſuo operi ideo inſeruiſſe, vt ex hoc ſpecimine Ignatius eſſe facilius exiſtimaretur; quod nos iam ſupra diximus; tametſi, vt ibidem obſervavimus, vel hoc ipſo impoſtor arguatur, quod illa verba Ignatium facit, non vt cæteri, Romæ in agone, appoſite, & decenter dicere; ſed Smyrnæ diu ante agonem, abſurde ac inepte ſcribere. Hæc omnino ſunt, quæ viri docti, tum noſtri, tum Latini generis pro Ignatianis ſuis ex primo poſt Martyris paſſionem ſæculo afferunt, duo teſtimonia; quorum prius, & falſum ſubditiumque eſſe videtur, & eſt ad eorum conſtituendam cauſam invalidum; poſterius vero vel ipſo reverendiſſimo Vſſerio iudice inefficax. Atqui nullum eſt vniverſi Chriſtianiſmi ſæculum; quo notiora eſſe debuerint quam hoc! Iſta ſiqua iam extabant, Ignatiana; Hoc ſæculo, id eſt centum proximis poſt Martyris mortem annis, Ignatiana apud noſtros plane penituſque ignota fuiſſe vincit non modo Irenæi, ſed & cæterorum ejuſdem memoriæ omnium conſtans de iis ſilentium, etiam in diſputationibus, ad quas iſta ſi extarent, laudari omnino debuerunt, neque ſine inſigni flagitio prætermitti potuerunt. Vnde videre eſt, quam vana ſint, quæ Ignatianorum patroni de totius antiquitatis ſecum conſenſu jactare frequenter ſolent; affirmantes Polycarpum *hæc ſua Ignatiana & manu ab ipſo Ignatio recepiſſe, & Philippenſibus tradidiſſe*; eademque *Irenæo ſine dubio patuiſſe*; item *has Ignatianas epiſtolas pari ſemper cum Clementis & Polycarpi epiſtolis per univerſam ab omni ævo Patrum noſtrorum memoriam, reverentia exceptas fuiſſe; earum auctoritatem magna veterum omnium, diſſentiente nemine, concordia & harmonia ita ſtabilitam & firmatam eſſe, & in Eccleſia Chriſti omni honore & reverentia acceptam, vt niſi ſtet, nulli vnquã inter antiquos ſcriptores ſua conſtare poſſit auctoritas.* Mitto alia eiuſdem generis omnibus paſſim huius diſputationis locis a viris doctiſſimis adſperſa; quæ nunc liquet meras eſſe ampullas, & inanes fruſtra triumphantium, ſibique ipſis plaudentium ſonos. Quod enim aiunt Ignatiana apud veteres *ab omni ævo* Patres pari cum Clementis & Polycarpi epiſtolis *reverentia ſemper* fuiſſe, id miror iis excidiſſe; qui probe ſciunt

Hamm. Diſſ. c. 24. § 25.

Ibid. § 1.

Ibid. § 26.

vtramque hanc epiſtolam ab Irenæo magnis laudibus celebratam fuiſſe & Clementinam proprie a Dionyſio Corinthio laudatam, eam teſtante ab omni cui præerat Eccleſia, publice legi ſolitam, & a Clemente Alexandrino pluribus locis ex ea deſcriptis vſurpatam ſecundo ſtatim Chriſtianiſmi ſæculo; ſuis vero Ignatianis neminem illius ævi vſum eſſe, ea vno duntaxat loco, ſed in genere non proprie nominata, & eo quidem loco, qui vt nuper oſtendimus, & inſigni mendacio deformis eſt, & in ea epiſtola legitur, quam duo nobiliſſimi ſcriptores ante annos pæne octingentos ad apocrypha relegerunt. Quorum autem *veterum concordia & harmonia nemine diſſentiente* ſtabilitam ſuorum Ignatianorum auctoritatem gloriantur, ii profecto nulli ſecundo toto ſæculo fuerunt. (Polycarpum enim & Irenæum fruſtra jactari demonſtratum eſt) Novum & mirum eſt dicendi genus, vt libri alicujus auctoritatem ab iis hominibus *magna concordia & harmonia firmatam* eſſe dicas, quorum nemo, cum plures ſint, vel vnum verbum de eo feciſſe reperitur. Sed & quod objicitur *neminem* ab iis hac in re *diſſenſiſſe*, fruſtra dicitur, niſi eorum, a quibus cæteros diſſenſiſſe negas, conſenſum ea de re, quam agis fuiſſe, imo & extitiſſe oſtendas. Ego vero ſcriptorum qui ſecundo ſæculo floruerunt, non aliam (quod quidem ad hæc tua Ignatiana pertinet) *concordiam & harmoniam* fuiſſe video, quam quod de iis omnes conſtantiſſime tacent ac ſilent; neque quiſquam in tanto numero reperitur, qui de his tuis epiſtolis vel vnum μῦ ſcripſerit. Si hæc vetuſtiſſimorum & Ignatii proximorum Patrum *harmonia epiſtolas illas tuas commendat ac ſtabilit*; equidem non veto, quin iis, ſi libet, fruaris. Quamquam quid ego iſtos de Ignatianis tuis *tacere* dixi? Illi vero tua iſta, hoc ipſo quod tacent, Ignatii non eſſe, clariſſime loquuntur, ac clamant, & a te tuiſque hæc aſſerentibus non modo diſſentiunt, ſed apertiſſime validiſſimeque veſtrum illum omnem conſenſum vanum & inanem eſſe, demonſtrant. Irenæus inquam & Clemens Alexandrinus, & Tertullianus, & Caius, & ſiquos alios eiuſdem ævi ſupra ad hanc rem adduximus, ii Ignatiana veſtra ſuo ſæculo extitiſſe, hoc ipſo negant, voſque adeo falli affirmant, quod illis nunquam ſunt vſi iis locis atque temporibus, quibus omnino vtenda erant, ſiqua tum fuiſſent. Atque ita depulſis adverſariorum & paucis & futilibus telis, arcem ipſam totius antiquitatis tenemus; ſecundum ſcilicet illud ſæculum, quo ineunte Ignatius martyrium fecit, ad tertii vſque initia totum, ex quo adeo iudicium de Ignatianis fieri & decet, & profecto neceſſe eſt. Quis enim iis, qui toto hoc tempore vixerunt, clarius; aut certius ſcire potuit quid Ignatius ſcripſiſſet? Atqui hæc quæ nos habemus, ſcripſiſſe Ignatium omnes iſti neſciverunt; vt eſt in priori diſputationis parte demonſtratum. Ergo omnis, quæ de iſtis Ignatianis eſt fama, quamlibet vetus, ac celebris ſit, eo merito ſuſpecta eſt, quod apud homines totius, quo Ignatius mortuus eſt, ſæculi nulla fuit. Ridiculum e- CAPVT XXVI.

nim eſt res Ignatianas melius ac certius tertii quartique quam ſecundi, quo vixit, ſæculi, hominibus notas fuiſſe putare.

CAPVT XXXIV.

Solvitur Argumentum pro Ignatianis III. ex duobus Origenis locis obiectum. Demonſtratur libros, e quibus vterque locus laudatur, eſſe incerti auctoris, Latini potius, quam Græci; eoque nequaquam Origenis.

FRuſtra igitur Origenis homilias annis circiter centum & quadraginta poſt vltimum Martyris certamen ſcriptas; fruſtra Euſebii & Athanaſii, Origene centum propemodum annis recentiorum teſtimonia recitant. Sera ſunt hæc & inania Ignatianorum præſidia; quę jam ab initio ſtetiſſe neceſſe eſt, ſi & nunc ſtare debent. Quæ enim ab initio non valuerunt, ea homines ſapientiſſimi tractu temporis convaleſcere poſſe negant. Videamus tamen hæc ipſa, quæ ex Origene & Euſebio afferunt ſuis Ignatianis præſidia; vel ea maxime gratia, quod Euſebius eſt omnis eius de Ignatianis erroris fons, qui hinc primo exortus latiſſime poſtea effuſus in ſequentium ſæculorum pæne omnes Chriſtiani nominis eruditos pervaſit. *Origen. in Luc. homil. c. 6 T. 2. p. 214.* Hæc ex Origene quidem deſcribunt; *Eleganter, in cuiuſdam Martyris epiſtola ſcriptum reperi (Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ poſt Petrum ſecundum, qui in perſecutione Romæ pugnavit ad beſtias) Principem ſæculi huius latuit virginitas Mariæ.* Hinc veras eſſe & Origeni cognitas epiſtolas argumentantur, quod laudata ex *Ign. ad Eph.* Ignatio verba, in ea quæ ad Epheſios inſcripta eſt, reperiantur, *Latuit principem ſæculi huius virginitas Mariæ.* ἔλαθε τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας, ** p. 200.* tum in Vſſerianis * & Voſſianis libris, tum etiam in *† p. 45.* vulgatis, Græcis Latiniſque. † Huic loco alium addere licebat ex Ori- *Orig. in Cant. Cant. Prol. T. 1. p. 496.* genis Prologo in Cantica Canticorum; *Memini* (inquit) *aliquem Sanctorum dixiſſe, Ignatium nomine, de Chriſto; Meus autem amor crucifixus eſt.* *Ign. epiſt. ad Rom p. 113. Vulg. p. 88.* Hæc quoque verba extant in ea epiſtola, quæ nunc ad Romanos ſub Ignatii nomine circumfertur. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσαύρωται. *Meus amor*, vel vt Vſſerianus liber habet, *Meum deſiderium crucifixum eſt.* Sed hunc poſteriorem locum viri doctiſſimi ideo fortaſſe prętermittendum putarunt, quod Ignatium, quæ laudat, ea *dixiſſe*, non autem *ſcripſiſſe* ferat. Vtcũque ſit, nos ad vtrumque locum ſimul ſemelque reſpondemus levis eſſe ad rem, quæ agitur, momenti, quod opuſculorum, ex quibus allati ſunt, dubia ſit, & incerta auctoritas. Nam de poſteriori quidem, magni viri & a partium ſtudiis alieni Eraſmi, gravis eſt, ac vera, vt videtur, cenſura; *Eraſm. Cenſuræ in Orig. libros init. T. 1.* Inter *opera Hieronymi* (inquit) *ferebatur & hic commentarius* (in Canticum Canticorum) *cum nec Origenis ſit, nec Hieronymi, ſed hominis Latini, pulcre docti ac bene diſerti. Græcum non fuiſſe vel hinc colligas licebit, quod in prologo citat Græcos, velut alienos;*

Cum

CAPVT XXXIV.

Cum apud Græcos (inquit) *qui eruditi ac ſapientes videntur. Idem liquet ex interpretatione amoris, caritatis, dilectionis, & cupidinis.* Idem eſt de hoc commentario & Brunonis Amerbachii judicium; & Sixtus Senenſis fatetur id opus in vetuſtis quibuſdam codicibus nomine Hieronymi prænotatum fuiſſe; & hinc petita teſtimonia Ambroſio a Thoma & Lombardo tribui; vt eſt a Coco * noſtro jampridem obſervatum. Neque prior, qui citatur, locus parentes habet multo certiores, aut nobiliores. Illa enim homilia, vnde deſcriptus eſt, *gratia plenam* † obſervat *Græce* κεχαριτωμένην dici; quod auctorem non Græcum, ſed Latinum fuiſſe indicat. Sane totum illud homiliarum in Lucam opus hujuſmodi Latinorum natalium indiciis ſcatet; vt in homilia, quæ hanc noſtram proxime præcedit, Græcum nomen ἄλογος *licet* (inquit) *Latinus aliter expreſſerit, tamen proprie transferri poteſt abſque ratione, ſive ſermone.* [a] Ejuſdem eſt commatis, quod *cadaver a caſu nomen accepiſſe* alibi obſervat; [b] item, quod *Græcus ſermo hoc, quod eſt converti in lapides, ſignificantius ſonat,* [c] ἀναλιθῶσαι (ſive potius, vt eſt in Exodo, ἀπολιθῶσαι.) Alibi notat [d] *judicem apud Græcos cum articulo poſitum*, qui ſingularitatis ſignificator eſt; & mox diſcrimen nominis vel eum articulo vel abſque articulo poſiti dicit apud *Græcos magis intelligi.* Et in eadem homilia monet *quadrantem*, ſive *minutum Græce tenue dici poſſe.* Hæc auctorem Græce ſcripſiſſe negant; qua lingua notum eſt Origenem omnia ſua compoſuiſſe. Sed & ab ipſo Origenis genio, more, ac ſenſu quædam ſunt in eodem opere aliena; vt quod Spiritus Sanctus hic dicitur *tertia perſona a Patre & Filio*, [e] qui ſic diſtinctus *perſonæ* in divinis vſus ab Origene, ſi bene memini, alienus eſt. Neque hic ejus, vt opinor, mos eſt perſonas, quod iſte non ſemel facit inducere longos vel inter ſe, vel apud Deum ſermones ferentes; qualis illa eſt Chriſti cum Tentatore collocutio; *Reſpondeo tibi ô verſipellis & nequam, qui me tentare non metuis*, [f] & cætera; & illa Angeli cuſtodis ad Principem Angelum oratio, [g] *O Princeps, regni Perſarum, iſte qui ſubter erat tibi, eum vt opus fuerat, cuſtodivi*, & quæ ſequuntur. Sed & harum in Lucam homiliarum ſcriptor Eſaiam & Pſalmos litteraliter a Sadducæis intellectos eſſe ait. Nam cum quædam ex vtroque libro attuliſſet, quæ ſpiritaliter eſſe accipienda definit; *Quæ omnia* (inquit) *corporaliter intelligentibus Sadducæis, qui erant portio Iudæorum, dicit Salvator; Neſcitis Scripturas, neque virtutem Dei.* Id vero ab Origene alienum eſt, qui a Sadducæis non alios quam Moſis libros ex toto veteri inſtrumento admiſſos conſtanter ſcribit; μόνου Μωσέως παραδέχοντας βίβλους οἱ Σαμαρεῖς ἢ Σαδδουκαῖοι. Sic alibi; *Sadducæi* (inquit) *ſcripturas alias extra libros Moſaïcos non legebant; nec ipſos libros Moſaïcos legentes intelligebant.* Ita etiam dixiſſet, qui in Lucam ſcripſit, ſi

vere

Br. Amerb. Præf. in Tom. 7. Hier. Six. Bibl. L. 4. in Orig.

* *Rod. Cor. Cenſ. Scrip. vet. in Orig.*

† *Orig. in Luc. Hom. 6. T. 2. p. 215.*

a *ibid. hom. 5. p. 214.*

b *ibid. hom. 16. extr. p. 226.*

c *ibid. hom. 22. p. 233. Exod. 15. 16.*

d *Orig in Luc. hom. 35. T. 2. p. 245. extr.*

ibid. p. 247.

e *ibid. hom. 25. p. 236.*

f *ibid. hom. 29. p. 239.*

g *ibid. hom. 36. p. 245.*

h *ibid. hom. 39. p. 249.*

Orig. contr. Cel. L. 2. p. 36. extr.

Id. in. Matth. tract. 22. T. 2. p. 109.

CAPVT XXXIV. vere Origenes eſſet. Ex his liquet harum, quæ citantur homiliarum alium fuiſſe auctorem, quam Origenem; ne nunc illud afferam, quod ſatis conſtat, Origenis quæ Latine tantum extant, a Ruffino & aliis interpretibus ita fuiſſe interpolata, vt ex iis vix poſſit certo intelligi, quid vere ſit Origenicum. Ergo epiſtolas Origeni cognitas fuiſſe nondum ex illis duobus locis conſtat, quæ in Cantica & in Lucam leguntur; quod eos libros, vnde ſunt allata, non modo Origenis non eſſe, ſed ne Græci quidem, verum Latini potius ſcriptoris eſſe appareat. Ne jam illa non pauca, neque contemnenda memorem, quæ ſupra ſuo loco ad hunc ſcriptorem diximus, & ex quibus oſtendimus ei plane fuiſſe videri ignotas Ignatii epiſtolas. Ex quibus intelligimus vanam fuiſſe virorum doctiſſimorum ſpem, vel qui ſe noſſe profitentur ſuum *Ignatium ab Origene citatum fuiſſe*; vel affirmant Origenem *has illius epiſtolas agnoviſſe*. En quo tandem illa redierint quæ toties tam confidenter de totius ſecum ab omni ævo antiquitatis in ſuſpiciendis ac reverendis Ignatianis ſuis conſenſu, *concordia* atque *harmonia* paſſim jactant atque gloriantur. Atqui ex prima, & Ignatii proxima, adeoque ſola de eo teſtari idonea antiquitate, quæ a Martyris certamine per ducentos annos ad quarti ſæculi annum triceſimum decurrit, ne vnum quidem certum ac indubitatum, & omni exceptione maiorem habent teſtem, qui hunc ſuum theſaurum ſibi notum fuiſſe, vel ſe de eo, fando aliquid audiviſſe perhibeat. Qui enim aliqua Ignatiana certo & indubitato norit, ex omni antiquitate primus occurrit Euſebius, qui poſtremis vitæ (quam ad a. D. 340. produxit) temporibus Hiſtoriam illam Eccleſiaſticam ſcripſit, in qua diſertum extat de Ignatianis teſtimonium.

Vſſer. Prol. ad Ign. c. 3. p. 13. Hamm. Diſſ. 2. c. 24. §. 12.

CAPVT

CAPVT XXXV.

CAPVT XXXV.

Solvitur argumentum pro Ignatianis IV. Ab Euſebij auctoritate petitum. Oſtenditur eius teſtimonium vt pote hominis ducentis annis Ignatio recentioris nullam vim habere. Tum eius opinionem & ijs niti, quæ apertiſſime falſa ſunt, & per principia alibi ab ipſo poſita, evidentiſſime refelli, atque everti. Ex Euſebianis pendere Hieronymi de Ignatianis dicta. Athanaſium vero & Theodoretum, & cæteros qui Ignatianis contra hæreticos vſi ſunt; eorum veritatem ſuppoſuiſſe, veluti ab Euſebio conſtitutam in eam non vltra inquiſiviſſe, adeoque fruſtra eos nobis obiectari. Sæpe citari libros eorum qui vulgo auctores putantur nomine, etiam ab ijs, qui eos apocryphos putant. Salmaſium & Blondellum ea de re a doctiſſimo Hammondo immerito eſſe pulſatos. Chryſoſtomum Ignatiana, quod oratione in Ignatium Panegyrica tacet, eo ipſo ſatis aperte ea abdicare.

ID ergo nunc conſiderandum eſt; & expendendum, an tanti ſit, vt ignotas duobus proximis retro ſæculis Ignatii epiſtolas nunc poſt manifeſtam Euſebii auctoritatem repudiare, vel de iis dubitare ſit nefas. Ille ergo de Ignatio ita præfatus; *Hunc fama eſt e Syria ad vrbem* *Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 36. p. 106.*
Romam perductum, beſtijs ob Chriſti fidem eſſe obiectum; inde eius per Aſiam, & Europam iter exſequitur; ſingularum civitatum quas ingrederetur, Eccleſias ſermonibus & cohortationibus ſuis confirmaſſe, monentem, vt ſibi a pravis opinionibus caverent, quæ tunc primum in lucem emergere cum cœpiſſent copioſius pullulabant; hortantemque, vt Apoſtolorum traditioni tenaciter adhærerent; ac eam cautelæ gratia *p. 107.*
ſcriptis jam conſignari, neceſſarium ſibi videri teſtantem; Smyrnam cum veniſſet, epiſtolam inde vnam ad Epheſios; alteram ad Magneſios; tertiam ad Trallianos; quartam ad Romanos ſcripſiſſe; (ex qua ille non pauca recitat) Smyrna digreſſum cum Troadem veniſſet, inde & ad Philadelphienſes & ad Smyrnæorum Eccleſiam, proprieque ad Polycarpum litteras dediſſe; ex qua & illa, quæ ſupra *de dæmonio incorporali* attulimus, deſcribit Euſebius. Hic denique ad confirmandam ſuperiorem de his narrationem illa Irenæi ac Polycarpi teſtimonia affert, de quibus paulo ante diximus. *Huius* (inquit) *Ignatij & Martirium* *p. 108.*
agnoſcit, & epiſtolas commemorat Irenæus his verbis; Quemadmodum dixiſſe fertur quidam e noſtris ob Chriſti fidem damnatus ad beſtias; frumentum ego ſum Dei, & ferarum dentibus molor, atque comminuor, vt panis mundus efficiar. *οἶδε δὲ αὐτοῦ τὸ μαρτύριον, καὶ ὁ Εἰρηναῖος, καὶ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ μνημονεύει, λέγων οὕτως· ὡς εἶπέ τις τῶν ἡμετέρων διὰ τὴν πρὸς θεὸν* *p. 108. A.*

CAPVT XXXV.

μαρτυρίαν καταχριθεὶς πρὸς θηρία, ὅτι σῖτός εἰμι Θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ. Tum de Polycarpo hæc ſubiicit; *Sed & Polycarpus in ſua ad Philippenſes epiſtola earumdem meminit epiſtolarum. Obſecro* (inquit) *vos omnes*, vt pareatis, omnemque patientiam exerceatis, quam ſpectaſtis non ſolũ in Ignatio, Rufo, ac Zoſimo viris beatiſſimis, ſed etiam in aliis civibus atque inquilinis veſtris, & in ipſo præcipue Paulo, cæteriſque Apoſtolis; pro certo habentes, quod ſi omnes, non fruſtra cucurrerunt, ſed in fide ac juſtitia ingreſſi, ad locum ſibi a Deo debitum pervenerunt; quandoquidem & paſſionum ejus participes extiterant. Neque enim præſens ſæculum, ſed eum, qui pro nobis paſſus, & a Deo ſuſcitatus eſt, adamarunt. *Et paulo poſt addit*; Scripſiſtis ad me & vos & Ignatius, vt ſiquis forte in Syriam proficiſceretur, veſtras litteras eo deferret; & cætera, quæ a nobis paulo ante ex Polycarpo a doctiſſimo Hammondo obiecta, deſcripta ſunt. Atque hęc quidem de Ignatio, deque Ignatianis epiſtolis Euſebius; ex quibus doctiſſimus Hammondus ſeptem, reverẽdiſſimus autem Vſſerius ſex tantum Ignatii epiſtolas extitiſſe, eas ipſas quas nunc habemus, colligit, ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Romanos Smyrnæ datas; ad Philadelphienſes & Smyrnæos Troade ſcriptas. Quam vero ad Polycarpum, Smyrnæorum Epiſcopum, proprie ſcriptam memorat Euſebius, hanc ipſe Vſſerius eandem cum ea, quæ eſt ad Smyrnæos intelligi vult; Hammondus vero aliam ſeorſum ab iſta ad unum Polycarpum datam. Noſtra vtrum ſit verius, nihil hic intereſt; tametſi reverendiſſimi alioqui Vſſerii judicium præferamus. Sed quod ad rem pertinet, fatemur Euſebium illas ſive ſex, ſive ſeptem quas recenſet, epiſtolas agnoſcere, ac pro vere Ignatianis habere; Neque diſſimulamus eas, de quibus ille verba facit, has ipſas fuiſſe videri, quæ his hodie nominibus circumferuntur; quales eas Reverendiſſimus Vſſerius Latine, eruditiſſ. Voſſius gręce, ex libris ille Anglicanis, hic Medicęis ediderunt; quod ita tamen accipi velim, vt in plæriſque, atque vt ſic loquar, in *ſumma* rerum, non plane in omnibus & ſingulis minutiis & apicibus eædem intelligantur. Vix enim mihi perſuadeo illud *Theophori* exempli cauſſa, cognomen, quod omnibus hodie præſcriptum habemus, in Euſebianis fuiſſe; neque enim, ſi in iis extitiſſet, credibile eſt Euſebium non aliquam ejus, velut rei plane ſingularis, mentionem fuiſſe facturum, quod & de Hieronymo, cuius hac in parte omnia cum Euſebio communia ſunt, dictum volo. Cæterum hæc qui libens confiteor, Euſebium, quod eius pace dictum ſit, judicio his de epiſtolis ſuo falſum eſſe, nunc quidem aſſerere non verebor, poſtquam rem aliter ſe habere tam multis, tamque evidentibus argumentis demonſtravi. Neque me vt hanc meam libertatem ab omni temeritatis & inverecundiæ crimine liberem, neceſſe eſt ad alia eiuſdem ſcriptoris loca excurrere, & exempla aliorum hoc nequaquam leviorum σφαλμάτων conquirere, in quæ ille fatentibus vtrarumque partium eruditis, incidit. Hic ipſe, in quo verſamur, locus

ſatis

ſatis oſtendit Euſebium quoque aliquid humani interdum paſſum eſſe, neque ſingula, de quibus tradit, ea ſemper cum diligentia & attentione conſideraſſe, quæ optanda erat. Quale enim quæſo, iſtud eſt, quod Irenæum hic affirmat in loco, quem ex eo deſcribit, τῶν ἐπιστολῶν Ἰγνατίου μνημονεύειν *Ignatianas epiſtolas memorare*? Atqui in ipſis illis Iræneanis verbis quæ ſtatim deſcribit, plane nihil de epiſtolis legitur, vt ex loci lectione patet. Sed ille, quod quæ Ignatium *dixiſſe* refert Irenæus, eadem in epiſtolis quoque ſcripta legeret, falſa & inani ſpecie deluſus epiſtolas Irenæum quoque vidiſſe, & quidem etiam (quod ſane craſſius eſt & inexcuſabilius) *memoraſſe* imaginatus eſt. Quaſi vero Irenæus, quorum adhuc recens erat fama, quæque in Actis Ignatiani Martyrii extabant, ea ſcire prorſum nequiverit, niſi in illis epiſtolis eadem legiſſet; vel quaſi alicuius ſcriptoris *epiſtolas* ii *memoraſſe* dicendi ſint, quicumque aliquid narrant, quod in illis quoque ſcriptum fuiſſe reperitur. In his manifeſta eſt Euſebii feſtinatio, & feſtinationem conſecuta hallucinatio. Similis ejus eſt, tametſi venia fortaſſe dignior, in Polycarpo oſcitantia; non attendentis duo illa, quæ ex ejus epiſtola recitavit loca aperte inter ſe pugnare; dũ in priori idẽ ille Ignatius inter martyres conſũmatos cẽſetur, de quo, deque iis, qui ſunt cũ eo, veluti adhuc vivẽtibus ac valẽtibus, cupit ſcriptor, ad poſterioris loci calcem, ſe ſiquid auditũ fuerit, certiorem fieri. Hæc ſi attendiſſet Euſebius, nunquam profecto verba illa poſterius deſcripta in quibus epiſtolarum Ignatianarum mentio habetur, Polycarpi vera ac genuina eſſe putaſſet. Sed hominem geminus hic animo præceptus, de Irenæo, ac Polycarpo error, tranſverſum egit, & quæ notha erant & ſubdititia, ea pro vere Ignatianis admittere ſubegit. Neque mirum videri debet, quod eas epiſtolas, quas & Irenæi & Polycarpi, virorum omni exceptione majorum teſtimonium habere putabat, eas vero Ignatianas eſſe cenſuerit. Sed cum illa vtriuſque de iis teſtimonia nulla eſſe, ex iis pateat, quæ paulo ante contra viros doctiſſimos iiſdem nunc quoque vtentes, diſputata ſunt; apparet ipſum Euſebii, quod his ſolis nititur, de epiſtolis judicium, hoc diruto ejus fundamento, vna quoque corruere, adeoque nihili faciendum eſſe. Atque hic obiter ad ea confirmanda, quæ nuper de objectis Origenis locis diximus, obſervari velim, quod Euſebius teſtimonia hoc loco pro ſuis Ignatianis conquirens, Irenæum quidem & Polycarpum (quamquam fruſtra falſoque) teſtes citavit; De Origene verbum nullum fecit; ſcriptore ſibi & notiſſimo, & cariſſimo; cujus ſiquid ille, ad hoc quod agit, vtile dixiſſet, hic non erat omiſſurus, quo nemo vnquam ſtudioſius Origenis libros legit. Non eſt ergo dubitandum duo illa, quæ ſupra recitavimus, Origenis pro Ignatianis epiſtolis loca, nulla in eius operibus fuiſſe Euſebii temporibus, adeoque falſo ac perperam quod diximus, pro vere Origenicis hodie haberi & obtrudi. Sed & hic quem dixi, geminus de Irenæo & Polycarpo error ita Euſebii mentem præpedivit, vt ſuas, quas ipſe alibi ſuo exemplo fert, leges ad diſcernendos ac dijudicandos CAPVT XXXV.

Caput XXXV.

libros, vtiliſſimas atque certiſſimas, hoc loco plane penituſque prætermiſerit. Hic enim in hoc ipſo libro de altera Clementis Romani ad Corinthios epiſtola ſic ſcribit; *Sciendum eſt* (inquit) *alteram quoque Clementis epiſtolam circumferri. Verum hanc non perinde receptam atque approbatam fuiſſe pro certo habemus; quandoquidem vetuſtiores eius teſtimonio comperimus nequaquam vſos eſſe,* ἰστέον δ᾽ ὡς καὶ δευτέρα τις εἶναι λέγεται τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολή· οὐ μὴν ἔτ᾽ ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ ταύτην γνώριμον ἐπιστάμεθα, ὅτι μηδὲ τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ κεχρημένους ἴσμεν. Aureus canon tuus Euſebi, quo tu definis, ne pro veris a nobis habeantur inſcripti veteribus libri, niſi quorum teſtimoniis vſos eſſe norimus vel ejuſdem, vel certe proximæ memoriæ viros. Ignatiana, ſi ea ad hanc regulam tuam expendiſſes, non magis, quam ſecundam illam Clementis epiſtolam vera ſinceraque cenſuiſſes. Revolve tuos ipſe codices, tuáſque hiſtorias; Reperies neque Irenæum, neque Tertullianum, neque Clementem Alexandrinum, neque eum, cuius tibi vni reliquias aliquot debemus, Eccleſiæ contra Artemonem defenſorem, ſi forte Caium, neque vllum ſuperioris memoriæ alium in tam multis adverſus hæreſes diſputationibus, Ignatianis tuis, quæ ad eas erant opportuniſſima, vſpiam vſos eſſe. Ex te ergo ipſo judicare licet, neque hæc Ignatiana γνώριμα *recepta atque approbata* olim fuiſſe. Sed falſa illa, quod dixi, de Irenæo & Polycarpo nequicquam animo præcepta opinio, ita hujus oculos ac ſenſus tenuit, vt neque de veterum ſilentio, neque de aliis in ipſo opere occurrentibus falſitatis notis cogitandum ſibi putaverit.

Euſeb. Hiſt. L. 3 c. 38. p. 110.

Ita ſemel conſtituta per Euſebii errorem & oſcitantiam Ignatiana, quæ per ducentos annos apud vetuſtiores, & Martyris temporibus viciniores, ignota & inaudita fuerant, hinc demum a noſtris noſci & celebrari cœperunt; partim Euſebii merito concedentibus, cui omnes plurimum debemus ob patefactas, ac explicatas, quod a nemine antea factum erat, rei Chriſtianæ origines; partim Polycarpiani & Irenæani teſtimonii falſa quidem illa, ſed tamen ab Euſebio oſtentata auctoritate deluſis; partim ipſa etiam rerum & orationis ab impoſtore, variis artibus quæſita & efficta, ſi non magnitudine, certe aliqua magnitudinis ſpecie deceptis. Huc & paulo poſt acceſſit ingens apud noſtros Athanaſii nomẽ; qui hæc ſequutus egregium quemdam locum, & ſuæ cauſſæ vtiliſſimum, in epiſtolis nactus, Ignatii eum nomine laudavit: *Ignatius* (inquit) *ille poſt Apoſtolos conſtitutus Epiſcopus, & Martyr Chriſti factus, de Domino ſcribens dixit; Vnus eſt medicus carnalis & ſpiritualis, genitus, & ingenitus, in homine Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo.* Ἰγνάτιος ὁ μετὰ τοὺς ἀποστόλους κατασταθεὶς Ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ γενόμενος, γράφων περὶ τοῦ Κυρίου εἴρηκεν, Εἷς ἰατρός ἐστι, σαρκικός καὶ πνευματικός, γεννητὸς, καὶ ἀγέννητος, ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ. Hinc Athanaſium doctiſſimus Hammondus *ſecum ſenſiſſe* gloriatur. Fateor virum maximum; cum hæc ad id, quod agebat, commoda eſſe videret, & ante ſe ſcripta fuiſſe intelligeret, ea laudaſſe, & deſcripſiſſe; quo

Athan. de Syn. Arim. & Seleuc.

Ign. ad Eph.

Hamm. Diſſ. 2. c. 24. §. 16.

nihil

nihil peccavit; Nomen, quod præferebant, retinere non dubitaſſe de quo ſcilicet ipſum Euſebium, tametſi Arianis, contra quos iſta afferebat, nimis faventem, conſentire ſciret, neque nunc ipſi, diſputatione graviſſima occupato, vel otium eſſet, vel cauſa, de veritate operis accuratius ac penitius cogitandi. Quod ſi ei in has curas incumbere vel vacaſſet, vel libuiſſet, ego vero non dubito, quin pro ſua ſingulari ſapientia id fuerit pronuntiaturus, quod ipſa, nunc apertiſſima, res, reique ratio nobis perſuadent. Suſceptam quidem ac defenſam ab Athanaſio Ignatianorum contra diſſentientes auctoritatem nondum audivi; quod illa doctiſſimi Hammondi ſane magnifica, plane ſignificant. *Poſt Euſebium Athanaſius Magnus ſuum etiam Ignatio noſtro clypeum obtendit.* Ille vero non Ignatio (quem Ariani adeo non petebant, vt etiam unus ex ſectæ principialis fuerit is, qui Ignatiano favore & plauſu ſuo ex tenebris in lucem eduxit) ſed Chriſti veritati, & Eccleſiaſticæ fidei *clypeum* ſuum contra Arianorum tela *obtendebat*. Si huic cauſæ intentus ſcriptori, quem laudat, nomen etiam apud adverſarios receptum ac confeſſum dedit; non video quid hoc magnopere Ignatium Hammondinum juvet, vel a telis noſtris tegat. Neque ſiquis, in diſputatione de alio argumento inſtituta, ſcriptorem alioqui dubium, eo, quod vulgo obtinet, nomine citaverit, ideo jure eum dixeris ſcriptori *clypeum ſuum obtendiſſe*. Quam multos noſtrorum videmus ipſa hæc veſtra Ignatii nomine in diſputationibus laudare, quorum tamen hunc revera auctorem fuiſſe non putant? Tu-ne hos ideo dixeris *clypeum ſuum Ignatio veſtro obtendere*? Hoc etiam Salmaſius, etiam Blondellus fecit, & quidem in ipſis illis operibus, in quibus ex profeſſo veſtra hæc Ignatiana oppugnant; ille quædam ex epiſtola ad Philadelphienſes citans; *Anacletum* (inquit) *& Clementem, Petri miniſtros facit Ignatius*; hic auctores recenſens, qui Oneſimum Timotheo dant ſucceſſorem, *Ignatius* (inquit) *epiſtola ad Epheſios*. Scio doctiſſimum Hammondum hæc ipſa denotaſſe; quaſi hi, *cum ſine eorum incommodo fieri poterat*, ſcriptorem pro vero Ignatio; vbi cauſæ eorum oberat, pro alio habuerint. Sed hanc jocularem eſſe animadverſionem nemo credo, negaverit. Omnes vident hos ad orationis compendium *Ignatium* eum dixiſſe, quem vulgo Ignatium & haberi, & audire intelligebant; quam interpretationem ac doctiſſimus quidem Hammondus, niſi ſupra omnem modum triſtis ſeveruſque fuerit, reſpuere potuiſſet. Quod enim duos illos viros *mentem mutaſſe* dicit, ita ſcilicet vt Salmaſius, quo loco epiſtolæ ad Philadelphienſes ſcriptorem *Ignatij* nomine citat, Ignatium ipſum fuiſſe revera credidit; mox pagellis inde non amplius, quam 26. alium fuiſſe opinari cœperit; poterat doctiſſimus Hāmondus joco tam diluto, tamque longe petito abſtinere. Huic, qui Salmaſium norit, non facile vt opinor, credet in eo viro quem, velit nolit doctiſſimus Hammondus, & ſuum ſæculum ſuſpexit, & poſteri admirabuntur, tantam fuiſſe, tamque inſanam, & ſolis morionibus dignam levitatem. Sed nos ad Athanaſium redea-

CAPVT XXXV.

Id. ibid.

Salmas. in Valon. Meſſal. p. 222.

Blondell Apol. p. 108.

Hamm. Diſſ. 2. c. 2 §. 2. 3.

Hier. in Catal.

CAPVT XXXV.

redeamus. Quocumque ille animo in Ignatiana fuerit, hoc quidem veriſimillimum videtur, quæ hinc a tanto in Catholicorum partibus viro, illinc ab Euſebio, non minoris famæ apud non deterrimi generis Arianos, pro Ignatianis haberi viderent, paucos deinceps fuiſſe, qui ea falſa eſſe exiſtimarent. Itaque & Hieronymus, qui errantem Euſebium non ſemel ſequutus eſt, eadem quoque de Ignatio, & epiſtolis dixit. Et Theodoretum his Ignatianis non ſemel in eximiis ſuis adverſus Eutychianos dialogis vſum eſſe nos ipſi vltro jam ſupra docuimus, & loca ſigillatim indicavimus; quæ hic quoque doctiſſimus Hammondus congeſſit. Quod vero idem negat ſe hic *commemoraturum S. Chryſoſtomi teſtimonium, encomiaque tanto Martyre non indigna*, id inquam, laudo. Neque enim iſta epiſtolas, de quibus quæritur, quicquam juvant. De Ignatio ipſo, ſumma omnia vltro fatemur. Neque iſta Hammondina Ignatiana alia magis de cauſſa repudiamus atque abjicimus, quam quod ea viro *manibus Apoſtolicis* conſecrato (quod hic doctiſſimus Hammondus ex Chryſoſtomo & Theodoreto obſervat) plane nobis indigna eſſe videantur, in quibus tam multa ſunt ab Apoſtolicorum hominum ætate, fide, moribus, ipſo etiam ſermone aliena. Sed hoc tamen miror, Hammonde doctiſſime, Chryſoſtomum illum, cujus te de Ignatio teſtimonium & encomia commemoraturum negas, in oratione Ignatii laudatoria, & panegyrica, inter Martyris præclara, plane nullam epiſtolarum, quas tu tuique tantopere admiramini, mentionem feciſſe. Vtinam tibi, quando ad hunc locum eras delatus, veniſſet in mentem nodum iſtum ſolvere. Certe non erat indignus vindice. Nam ſi ſcriptorem ſpectes, is erat Ignatii & ſtudioſiſſimus, & civis, Antiochenus domo. Si occaſionem, nulla eſſe potuit ad commemorandas epiſtolas præclarior, aut opportunior, in publica Eccleſiæ, Ignatio ſacra, panegyri. Huc accedit, quod non eſt obſcurum Chryſoſtomum propriarum Martyris, præter ipſum certamen, laudum inopia laboraſſe; quem videmus in communibus, vt quod Apoſtolis convixiſſet, quod Epiſcopus Antiochenus fuiſſet, quod Apoſtolorum manu conſecratus eſſet, & in aliis huiuſmodi magnam orationis partem conſumere; nihil Ignatii proprium præter paſſionem dicere; in qua illa eius verba, ἐγὼ τῶν θηρίων ἐκείνων ὀναίμην, refert atq; amplificat. Cur epiſtolas in ipſo pæne agone tam admirabiliter, vt vos vultis, ſcriptas ſilet? Cur nō aliquas ex iis maxime laudabiles ſententias, æque ac illam Martyris ore prolatam, recitat, ſuaviſſimis ac pulcherrimis divinæ ſuæ eloquentiæ floribus ornatas? Neſcio quam vos tam abſoni tamque a Ioannis noſtri candore & liberalitate alieni ſilentii rationem eſtis allaturi; Mihi quidem non alia ſuccurrit, quam hæc; Chriſoſtomum ſcilicet has epiſtolas, veſtras in quam delicias, idcirco tacuiſſe, quod eas vel neſciret, vel certe contemneret. Neſciviſſe virum tantum, quas & Athanaſius citaverat, & Euſebius in vulgatiſſimo Hiſtoriarum opere celebraverat, plane eſt incredibile. Supereſt, vt contempſiſſe fateamur. Contempſiſſe, quas Ignatii vere eſſe

Hamm. Diſſ. 2. c. 24. §. 18. 19. 20. 21.

Chryſ. Hom. in Ignat. T. 1. edit. Par. p. 506.

re eſſe ſenſiſſet, abſurdiſſimum dictu eſt. Ergo has Ignatii vere eſſe non putavit; neque adeo, Hammonde doctiſſime vobiſcum ſenſit. CAPVT XXXVI.

CAPVT XXXVI.

Licere a Patrum iudicio diſcedere quoties ij a veris diſcedunt. Diſſentientes falſo ſibi Patrum omnium conſenſum hac in cauſſa vindicare. Eorumdem dictum quod argumentorum Dialecticorum myrias contra vnius viri boni teſtimonium prævalere non poſſit, *expenditur, & refellitur. Cur hoc, quod mirificum eſt, & in ſpeciem abſurdum, poſuerint? Nimirum quod ſibi conſcij ſint ſuam hanc omnem cauſſam vno Polycarpi teſtimonio niti, ſed eo & incerto & ambiguo.*

HÆc ſunt quæ viri eruditiſſimi ex prima ad quintum pæne ſæculum antiquitate pro Ignatianis attulerunt, Polycarpi ſcilicet, Irenæi; Origenis, Euſebii, Athanaſii, Hieronymi, & Theodoreti teſtimonia; quæ quam nullam vim habeant ad id quod inſtituunt, probandum, ſatis jam, ni fallor, demonſtratum eſt. *Cæteram turbam* (eorum ſcilicet, qui his vel dignitate, vel ætate inferiores Ignatiana laudarunt) *adjicere ſupervacaneum eſſe*, ipſi judicant. *Nam qui iſtis, quos recenſuimus, non movetur, fruſtra futurus ſum* (inquit doctiſſimus Hammondus) *ſi illi cumulum augendo fidem etiam me aucturum ſperavero.* Bene profecto ac prudenter. Rerum enim geſtarum veritas ab eorum fide ac teſtimonio maxime pendet, qui vel iis interfuerunt, vel iiſdem quibus illæ gerebantur, temporibus vixerunt, vel certe eorum temporum proximi fuerunt, in quadam (vt ſic dicam) rerum ipſarum vicinitate; vnde earum veritatem, ſinceram adhuc, neque vllis figmentis corruptam audire, ac certo explorare & comperire potuerint. Iam Ignatianis temporibus & vixit Polycarpus, & proximus fuit Irenæus; Origenes ab iis paulo remotior, Euſebius vero & Athanaſius; & Hieronymus & Theodoretus etiam multo longius abfuerunt. Vnde quivis videt, qui Polycarpi & Irenæi vocibus ad hoc, vt vera eſſe Ignatiana agnoſcat, non movetur, eum Origenis & Euſebii & Athanaſii & Theodoreti teſtimoniis multo minus commotum iri; Quibus vero Ignatiana horum auctoritas commendare non potuit, apud eos minimum omnium valituras hominum, qui poſt Theodoretum, id eſt poſt quintum ſæculum vixerunt, opiniones ac ſententias. Cum ergo Polycarpi omnium qui excitati ſunt, teſtium longe optimi ac locupletiſſimi, maximeque idonei, quod affertur teſtimonium & ſubdititium mendacioque inſperſum, neque de his, quæ nunc habemus, Ignatianis clare ac neceſſario perhibitum fuiſſe; Irenæum vero qui ſequitur, & Origenem qui ſuccedit, plane nihil eſſe de epiſtolis teſtatos demonſtraverimus; apparet nihil eſſe

Hamm. Diſſ. 2. c. 24. 24.

Caput XXXVI.

eſſe hactenus cauſſæ, cur hæc, quæ obtruduntur, Ignatii eſſe credamus? Euſebium vere, & Athanaſium & Hieronymum & Theodoretum quorum qui antiquiſſimus eſt, ducentis & viginti annis poſt Martyris mortem vixit, clarum eſt tametſi cætera egregios, rei tamen tamdiu ante ſe geſtæ teſtes eſſe non poſſe idoneos, & omni exceptione majores, ac huiuſmodi denique quorum affirmationi ſimpliciter fidem habere, abſque vlla deliberatione debeamus. Ratio eſt in promptu, quia id, de quo quis teſtatur, pro certo accipere ac credere non tenemur, niſi is, qui teſtatur, id, de quo teſtatur, certo ſciat, ac compertiſſimum habeat. At Euſebius horum vetuſtiſſimus, ducentis & amplius annis poſt id tempus floruit, quo ſcriptæ dicuntur epiſtolæ; vt rem neque ipſe per ſe, id eſt vt loquuntur, *de viſu*, neque ab aliis, qui vidiſſent, viva voce traditam noſſe potuerit. Nulla ergo ei fit injuria, ſi teſtimonio, quod de epiſtolis perhibet, antequam fidem habeamus, quæramus vnde & quomodo id, quod ait, eas nimirum ab Ignatio ſcriptas eſſe; reſciverit; idque eo diligentius ab Euſebio exigendum eſt, quod is ſuo exemplo nos docuit vt ſupra oſtendimus, non eſſe pro veris admittendos libros veteribus adſcriptos, niſi quibus vſos eſſe conſtet viros auctorum vel συγχρόνους, vel certe proximæ iis memoriæ. Et hoc ipſe poſtulatum, veluti eius æquitatem perſpiciens, occupavit, allata in medium Irenæi & Polycarpi pro Ignatianis auctoritate. Vtrumque ſcriptorem conſului; quorum opera, vnde teſtimonium ductum eſt, adhuc ſuperſunt. In vtroque reperio falſum & hallucinatum eſſe Euſebium. Sed & cæteros eiuſdem ævi evolvens, neminē extare video, cui cognita fuerint noſtra hæc Ignatiana. Ea ergo cum bona Euſebii venia dimitto; non aliter quam noſtri, & in his, vt arbitror, doctiſſimus Hammondus, cum quod apud eundem legunt de Chriſtianis a Philone in libro de Vita contemplativa deſcriptis, id ab ipſo Philone ex illius commentarii lectione refutari ac negari deprehendunt, nulla ſe religione obſtringi putant, quominus relicto Euſebii errore, veriora ſequantur. Idem eſt de cęteris Eccleſiæ ſcriptoribus judicium. Vt enim Euſebium ſi qui ex poſteris de Philone errantem ſequuti ſint, vt Hieronymus, Epiphanius, & Caſſianus, & Sozomenus, & Beda, & alii non pauci, eos ſine vlla contumelia dimittimus, ita neque nobis religio eſt, vel eſſe debet, Athanaſium & Hieronymum & Theodoretum, multo vero etiam minus alios iſtis recentiores Euſebii falſæ de Ignatianis ſuſpicioni ex quadam animi ſimplicitate abſque dolo malo, ſed abſque certa ratione adhærentes veritati poſthabere, quam partim ex Patribus Euſebio vetuſtioribus, partim ex ipſarum epiſtolarum examine, ac diligenti cum primæ antiquitatis ſcriptoribus collatione perſpeximus. Ex quibus ſatis ni fallor, patet, quam iniqua ſit illa invidia, qua doctiſſimus Hammondus & Salmaſium & Blondellum, & cæteros fratres, ſi qui Ignatiana alio, quam ipſe, loco habent, non modo aſpergere, ſed plane obruere ſtudet, veluti non ferendæ in antiquitatem temeritatis atque inſolentiæ reos; qui rem

Euſeb. Hiſt. L. 2, c. 17.

Hier. Catal. in Philon. Epiph. hær. 29. Caſſian. Inſt. L. 2. c. 5. Bozom. L. 1 c. 12. Beda Procul. in Marc.

Hamm. Diſſ. 2. c. 23. §. 2. 3.

ſcilicet

ſcilicet *ab univerſa Patrum* omnium,*ne unico quidem excepto* , *corona* CAPUT XXXVI.
judicatum in dubium revocare, imo & aperte ab eorum judicio diſcedere audent. Mitto quæ in duos illos viros proprie ac præſertim in Blondellum noſtrum τ͂ μακαρίτ͂ & acerbiſſime,& immerito dicit. In genere quod ad cauſſam contra Ignatiana communem ſatis erit, reſpondeo primo virum doctiſſimum Patrum ſecum ſentientium numerum mirabiliter amplificare; dum omnes nemine excepto,ſuos eſſe gloriatur.Hoc vnde didicerit, vel quis ei narraverit, ſcire pervelim. Ipſe de tribus totis poſt Ignatii mortem ſæculis non alios teſtes citavit, quam Polycarpum,Irenæum, Origenem, Euſebium, Athanaſium,Hieronymum. Tres primos,quorum præcipua,ac longe maxima eſſe debet tota hæc in cauſa ratio,ei eripuimus. Ergo ſoli tres,ſed de quarto omnes ſæculo ſuperſunt,Euſebius,Athanaſius,Hieronymus.His-ne tribus *vniverſa* illa Patrum corona conſtat,quam a nobis tam graviter violatam quæritur?Sed ipſe vetat hæc ſic intelligi; dum diſerte monet ne vnum quidem de Patribus ex hac Ignatianorum hominum corona excipiendum eſſe.Quomodo vero id probat? Non equidem intelligo. Nam neque cæterorum præter hos tres quos dixi,vllas omnino voces affert, quæ quid ſenſerint, doceant,neque vllos teſtes,qui hanc vel ſingulorũ, vel vniverſorum fuiſſe de Ignatianis ſententiam affirment; neque denique vllum non dico argumentum, ſed vel argumenti veſtigium, quo conficiatur,non dico omnes Patres,ſed vel vnum præter illos tres,idem cum Euſebio de epiſtolis ſenſiſſe.Vel ergo demonſtrent Ignatiani veris ſolidiſque teſtimoniis omnes & ſingulos Patres ſuas illas epiſtolas Ignatii vere eſſe judicaſſe; vel deſinant nos inani hoc *omnium Patrum*, & *vniverſæ* Patrum *coronæ* ſtrepitu fruſtra terrere; quæ ſi ſexcenties ad ravim repetiverint,eo neque veriora erunt, neque apud nos probabiliora.Secundo reſpondeo nos nullam injuriam Patribus facere,ſi non ſtatim ſequimur & approbamus quidquid apud vnum,aut alterum,imo etiam apud plures eorum invenimus. Hæc vnius Scripturæ divina eſt auctoritas; vt omnia ejus dicta, dogmata, ac teſtimonia plena fide incunctanter ſuſcipi debeant.Patrum quamlibet vel ſanctorum, vel doctorum,longe diſpar eſt conditio; quos,vt humanæ infirmitatis conſcios,labi interdum & errare poſſe Chriſtiani omnes confitentur, etiam qui plurimum Patribus tribuere videri volunt Latini; neque quiſquam credo, nunc eſt, qui illud Auguſtini de hoc argumento & vetus & ſapiens ad Hieronymum dictum non probet; *Ego* (inquit) *fateor caritati tuæ ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe,firmiſſime credam* &c. *Alios autem ita lego,vt quantalibet ſanctitate,doctrinaque præpolleant,non ideo verum putem,quia ipſi ita ſenſerunt,ſed quia mihi,vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Scio hanc de Ignatianis controverſiam non ad fidem Chriſtianam,ſed ad eas res pertinere.

Auguſt. Epiſt. 19.T. 2.

CAPVT XXXVI.

tinere, quæ ſunt olim in Eccleſia geſtæ. Quæritur enim, non quod ſimpliciter dicit doctiſſimus Hammondus, *an epiſtolas ſcripſerit Ignatius* (quis enim tam fatuus eſt , vt ſcripſiſſe eum aliquas neget ?) Sed an has, quæ circumferuntur, ſcripſerit ? Sed neque in hoc quæſtionum genere quicquid vel ab vno, vel etiam a pluribus, affirmatur, id ſtatim ita admitti debet, vt rem ad examen revocare nefas ſit. Nam & in his ſæpe labi homines, etiam bonos, etiam optimos, quis negaverit? Hoc vero ipſum etiam Patribus aliquando accidiſſe vel id vnum exemplum, quod eſt hic a præſtantiſſimo Blondello allatum, ne alia ejuſdem cenſus plura congeram , ſatis demonſtrat. Quæ dicebantur Sibyllina carmina ea Hermas, Iuſtinus, Athenagoras, Theophilus , Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Lactantius , alij complures nemine (quod quidem ſciamus) diſſentiente , pro vero germanoque Sibyllæ opere habuerunt. Ideo-ne vel cum his ſentiemus , vel intolerabilis in antiquitatem contemptus damnabimur? Abſit. Potiora ſunt ſemper veritatis jura. Cum res ipſæ Sibyllarum id opus eſſe negent, veritas falſo magnorum licet, hominum tamen judicio anteferenda eſt. Ἀπόδειξιν id eſt *demonſtrationem*, pluris eſſe *vnam* quam *multa probabilia argumenta*, libens doctiſſimo Hāmondo aſſentior; dummodo ea vera ſit non nomine tantum, & ex ſola diſputantium opinione ἀπόδειξις. Plærique enim eorum , quibus ſtudent , probationes , etiam interdum futiliſſimas , eſſe tamen iactant *demonſtrationes*, & quidem claras, evidentes, neceſſarias; qualiter Turrianum novimus ſuas de *Conſtitutionibus & Canonibus Apoſtolicis* ſuſpiciones ac coniecturas, omnes licet fluxas ac evanidas, quaſdam etiam ſtultas & abſurdas , pro totidem invictis demonſtrationibus orbi Chriſtiano magna confidentia Græce Latineque oſtentaſſe ; neque tamen cuiquam, ne ſuarum quidem partium, cordato id, quod cupiebat, perſuaſiſſe. Si probationum, quas doctiſſimus Hammondus pro ſuis Ignatianis attulit, aliqua vim eam haberet ; quam vera *demonſtratio* habere debet, vel vnam concederem illa, de qua tam contemptim loquitur , Dialecticorum ſeu probabilium argumentorum *myriade* potiorem futuram. Sed, vt dicam quod res eſt, neque vllam ego hactenus de Ignatianorum veritate vel apud hunc, vel apud alios demonſtrationem reperi, neque ea, quæ contra ſunt argumenta , ita levia ac futilia eſſe ſum expertus, vt nullam, ſi non plane penituſque aſſentiendi, certe dubitandi & ambigendi neceſſitatem afferant, Sed de vtriuſque partis vel veritate, vel probabilitate, penes lectorem judicium eſto. Supereſt vltimum doctiſſimi Hammondi de probationibus effatum, qui *Dialecticorum , ſeu probabilium argumentorum myriadem in rei geſtæ quæ dicitur, quæſtione negat contra vnius viri boni teſtimonium , multo minus contra omnium Patrum conſenſum quicquam valere.* De *omnium Patrum conſenſu*, dicere nihil neceſſe eſt, quem pro Ignatianis ſuis a viro doctiſſimo adeo fruſtra iactari oſtendimus, vt ne quatuor quidem Patres ex omni ſecundi, tertii, & quarti ſæculi copia nominare potuerit, qui ſuas

Hamm Diſſ.2. c.23 §.3.

Blondel. Apol. Hier. p.48. ext.

Hamm. Diſſ.2. c.23. §.6.

Id. ibid. §.6.

illas

illas Ignatii epiſtolas vel ſemel memoraverint; nequid jam de omnibus CAPVT
ſecundi, tertiique ſæculi Patribus dicam, quorum ſilentio totum iſtud XXXIV.
epiſtolarum ſyſtema validiſſime deſtrui ſatis ſuperque demonſtravimus, Illud vero quis non miretur, quod vel *vnius viri boni teſtimonium, ad* rei alicuius geſtæ veritatem conſtituendam, omnique ex parte confirmandam adeo ſufficere putat, vt neget *argumentorum probabilium* vel totam *myriadem quicquam contra valere* ? Quid ſi enim *bonus* ille *vir*, quod ſæpe contingit, falſus fuerit ? Si vel aliquo animi ſtudio impulſus, a quo ne optimi quidem plane ſunt immunes, vel a plane aliquo deceptus, vel non ſatis ſingula attendens, vel aliqua mentis infirmitate laborans, qualem Papiæ, optimi alioqui viri, fuiſſe notavit Euſebius, vere id eſſe geſtum falſo putavit, quod revera geſtum non eſt ? Etiamne eius judicio ita mordicus erit adhærendum; vt quod ille falſo dixit, id plena, ac certa fide verum eſſe credamus ? & argumenta, etiamſi decies mille occurrant; quæ eius teſtimonium oppugnent, omnia repudiemus, & veritatem hac allucente face, emicantem faſtidiamus ac repellamus? Iſta iubet doctiſſimi Hammondi Hierarchica lex. Quid? Ne eam quidem apud nos vim habebunt tam multa in vnum teſtimonium incurrentia argumenta, vt de eo ſaltem dubitemus? Vt aſſenſum animi noſtri cohibeamus, & deliberandum amplius, vt in re obſcura, ac involuta ſtatuamus? Ne id quidem nobis concedunt Hierarchici, ſi doctiſſimo Hammondo credimus. Nam cum argumentum probabile ad duo valere poſſit, vt id, quod oppugnat, teſtimonium ; vel falſum, vel ſi non falſum, certe dubium & obſcurum & incertum eſſe putemus ; ad neutrum valere id genus argumentum finit doctiſſimus Hammondus, qui diſertiſſime *QVICQVAM valere* negat. Si enim valeret, falſo *quicquam valere* negaretur. Non vrgebo legem acrius; neque exaggerabo, quam veritati, qua nihil eſt in rebus humanis ſanctius, inimica ſit, quanta cum iniuria, ſacra eius & inviolabilia jura pulſet; quas ruinas, quas ſtrages ſi admittatur, vbique editura ſit; quæ mendaciorum & fabularum plauſtra in omnes litteras invectura. Iſta nemo eſt, qui ſi quid animum intenderit, non facile poſſit perſpicere. Hoc vnum dicam, non modo ſapientibus, juris civilis conditoribus, ſed ipſi etiam Deo optimo maximo Legiſlatori vſque adeo ſuſpectum fuiſſe ingenium humanum, vt in privatis publicisque iudiciis, vbi multo minori cum periculo, quam in ſacris & Eccleſiaſticis litteris erratur, noluerint tamen ex vnius teſtimonio ſententiam ferri, quantumvis probi, ac ſancti, etiam cum in eum nulla incurreret argumentorum Dialecticorum myrias. *Non ſtabit* (inquit) *teſtis vnus contra aliquem , quicquid illud peccati* Deut. 19.15 & *& facinoris fuerit ; ſed in ore duorum , aut trium teſtium ſtabit omne* 17.6. *verbum.* Hic, vbi non vnius mortalis incolumitas, ſed quæ plurium hominum vita potior eſt, Chriſtiani dogmatis integritas agitur, miror doctiſſimum Hammondum *vnius tantum*, non *ſaltem duorum* aut *trium teſtium* vocem ad rem præſertim contra illam argumentorum quam

CAPUT XXXVI.

dicit, adverſantium myriadem, muniendam ac ſtabiliendam requiſiviſſe. Itaque Bellarminus, cum noſtris ex Pauli in multis locis ſilentio, & ex aliis Dialecticis probationibus Petrum Romæ non fuiſſe argumentantibus illud ipſum reponere vellet, quod nunc viri doctiſſimi nobis objectant *plus credi* dixit; non vni, ſed *tribus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus*. Et idem alibi in diſputatione de extrema vnctione ſua, idem Chemnitio eodem modo reſpondet *magis credi debere, tribus teſtibus affirmantibus, quam infinitis nihil dicentibus*. Vir ergo doctiſſimus, ita ſaltem cum Bellarmino loqui debuerat, ſi quid caute & aliqua cum ſpecie dicere vellet. Sed videre mihi videor, quid hominem eruditiſſimum in has anguſtias compulerit, vt vnum in ſua lege teſtem præter divinas ac humanas leges dicere coactus ſit. Nimirum intelligebat vir prudentiſſimus parum in hac de Ignatianis cauſa valere ſolum per ſe Euſebii teſtimonium; qui ducentis annis poſt rem, de qua quæritur, geſtam vixerit; de qua adeo teſtari minime ſit idoneus. Hoc vnum ex ejus teſtimonio haberi poteſt, jam extitiſſe illo tempore, id eſt a. D. 330. ſex ſeptemve Ignatii nomen præferentes epiſtolas. Sed an eæ vere, quod titulus præferebat, ab Ignatio ſcriptæ eſſent, Euſebii ducentis & amplius annis poſt Martyris obitum ſcribentis, ſola per ſe vox nequaquam firmare poteſt. Id fateor, hoc ipſo ſatis conſtaret, ſi duobus illis ſæculis quæ ab Ignatii martyrio ad Euſebium fluxerunt, nulla eſſent alienis nominibus ſubdita, ac ſuppoſita opera. Nunc cum compertum habeamus & quidem ex ipſo Euſebio, multa illis ipſis ſæculis afficta fuiſſe vetuſtioribus, præſertim Apoſtolicis viris; vt Clementi, alteram ad Corinthios epiſtolam, & petri cum Appione diſputationes, cum his ipſis temporibus & Sibyllina, & Hermæ viſiones & alia multa non melioris furfuris exierint; quis præſtabit non fuiſſe ex eo quoque numero illa ab Euſebio agnita Ignatiana? Sed Athanaſii, & Hieronymi, & Theodoreti teſtimonia multo etiam minus, quam Euſebii valere manifeſtum eſt; primo ob ætatem; quia Euſebio omnes illi juniores; ideoque a rei geſtæ memoria remotiores; ſecundo ob ipſius teſtimonii rationem. Nam Euſebii omnes judicium, Hieronymus etiam verba, ſecutus eſt, vt hoc non tam illorum, quam vnius Euſebii teſtimonium cenſeri debeat. Huc accedit, quod Athanaſius & Theodoretus proprie de Ignatianorum auctore nullum dicunt teſtimonium; libro duntaxat, qui in medio erat, vtuntur, eumque quo vulgo nomine dicebatur, appellant, & eum eſſe vt loquimur, *ſupponunt*, quem Euſebius affirmaverat. Nihil enim ad rem quam agebant, magnopere pertinebat accurate diſcuti, is ne ſcriptor revera fuiſſet Ignatius. Satis erat auctoris eſſe ante editam Euſebii hiſtoriam extantis, & in manibus noſtrorum verſantis. Ita enim valide conficiebatur non nova & nudius tertius tantum nata eſſe ea dogmata, quæ ex eo recitabant Athanaſius, & Theodoretus. Quomodo & Catholici diu antea in ſua adverſus Montaniſtas diſputatione Hermæ, ſive Paſtoris libro vſi erant, non vt veri, ſed vt ſuo

Bell. de Rom. Pont. L. 2. c. 8. §. Reſpondeo primo.
Id. L. de extr. Vnct. c. 6. §. Reſpondeo.
Tertull. L. de Pudic.

CAPUT XXXVI.

ſuo ævo vetuſtioris, adeoque de ſuperioris Eccleſiæ ſenſu ac more teſtari idonei ſcriptoris; tametſi minime ignorarent auctorem, non Apoſtolicum illum Hermam, ſed alium quemdam iſto multo recentiorem fuiſſe. Iam Origenis de Ignatianis teſtimonium doctiſſimus Hammondus & dubium ac ſuppoſititium videri, ac vt verum eſſet, parum eſſe in eo præſidii repoſitum non neſciebat; quod Origenes prætterquam quod vno ſæculo, & annis circiter triginta poſt Ignatii mortem ſcripſit, id inſuper moris habet, vt apocryphis ſæpe vtatur, eaque perinde citet, ac ſi vera & ſincera eſſent; vt patet * & eſt a Bellarmino † obſervatum. Irenæum denique doctiſſimus Hammondus ſatis ſciebat ne vnum quidem verbum de epiſtolis dixiſſe. Itaque ex omni illo teſtium numero, quos pro Ignatianis ſub *omnium Patrum* nomine jactare ſolet, ſatis ſibi conſcius erat vnum ſe tantum habere Polycarpum, cujus teſtimonium alicuius revera eſſet in ſua hac cauſa momenti. Eo ni fallor, factum eſt, vt *VNIVS BONI VIRI teſtimonium* omnibus Dialecticis argumentis *prævalere*, inprimis veluti quoddam ab omnibus recipi dignum axioma præſtruxerit; id eſt Polycarpi, quod afferre ſe putat de Ignatianis, teſtimonium noſtris omnibus argumentis (quæ ipſe elevat & *Dialectica* ſive *probabilia* contemptim vocat) ita incomparabiliter præſtare, vt noſtra deinceps ne ſint quidem audienda. Hæc omnino viri doctiſſimi mens in ſua lege fuiſſe videtur; hæc eum rationes coegiſſe, vt non duos ſaltem, cum divinis humaniſque legibus, teſtes in hoc negotio requiri, ſed VNVM (quod profecto novum & mirabile eſt) ſatis eſſe dixerit. Sed ne ſic quidem Ignatiana conſtitui poſſe ex iis quæ nuper diſputavimus, patet. Doctiſſimus enim Hammondus concedet credo, primo teſtem illum, cujus vnius voci tantum detulit, non modo ipſum *bonum* eſſe debere & de re quæ agitur, teſtari idoneum, adeoque hujuſmodi, qui eam ipſe viderit, perſpectamque habuerit; ſed etiam teſtimonium, quod eius nomine affertur, ſincerum eſſe debere, & legitimum; ita vt primo certum ſit & indubitatum id ejus eſſe auctoris, cuius eſſe dicitur; tum vt de re quæ quæritur, clare perſpicueque pronuntiet, ſic vt nulla ſuperſit dubitatio, an de alio, non autem de hac ipſa dictum ſit. Nam ſi teſtis, tametſi bonus, a re tamen, de qua quæritur, longe abfuerit, & alio vel loco, vel tempore multum ab iis quibus geſta eſt, remoto vixerit; apparet ejus vocem nullum, vel ſane perexiguum ad controverſiam decidendam momentum habituram. Sin ipſe quidem rei, quæ geſta dicitur, interfuerit; cæterum quod affertur eius nomine teſtimonium, vel eius certo ac indubitato eſſe non conſtet, vel etiamſi eius eſſe conſtet, id tamen obſcurum ſit & ambiguũ, quodque alia de re dici ac intelligi poſſit; ne ipſum quidem doctiſſimũ Hammondum pugnaturum puto, quin hiuſmodi teſtimonium ad fidem de re quæſita faciendam plane ineptam futurum ſit, quantacumque de cætero ſit eius viri, cuius nomine profertur, auctoritas atque veracitas. Iam ad hanc regulam Polycarpi nomine obje-

* *Vid. Orig. Philoc. c. 1. p. 22. 87. Homil. 8. in Levit. L. 1.* περὶ ἀρχ. *& alibi ſæpe.*
† *Bell. in Catal. in Paſtore.*

CAPVT XXXVI. ctum a diſſentientibus de Ignatianis teſtimonium ſi expendamus, liquebit ne hoc quidem iis, quod tanti faciunt, VNIVS boni viri teſtimonium in hac cauſſa ſupereſſe. Polycarpum inprimis confitemur virum, & longe optimum ac ſanctiſſimum fuiſſe, & iis temporibus ac locis vixiſſe, quibus rem, de qua quærimus, optime perſpectam habuerit. Sed hoc, quod ei aſcribitur de epiſtolis ab Ignatio ſcriptis teſtimonium, eius eſſe non poſſe inde validiſſime demonſtravimus, quod cum veris Polycarpi in eodem, vnde profertur, epiſtola vocibus pugnet, vivere adhuc in terris Ignatium ſignificans, quem ille martirio iam conſummatum apud Dominum eſſe dixerat. Tum & teſtimonium, ſi pro Polycarpiano recipiatur, ambiguum eſſe, neque de his, quæ controverſæ nunc ſunt, epiſtolis, clare liquidoque, ac (vt ſic dicam) definite loqui. Litteras Ignatii ſive ad ipſum Polycarpum, vt Græca præferunt; ſive ad Philippenſes (vt Latina exhibent) & alias quaſdam indefinite loquitur. Has illas ipſas eſſe, quas nunc habemus, vnde certo demonſtratur? Ad Philippenſes quidem, quæ hodie extat, eam minime eſſe, quam Latinus Polycarpi codex loquitur, Reverendiſſimus Vſſerius, ipſo etiam, vt opinor, doctiſſimo Hammondo conſentiente, confitetur, hanc noſtram omnium eſſe deterrimam, & ab impoſtore aliquot poſt Ignatii martyrium ſæculis confictam cenſens. Sed neque eam, quam ad Polycarpum habemus, hanc eſſe, quam Græcus codex ad eum ab Ignatio datam dicit, idem ille Reverendiſſimus Vſſerius concedit; qui hanc ad Polycarpum noſtram inter nothas & fictitias cenſet. Cætera, quas apud Polycarpum fuiſſe dicit quidem teſtimonium, ſed nulla nota quæ, qualeſque fuerint, deſignat; quis quæſo nobis Propheta expediet has ipſas fuiſſe, quas nunc vel codex vulgatus duodecim, vel Vſſerianus & Voſſianus ſex exhibet? Quam viri doctiſſimi laurum momorderunt, vt eaſdem eſſe vaticinantibus tuto credamus? Quod ſi pro Polycarpiano teſtimonium admittitur, cur non illud potius, quod & factu facillimum fuit, & veriſimillimum eſt, ſequamur; nimirum impoſtorem, cum ſcriptas hinc didiciſſet olim fuiſſe ab Ignatio aliquot epiſtolas, eaſque iam deſiderari animadverteret, conſilium inde cepiſſe ſuas ſub eodem nomine fingendi, & edendi? Favente fraudi hac Polycarpi auctoritate providentem ſe tuto ſub hac larva hominibus facile poſſe imponere, ea vtplurimum avide excipientibus, quæ magnis nominibus tecta offeruntur, ex innata pæne omnibus cupiditate res veterum, maxime ſanctorum & illuſtrium, noſcendi? Ejuſdem quoque fuiſſe conſilii, quod quæ de veris Ignatii epiſtolis paucula iſtic dicuntur, ea novus artifex callide in ſuas transferret? Vt illud de legatione Antiochena breviter atque obiter a Polycarpo dictum, quod noſter late per omnes ſuas epiſtolas ſparſit, etiam legationis cauſam, pacem ſcilicet Antiochenis redditam (de qua nihil ille dixerat) & cuius ordinis viri mittendi eſſent, & cætera, de ſuo liberaliter commentus? Nam

vt in

vt in epiſtolis ea ſcriberet, quæ *ad fidem & patientiam, & ædificationem Domini pertinerent*, nihil credo, monitore Polycarpo opus habuit, qui talia quædam in veris Ignatii litteris fuiſſe ſcribit. Ipſum enim & Ignatii, quem ſimulandum ſumpſerat; nomen, & captum de rebus divinis & Eccleſieſticis ſcribendi, conſilium homini ſatis per ſe ſuggerebant & de fide plurima paſſim inſpergenda, & de Eccleſiæ præfectis debita obedientia diſputandum, & de perſeverantia in Chriſtiana vocatione non ſemel diſſerendum; quæ ipſa haud quaquam perfunctorie vbique præſtitit; ſperans ſe his coloribus hominum oculis ac mentibus ſic illuſurum, vt olim pro vero Ignatio ab omnibus haberetur; quod ſane & quidem multo, quam ipſe, vt opinor, ſperaverat, luculentius ac magnificentius eſt conſecutus. Hoc certe Polycarpi teſtimonio Latini pro ſex illis Ignatianis epiſtolis, quas præter Vſſerianam collectionem aſſerunt, non minus ſpecioſe vtuntur, quam pro ſuis ſex primis Reverendiſſimus Vſſerius & doctiſſimus Hammondus. Hi Latinis objectionibus negant de ſex illis, aut quinque epiſtolis loqui Polycarpum; quas ipſi ob multas, quas gerunt ſuæ falſitatis notas, ex rerum Ignatianarum cenſu expungendas argumentantur. Noſtra eadem cum ipſis eſt de ſex alijs ratio, quas ex ſuis vetuſtioribus codicibus proferunt. Has nos, plane vt ipſi illas, paribus de cauſis negamus vere eſſe Ignatianas; itaque & has nos, perinde vt ipſi illas alias, ab impoſtore aliquo confictas fuiſſe contendimus. Polycarpiani ergo teſtimonii ceſſat in vtroque cauſſa auctoritas; in nos pro doctiſſimis viris nihilo validior, quam in viros doctiſſimos pro Latinis. Seponenda ergo pariter eſt in vniverſa de Ignatianis cauſſa hujus teſtimonii auctoritas; res argumentis illis, quæ doctiſſimus Hammondus *probabilia* vocat, vtrimque velis nolis, agenda eſt. Eo neceſſario redeundum eſt; cum neutris præſto ſit beata illa ἀπόδειξις, de qua ſibi vir doctiſſimi fruſtra blanditur; cui ex prima & Ignatii proxima antiquitate ne illud quidem ſuperſit vnius boni viri teſtimonium, quo ille ſe ſolabatur, ſuaſque omnes de re ignatiana ſpes ſuſtentabat.

CAPVT XXXVI.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Occurritur invidiæ , qua nos immerentes obruere ſtudet doctiſſimus Hammondus , veluti Patres omnes floccifaciamus , quod paucorum ex ijs de Ignatianis iudicia veris deprehenſis poſthabeamus. Id & licere nunc, & ſemper licuiſſe , abſque vlla eorum quibus vera anteferimus, iniuria.

SEd priuſquam hanc diſputationem concludam paucis ſatisfaciendum eſt cuidam virorum doctiſſimorum gravi ſane & invidioſæ de nobis expoſtulationi, quos illi, quod ab Euſebii, & Hieronymi & Athanaſii de Ignatianis judicio diſcedamus, ſic accuſant, quaſi ſcriptores illos & antiquiſſimos & doctiſſimos , & de Eccleſia optime meritos contemnamus, ac præ nobis ipſis floccifaciamus. Abſit vero ab animis noſtris tanta væſania. Nos maximos illis viris juſtas ac legitimas, quas meriti ſunt, laudes minime invidemus, eoſq; honores qui vtiliſſimis eorum pro re Chriſtiana laboribus debentur , gratis animis libenter exſolvimus. Neque eos, quod in hac quæſtione non ſequimur , ideo ſpernere cenſendi ſumus. Quam multi quotidie a majorum de rebus ejuſdem ſenſus ſententiis impune diſcedunt, cum vel longa dies ſuperioris ævi errata corrigit, vel poſterorum acrior attentio, & cura diligentior patefacit, quæ diu antea latuerant ? Commentarios quoſdam in Paulum habemus, quos veteres omnes a nono ſæculo ad noſtrã memoriã Ambroſii eſſe putarunt, ideo vna cum ejuſdẽ auctoris operibus editos. Ambroſii nomine citarũt Patres Synodi & Pariſiẽſis a. D. 824. & Aquiſgranẽſis a. D. 862. & Hincmarus a. D. 859.* & Prudentius Tricaſſinus, * eodem ſæculo; & ſecutis ad noſtra tempora, omnes. At non eſſe hoc opus Ambroſii eruditi vtrarumque partium deprehenderunt, neque eorum cuiquam vel fraudi, vel invidiæ fuit, innocentem Synodorum & ſcriptorum noni ſæculi errorem emendaſſe. Nemo queſtus eſt, quod hi antiquitatem contempſerint, ſeque ei ipſi prætulerint. Quid ex Auguſtini operibus expuncta a recentioribus memorem opera, quæ pro Auguſtinianis lõgiſſima retro ætas habuerat, vt Quæſtiones veteris & Novi Teſtamenti, Hypognoſticon, libros de Prædeſtinatione, de gratia , & alia ? Quid Hieronymo ab iiſdem detractat, quæ ei veteres conſtanter jam ab annis octingentis tribuebant ? Cenſoribus adeo non ſuccenſuerunt eruditi , vt etiam gratiam habuerint ; neque quiſquam nunc eſt paulo humanior, qui non eadem & ſentiat, & ſequatur. Dionyſii illa, de quibus nos quoque diſputavimus , Areopagitica , & Clementina de Apoſtolorum Conſtitutionibus, & Canonibus , multis ſæculis etiam a præſtantiſſimis viris pro veris ac genuinis auctorum iſtorum operibus habita; quotuſquiſque jam eſt eruditorum , qui non

*Hincm. de Prædeſt c. 33. p. 254. 255. 403

*Prudent. contr. Ioann. Scot. p. 456. 499. 512. 619. 548.

ſpuria,

ſpuria, & tantis nominibus immerito affiꝺa confiteatur? Ac vt antiquiſſima attingam, Petri itinerarium Origenes laudat; Laudat idem neque is ſolus, Hermæ ſive Paſtoris volumen; Laudat cum eo Clemens Alexandrinus, & vtroque nonnihil vetuſtior Irenæus, & eodem vſos antiquiſſimos ſui ævi Catholicos docet Tertullianus. Quiſquam ne Glaſium contemptæ antiquitatis ideo inſimulandum putavit, quod vtrumque opus confixerit, & inter apocrypha rejecerit? Idem nobis jus eſt; idem quantumvis ſeris nepotibus in æternum erit, veriora, vbicumque perſpexerimus, & eligere, & ſequi. Tu nobis vel datam a Deo rationem eripe, vel certe quæ hujus locis ope veriora eſſe perſpeximus, ea vt ſequamur, concede. Nihil neceſſe eſt homines in pecudes transformare, vt ſuus Patribus honos conſtet. Si quod audiunt, Patres vere ſunt, favebunt nepotum laudi, & hos aliquid ſuo marte vidiſſe gaudebunt, neque ſe etiam in devia eſſe ſecutos, neque a ducentium nutu, veluti muta animalia, pependiſſe. Sed (inquis) tardi eſt, & ἀνήθες, ac pene fatui & ſtupidi hominis in impoſtoris laqueos incidere. Bona verba, inquam. Abſit a nobis, vt Euſebium, & Athanaſium, & Hieronymum; abſit vt vel hos, qui epiſtolas nunc habent pro veris germaniſque Ignatii opuſculis, *tardos* & ἀήθεις, nedum vt, quod vel dicere horret animus, *pæne fatuos*, *& ſtupidos* vel fuiſſe, vel eſſe putemus.

Non obtuſa, adeo geſtamus pectora
Nec tam averſus equos noſtra ſol iungit ab vrbe.

In hos vero, quos tu dicis, *laqueos* etiam acutiſſimi nonnunquam incidunt, dum ſibi ſatis non cavent, dum nullas inſidias verentur, dum non attendunt penitius, quid videant. Origenes, & Irenæus & Clemens Alexandrinus in Herma falſi ſunt, quem apocryphum eſſe & conſtat, & omnes conſentiunt. Nemo tamen ita deſipit, vt viros ſui ſæculi præſtantiſſimos, ideo *ſtupidos*, aut *pæne fatuos*, vel *tardos* & εὐήθεις eſſe exiſtimet; tametſi eorum in Herma quam Euſebii, & Athanaſii in Ignatio error, multo fœdior atque inexcuſabilior fuiſſe merito videatur. Hermam enim *omne Eccleſiarum* Catholicarum *concilium inter apocrypha & falſa*, teſte Tertulliano, *judicaverat*; Ignatium nulla Eccleſia, nullus quod ſciamus, vel Catholicus, vel hæreticus reprobraverat; vt in hoc quam in illo decipi longe facilius fuerit. Scio Euſebium, & Hieronymum, Pariſienſibus, & Aquiſgranenſibus Patribus & Hincmaro & Prudentio multum antecelluiſſe. Non ideo tamen hos *fatuos*, *& ſtupidos* fuiſſe dixeris; quamquam ipſi quoque graviter in diſcernendis aliquot vel Ambroſii vel Hieronimi vel Auguſtini nomina præferentibus opuſculis hallucinati ſint. Simplex in hujus generis rebus error longe ab ingenii *tarditate*, εὐηθείᾳ, etiam multo longis *a ſtultitia* & *mentis ſtupore* diſtat. Faceſſat ergo illa doctiſſimorum virorum nimia profecto ſeveritas, non aliter nos ab Euſebii & Athanaſii de

CAPVT XXXVII.

Tertull. l. de Pudic. c. 10.

CAPVT XXXVII. Ignatianis ſententia diſcedere poſſe judicantium, niſi viros ſummos *ſtuporis, & tarditatis*, ac tantum non *ſtultitiæ* damnemus. Vide, quo deſitura ſit, ſi admittatur, hæc iſtorum regula. Si mihi a Patrum de libris judicio diſcedere non licet, ne eos ſcilicet ſtuporis & ſtultitiæ damnare vel arguere videar, id eſt ejus criminis, a quo ipſos longiſſime abfuiſſe conſtat, profecto multo mihi minus liberum eſſe debebit, ab eorumdem ſententia in fidei & religionis rebus diſcedere; quod in his, quam in illis error multo ſit craſſior & gravior. Quid ſi iis contigerit, vt multis contigit, vel contra, vel præter Dei Scripturas, vel etiam contra manifeſtam rerum ipſarum rationem ſapere; an ne tunc quidem fas erit eos dimittere? Cave faxis, inquit illa a viris doctiſſimis poſita lex. Si feceris, eadem opera *tardos & fatuos* fuiſſe aperte definiveris, qui in clara vel Dei, vel naturæ luce cæcutierint; quod de talibus viris vel ſuſpicari inſignis eſt contumeliæ. En quo nos abducant viri doctiſſimi! in quæ præcipitia nos impudentes trahant, ac impellant! dum Patribus, quo ex eorum ſententia cauſſam vincant, falſo honoris nomine, divinitatem quandam affingunt! Nos vero vni veritati primas in omnibus deferendas cenſemus; vt quicquid ab ea abit, id cujuſcumque ſit auctoris, libere quidem dimittamus; non ideo tamen, quem erraſſe comperimus, vel oderimus, vel contemnamus. Euſebius de Ignatianis hallucinatus eſt. Quid-ni & in hoc & in aliis paucis errarit, qui homo fuit? Vidit in libri fronte ac titulis Ignatii nomen; In ipſo libro, multa bona, atque vtilia, contra veteres hæreſes non pauca, multa pro fide Apoſtolica; multa pro eo ordine, quo regebatur ſui ævi Eccleſia. Captus hac ſpecie nævos, aut non animadvertit, aut etiam in Martyris corpore ferendos putavit. Ad hæc decora acceſſit ex Polycarpi & Irenæi verbis non ſatis expenſis, duplex pro libro in ſpeciem egregium teſtimonium. His victa mens quin Ignatii eſſet opus; non dubitavit. Ego in hoc ejus judicio errorem re diu multumque agitata mihi videor deprehendiſſe; *tarditatem*, εὐήθειαν *ſtultitiam, ſtupiditatem*, nullam neque ego denoto, neque quiſquam ni fallor, alius quantumvis naſutus animadverterit. Athanaſii vero etiã multo facilior eſt purgatio; quem præter ſuperiora omnia ipſum Euſebii exemplum, atque eruditio in has partes impulit, & magnæ ac aſſiduæ occupationes, ac tempeſtates, quibus pæne tota maximi illius viri vita jactata eſt, prohibebant de his multo levioribus, diligentius cogitare. Hieronymi & Theodoreti pæne eadem eſt ratio; niſi quod vtrumque errare tanto proclivius fuit, quod præter Euſebium, ipſum quoque Athanaſium præeuntem haberent. Conſtituta ſemel tantorum nominum auctoritate Ignatiana nihil mirandum eſt ſequiorum ſæculorum homines paſſim vera cenſuiſſe. Quod enim duo tres-ve nobiles magiſtri ſemel poſuerant, id apud poſteros ratum eſſe ſolet. Vbi vero errorem ſectatorum multitudo confirmauit, is nõ modo pro vero, ſed & pro ſacroſancto habetur; vt contra ire nemo fere impune poſſit. Primo quotus

quiſque

CAPVT XXXVII.

quiſque hæc curat; Nulla fere litterarum pars eſt, quæ minus excolatur, quam hæc, quæ de libris judicat. Poſt Hieronymi lucubrationes & Gelaſii P. R. I. judicem nihil fere in hoc genere prodiit. Quos titulos libris vel ſors, vel impoſtorum fraus, vel librariorum ſiue ſtudium ſiue avaritia fecerat eos bona fide excipiebant homines, plærique antiquorum rudes. Si qui erant doctiores, vel ad hæc non attendebant, vel plurium, & vetuſtiorum auctoritate terrebantur, nequid præter eos moviſſe viderentur. Ita magna ac pæne infinita invaſit in veterum librorum titulos confuſſo. Noſtro demum ſæculo, cum de antiquitatis doctrina acriter certari cœptum eſſet, ipſa veri inveſtigandi neceſſitas coegit vtrarumque partium homines diligentius in hoc ſtudii genus incumbere, & quę confuſa permixtaque fuerant, ea ſecernere, & ſuos libris auctores, ſuos auctoribus libros reddere Multa patefacta ſunt noſtra & majorum memoria; & opus longius ac fœlicius proceſſiſſet, niſi partium ſtudia obſtitiſſent; ſingulis ex affectu magis, quam ex vero, libros vel probantibus, vel repudiantibus, provt iis, quæ elegerunt, vel congruunt, vel adverſantur. Sed & illud ſecundo obſervandum eſt, librorum veritatem, etiam qui cupiunt, paucos tamen aſſequi poſſe; quod difficile ſit hoc opus, & magnam rerum antiquarum notitiam; adhæc ſummam animi attentionem, ac denique ſingularem diligentiam, conſtantiam, & laborem improbum requirat; quæ nemō negauerit paucorum eſſe hominum. Quid, quod acutos, & impigros, & ad opus idoneos, imo & volentes ab hac cura aliæ ſæpe neceſſitates avocant? Quibus non ingenium, non animus. Sed otium defuit, ne poſſent verum & quęrere & invenire? Sed fac poſtremo fuiſſe aliquem verbi gratia quinti aut ſexti ſæculi hominem; qui Ignatianorum ex parochroniſmis, & κακοπλάστοις & aliis hujus generis notis vanitatem ac falſitatem deprehenderit; cave iſtum putes ſuum hoc inventum in vulgus ſtatim edidiſſe. Illum ego ſuo apud ſe judicio frui contentum potius crediderim, vel non auſum eſſe pluribus, & maioribus obloqui; ſibi, etiam fortaſſe publico metuentem, ſi ea res deſſidia & contentiones pareret; vel errorem innoxium cenſuiſſe, ex eo malorum genere, quæ Græci moveri vetant, ſi ea bene poſita ac conſtituta nanciſcamur. Quid, quod multos credibile eſt errori, tametſi perſpecto, faviſſe, quem non modo noxium non putabant, ſed etiam fortaſſe vtilem propterea cenſebant, quod quædam ſuo quidem ſæculo recepta, Scripturarum vero auctoritate carentia, Apoſtolici viri nomine conſtitui videbant, ſi hæ epiſtolæ Ignatii vere eſſe crederentur? Inde magnam ad Eccleſiam redundaturam vtilitatem tum ad ſuos retinendos ac confirmandos, tum ad frangendos adverſarios? His & ſimilibus de cauſis factum eſt, vt Ignatianis ab Euſebio ſemel agnitis, nemo, quod appareat, diu poſtea ſit oblocutus; non vero quod vel hæc vera ſint, vel tardi, aut ſtupidi, qui ea aut non oppugnarunt, aut etiam in diſputationibus vſurparunt.

Caput XXXVII. Sed in illa tamen tam longa caligine magno tandem Dei beneficio erupit veritas. Repertus enim eſt ſub initia noni ſæculi vir ampliſſimæ ac primæ in Eccleſia Græca dignitatis, ille ipſe Nicephorus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, de quo in huius diſputationis limine diximus, qui liberrima voce *Ignatij* ſcripta inter apocrypha retulit; quod non eſt credibile hominem illius loci facturum fuiſſe, niſi hæc ſuæ gentis ſuique ſæculi eruditis placere ſciviſſet. Quod ipſum de Latinis quoque conjici ex eo poteſt, quod Anaſtaſius Bibliothecarius eodem, ſed adulto ſæculo, compendiariam Nicephori Chronologiam, ad cuius calcem hic index extat, Latine edens Ignatii ſcripta itidem ſine vlla nota aut animadverſione inter apocryphos libros relata ibidem exhibuerint. Nicephoro quidem certe, neque hierarchiæ, cujus ipſe apud ſuos ſummus apex fuit, odium objici, neque Patrum, quorum Græci ſemper fuerunt obſervantiſſimi, contemptus exprobrari poteſt. Vnde omnes intelligunt, iſta nunc nobis Ignatium pariter cum Nicephoro ad apocrypha relegantibus, a doctiſſimis viris, non ex ipſa rerum ratione, ſed ex mero cauſſæ ſtudio obiectari.

Caput XXXVIII.

Concluſio totius diſputationis; verum eſſe Nicephori de Ignatianis judicium. Quo tempore vtraque Ignatianorum Sylloge prodierit; & quo conſilio ab impoſtoribus procuſa ac procurata ſit.

ITa explicatis ac ſolutis iis ni fallor; omnibus, quæ cum aliqua veri ſpecie a viris doctis pro epiſtolarum veritate vel ex Patribus, vel ex ratiocinatione objiciuntur, nunc tandem concludamus rectum eſſe ac verum Nicephori Patriarchæ Ignatiana noſtra cum apocryphis cenſentis judicium; quod ea ſcilicet & omnibus ſecundi ac tertii ſæculi ſcriptoribus plane ignota fuiſſe reperiantur, & multa paſſim habere noſcantur ab Ignatii ævo, fide, doctrina, veracitate, modeſtia, & ſermone aliena; vt eſt a nobis in ſuperiori diſputatione demonſtratum. Siquis vero requirat, quo primum tempore, & quo conſilio, quem-ve ad finem fictæ atque editę fuerint hæ epiſtolæ; reſpondeo, cum duplex ſit earum editio; vna ſimplicior & brevior, a Reverendiſſimo Vſſerio Latine, ab ornatiſſimo Voſſio Græce, nuper ex veteribus codicibus procurata; altera ſpiſſior ac prolixior, quæ vulgatis libris continetur; illam prius, hanc diu poſtea prodiiſſe videri. De vtriuſque tempore paucis dicemus. Priorem ergo neque toto ſecundo ſæculo, neque tertio, vel ineunte vel etiam adulto, adhuc extitiſſe, inde certa fides eſt, quod ejus nemo illius memoriæ meminerit; Sed eandem ante annum quarti ſæculi triceſimum jam extitiſſe docet Euſebius, qui circiter illa tempora Hiſtoriam ſcribens, multa de ſex ſeptem-ve Ignatii epiſtolis narrat, & quædam inde recitat; omnia, iis pæne vt liquet conſentanea,

quæ

quæ nunc in noſtris legimus. Ex his veri videtur ſimillimum & auctorem, quiſquis ille fuerit, ſuum hoc opus præcipiti tertio ſæculo, effinxiſſe; & opus effictum paulo poſt in lucem exiiſſe, circa tertii ſæculi finem, vel quarti initia. Hujus vero impoſtoris in his adornandis, Ignatioque ſubdendis epiſtolis conſilium idem, quod aliorum plærorumque ejuſdem farinæ artificum fuiſſe videtur. Hi enim vt plurimum cæco quodam zelo exſtimulati ſuos illos partus ad veterum figuram ac ſimilitudinem effictos, eorum quoque nomine donant, vt vulgati eorum nominum quæ gerunt auctoritate fidem iis, quæ continent, dogmatis concilient. Ita ille qui Areopagitica ſcripſit, non alio conſilio ſcripſit, quam vt clariſſimo Dionyſii nomine, quem norant omnes Pauli fuiſſe diſcipulum, & primum Athenarum Epiſcopum, ac Martyrem, ea quæ in illis libris tradit, Chriſtianis commendaret. Tradit autem præcipue multos ſacrorum Chriſtianorum ritus, aliaque id genus; quæ cum ſuo ævo in Eccleſia fieri atque celebrari videret, & ea ipſe quidem vehementer probaret; ſed tamen nuſquam in Scripturis tradita vel commendata fuiſſe intelligeret; putavit vir bonus nequid hoc Spiritus ſilentium offenſionis crearet, ſubveniendum ſimplicibus; eo illam vt ſic dicam, librorum ſuorum machinam magna induſtria neque exiguo labore conſtruxit, ac excitavit, e qua virum probatiſſimæ fidei, Pauli familiarem Dionyſium de intima Chriſtianiſmi antiquitate, velut e cælo in terras traductum, oſtendit hominibus ſui ſæculi, difficultatis illius nodos ſolventem, & quæ tunc ipſi fieri quotidie videbant, ea veluti jam Apoſtolorum tempore ſolennia exponentem, & ſingulari oris, ac verborum majeſtate ſancientem. Simile fuit & noſtri hujus artificis conſilium. Ac cum multa in his epiſtolis de fide, de moribus, de diſciplina dixerit; cætera quidem non alio, quam ad effingendum, & ſimulandum Ignatium aſſumpſiſſe, atque adhibuiſſe putaverim; vnum fuiſſe præcipuum, ac vt ſic dicam, cardinale ejus opus, in cujus vnius gratiam & alia omnia huc comportarit, epiſcopatum nimirum qui qualiſque tum erat, conſtituere, ſummaque ejus reverentia ſuorum animos alte ac penitus imbuere Apparet enim hominem hoc vnum in omnibus epiſtolis agere (ſi vnam ad Romanos demas, quam inſtruendæ ſcenæ ſuæ totam dedit) alia raptim & obiter; hoc conſulto & meditato tradere; per alia tranſire, in hoc morari, pedemque figere. Nimirum operę pretium facturum ſe putavit, ſi ordinem in Dei quidem Scripturis ſatis obſcurum, neque cum iis quæ iſtic traduntur, vſque quaque congruentem; quem tamen ipſe judicaret ad Eccleſiæ concordiam atque vnitatem commodiſſimum ac plane neceſſarium; ſi inquam eum ordinem noſtris perſuaderet rem eſſe, non humanam (quæ videtur quorumdam jam tum fuiſſe ſententia) ſed plane divinam, & ab Apoſtolis Domini ab ipſa Chriſtianiſmi origine inſtitutam. Hoc vt aſſequeretur, Ignatium quando vivum non poterat, arte certe & manu ſua fictum hominibus ſui & futuri ævi oſtentare inſtituit, epiſcopatus neceſſitatem ac jura ex

CAPVT XXXVIII

Capvt XXXVIII

illo ſuo *Deifero* pectore magna cum gravitate promentem, ac fundentem. Hoc equidem fuiſſe auctoris in his ſanctiſſimo Martyri affingendis conſilium, puto. Conſilio apprime congruit id quod diximus, tertii jam ad extrema vergentis ſæculi tempus; quo apud noſtros pæne vbique in orbe Romano diſtincta fuiſſe, epiſcopi & presbyteri non tantum officia & munia, ſed etiam nomina & ex iis quæ ſuperſunt Origenis, & ex Cypriani maxime epiſtolis, ſole meridiano clarius eſt. Quin & hoc ipſo quem deſignauimus, temporis articulo cœpiſſe Epiſcopos ad illam, quam poſtmodum conſecuti ſunt, magnitudinem & pompam adſpirare, primumque tum ad eam gradum feciſſe ex iis apparet, quæ Origenes a. D. 254. mortuus, de ſui ævi Epiſcopis non ſemel dicit, *tales eſſe quoſdam* memorans, *vt etiam malorum principum mundi excedere ſuperbiam videantur; eos non ſolum quærere, ſicut Reges, acies præcedentes; & terribiles ſe & acceſſu difficiles, maxime pauperibus exhibere, & tales eſſe ad eos, a quibus propter aliquid deprecantibus interpellabantur, ſicut nec tyranni, & eſſe crudeliores principibus mundialibus ad ſubiectos. Et eſt* (inquit) *videre in quibuſdam Eccleſiis, præcipue civitatum maximarum, principes populi Chriſtiani, nullam affabilitatem habentes, vel habere ad ſe permittentes.* Et mox; *Epiſcopi autem quidam* (inquit) *crudeliter comminantur, aliquando quidem occaſione peccati, aliquando autem contemnentes pauperum curam.* Horum autem ab Origene notatorum exemplum extat in Paulo Samoſateno luculentiſſimum, qui a. D. 270. a Synodo habita Antiochiæ, cujus vrbis erat Epiſcopus, ob hæreſim eſt damnatus. Hūc enim illius Synodi Patres in epiſtolas cyclica teſtantur incredibilem opulentiam peſſimis artibus nactum, ita ſe arroganter geſſiſſe, magnifice per forum ſtipante non parva hominum multitudine incedentem, & cætera eodem faſtu agentem, vt alicui de Cæſaris aula Ducenario, quam Epiſcopo ſimilior eſſet; Tribunal & ſublimem thronum ſibi in fratrum conventibus, & *Secretum* domi, vt ſæculi magiſtratus habuiſſe. Ex hoc ſpecimine quæ jam tum fuerit epiſcoporum apud nos forma diſcimus. Hæc in iſto proprie notata fateor; ſed hæreſeos, ob quam loco motus eſt, occaſione. Illa ſi nihil aliud fuiſſet, impune laturus erat. Ergo & cæterorum, ſi non omnium, certe plærorumque, epiſcoporum præcipue in magnis civitatibus (qualis Antiochia) jam tum aliqua fuit non tantum in munere excellentia & ὑπεροχή, ſed etiam pompa & exterior dignitas; tametſi quam Pauli ambitioſiſſimus ille, magiſtratuum ſæcularium æmulus, faſtus, multo modeſtior ac ſummiſſior. Huic firmandæ in Eccleſia poteſtati, eiuſque veluti rei divinæ, reverentiæ, extrendæ ac conſtituendæ, nemo non videt plane opportunum fuiſſe id, quod diximus, Ignatiani hypocritæ conſilium; cui cætera omnia ſerviunt, ac miniſtrant. Nam ne ieiuna de hoc vno tractatio ſe ipſam ſua exilitate proderet, materiam operi aliunde aggreſſit; præter præcepta de morum ſanctimonia, quam & Ignatii & Apoſtolicorum virorum primam curam fuiſſe norat, perſonas &

Orig. in Matt. tract. 12. extr. T. 2. p. 86. 87. Vid. ibib. Trac. 31. p. 157. med.

Euſeb. Hiſt. L. 7. c. 30. d. 280.

nas & hæreſes, quas ex libris didicerat antiquiſſimi ævi fuiſſe, paſſim epiſtolis infulciens, vt Polycarpum, Oneſimum, Damam, Polybium, Agathopodem, Alcen, ſive Dalcem, alios. Hæreſes vero ex Irenæo plæraſque, quod facile erat, ſumpſit; Gnoſticorum, Docetarum, Ebionæorum, quas aſſidue inſectatur ac cædit; ſæpe non ſatis caute. Aliquando enim nimio quodam animi ardore extra metas ævi Ignatiani evehitur; hæreſes etiam poſt Ignatii martyrium ſed parvo intervallo ortas improvide laceſſens, quod quas Irenæus vno eodemque volumine ſimul non annotatis ſingularum temporibus, complexus erat iſte antiquiſſimas, & vna omnes eodem tempore ſtatim poſt primam Apoſtolorum prædicationem natas fuiſſe facile ſibi perſuaſit. Sed & præter Irenæanas, nõ ſibi temperavit quia & alias quaſdam Irenæo intactas, ipſe tangeret; vt Patripaſſianorum, & Novatianorum, quas vt ſuo ævo extare videbat, ita jam inde ab Apoſtolorum memoria extitiſſe ſomniabat. Atque hic impoſtoris de hæreſeon temporibus error, quas ad Ignatianam paſſionem nullo diſcrimine pæne omnes effundit, maximam pepe- rit in Baronii & aliorum Chronologia, qui Ignatiana pro veris habent, perturbationem. Vt enim horum ſcriptorem a manifeſto parachroniſmo liberent, & Gnoſticos, & alios ab eo notatos hæreticos in anteriora, quo jure, qua iniuria compulſos. Apoſtolicis temporibus pęne omnes vel inſerunt, vel certe quam proxime admovent; contra manifeſtam & rerum ipſarum rationem, & aliorum veterum, & Irenæi inprimis ac Firmiliani fidem. Ex his maxime conſtat epiſtolarum materia. Vt forma materiæ congrueret, impoſtor ſuæ elocutioni aliquam & magnitudinis & archaïſmi & Paulinæ diſciplinæ ſpeciem ac ſimilitudinem quæſivit ex illis, quæ ſupra obſervavimus, & nominibus, vel raris, vel ſonoris, vel grandibus, vel audacibus, & ex quarumdam phraſeon imitatione, quas vel apud Apoſtolum legerat, vel Ignatii fuiſſe didicerat, & poſtremo ex ſinuoſis & laciniosis inſcriptionibus vnius & alterius Paulinę æmulis. Denique nequid ſibi ad fallendum deeſſet, illud poſtremo de quibuſdam Ignatii collectis a Polycarpo litteris huius ad Philippenſes extremæ epiſtolæ ſubtexit; ratus, quod accidit, lectores hæc de ſuis epiſtolis accepturos. Atque hæc quidem noſtra eſt de priori Ignatianorum editione ſententia. Poſterioris ratio etiam clarior, atque expeditior eſt. Ac eius quidem tempus multo eſſe quam prioris, recentius inde patet, quod neque quinque ſexve totas epiſtolas, neque cæteris inſutos paſſim centones; (quibus duabus partibus vulgata ſive poſterior, quam Vſſeriana, ſive prior Ignatianorum editio auctior eſt) quiſquam veterum ſcriptorum ante ſextum Chriſtianiſmi ſæculum citaviſſe vel agnoviſſe deprehenditur; vt accuratiſſimæ diligentiæ vir Rever. Vſſerius obſervavit. Vnde proclive eſt colligere non fuiſſe hanc poſteriorem editionem ante ſextum ſæculum procuratam. Cum vero quædam ex ea ab auctoribus nonnullis ſeptimi ſæculi, citata fuiſſe noſcantur, vt idem quoque & obſervavit, &

CAPVT XXXVIII

Iren. L. 3. c. 3. L. 5. c. 20 Firmil. apud Cypr. 2. p. 75

expoſuit,

Caput XXXVIII

expoſuit; negare non poſſumus vulgatam illam ſive poſteriorem priore longe auctiorem Ignatianorum editionem paulo ante illud tempus extitiſſe; adeoque concinnatam & hac forma, quam videmus, inſtitutam, circa ſexti ſæculi initia fuiſſe; quod eſt Reverendiſſimi Vſſerii, rationi plane conſentaneum, de ea judicium. Iam ſecundi impoſtoris tum in interpolandis prioribus epiſtolis, tum in aliis novis effingendis conſilium idem omnino fuiſſe videtur, quod prioris in ſuis edendis antea fuerat. Cum enim huic fœliciter conatum ſuum ſucceſſiſſe ille alter animadverteret, exemplo factus audacior, in eodẽ ſolo novas ſubſtructiones moliri, & fraudem fraude cumulare aggreſſus eſt. Videbat ęvo ſuo quędam ἄγραφα eſſe in publico Chriſtianorum vſu; vt quadrageſimam, & eſurialium dierum diſcrimen ab aliis quibus jejunare nefas habebatur; item feſtorum ſolemnitas, & minorum (vt vocant) ordinum miniſteria, & alia. Horum prior impoſtor, quod nondum ſuo ſæculo inventa, ſera demum poſterorum induſtria Eccleſiaſticis ritibus adjecta eſſent, nullus in ſuis epiſtolis meminerat. Alter vero, homo frugi, ne hæc non ab Apoſtolis inſtituta viderentur, providendum pro ſuo in rem Chriſtianam zelo putavit. Eo & alias epiſtolas fauſto illo Ignatii nomine fabricatus eſt; inprimis eam, quæ eſt ad Philippenſes, in qua horum, quos diximus, rituum plæroſque ſimul vna commendavit; indignatus credo, optimos & humaniſſimos Martyris hoſpites nulla ab eo ornatos eſſe epiſtola. Et fortaſſe in aliquo Polycarpi exemplari Græco in illa ejus ad Philipenſes epiſtolæ a priori impoſtore aſſuta lacinia, legerat, τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ὙΜΙ͂Ν ὑπ' αὐτοῦ, plane vt eſt in Latino interprete, *Epiſtolas ſane Ignatij, quæ tranſmiſſæ ſunt VOBIS ab eo*; pro eo quod hodie in vulgatis Græcis codicibus legitur, τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἩΜΙ͂Ν ὑπ' αὐτοῦ, *epiſtolas Ignatij NOBIS ab eo miſſas tranſmiſimus vobis.* Ex quibus verbis ſuſpicatus fuiſſe videtur ſcriptam eſſe ab Ignatio ad Philippenſes epiſtolam. Eam ergo, quam prior Ignatianorum artifex cudere prætermiſerat, hic novus, vacuum ſibi relictum locum avide occupans, ſuo marte, nequid Eccleſia deſideraret, fictam & ornatam publicavit. Eadem caritate incenſus, cum ab Euſebio memorari aliam quamdam ab Ignatio ad Polycarpum *proprie* ſcriptam epiſtolam videret, quę neque in anteceſſoris ſui ſylloge reperiretur; hanc quoque homo liberaliſſimus Ignatio ante quadrigentos annos mortuo de ſuo commodavit, ac ne Chriſtianitas tanto theſauro fraudaretur, edidit, vna cum novo augumento neſcio quot aliarum ad Mariam Caſtabalitam, ad Heronem, ad Tarſenſes, & ad Antiochenos epiſtolarum quamquam hanc quidem ad Antiochenos ſcribi manifeſta ratio flagitabat. Ad quos enim Martyr cæteras Eccleſias erat hortatus legatos de pace reddita gratulatum mittere ipſum ad eos nihil ea de re ſcribere, incivilius huic noſtro viſum eſt. Vrbaniſſimus ergo impoſtor pro conſueta benignitate Martyri, nequid hoc loco peccaſſe videretur, gratulatoriam illam ad ſuos cives, quam hodie habemus epiſtolam

Polyc. ep. ad Phil. p. 23.

ejus

eius nomine ſcribere non eſt gravatus. Neque tam multis officiis ex-hauriri potuit ſingularis hujus hominis in Ignatium caritas. In ipſis prioris impoſtoris epiſtolis quædam periculoſe, nonnulla incaute, alia vel obſcure, vel involute, non pauca jejune, ac nimium exiliter dicta animadvertere ſibi viſus, medicam ſtatim manum operi admovit; tamque multa paſſim carpſit, eraſit, detraxit, adjecit, vt opus ex vetere plane novum ſit. Ita annorum trecentorum ſpatio duo de Ignatii nomine luſerunt impoſtores. His autem ſic conſtitutis plana ſunt in epiſtolis, quæcumque ſupra in iis occurrebant difficilia, & ἄλυτα. Nihil jam mirum erit, & epiſtolas alias ab aliis, & earumdem epiſtolarum inter ſe particulas ſtilo dicendi idea differre, quia ſcilicet plæræque a duobus diverſiſſimis artificibus ſcriptæ ſunt, & quæ a priori editæ erant, etiam a poſteriori interpolatæ ſunt. Multa quæ poſt Ignatii martyrium agnita ſunt, in epiſtolis memorantur. Nihil mirum; Iſta enim ſcriptoribus nota fuiſſe nihil vetat, quorum alter ducentis, alter vero quadringentis poſt Ignatium annis vixerunt. Sermo epiſtolarum ab Apoſtolico plurimum differt; nomina *presbyteri & epiſcopi* eo more modoque ac ſenſu vſurpans, qui non Pauli, & Ignatii, ævo, ſed tertio ſeculo & ſecutis in Eccleſia obtinuit. Quidni is eſſet epiſtolarum ſermo, quas qui ſcripſerunt, ii vel tertio præcipiti ſæculo, vel etiam poſt quintum vixerunt? Cætera perſequi nihil neceſſe eſt. Omnia obvia & aperta erunt. Sin Ignatium verum epiſtolarum auctorem eſſe pertendas, omnia erunt clauſa, & invia, & inſuperabilibus obſepta difficultatibus. Merito ergo clariſſimus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha Nicephorus epiſtolas apocryphas eſſe cenſuit, merito nos tanti viri judicio freti nihil eas cum Ignatio Epiſcopo ac Martyre Domini ſanctiſſimo commune habere defendimus. Deo vni, ſummo Veritatis vindici, laus, & gloria in æternum. Amen. CAPVT XXXVIII

CAPVT XXXIX.

CAPVT XXXIX.

Cenſura libri de cardinalibus operibus Chriſti, qui vulgo Cypriani nomine circumfertur. Varijs argumentis demonſtratur librum primo quidem non eſſe Cypriani; ſecundo vero eſſe nongentis poſt Cypriani mortem annis ſcriptum in noſtra Gallia ab Arnaldo Bonævallis Abbate, Bernardi diſcipulo, & Hadriano P.P. IV. inſcriptum.

DVo quidem illi ſcriptores, de quibus ſupra diſputavimus, Dionyſii & Ignatii nomina falſo per immanem impoſturam ipſi ſibi ſumpſerant, ac vt pro iis haberentur, omnem operam adhibuerant. Huic vero tertio de Cardinalibus Chriſti operibus ſcriptori, de quo nunc dicere inſtitui, Cypriani clariſſimum nomen neque optanti neque ambienti, vna poſterorum vel fraus, vel ſocordia præſcripſit. Quo fit vt illorum quidem in auctores, quibusq́; ſua ſubdiderunt, crimen graviſſimum fuerit; hujus in Cyprianum injuria nulla ſit. Culpa omnis recentiorum quorumdam Latinorum fuiſſe videtur, qui libro, quem auctoris ſui nomine carere videbant, alienum vetuſtiſſimi Patris nomen libentes ſuarum traditionum ſtudio donarant, quas ſcilicet in hoc opere non paucas commemorari reperiebant, in veris primi Chriſtianiſmi monumentis ignotas. Sed qui primi librum Cypriano tribuerunt, horum profecto flagitium eo eſt impudentius, quod cum extent ſanctiſſimi illius Martyris, multa, & quidem *Sole*, quod ait Hieronymus, *clariora opera*, facillimum fuit ex eorum lectione deprehendere, quam longe a Cypriano diſtet novitias hic fœtus. Nos paucis rem conficiemus; ac prius quidem oſtendemus non fuiſſe hujus operis auctorem Cyprianum; tum quis id vere ſcripſerit indagabimus, totumque opus nongentis poſt Cypriani mortem annis ab Arnaldo quodam non ignobili apud noſtros illius memoriæ homines Bonæ vallis Abbate, conſcriptum fuiſſe, atque editum, valide vt ſpero ac perſpicue demonſtrabimus.

Titulus præfert librum eſſe *Cypriani ad Papam Cornelium de cardinalibus Chriſti operibus.* Iam vero neque ipſe Cyprianus, neque quiſquam, quod ſciam, Cyprianei ſæculi ſcriptor *cardinalis* vocabulum vſurpaſſe, noſcitur; quod poſt ea demum tempora in vſum veniſſe conſtat. Tum hic noſter ſuum illum ſive Cornelium, ſive (quod verius eſt) Hadrianum, cui hoc opus inſcribit, *Patrem excellentiſſimum* vocat; & ſic eum affatur; *Indulgentiam* (inquit) *meretur humilitas, quæ quo poteſt acceſſu ſublimitatis veſtræ manibus ſe porrigit attrectandam;* & *ſua nugis infantibus, & linguarum balbutientium vocibus* comparat. *At* (inquit Bellarminus) *ſanctus Cyprianus Cornelium non aliter, quam fratrem, & Collegam*

De oper. Card. Chr. Prolog. p. 394. 397. 399.

Bell. de ſcript. Eccl. in Cypr.

CAPVT XXXIX.

Collegam appellabat; neque ignorabat ſe non minus doctum ac diſertum eſſe, quam Cornelium; & cum præterea ante Cornelium ordinatus eſſet, & in Eccleſia vniverſa mirifice clareret, nunquam profecto ſcripta ſua nugas infantiles *appellaſſet; neque diceret ſublimitatem Cornelij lingua balbutienti* Cypriani delectari debere. Huc accedit, quod hic ſcriptor ſe ab eo, quem affatur, quam gerebat in Eccleſia dignitatem conſecutum eſſe ſignificat, dum eam ſe deprecatum eſſe his verbis teſtatur; *Hoc a vobis maxima ſupplicatione quæſivi, vt non eſſem, quod ſum, & humiliter ſupplicavi, vt ab hac flamma, in qua crucior, me veſtra clementia liberaret. Tentavi ſi poſſem, manu veſtra me ſuſtinente deſcendere.* Cyprianum a Cornelio vel ad Epiſcopalem dignitatem evectum, vel vt eo onere levaretur deprecatum eſſe, abſurdiſſimum eſt. Tum hujus operis oratio omnis eſt a Cypriani aliena. Cypriano purus, & illimis ſermo fluit, hujus ſcriptoris lutulentus, phraſibuſque ac vocabulis deterrimis ſcatens; neque niſi barbaricis ornamentis inſtructus. Iam notari *cardinalis* vocabulum, & illa apud priores Gotthicis temporibus Latinis inaudita *veſtra ſublimitas, veſtra clementia,* quoties quidem vnum hominem alloquuntur. Sed & alia plurima ſunt ejuſdemque ſæculi ſcriptoribus vel penitus ignota, vel certe parciſſime vſurpata; in ſequiorum temporum fere nata, quæ apud hunc noſtrum paſſim ſunt obvia. Ego aliqua de multis exempli cauſa apponam. Ait iſte *elementarias amaricare dulcedines,*[a] pro amaras efficere; *intimare*, [b] pro docere vel ſignificare ſexcenties ponit; *odorare,* [c] pro odorari; *ſupplico te,* [d] pro tibi; *ſolennijs,*[e] pro ſolennibus; *certificare,* [f] pro certiorem facere; *cauſari,* [g] pro conqueri; *ſe abſentare myſterij,* [h] pro abeſſe a myſteriis; *inaneſcere,* [i] *demembrari,* [k] *iniuriari,* [l] *præſentare,* [m] *attitulare,* [n] *rubricare,* [o] *anxiari,* [p] *conquadrare* [q] Ejuſdem ſunt farinæ nomina ſequentia, *indago,* [r] pro indagatione; *efficientia,* & in plurali *efficientiæ,* [s] quo hic noſter impenſe gaudet, *poſſibilitas,* [t] *impoſſibilitas,* [v] *ſenſualitas;* [x] *ſeptimanæ,* [y] pro hebdomade *paſſibilitas,* [z] *impaſſibilitas,* [a] *diffugium,* [b] *paternitas,* [c] *minoratio,* [d] *rationabilitas,* [e] *ſpiritualitas;* [f] *antiſpiritus,* [g] pro diabolo, *aſſultas,* [h] pro noſtro vernaculo *aſſaut, ſcrutinium,* [i] *teloniani.* [k] pro publicanis, *conſubſtantialitas,* [l] *ſpiſſitado;* [m] *craſſitudo,* [n] *diſtinctio,* [o] pro ſeveritate, *dubietas* [p] *recompenſatio;* [q] *manſionarij,* [r] pro incolis; *reclinatorium,* [s] quibus addi poteſt Græcum *monas,* [t] maſculino genere ab iſto vſurpatum. Neque magis Cyprianea videntur hęc adjectiva, vt *cardinalis,* ſic etiam *primordialis,*[v] *æternalis,* [x] *ſacramentalis,* [y] *parricidialis,* [z] *conſubſtantialis,* [a] *lateralis,* [b] *parentalis;* [c] vel iſta *diffinibus,* [d] *cognoſcibilis,* [e] *incomſumptibilis,* [f] *conſpicabilis,* [g] *irregreſſibilis,* [h] *intranſgreſſibilis,* [i] *peremptorius,* [k] pro

vbi ſupra.

a *Prol.* 393. b *p.*396.401. 408.421.435. 443.446. 449.451. c *p.*395. d 414. e 445. f 399. 445. g 406. 437. h 426. i 426.445. k 428. l 440. 447. m 442. 452. n 442. o 446. p 447 q 452. r 396. s 395.411.424. 425. t 415. v 398. x 406. 416. y 406. 452. z 409. a 443. b 412. 430. c 413. d *ibid.* e 416. f 495. g 417. h 417. i 419. v 393. x 439.

k 422. 430. l 425. m 440. n 441. o 441. p 443. 495. q 444. r 448 s 449. t 45?. y 409. z 426. a 406. b 440. c 432. d e 395. f 424. g 426. h 448. i 450. k 443.

CAPVT XXXIX.

perniciofo & letali; *veternus* [l] pro vetus; vel hæc participia, *incompactus*, [m] pro ſolutus; *fulcitus*, [n] pro fultus; vel illa de eodem furfure adverbia, *illocaliter*, [o] *æternaliter*, [p] *perſonaliter*, [q] *diſpenſe*, [r] *poteſtative*, [s] *inconſumptibiliter*, [t] *filialiter*. [v] Hi, aliique conſimilium vocum floſculi, quibus ſcriptor iſte ornatus, conſperſuſque incedit, ſatis ni fallor, oſtendunt, eum multis poſt Cyprianum ſæculis vixiſſe. [x] Clarius etiam id res ipſæ loquuntur. Nam quod a Bellarmino [y] obſervatum eſt, hic docet Diabolum cecidiſſe de cœlo ante hominis creationem. [z] Contrarium docet Cyprianus in tractatu de zelo & livore. Tum hic & quidem non ſemel decernit ſacramenta valere quicumque ſint eorum miniſtri, [a] & diverſam ſententiam abominatur, abeſſeque jubet a fide Catholica, velut magnæ corruptionis fermentum. At nemo neſcit Cyprianum ſenſiſſe, nihil valere baptiſmum ab hæreticis collatum. Adhæc iſte *Novatum* vocat, [b] quem Cyprianus *Novatianum* conſtanter nominat. Præterea feſtum iſte Nativitatis Chriſti, & Epiphaniorum memorat; [c] quod ex Origene, [d] Chryſoſtomo, [e] & aliis conſtat nonniſi diu poſt Cypriani tempora receptum fuiſſe. Sed & hic liquido affirmat ſuo tempore publicos carceres hebdomade (vt vocant) ſancta a magiſtratibus fuiſſe reſeratos; [f] quod nunquam niſi ſub Chriſtianis Principibus factum ſcimus. Sed & Cypriano indigniſſima eſt illa ſane ſpurciſſima, quæ ab hoc noſtro affertur, de Erichthonio fabula? [g] in qua ipſa pueriliter hallucinatus eſt, dum Cyclopi temulento tribuit, quod Poëtæ de Vulcano narrant. Ad cætera accedit, quod hic ea Scripturæ interpretatione vtitur, quæ *vulgata* nunc dicitur; non Cyprianus, poſt cujus tempora eam editam fuiſſe conſtat. Exempli gratia ſcriptor de operibus Chriſti hæc ex Iſaia recitat; [h] *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis* &c. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel, admirabilis, conſiliarius.* Item iſta ex Matthæo & Luca, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Ipſum audite*; [i] Illa vero ex Ioanne, *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*; [k] hæc denique ex Habacuc, *Abſcondita eſt fortitudo tua*; [l] omnia, vt liquet, ex Latino vulgari interprete, [m] Cyprianus hæc eadem loca, ſed aliis verbis expreſſa, ſic exhibet; *Natus eſt nobis puer, & filius datus eſt nobis*, [n] &c. *& vocatum eſt nomen ejus magnæ cogitationis nuntius; Hic eſt Filius meus dilectiſſimus, in quo bene ſenſi.* [o] *Niſi ederitis carnem Filii hominis* [p] &c. *Conſtabilita eſt virtus gloriæ tuæ.* [q] Sed & a Cypriani vſu, atque conſuetudine id alienum eſt, quod iſte auctor ſe vetuſtiorum Chriſtianæ Eccleſiæ ſcriptorum opiniones citat; *Chriſti (inquit) ſanguine conſperſa creditur Adam calvaria qui ſub loco, quo crux Domini fixa eſt, humatus creditur ab antiquis.* [r] Et alibi; *His aliſque ſecretioribus rationibus, quas illuſtrium virorum ſubtilio-*

l 421. 423. m 406. n 435 o 451. p 397. q 395. 427. 447. r 413. s 418. t 424. 438. v 442 x. 446 y *de ſcript. Eccl. in Cypr.* z *Serm. de tentat. & jejun.* a *Serm.* 4. *de bapt. Chr. p.* 411. *& Serm.* 9. *de Paſſ. Chr. p.* 441. *extr.* b *Serm.* 6. *de Coen. Dom. p.* 430. c *Serm.* 1. *de Natio. Chr. mi. Serm.* 3. *de Stell. & Mag. p.* 410. d *contr. Celſ. l.* e f *Serm.* 8. *de Chriſmate p.* 435. g *Serm.* 5. *de ieiun. p.* 420. h *Serm.* 1. *de Nat. Chr. p.* 402. i *Serm.* 1. *de Nat. Chr. p.* 413. k *Serm.* 6. *de Cœn. Dom. p.* 425. l *Serm.* 9. *de Paſſ. Chr. p.* 437. *vltr. med.* m *Vid. Iſ.* 9. 6. *Matt.* 3. 17. *Luc.* 9. 35. *Ioan.* 6. 54. *Habac.* 3. 5.

n *Cypr. l.* 3. *cap.* 21. *Teſtimon. ad Quir.* o *L.* 1. *Teſtim. cap.* 10. p *l.* 3. *cap.* 25. *Teſtim. ad Quir.* q *ibidem l.* 2. *cap.* 21. r *Serm.* 10. *de Chr. reſurr. p.* 442.

ra in-

ra ingenia indagarunt ſeptenarius numerus in Scripturis ſanctis ſæpe ſacramentales cauſas complectitur. [s] Nihil iſtorum ſimile apud Cyprianum occurrit. Illa vero quæ initio ſtatim apud hunc leguntur, inepte profecto & abſurde dicta, quis Cypriano viro inprimis gravi, ac ſapienti tribuerit? *Olim* (inquit ille) *tumultuarie, vel inconſiderate nomina rebus imponebantur; ſed ex quo ad Adam adducta ſunt ſingula, ut vocaret ea, & propria imponeret nomina, proviſum eſt in populo antiquo & inſtitutū, ut aliqua eſſet in vocabulis ratio.* [t] Omnino ita loquitur, ac ſi velit fuiſſe hunc apud homines antequam Adam nomina rebus impoſuiſſet, morem, ut ea rebus temere, & abſque ratione imponerentur; Poſtquam vero a protoplaſto ſingula nomen ex ratione acceperunt, tumultuariam illam fortuitæ nomenclaturæ conſuetudinem deſiiſſe. Quod quam ſtultum ſit, omnes vident. Neque enim quiſquam eſt tam væcors, qui neſciat nulla rebus neque temere, neque ex ratione nomina ante fuiſſe impoſita, quam Adamus communis noſtri generis parens ea ex Dei mandato impoſuiſſet. Denique illud poſtremo conficit non eſſe hoc Cypriani opus, quod id omnes veteres Latinæ Eccleſiæ homines per novem a Cypriani morte ſæcula plane penituſque neſcierunt; quos tamen nullum fere ſcriptorem pluris quam Cyprianum feciſſe confeſſum eſt. Neſciſſe porro eos hoc opus, non modo inde intelligitur, quod id a nemine veterum laudatur, aut etiam leviſſime commemoratur; ſed hinc etiam, quod Auguſtinus *peccatum originale* contra Pelagianos affirmans, ac multis longiſſimis diſputationibus adſtruens, omniaque Cypriani ad eam rem dicta ſtudioſiſſime colligens, hujus libri nullus uſpiam in hoc argumento meminit, qui tamen dogma de peccato originali, & ſæpe & diſertiſſime ponit, iiſque verbis utitur, quibus nulla de hoc argumento clariora dici poſſunt. [v] Itaque his rationibus compulſi ex ipſis adverſariis non pauci, neque ignobiles viri totum hoc opus in dubium vocant. Negant enim eſſe Cypriani, & Eraſmus, [x] qui fatetur librum hunc totum a ſuis codicibus manuſcriptis abfuiſſe, & Ioannes Heſſelius, Lovanienſis Theologus, [y] & Poſſevinus, Ieſuiticæ ſocietatis Sodalis, [z] Antonius Arnaldus Sorbonicus Magiſter. [a] Bellarminus [b] vero libri auctorem *Auguſtino ſine dubio poſteriorem* eſſe ſcribit; Nos vero non modo infra Auguſtini ævum, ſed & paucis ante noſtram memoriam ſæculis vixiſſe eum putamus. Duodecimo enim Chriſtianiſmi ſæculo natum eſſe iſtum fœtum oſtendit manuſcriptus codex, qui auctore, ac teſte Thoma Iameſio, [c] extat ac ſervatur in Bibliotheca Oxonienſis Collegii (quod *omnium animarum* dicitur.) In eo enim codice totus hic habetur *de cardinalibus Chriſti operibus* liber, non ſub Cypriani, ſed ſub *Arnoldi, Bonævallenſis Abbatis* nomine, non *ad Cornelium*, ſed *ad Hadrianum Papam* inſcriptus. Floruit autem Arnoldus (qui & Carnotenſis fortaſſe a patria, & monaſterii cui præfuit in Carnotenſi parœciâ ſitu, dicitur) Bernardi Clarævallenſis Abbatis temporibus; cujus diſcipulus

CAPUT XXXIX.

s ſerm. 12. de Sp. S. p. 452.

t Prol. p. 394.

v Vid. ſerm. I. de Nat. Chr. p. 400. 404. Serm 2. de circumc. p. 406. Serm. 5. de jej. & lent. p. 418. Serm. 7. de ablut. ped. p. 432.

x In Cenſura.

y L. de comm. ſub una ſpecie.

z Præf. in Appar.

a Part. 1. de læ freq. comm. c. 11.

b l. 6. de amiſſ. grat. c. 2.

c Tractatu de ſuppoſititijs ſcriptis p. 12. 13.

Caput XXXIX.

quoque fuiſſe fertur. Certe ad eum extat Bernardi epiſtola amiciſſimè ſcripta de ſuo obitu jam imminente. Objit autem Bernardus a. D. 1153. Paucis poſt ejus obitum annis ſcriptum ab Arnoldo hoc *de cardinalibus Chriſti operibus* volumen inde apparet, quod Hadrianus Papa, cui liber in Oxonienſi codice inſcribitur, iis temporibus occurrit hujus nominis IV. qui ab a.D. 1154. ad 1159. Sedem Romanam tenuit. Sed & præter Oxonienſem librum, hoc opus Hadriano Papę inſcriptum fuiſſe docet alter manuſcriptus Regiæ apud nos Bibliothecæ codex; qui tametſi Arnoldi auctoris nomen non præferat, præfert tamen diſerte Hadriani, ad quem ſcriptus eſt liber. Neque mirandum eſt, quod ad eum Arnoldus ſcripſerit. Hadrianus enim Anglus domo, nomine Nicolaus, cum patre pauperrimo natus eſſet, ſumma egeſtate compulſus, quod in patria vel fodere, vel mendicare erubeſceret, in Galliam adoleſcens tranſivit; & a clericis S. Ruffi in Provincia, ob corporis, & ingenii elegantiam benigne ſuſceptus, ita ſtudio & labore improbo profecit, vt Abbate defuncto in monaſterii patrem eligeretur; & poſt aliquot annos ab Eugenio Papa, Bernardi diſcipulo, Albanenſis epiſcopus ordinaretur. Mox legatione apud Dacos & Norvegos multa cum laude functus, tandem mortuo Eugenii ſucceſſore Anaſtaſio, in Romanam ſedem evectus eſt, aſſumpto Hadriani nomine. Itaque qui jam inde a puero in Gallia vixiſſet, qui S. Ruffi in Provincia Abbas fuiſſet, qui ab Eugenio Epiſcopatu donatus & honoribus auctus eſſet, facile ei innoteſcere potuit Arnoldus, homo Gallus; ad hæc Bernardi iſtis temporibus celeberrimi haud degener diſcipulus; Ex qua notitia noſter fiduciam cepit hoc ei ſuum opuſculum, jam ſumma adepto, inſcribendi. Vides, vt res ipſæ, ac tempora Oxonienſis libri titulo congruant. Sed ejus fidem etiam inpenſius firmat totius operis accuratiſſima cum Arnoldi ingenio conformitas. Exſtant enim illius viri aliquot alia certa & indubitata opuſcula; ex quibus de ejus animo, ingenio, ſententiis, & oratione fieri judicium poteſt. In Bibliotheca Patrum duo habentur ejus libelli, prior de *laudibus Virginis Mariæ*; alter de *ſeptem verbis noviſſimis a Chriſto in cruce prolatis*. Ad hos poſtea acceſſit tractatus *de operibus ſex dierum* ante annos quadraginta Altiſſiodori primum editus. Hunc quoque Bellarminus auctorem eſſe ſcribit ſecundi libri de vita Bernardi. Iam quiſquis hos libros cum hoc noſtro *de cardinalibus Chriſti operibus* tractatu ſedulo comparaverit, non dubitabit quin omnes ſint germani fratres, vnius ejuſdemque parentis fœtus; adeo & res & verba, & omnia denique inter ſe congruunt, planeque gemina ſunt; vt non ſit ovum ovo ſimilius. In omnibus cernitur culta quædam, ac compta barbaries, dignaque Bernardi ævo ac diſciplina facundia, crebris, pauloque audacioribus tropis, antithetis, & homœoptotis, & commaticis acuminibus, vibrantibuſque ſubinde argutijs, & aliis id genus vel ſeneſcentis, vel circa tirocinia laſcivientis eruditionis deliciis abundans; ac ſupra ſui ſæculi infœlicitatem aſſur-

Vide Gulielm. Neutrig. l. 2. c. 6. iſta fuſius narrantem.

T. 1. p. 375. 379.

De ſcript. Eccl. in Arnold.

aſſurgens quidem nonnihil, ſed ita tamen, vt eam paſſim inſperſæ ſermonis ſordes prodant. Qualis fere eſt Petri Bleſenſis, & Bernardi ipſius idea, & aliorum illius memoriæ paucorum. En tibi Arnoldinæ eloquentiæ ſpecimen, vbi noſter epulonis in gehenna pœnas deſcribit, *In proprio* (inquit) *adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.* Ex hoc cætera diſce, quorum paria ſunt, quæ omnes Arnoldi eſſe confitentur. Sermone quinto de tentatione hoc habentur; *Iejuniorum ſudoribus latus importuna ſe ingerit, & ſubtiliſſimis aculeis penetrans animos dum extollit emollit, & pungit cum vngit.* Argutia placuit. Itaque eam alibi quoque in re diſſimillima ponit, vbi de Spiritu Sancto, *Hic* (inquit) *abſque emendicatis aliunde ſuffragijs quos compungit, inungit.* Occurrunt iidem in vtriſque operibus loci, ita tractati, vt auctorem eundem eſſe appareat. In libro de operibus ſex dierum hoc habet de Deo; *Complectitur omnia; intra ſolidans, extra protegens, ſupra fovens, infra ſuſtinens.* Sic quoque *de operibus Chriſti, Vniverſa ambit, implens omnia, excedens cuncta, intra ſe omnia continens, extra vniuerſa complectens.* Ita & de Chriſto matrem Ioanni in cruce commendante hæc in opuſculo de Mariæ laudibus dixerat: *Cur modo non dicis,* Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? *Modo matrem non abjicis, ſed commendas diſcipulo, & vicariam imponis ſollicitudinem illi, quem præcipue diligis.* &c. *Virginitas virginitati commendatur.* Eadem in libro de cardinalibus operibus Chriſti ſic expreſſit; *Conſidero te in cruce de matre ſollicitum, cui volenti loqui tecum cum evangelizares, negaveras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditores verbi pauperes ſpiritu, dicens eos tibi eſſe pro matre & fratribus qui voluntati Patris obtemperant. Nunc materno moveris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas* &c. *& obſequium Virginis virgini diſcipulo tradis* His ſubtexit, quæ in alio opere poſuit; *Iam non Ioſeph tanti myſterij oneratur præpoſitura, ſed Ioannes; quia iam exigebat ratio, vt coniugii removeretur opinio* &c. *Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognoviſſet carnalem maritum.* In alio vero opere de his ſic agit; *Ioſeph qui eatenus miniſtraverat, te Ioanne ſubrogato cedit, nec maritalia jura opponit, vt obſeretur os loquentium iniqua in poſterum, quia matrimonium illud diſpenſationi divinæ, non copulæ carnali ſervierat.* De legis Moſaicæ per Chriſti mortem abrogatione hæc in libro de operibus Chriſti leguntur; *Mortuus eſt Moyſes, & veteris litteræ putruerunt ænigmata. A facie novi olei deſiccatæ ſunt vnctiones antiquæ. Tota veteris inſtrumenti incompacta ſtruit; eſt tabernaculum demolitum; area ab allophylis capta; totus templi decor ad Aſſyrios eſt tranſlatus.* De re eadem in opere de vltimis Chriſti verbis paria habentur, *Vnctus erat Chriſtus oleo lætitiæ præ cunctis humanæ naturæ participibus, qui etiam præ Angelis nomen hæreditabat differentius; & exſiccata jam erat a facie huius olei Iudaïca vnctio, & neceſſe erat vt com-*

plicaretur

CAPVT XXXIX.

Serm. 11. *de aſc. Chr. p.* 448

p. 416.

De op. 6. *dier. fol.* 11. 2.

fol. 3. 6.

Serm. de Nativ. p. 103.

T. 1. *Bibl. Patr. p.* 277. 2.

Serm. 9. *de Paſſ. Chr. p.* 441.

l. de verb. Dom. noviſſ. T. 1. *Bibl. Patr. p.* 387. 6.

Serm. 8. *de vnct. chriſm. p.* 435.

tract. 6. 394. *d.*

Caput XXXIX.

plicaretur Ephod, & Theraphin non aptarent, & quicquid Beſeleel *vel contexerat, vel cælaverat, locum daret vivis, & rationalibus documentis.* Cætera ejuſdem generis perſequi longum eſſet. Hæc de ſenſibus ipſis ſatis ſunt, vt intelligas hac in parte non obſcura deprehendi in illo *de Chriſti operibus* libro Arnoldini ingenii veſtigia. Clariora vero atque expreſſiora ſunt ejuſdem ſermonis ſigna. Quæ enim hujus operis vocabula Cypriano, & Cyprianei ſæculi ſcriptoribus inſueta & inuſitata ſupra obſervavimus, ea fere omnia Arnoldo familiaria reperiuntur. *Intimare* quo gaudere, plurimumque vti diximus ſcriptorem *de operibus Chriſti*, apud Arnoldum vbique ad faſtidium occurrit; bis in breviſſimo de Mariæ laudibus opuſculo; vndecies in tractatu de noviſſimis Chriſti verbis, octies in libro de operibus ſex dierum; quod quidem nos raptim legentes numeravimus. Arnoldi quoque eſt illud, quod iſtic notavimus, *abſentare ſe*; apud quem in opuſculis certis, ac indubitatis illa leguntur, *abſentare ſe paſſioni.* [a] *a corpore ſe abſentare,* [b] *& ſe a piorum coetu abſentare.* [c] Eſt & Arnoldi illud *iniuriari*, [d] quod illic inveniebamus; & *rubricare*, [e] & *hilareſcere*, [f] & *conquadrare*, [g] *cauſari* [h] pro conqueri. Iam & illa nomina *efficientia*, & in plurium numero *efficientiæ*, [i] & *impoſſibilitas*, [k] & *ſenſualitas*, [l] & *paſſibilitas*, [m] & *craſſitudo*, [n] & *dubietas*, [o] & *recompenſatio*, [p] & *reclinatorium*; [q] iſta, inquam, merito mireris apud eum ſcriptorem reperiri, qui Cypriani nomen gerit. ſi Arnoldum eſſe Oxonienſi libro aſſentiaris, nulla mirandi ſupererit ratio, cum hæc Arnoldo familiaria eſſe ex certis ejus operibus, quorum loca in margine annotavimus, ſatis conſtet. Eadem eſt & adjectivorum illorum, quæ ſupra quoque obſervavimus ratio; *primordialis*, [r] *cognoſcibilis*, [s] *peremptorius* [t] pro letali, *inconſumptibilis*, [v] *conſpicabilis*, [x] *æternalis*, [y] quæ & ipſa Arnoldus paſſim vſurpat. *Cardinalis* vero vocabulum, quod in ipſo illius operis titulo poſitum eſt, Arnoldus idem pæne habet in deliciis. Nam & *bona* itidem *cardinalia*, [z] id eſt præcipua, & in quibus noſtra omnis fœlicitas vertitur, & *fontem cardinalem* [α] non ſemel, & *rerum cardines* [β] apud eum legimus. Ex his obſervare eſt ſcriptorem adjectivis hujus formæ delectatum; ex quo genere præter ſuperiora *ſacramentalis* vocabulum plurimum quoque vſurpavit. Atqui hoc ipſum Arnoldi quoque eſt, qui & *ſacramentalia dona*, [δ] & *ſacramentalem ſitim*, [ε] dicat; & præter nuper notata ejuſdem

a *l. de verb. Chr. noviſſ. tract. 1. p. 382. c.*
b *tract. 6. p. 394. b.*
c *de oper. 6. dier. fol. 77. 6.*
d *De verb. Chr. nou. trac. 1. p. 382. c.*
e *tract. 6. p. 396. d.*
f *tract. 5. extr.*
g *tract. 1. p. 380. a. & de oper. 6. d. fol. 47. a.*
h *tract. 4. p. 390. b.*
i *Præf. in trac. p. 379. & de oper. 6. d. fol. 45. a.*
k *de laud. Virg. p. 375. b.*
l *Ve op. 6. 6. f. 48. a. 103.*
m *de laud. Mar. p. 586. a.* n *Tract. 5. p. 301. e.* o *Tract. 4. p. 390. b. Tract. 5. p. 391. b.* p *tract. 1. p. 382. e.* q *Præf. in tract. de nov. Cer. v. p. 375.* r *De op. 6. dier.* s *Præf. in Tract. de 7. nov.* t *Tract 1. extr.* v *De laud. Mar. p. 376. b. & Tract. 6. p. 365. c.* x *De op. 6. dier. fol. 90. b.* y *Tract. 6. de noviſſ. p. 394. a. De op. 6. dier. fol. 175. a.* z *De op. 6. dier. fol. 78. b.* α *ibid. fol. 41. a. 51 a.* β *ibid. fol. 67. 6.* γ *De op. card. Chr. p. 409. 424. 452.* δ *De laud. Mar p. 376. d.* ε *Tract. 4. de noviſſ. p. 388. c.* ζ *Præf. in Tract. 7. nov.* η *ibid.* θ *De op. 6. dier. fol. 30. b. 51. a.* ι *ibid. fol. 92. a. 99. a.* κ *Præf. & tract. 5. de 7 nou. p. 392. c. Tract. 6. p. 334. a.* λ *Serm. de Nativ. p. 400.* μ *De ieiun & lent. p. 423.* ν *Serm. de Vnct. p. p. 435.* ξ *ibid. p. 437.* ο *Præf. p. 379.* π *Tract. 1. p. 380. a.* ρ *Tract. 3. p. 387. c.* σ *Tract. 6. p. 395. d.* τ *De op. 6. dier. fol. 100. d.*

generis

CAPVT XXXIX.

generis paſſim habet; vt *ſeminalis*, ζ *cauſalis*, η *elementalis*, θ *gehennalis*, ι &c. Adverbium *poteſtative*, quod in libro de Chriſti operibus, bis legi ſupra obſervavimus, ter ipſum quoque occurrit in tractatu *de noviſſimis Chriſti verbis*. κ Huc & illud pertinet, quod *negotij* vocabulum peculiari quodam ſenſu, eoque non eleganti pro *re* poſitum, in his vtriſque operibus crebrum eſt. Nam vt in libro *de Chriſti operibus*, de Maria natum Chriſtum complectente, lactante, attrectanet, *totum negatium plenum gaudio* λ legimus, & alibi *Diaboli negotia*, μ & *pietatis negotia*, ν & *abſolutionis noſtræ negotium*; ξ ita etiam in tractatu de *noviſſimis Chriſti verbis* invenimus, & *paſſionis negotium*, ο & *Dominicæ diſpẽſationis negotium*, π & *pacifica quietaque negotia*, ρ & *redemptionis negotium*. σ ac denique in libro de operibus ſex dierum *miſeriæ negotium*. τ Ex his Arnoldini & ævi, & ingenij, & ſermonis characteriſticis notis, quas tam multas in ſcriptore *de cardinalibus Chriſti operibus* concurrentes deprehendimus, non equidem dubito, quin id veriſſimum ſit, quod teſtatur Oxonienſis liber, opus Arnoldi Bonævallenſis Abbatis genuinum eſſe, illius ad quem data eſt ea epiſtola, quam omnium noviſſimam jam in vitæ ſupremis verſans ſcripſit Bernardus; ad quem item pertinere tres Arnulphi Lexovienſis ſub eodem Hadriano IV. Põtifice Epiſcopi epiſtolas, tertiam, decimam ſeptimam, & quinquageſimam veri-ſimillimum mihi videtur, tametſi eæ in vulgatis codicibus *Ernaldo Bonævallenſi Abbati* * inſcriptæ ſint, facili librarij errore *Ernaldum* pro *Arnoldo* ſcribentis; cujus denique illa alia extant a nobis memorata de *Sanctiſſimæ Virginis laudibus*, *de ſeptem noviſſimis Chriſti verbis*, ac poſtremo *de operibus ſex dierum* opuſcula. Et ſane vero conſentaneum eſt hominem pium ac religioſum, qui de primis Dei operibus in ſex dierum creatione ſcripſiſſet, de Chriſti Domini præcipuis quoque in noſtri generis redemptione operibus ſcribendum ſibi putaſſe. Neque vero quemquam moveat, vel in diverſa rapiat, quod hic *de cardinalibus Chriſti operibus* ſcriptor ſuum a ſe ſuppreſſum nomen in præfatione * teſtetur. Ab auctore primum ſine ſuo nomine editum & fateor, & eorum temeritas arguit, qui per ſummam inſcitiam atque inverecundiam id Cypriano tribuerunt; quod non eſſet fortaſſe factum ſi auctor ab initio nomen ſuum primis libri exemplaribus præſcripſiſſet. Sed qui hoc confiteor, Illud etiam contendo facile fieri potuiſſe, vt Arnoldum auctorem operis fuiſſe ex ipſius vel ore vel manu poſtea intelligerent viri familiares, ejuſque nomen iis libri exemplaribus, quæ apud ſe habebant, præfigerent; e quibus vnum fuiſſe apparet Oxonienſem illum manu exaratum codicem. Cæterum non ſemper contingere, vt eorum librorum auctores lateant, qui latere; voluerant, eoque ſua nomina diſſimulaverant, Vincentii Lirinenſis Commonitorium, & Salviani Maſſilienſis de Eccleſia Dei opus docent; quæ eorum vere atque indubitato eſſe omnes ſciunt, tametſi ea vterque ſuo ſuppreſſo, & alieno *Peregrini* & *Timothei* aſſumpto nomine inſcripta edidiſſent. Ex

* T.3. Bibl. Patr. p. 539.

* Præf. extr. p. 399.

his patet, quam abſurde Latini ex hujus operis teſtimonijs ſuas quaſdam traditiones Eccleſiæ tertii ſæculi, quo Cyprianus floruit, jam notas receptaſque fuiſſe argumententur; quam præ cæteris ridiculus ſit bonus Lindanus, dum noſtros homines quodam hinc deſcripto loco ſic appellat; *Hic, hic mihi* (inquit) *advigilate Evangelici, Hic vos alloquitur Beatus Martyr Cyprianus, univerſi orbis magiſter, orbis totius miraculum.* Tu vero, inquam, Epiſcope, vehementer falleris, totoque, quod aiunt, cœlo aberras, qui pro Cypriano tertii ſæculi Epiſcopo & Martyre; Abbatem nobis obtrudis annis poſt Martyris mortem pæne nongentis natum.

Lindan. P.[illegible]. L.4.c.6.

CAPVT XL.

De libris Origenis Latine a Ruffino Aquileienſi interpretatis. Ruffinum Latine vertiſſe Origenis libros περὶ ἀρχῶν, *& expoſitionis in epiſtolam ad Rom. libros decem. Eundem quoque (non autem Hieronymum) interpretatum eſſe eiuſdem Origenis homilias in Geneſim, in Exodum, in Leviticum, in Numeros, in Deuteronomium, in Ioſuam, & in Iudices, quæ nunc Latine tantum extant. Ruffinum eſſe peſſimæ fidei interpretem ex Euſebiana eius verſione apparere. In illis autem Origenicis plurima paßim immutaſſe, nonnulla detrahentem, quædam adiicientem, ſingula ad Latini lectoris guſtum temperantem probatur primo ex eius proprio de his ſuis verſionibus teſtimonio. D. Petavii de eodem iudicium.*

EX omni veterum Patrum cenſu nemo eſt, qui acrioribus vtrimque ſtudiis vel oppugnatus fuerit, vel defenſus, quam Origenes. Eo factum eſt, vt de ejus nomine ac operibus poſteri varie pro variis in auctorem animis luſerint. Qui virum oderant, longe maximam eorum monumentorum partem delererunt, quæ ille pæne innumerabilia reliquerat; Adhæc eidem vt videtur, multa Arianiſmo & alijs peſtibus infecta ſubdiderunt, quo majorem illi invidiam conciliarent. Altera ex parte, qui ei ſtudebant, neque ipſi pauca Origenis ſui nomine ficta ſpargebant, ſui ſæculi fidei & moribus conſentanea, & quæ vere ejus erant, ea haud ſegniter interpolabant, & vel reſectis, vel emendatis quęcumque apud eum reperiebant ab Eccleſiæ ſui temporis placitis abhorrentia, pro Origenicis ſua edebant. Ita accidit, vt maximi atque incomparabilis viri pauciſſima ad nos pervenerint, eaque ipſa ita multipliciter corrupta ac vitiata, vt ſi vnum, aut alterum exceperis, nullum fere ejus opus extet omni ex parte ſincerum. De ſuppoſititiis, quæ & noſtri homines, & ipſi etiam Latini non indiligenter notarunt, nihil nunc dicam. De cæteris, quæ Origenis quidem erant, ſed poſterorum

fraude ac dolo malo interpolata ſunt, operę pretium facturum me putavi, ſi antiquitatis ſtudioſos monerem, quod ab his longe majus; quam ab illis, periculum eſſe judicem. Illa enim facile quiſque cavet, eruditorum cenſuris notata, & ab Origenicorum operum cenſu ſemota. Hæc, quæ pro Origenicis cenſentur, incautos lectores fallunt, dum quidquid in iis reperiunt, id vere Origenis eſſe magno mentis errore ſibi perſuadent. Ac ea quidem, quæ Græce extant, plæraque ſincera & impoſtoribus intacta eſſe videntur; ſed illa ſunt oppido pauca. Plura in Bibliothecis latere audivi; quæ neſcio cur tamdiu premantur, cum quotidie in lucem exire videamus infinitam vim librorum longe & recentiorum & deteriorum. De iis tantum Origenis operibus loquar, quæ Latine, non Græce habemus, & quidem jam olim a veteris memoriæ interpretibus reddita. Nam qui noſtro & parentum nuper ſæculo vel opus contra Celſum, vel tractatus in Ioannem, & alia quædam Latine ſunt interpretati, ii multo meliori fide in his verſati ſunt, quam veteres in iis, quæ ante duodecim ſæcula & Origenis Græcis reddiderunt.

CAPVT XL.

Ruffinus, Eccleſiæ Aquileienſis presbyter, Hieronymi æqualis, Pręfatione & Peroratione in epiſtolam ad Romanos, ſe ipſe teſtatur [a] Homilias, ſive oratiunculas Origenis in Geneſim, & in Exodum, & in Leviticum, & in Ioſuam, & in Iudices, & in tres Pſalmos, nempe in XXXVI. XXXVII. XXXVIII. a quindecim in epiſtolam ad Romanos volumina Latine eſſe interpretatum; ſeque pollicetur *in Numerorum, & in Deuteronomij libros, Deo permittente, aliqua dicturum*; eos nimirum, quas in hos libros habebat, Origenis homilias ſic latine, vt cæteras, quas abſolverat, interpretaturum. Alibi vero tradit libros ejuſdem de Principiis quatuor a ſe quoque Latine eſſe redditos; [b] vbi & obiter docet Hieronymum duas homilias de Cantico Canticorum in Latinum tranſtuliſſe ex Græco, moxque eundem dicit *vltra ſeptuaginta libellos Origenis, quos homiliaticos appellabat, aliquantos etiam de tomis in Apoſtolum ſcriptis tranſtuliſſe in Latinum*. Scio epiſtolæ ad Romanos expoſitionem in vulgatis Origenis codicibus Hieronymum interpretem præferre; & Præfationem in eandem ad Heraclium, Hieronymo ibidem quoque tribui. Sed vtramque Ruffini eſſe, non Hieronymi, docet Caſſiodorus; *Epiſtolam ad Romanos Origenes* (inquit) *viginti libris Græco ſermone declaravit; quos tamen ſupra dictus Ruffinus in decem libros redigens adhuc copioſe tranſtulit in Latinum.* Hoc vero etiam eo liquido confirmatur, quod Hieronymus ſua ipſius opera in Catalogo extremo recenſens, & nominatim quæ ex Origene interpretatus erat, commemorans, de hoc in epiſtolam ad Romanos opere, quod in primis erat dicendum, plane nullum verbum facit. Idem vincunt ea, quæ Eraſmus ad hanc rem attulit. Nimirum ex peroratione in epiſtolam ad Romanos patet qui illa in hanc epiſtolam ex Origenis Græcis Latine edidit, eundem eſſe qui Clementis decem

a *Ruffin. Perorat. in ep. ad Rom. T. 2. Orig. p. 634. & Præfat. in ep. cand. p. 455.*

b *Id. Præfa. in in* Περὶ ἀρχ. *T. 1. p. 664.*

Caſſiod. L. de div. lect. c. 8. p. 281. a.

Hier. in Catal. c. 135.

Eraſm. Cenſura Origenis.

CAPUT XL. Recognitionum libros Gaudentii Epiſcopi rogatu Latine vertit. Hos Clementis libros Ruffinum Latine vertiſſe & docet diſerte Gennadius, & operi (quod adhuc extat) præfixa ad Gaudentium Epiſcopum epiſtola, ſive Præfatio clamat. Nihil ergo dubitandum eſt, quin & Ruffinus expoſitionis in epiſtolam ad Romanos ex Græcis Origenis ductæ verus auctor ſit. Itaque quas ſibi in ejus peroratione ipſe aſſerit Latinas homiliarum in Geneſin, in Exodum, in Leviticum, & in Ioſuam interpretationes, fruſtra Hieronymo vel omnes, vel plæraſque, libri tribuunt. Sunt omnes Ruffini. Sed antiquarii Hieronymi eſſe maluerunt, quod hujus, quam Ruffini, veri auctoris, illuſtrius eſſet, & apud plæroſque gratioſius nomen. *Hoc* enim *facere ſolent* (inquit in ſimili argumento Caſſiodorus) *qui res vitioſas cupiunt glorioſi nominis auctoritate defendere.* Iam qui, qualiſque Græcorum interpres fuerit Ruffinus, luculentiſſimo documento eſt ab eo olim Latine edita Eccleſiaſtica Euſebii hiſtoria etiam hodie vtraque Græce Latineque ſuperſtes. Si quis enim auctorem cum interprete contenderit, reperiet Ruffinum, quod veriſſime ſcripſit Miræus, *nimia libertate vſum fuiſſe, multa addentem, dementem, ac mutantẽ; dimidiũ octavi libri omiſiſſe decimum vix attigiſſe.* Sed cætera mitto. Ad Origenem venio; quem quam licenter, quamque inverecunde habuerit, ipſe quod eſt vltimæ impudentiæ, veritus credo, ne ſua flagitia neſciremus, abunde eſt profeſſus, vt nullo alio in eum teſte, ſit opus. Sic ergo ille Præfatione ad Macarium in libros περὶ ἀρχῶν nobis ſua ipſe egregia in hoc genere facinora enarrat; *Interpretando* (inquit) *ſequor regulam prædeceſſorum, & eius præcipue viri cuius ſuperius fecimus mentionem* (fecerat autem Hieronymi) *qui cum vltra ſeptuaginta libellos Origenis, aliquantos etiam de Tomis in Apoſtolum ſcriptis tranſtuliſſet in Latinum, in quibus cum aliquanta offendicula inveniantur in Græco, ita elimavit omnia interpretando, atque purgavit, vt nihil in illis, quod a fide noſtra diſcrepet, Latinus lector inveniat. Hunc ergo etiam nos licet non eloquentiæ viribus, diſcipulum † tamen regulis in quantum poſſumus ſequimur, obſervantes ſcilicet, vt ea quæ in libris Origenis diſcrepantia inveniuntur, proferantur.* Hæc ille; fingens ſcilicet Origenis libros *ab hæreticis & malevolis corruptos eſſe atque interpolatos*; vt ſiquid in eis ab illius quem dixit, *Latini lectoris fide*, diſcreparet, id ab ipſo quoque Origene diſcrepare intelligeretur, adeoque velut ab hæreticis in ejus libros immiſſum jure vel eraderetur, vel emendaretur, Quo illa ſpectant, quæ paulo poſt in hunc modum ſubjicit; *Sicubi ergo nos in libris eius aliquid circa * id invenimus, quod ab ipſo in cæteris locis de pietate de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermiſimus, aut ſecundum eam regulam protulimus, quam ab ipſo frequenter invenimus affirmatam. Siqua ſane veluti peritis jam & ſcientibus loquens, dum breviter tranſire vult, obſcuritus protulit, nos vt manifeſtior fieret locus, ea quæ de ipſa re in aliis eius libris apertius legeramus, explanationi ſtudentes; nihil tamen noſtrum diximus, ſed licet*

Gennad. in Catal. c. 17.

Caſſiod. L. de div. c. 8. p. 131. b. init.

Aub. Mir. Not. ad Gennad. c. 17. de Ruffino.

Ruffin. Præfat. in L. περὶ ἀρχ. *T. 1. Orig p. 664.*

† *lege* diſciplinæ, *vt legitur T 2. Hier. edit. Eraſm. fol. 67. n.*

* contra *ibid.*

licet in alijs locis dicta, tamen ſua ſibi reddidimus. Eadem iterum Præfatione ad tertium ejuſdem operis librum; *Sicut* (inquit) *in prioribus libris fecimus, etiam in iſtis obſervavimus, ne ea, quæ reliquis eius ſententijs, & noſtræ fidei contraria videbantur, interpretare; ſed velut inſerta ea ab alijs, & adulterata præterirem.* Tum profitetur *brevitatis gratia ſe aliqua ex his* quæ Origenes dixerat, *reſecare commodum duxiſſe.* Hæc ergo noſtri in interpretando ratio, ac methodus fuit, vt in iis Origenis libris quos Latine edebat, *lector* ſui ſcilicet ſæculi *Latinus* nihil inveniret, quod *a fide ſua*, id eſt ab iis doctrinis, ac traditionibus, diſcreparet, quæ quinto ſæculo apud Latinos obtinebant. Iam cum Origenes annis centum & ſexaginta ante Ruffini mortem apud Græcos floruerit, nemo non videt a Ruffino interpretatum Origenem, non de ſui, ſed de Ruffiniani ævi fide ac moribus teſtari; qua impoſtura nulla fieri potuit ſceleratior. Sic enim accidit, vt hunc a Ruffino ita inſtructum atque ornatum auctorem legentes, putemus quaſcumque res apud eum reperimus, eas tertii ſæculi vere fuiſſe; cum tamen conſtet plæraſque ſerius in Eccleſiam irrepſiſſe, Chriſtianis ante quartum ſæculum ignotas. Denique bonus iſte interpres, non qui fuerit auctoris ſui in iis libris, quos interpretandos ſuſcepit, ſenſus, quæque mens ac ratio nos docet (quod *fidi interpretis officium* eſſe omnes vident) ſed quid ſibi, quid ſuis Latinis placeat, ediſſerit. Neque eũ juvat, quod affert Origenem ea, quæ ipſi tribuit, tametſi non his locis, aliis tamen dicere. Primo enim interpretis eſt ea edere, quæ auctor in eo libro poſuit, quem ipſe interpretandum ſuſcipit; non quæ idem in aliis fortaſſe opuſculis dixit. Licet ei in librum a ſe fideliter interpretatum commentari & Notas in eum ſuas addere, & ſiqua alibi ab auctore ſcripta ad præſentes ejus ſenſus explicandos vtilia legit, ea referre; Illa vero in ipſum librum immittere ac infulcire, vt hic ab auctore dicta videantur, quæ aliis in libris fortaſſe dixit, id manifeſtæ eſt, & quidem intolerabilis perfidię. Quo & illud ſecundo accedit, quod vehemens ſuſpicio eſt fallere Ruffinum, dum negat ſe quicquam Origenicis περὶ ἀρχῶν libris inſervıſſe, quod non in alio aliquo ejuſdem auctoris opere legiſſet. Certe quæ de ὁμοουσίῳ Patris, Filii, & Spiritus Sancti toties apud Ruffinum in libris περὶ ἀρχῶν leguntur; quod ibidem negatur *quicquam in Trinitate maius, minuſve dicendum eſſe*; quod ibidem legitur *in ſola Trinitate bonitatẽ ſubſtãtialiter in eſſe*; *nõ in Patre ſolo, ſed *etiã in Filio, Spiritu Sãcto*, † & alia ejuſdẽ generis æque in eã rẽ diſerta, ac eſt ipſa Nicæna definitio hęc inquã in vllis Origenis libris ſcripta vnquã ab ipſo fuiſſe, nemo Origenis & antiquitatis Eccleſiaſticę gnarus facile credet. Itaque recte omnino ac vere eruditiſſimus Petavius Ruffinum, quod complures Origenis e ſcriptis ejus *errores ſuſtulit, ac pro iis catholica dogmata ſubſtituit*, id *temerę* feciſſe judicat, *imo flagitioſe*; *non ſolum* (inquit) *quia veterum interpolare libros ac pro libito commutare periculoſi res exempli eſt*; *ſed etiam quod errata illius non emendavit omnia.* Et paulo poſt ſcribit Ruffinianam.

CAPUT XL.

Ruffin. Præfat. in 3. περὶ ἀρχ. p. 712.

l. 1. περὶ ἀρχῶν c. 3. p. 677.

* *ibid. c. 6. p. 182. init.*

† *ibid. c. 5. p. 679. infr. med.*

Petav. T. 2. Theol. Dogm. L. 1. c. § 2. p. 17.

ibid. § 4. p. 28.

manam illam librorum de Principis *editionem neminem ſine ſtomacho, ac tam ſtolidi interpretis odio legere poſſe.*

Neque vero tu Ruffinum putes in aliis Origenis vertendos caſtiorem, aut religioſiorem fuiſſe. Pari in omni licentia, etiam in quædam immaniori graſſatus eſſe ſuo ipſius teſtimonio convincitur. Gloriatur enim alibi ſibi *nec in cæteris defuiſſe plurimum laborem, dum ſupplere cuperet ea, quæ ab Origene in auditorio Eccleſiæ ex tempore, non tam explanationis, quam ædificationis intentione perorata ſunt; ſicut* (inquit) *in homilijs, ſive in oratiunculis in Geneſim, & in Exodum fecimus, & præcipue in his, quæ in librum Levitici ab illo quidem perorandi ſtylo dictata, a nobis vero explanandi ſpecie tranſlata ſunt. Quem laborem adimplendi quæ deerant, idcirco ſuſcepimus, ne pulſatæ quæſtiones, & relictæ, quod in homiliatico dicendi genere ab illo ſæpe fieri ſolet, Latino lectori faſtidium generarent. Nam illa quæ in Ieſu Nave, & in Iudicum librum, & in trigeſimum ſextum, & in trigeſimum ſeptimum, & trigeſimum octavum pſalmum ſcripſimus, ſimpliciter expreſſimus vt invenimus, & non multo cum labore tranſtulimus.* Hactenus Ruffinus. Sed nuſquam ille ſe licentius aut flagitioſius geſſit, quam in epiſtolam ad Romanos. Fatetur enim ſe Heraclio ita jubenti obſequentem, quod *erat Origenis quindecim voluminum corpus, græce ad quadraginta fere, aut eo amplius verſuum millia productum, abbreviaſſe, & ad media,* quatenus fieri potuit, *ſpatia coarctaſſe.* Sed & in hoc opere ſe profitetur, quantumvis brevitati ſtudentem, non tamen ea ſolum *breviaſſe, quæ longa erant,* ſed etiam *addidiſſe aliqua & expleviſſe, quæ deerant.* Quin etiam prædicat in iis *ſupplendis, quæ* Origenes in ſuis exegeſibus *omiſerat, immenſum ſibi & inæſtimabilem incubuiſſe laborem.* Atque hæc quidem Ruffinus; in quibus iſtum vides ſimpliciter atque ingenue confiteri ſe nihil Origenis attigiſſe, aut attrectaſſe, quod non ex ſua illa abſurdiſſima interpretandi lege, contaminaverit ac fœdaverit; adeoque eum flagitii non pœnitere, vt id velut præclarum aliquod ἀνδραγάθημα jactet, atque oſtentet, laboriſque turpiſſimi præmium pæne poſcat; quaſi qui homines fallit, ac in errorem inducit, optime de iis mereatur. Sed ne in his quidem ſtetit hominis audacia. Aliud multo indignius audi. *Deſunt fere* (inquit) *apud omnium bibliothecas* (*incertum ſane quo caſu*) *aliquanta ex ipſo* (expoſitionis in epiſtolam ad Romanos corpore) *volumina; & hæc adimplere in Latino opere, & integram conſequentiam dare, non eſt mei ingenij. Sed vt tu credis, qui hæc exigis, mumeris fortaſſe divini.* Clare ſignificat in eo, quod ex Græco tranſtulit, Origenis exemplari defuiſſe aliquot tomos; Iacturam ſarcire non ſuum, ſed Dei opus eſſe fatetur; & auſus eſt tamen homo ad prodigium ſtolidus rem aggredi, ac de ſuo, quæ Origenis deerant, ſupplere, & *integram operis,* vt loquitur, *conſequentiam dare.* Neque tamen vſpiam monet, quot, vel qui tomi illi fuerint, quos ſupplevit; neque ſua a vere Origenicis vel minimo judicio diſcrevit; ita vt in

Ruff. Perorat. in ep. ad Rom. p. 634.

Id. Præfat. in ep. ad Rom. p. 455.

Id. perorat. in ep. ad Rom. p. 634.

Id. Præfat. in ep. ad Rom. p. 455.

vt in toto opere neſcire lectorem neceſſe ſit, Origenem-ne an Ruffinum legat.

CAPVT XLI.

CAPVT XLI.

Iuſtiſſima Eraſmi ad hanc Ruffinianæ interpretationis rationem indignatio. II. Argumentum; Ruffini in Origenicis interpretandis flagitia convincuntur ex quorumdam locorum, quæ Græce vt ab auctore ſcripta ſunt, in Philocalia habentur, cum Ruffiniana interpretatione. Ioanni Tarini in aliquot eius loca animadverſiones id ipſum confirmant. Loci Græci ex hom. in Ioſ. 20. cum Ruffinianis parallelismus.

AD hæc omnia merito indignatur Eraſmus; *Ruffino* (inquit) *peculiaris eſt iſta temeritas, cuius vnicum ſtudium fuiſſe videtur omnes illuſtrium auctorum libros attrectando contaminare. Non pudet illum in hoc* (ad Epiſtolam ad Romanos) *peroratione fateri ſe homilias Origenis in Geneſim, Exodum, & maxime Leviticum ſic immutaſſe, vt quæ ille ædificandi ſtudio populariter dixit, ipſe explanandi ſpecie tranſtulerit.* Tum omnes, quas ſui hujus facinoris cauſſas adfert Ruffinus, excutit, ac refellit; & quam futiles ſint oſtendit. *Argute vero* (inquit) *diſtinxit ædificationem ab explanatione, quaſi non & explanatio ſpectet ædificationem auditorum. Quæ porro deerant in homilijs ab ipſo ſupplenda? Quæſtiones, inquit, pulſatæ, & relictæ. Atqui tales adhuc reſtant in homilijs, quas vertit. Sed fac ſuppleſſe; Vnde ſupplevit? Ex ſuo ingenio. Non eſt veriſimile; ſed vt arbitror, ex tomis Origenis, in quibus tractat exactius, quæ apud populum loquens diſſerebat, vel quia nolebat auditores prolixiore ſermone onerare, vel quia rudibus ac parum attentis nolebat illa retruſiora ingerere. Quod dico ipſe fatetur præfans in libros περὶ ἀρχῶν. An protinus ibi defectus eſt, vbi aliquid poteſt addi? Cur igitur non ſupplevit Origenes ſcholia? Cur ex homilijs, quibus Origenes loca quædam delecta exponit, fecit perpetuos commentarios? In ſuo quodque genere plenum eſt, in quo præſtitit auctor, quod propoſuit, ac promiſit.* Hæc executus pergit Eraſmus; & quod ait Ruffinus defuiſſe aliquanta in omnibus fere Bibliothecis Origenicæ in epiſtolam ad Romanos expoſitionis volumina, eaque ſe ſupplere aggreſſum eſſe dicit, id pro merito exagitat; *Quid?* (inquit) *an ille luſtrarat omnes omnium Bibliothecas? Sed caute addidit fere. Quod ſi in aliquot Bibliothecis non deerant volumina; cur de ſuo ſupplere maluit, quam ex illis adijcere? Saltem indicaſſet ea volumina, vt ſciremus quid eſſet Origenis, quid Ruffini. Addit, quod eſt omnium impudentiſſimum, ſe totum hoc opus ad dimidium prope contraxiſſe. Quis ferat hunc tantorum virorum monumenta ac pretioſas Eccleſiæ divitias pro ſua libidine detruncantem, augentem, immutantem?* Hic paucis de Ruffi-

Eraſm. Cenſur. oper. Orig. De comment. in ep. ad Rom.

CAPUT XLI.

Ruffiniana Euſebianę Hiſtoriæ interpretatione interjectis Eraſmus ad Origenica redit; *Nec ſui* (inquit) *diſsimilis fuit* (Ruffinus) *in vertendis libris* περὶ ἀρχῶν. *Quædam ſubmovit, ac pro his alia ſuppoſuit; quædam obſcurius dicta ex alijs Origenis libris reddidit explanatiora; nec indicat, quæ ſint illa, quæ ſubmovit, aut quæ ſint, quibus lucem addidit.* Poſtremo indignans Ruffinum hominem, vt apparet, ingenii neque fœliciſſimi, neque admodum eruditi, ita contaminaſſe illuſtrium Eccleſiæ doctorum libros, neque eo minus a Gennadio invidioſiſſime laudatum, ac Hieronymo & Auguſtino pæne prælatum, tandem vir optimus in vota pia quidem, ſed inania deſinit; *Vtinam* (inquit) *extarent Græca Origenis monumenta, quo Ruffinicas artes poſſemus deprehendere.* Atque hoc quidem Eraſmus; cujus quam juſta ſit indignatio, vident omnes boni, ac Eccleſiaſticæ eruditionis ſtudioſi. Quod vero optat, *artes Ruffinicas deprehendi*, tametſi id non admodum neceſſe ſit, quando reum habemus confitentem, ac tantum non nos admonentem, vt ab ipſius fraudibus & impoſturis careamus; hoc ipſum tamen quod optat Eraſmus, aliqua quidem ex parte fieri præſtarique poſſe non deſpero. Illud quidem (fateor) multo eſſet potius ac optabilius, vt omnia, vel ſaltem quamplurima Origenis Græca haberemus, quo & Ruffini omnia peccata pervidere, eoque carere poſſemus, & (quod ego maximum ac præcipuum duco) ex Origene, quo nemo fere ex veteribus accuratius, & ad docendum accommodatius ſcripſit, certo dicere, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ tertio, quo ille vixit, ſæculo doctrina fuerit, quæ traditio, qui ritus, ac cultus. Sed quamquam magna, ac pæne inæſtimabilis ſit tantorum ac tam multorum Origenis, quibus caremus, opera jactura; ſuperſunt tamen magno Dei beneficio, aliquot, & quidem minime contemnenda doctiſſimi illius ac celeberrimi viri certa veraque opera; quæ ſi ad cætera, quæ cupimus, explenda minus valent, certe ad id, quod bonus Eraſmus optabat, ſatis ſunt. Nam inter ea, quæ Origenis Græce habemus, extant quædam eorum, quæ Ruffinus Latine interpretatus eſt, particulę; ad quas licet Ruffiniana exigere, & ex ea collectione deprehendere quæ illius viri fuerint in hoc, quod ſuſcepit, interpretandi munere *artes*, id eſt fraudes, & impoſtura; quam nulla religio, nulla diligentia; quam projecta & impudens ad quidvis pro ſua libidine addendum, detrahendum, immutandum audacia. Denique inde patere poteſt, quam verum ſit Ruffini de ſe ipſo, quod nuper audivimus, teſtimonium, quantaque ille fide ea omnia in interpretando præſtiterit, quæ ſe vel jam præſtitiſſe in quibuſdam gloriabatur, vel in aliis præſtiturum minabatur. Nam anno hujus, quod jam decurrit ſæculi 18. diu poſt Eraſmi mortem, Ioannes Tarinus Andegavus Lutetiæ ex Bibliotheca Regia Philocaliam Origenicam edidit, olim a Baſilio, & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis commentariis excerptam. In eo autem opere non pauca extant ex ipſis illis Origenis libris deſcripta, quæ a Ruffino Latine interpretata, vel vt verius dicam, contaminata, vitiata,

& miſe-

& miſere interpolata habemus. In ipſo ſtatim limine a prima pagina ad CAPVT XLI.
52. occurrunt duo loca & quidem prolixa ac luculenta ex libris περὶ ἀρχῶν excerpta. Prior locus, qui pagina 14. in Chriſti doxologiam deſinit, ex quarti libri capite primo; † ſequens ad pag. 50. verſum 13. ex capite ſecundo deſumptus eſt; * quæ deinceps ad pag. 52. habentur, nuſquam apud Ruffinum ad illius libri finem leguntur. * Sed & ejuſdem operis libri tertij caput primum, [a] quod eſt de libero hominis arbitrio, totum in Philocalia Græce deſcriptum habetur pag. 264. ad 312. Tum ex homiliis in Ioſuam, quas Latine Ruffinus edidit, locum inſignem capite Philocaliæ duodecimo a pag. 101. ad 105. ex homiliæ XX. exordio [b] Græce deſcriptum legimus. Item ex homilia II. in Leviticum, quam a Ruffino Latine habemus, [c] locum Philocalia capite primo pag. 54. non contemnendum Græce exhibet. Eadem nobis Græce integra conſervavit duo ex Tomis in epiſtolam ad Romanos loca; vnum capite 24. a pag. 398. ad 407. ex Tomo primo; alterum ex nono, a pag. 88. ad 94. capite nono. Hæc tametſi pauca, ſiquis altera cum alteris non oſcitanter comparaverit, abunde oſtendent; qui vir ſit Ruffinus, quamque diligenter caverit, nequa in re ab illa ſua Origenicæ interpretationis idea deflecteret, quam ſupra audivimus. Dixerat ſe quædam, velut ab aliis *inſerta prateriturum*, alia *brevitatis gratia reſecturum*, nonnulla *explanationi ſtudentem adjecturum*. Omnia optima fide præſtitit. Origenes initio homiliæ in Leviticum ſecundæ hæc dixerat; *Iudaiſmi qui oculis videtur, & ejus; qui mente percipitur; hoc eſt Iudaiſmi manifeſti & occulti diſcrimen cum non intelligerent impij & omni execratione digni hæretici diſceſſerunt ſtatim a Iudaiſmo & harum ſcripturarum totiuſque legis auctore Deo defecerunt, & alium Deum ab eo, qui legem & Prophetas dederat, & qui cælum & terras fecerat, confinxerunt*; & cætera quæ plura ſequuntur vſque ad illa verba; *non litteram, ſed animam in præſenti perveſtigemus, ſi vero poſſimus, etiam ad ſpiritum aſcendemus, ſecundum ſacrificiorum, quæ lecta ſunt rationem.* Hæc Origenes; Omnia Ruffinus brevitatis gratia reſecuit; & plane alia tum exordiens, tum poſt exordium Origenes Tomo in epiſtolam ad Romanos nono locum Pauli exponens ex cap. 20. *Quid igitur lex peccati?* De multiplici nominis legis ſignificatione fuſe diſſerit, & ex ea occaſione monet diligenter eſſe in Scripturis diſtinguendos homonymorum vocabulorum ſenſus. Locus ſic incipit; *Non quomodo lex vnum nomen eſt; ſic vnus vbique eſt Scripturæ de lege ſermo.* οὐχ ὥσπερ ὄνομα ἓν ἐστὶ νόμος. οὕτω καὶ εἷς ὁ περὶ νόμου πανταχοῦ τῆς γραφῆς λόγος. Sic vero poſt ſeptimam paginam deſinit; *in qua* (ad Romanos epiſtola) *quæ de lege dicuntur, diverſis modis dicuntur, & diverſis rebus imponuntur, vt videatur Paulus rem propoſitam non exſequi.* Ruffinus hæc credo ne teneras ſuorum Latinorum aures offenderunt, omnia delevit, neque vllum eorum vel leviſſimum veſtigium in tota ſeptimi illius capitis expoſitione reliquit. Quæ vero de illis Pauli verbis; quæ ipſo ſtatim epiſtolæ initio occurrunt, *Paulus*

Margin notes:
† *Orig. Ruffini T.* 1. *p.* 737.
* *ibid. p.* 739.
* *Vid. ibid. p.* 746. *lin.* 10. *poſt* innumerabiles.
a *ibid. L.* 3. *c.* 1. *p.* 712. *ad* 722.
b *Hom.* 20. *in Ioſ. p.* 325.
c *ibid. p.* 108.
Orig. Homil. 2. *in Levit. in Phila. c.* 1. *p.* 54 *ad* 56.
Orig. hom. 2. *in Lev. T.* 1. *p.* 108.
L. 6. *in epiſt. ad Rom.* 2. *p.* 55[?] *ad* 559.

CAPVT XLI.

Philoc.c.24.a. p.398.ad 407. † *L.1.in ep. ad Rom.T.2. Orig. p.460.* * *Philoc.c.1.p. 49. Orig.T.1.p. 745.infr.med.* a *Philoc. o.p. 307.extr.*

ſegregatus, ἀφωρισμένος, *in Evangelium Dei*, Origenes Tomo primo fuſe ſuo more diſputaverat; Ruffinus ita miſere pro ſuo inſtituto mutilavit ac diſcerpſit, vt in dimidia pagina,* qua illa verba expoſuit, vix tenuem aliquam Origenis vmbrarii deprehendere liceat. In opere περὶ ἀρχῶν, jam diximus, multa illum, quæ capite ſecundo libri quarti habentur, omnino prætermiſiſſe. Ibidem poſt illa Origenis verba, *cum multi de Iſrael doctrinæ ipſius non acquieverint*, **qui & gentibus erant vocantur*, plane alia apud auctorem, alia apud interpretem ſequuntur. Ita in ejuſdem operis libro tertio, quod auctor dixerat, a *odij in Eſau cauſam in ipſo Eſau fuiſſe antequam eſſet in Rebeccæ vtero*, id plane prætermiſit; quod vero de Iacobo ibidem Origenes dixerat *dilectionis cauſſam in Iacobo fuiſſe antequam crearetur*, πρὸ τῆς ἐνσωματώσεως, id eſt *antequam*, ſi uerbum verbo reddas, *incorporaretur*; id inquam ſic corrupit; ac immutavit, vt dicat, *Iacob dilectum eſſe, etiam dum adhuc in matris vtero haberetur.* b Nimirum timuiſſe videtur ne peregrinum Origenis de animarum antequam in corpora infundantur præexiſtentia, boniſque ac malis meritis dogma ſuos Latinos offenderet. Iam Origeni haud parcius aliena adjecit, quam ſua detraxit; tametſi illud, quam hoc, ſi non flagitioſius, certe perículoſius eſſe videatur. Ita in eodem de Principiis opere duabus ab Origene allatis Chriſti prædictionibus ipſe tertiam de ſuo inſulſit, hanc ſcilicet; *Prædicabitur hoc Evangelium in omnibus Gentibus.* Ibidem paulo poſt Origenes *Ethnarcham* ſive *gentibus Iudæorum principem* dixerat; Ruffinus addit de ſuo, *quem nominant Patriarcham.* Mox non paucis interjectis, ſcribit Origenes; *Superati & victi ſumus, qui ex gentibus a gratia ſermonis ejus capti ſumus;* Ruffino hęc ſatis non fuerunt; Adjecit, *& velut exuviæ quædam victoriæ ejus exiſtimus.* Origenes in eodem libro dixerat *ea quæ de Deo ſunt, veluti primaria ac præcipua neceſſario fuiſſe* in ſcripturis *conſtituta*, τὰ περὶ Θεοῦ ἀναγκαίως ὡς προηγούμενα τέτακται. Ruffino hæc non ſatis plena viſa ſunt; Itaque auctiora de ſuo ſic fecit; *De Deo*, (inquit) *id eſt de Patre & Filio & Spiritu Sancto, ab his viris divino Spiritu repletis principaliter deſignatur.* Hiccine veritus eſt, ne Lectori Latino obſcurius eſſe videretur ab Origene vſurpatum ſimplex *Dei* nomen? Eoque vt clarior, magiſque perſpicuus eſſet locus ſuam illam de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, exegeſin adjecit? Hanc quidem ille ſupra ſuarum additionum, vel, vt ipſe eas vocat, *explanationum* cauſam afferebat. Sed quam falſo eam ſit cauſſatus, vel vnus hic locus oſtendit. *Dei* enim nomine nullum apud Chriſtianos eſt notius, ac familiarius; neque quiſquam noſtrorum fuit, qui neſciret hoc vocabulo Patris, Filii, & Spiritus Sancti numen contineri; eaque de re lectores hoc loco admoneri eo minus neceſſe erat, quod ipſe Origenis ſtatim & quidem ἀμέσως addit, *& de Vnigenito ipſius, qualis ſit naturæ, quomodo ſit Dei Filius*, περὶ Θεοῦ ἀναγκαίως ὡς προηγούμενα τέτακται, καὶ τὰ μονογενοῦς αὐτοῦ, ποίας ἐστὶ φύσεως, καὶ τίνα τρόπον υἱὸς τυγχάνει Θεοῦ, & cætera quæ de Filii œconomia

(margin, beside the lines above:)

b *L.3. περὶ ἀρχ.c.1.p. p.721.med.*

Philoc.c.1.p.4. Orig.T.1.p.736

L.4. περὶ ἀρχ.c.1.

Philoc.ibid.c.7

L.4. περὶ ἀρχ.ibi.738

Philoc.c.1.p.28

L.4. περὶ ἀρχ.c 1.p. 742.ant.med.

CAPVT XLI.

mia ſequuntur. Quæ verba oſtendunt nomen *Dei* initio poſitum, ab Origene intelligi non *eſſentialiter*, de tribus divinitatis perſonis, vt exponit Ruffinus, ſed (vt loquuntur) *perſonaliter* de Patre; quo factum eſt, vt Ruffinus cogeretur illa, quæ addita deſcripſi, aliter quam erant apud auctorem, ita efferre; *tum vero de Sacramentis Filij Dei, quomodo Verbum caro factum ſit* &c. vnde apparet illam ejus explanationem non modo, quod diximus, ſupervacaneam, ſed etiam abſurdam eſſe & auctoris menti ac verbis repugnare. Itaque vera hujuſmodi adjectionum cauſa non ea fuit, quam Ruffinus obtendit; ſed longe alia. Ille nimirum vt Origenem liberaret ex, qua vulgo flagrabat, invidia, veluti de Sanctæ Trinitatis ὁμοȣσίῳ male ſentiens, non illa modo ex ejus ſcriptis delevit, quæ ad Arianiſmum vergebant; ſed ea inſuper illi paſſim opportune & importune affingit, quæ Nicænis decretis, & Catholicorum fidei erant conſentanea, vt ita homo ad vnguem Catholicus ſuis lectoribus videretur. Hæc eſt vera ratio, cur hoc loco Dei nomine ſimpliciter poſito ſuam illam exegeſin, *id eſt Pater, & Filius & Spiritus Sanctus*, præter rem adjecerit. Neque dubito, quin huc quoque pertineat, quod apud eum in hoc quoque opere legimus, *vivere præter corpus* (id eſt abſque corpore) *nullam aliam naturam poſſe præter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum*; & in eodem libro iterum; *Videre & videri corporum res eſt; quod vtique nec Patri, nec Filio, nec Spiritui Sancto inter ſe invicem competenter aptabitur.* Sic & in epiſtolam ad Romanos; *Nos nullam creaturam, ſed Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum colimus.* In his Origenes *Deum* ſimpliciter dixerat; non diſtincte & explicite *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Cur enim hoc potius, quam illo modo diceret, nulla ratio ſuberat. Huc quoque pertinet, quod Ruffinus eum facit dicentem, *impietatis eſſe crimen, adorare alium quempiam præter Patrem Filium, & Spiritum Sanctum*; & alibi, *nullum invincibilem, nullum immutabilem, nullum ſine initio, & ſine fine, nullum Creatorem omnium, niſi Patrem, cum Filio, & Spiritu Sancto.* Ejuſdem eſſe ingenii, veri perquam ſimile videtur Trinitatis nomen in iis, quæ Ruffinus ex Origene tranſtulit, aſſidue inculcatum; vt in opere de Principiis; *Natura Trinitatis modum viſionis excedit his, qui in corpore ſunt.* Et; *Subſtantia* (inquit) *Trinitatis principium eſt & cauſa omnium.* Sic etiam in Geneſim de Noacho; *Fide Trinitatis ad longitudinem vitæ, immortalitatemque deſcendit.*[a] Et; *Auctum eſt nomen Iſaac ſæper terrã, cũ adimplevit nobis ſcientiam Trinitatis.*[b] Et in Leviticum; *Quid eſt quod a rebus omnibus ſegregatur, nec eſt commune eum reliquis, niſi ſola ſubſtantia Trinitatis?*[c] Et in Numeros; *Sola Trinitatis ſubſtantia eſt, quæ non extrinſecus accepta ſanctificatione, ſed ſui natura ſit ſancta.*[d] Et de arca Noe philoſophans; *Quæ* (inquit) *Trinitatis ſacramentum in numero 300. cubitorum deſignat.*[e] In Ioſuam; *Per Spiritum Sanctum myſterium beatæ Trinitatis impletur.*[f] Et paulo ante ibidem dixetat, *illos priores, qui per legem habebantur, contigiſſe quidem ſcientiam Trinitatis, non tamen inte-*

Orig. περὶ ἀρχ. L. 2. c. 2. extr. p. 989. init.
ibid. c. 4. extr. p. 694.
Id. L. 1. in Rom. c. 1. T. 2. p. 468. extr.
od. ibid. p. 467.
Id. hom. 6. in Exod. p. 77.
L. 2. περὶ ἀρχ. c. 4. extr. p. 694.
ibid. L. 4. c. 1. p. 747. extr.
a Orib. Hom. 2. in Gen. p. 16. infr. med.
b ibid. hom. 12. p. 43.
c Id. in Levit. hom. 7. p. 139 extr.
d Id. in Num.

Caput XLI.

hom.11.p.214. init.
e ibid.hom.21. p.254. init.
f Id. in Ioſ. Hom.3.p.291. ant.med.
g ibid.p.290. extr.

gre & perfecte, ſed ex parte; [g] & mox negarat, Patres (ſcilicet Veteris Teſtamenti) *extra fidem & ſalutem fuiſſe Trinitatis*. Sexcenta ſunt apud noſtrum interpretem ejuſdem generis, quæ non dubito apud auctorem, vel omnino defuiſſe, vel aliter dicta fuiſſe, conſulto in hunc modum a Ruffino expreſſa, vt Origenes ab hæreſeos circa Trinitatem ſuſpicione purgaretur. Qui plura in his. quæ Philocalia exhibet. a Ruffino peccata cognoſcere cupiet, illa ipſa videat, & cum Ruffinianis comparet. Comperiet hoc interprete neminem eſſe poſſe deteriorem; neminem in mutilandis, augendis, invertendis, ac denique pro ſua libidine fingendis auctoris ſui dictis audaciorem, vel impudentiorem. Doctiſſimus Tarinus, qui periculum fecerat, ſubinde has ad Origenis ſui loca, notas apponit; In exordium L. 4. περὶ ἀρχῶν. *Totum hoc proœmium Ruffinus contorſit, &, vt ſolet, in omnia alia abijt*. Ad alium locum; *Sua hic ſuppoſuit Ruffinus*, & paulo poſt, *His Ruffinus non pauca aſſuit, explanationi, vt ipſe ait, ſtudens*. Et alibi; *Excurrit longiſſime Ruffinus, in ſuis, opinor, non in Origenis ſpatijs*. Et mox tam moleſti, tamque inepti interpretis credo, pertæſus, ſe hæc deinceps prætermiſſurum denuntiat, *ne ad ſcopulos ſemper adhæreſcat*. Item; *Vide* (inquit) *ſit-ne tui ſtomachi, quod ſtruit Rufinus*. Ad alium locum; *Interpicit Ruffinus de duabus tunicis, vt & ſequentibus de percuſſa maxilla*. Tum; *Addit Ruffinus*; Aut quis extra maximum crimen habebitur ipſe ſibi inferens manus? *Cætera tranſilit*. Item de aliis quibuſdam Origenis verbis; *Hæc* (inquit) *deſunt apud Ruffinum*. Et ad initium homiliæ ſecundæ in Leviticum; *Hæc* (inquit) *non reperias in pervulgatis homilijs in Leviticum*; id eſt (vt ſupra oſtendimus) in Ruffinianis. In principium L. 3. περὶ ἀρχῶν. *Addit Ruffinus*; *Cum quibus ſe quoque vnum faciens Propheta* ait. In homiliam in Ioſuam 20. cujus interpretem Hieronymum ex vulgatis codicibus nominat; tametſi is, vt opinor, idem quoque Ruffinus ſit; *Hæc* (inquit) *vberrime; non modo interpretatur, verum etiam, qui ejus ævi mos fuit, explanat*. Ad locum e primo Tomo in epiſtolam ad Romanos; *Alia hæc ſunt* (inquit) *in interpretatione D. Hieronymi*. Verius dixiſſet, *Ruffini*. Hæc ſaltem a Tarino perſtricta lege. Videbis nihil eum præter verum dixiſſe; ac merito in ipſo Notarum limine Ruffinum ex interpretum cenſu pene ſummoviſſe, dubitantem, an is *interpres* ſit, ac non potius αὐτόνομος ſcriptor. Ita ſatis ni fallor, probavimus Ruffinum Origenicis, quæ eſt interpretatus, libere quæ libuit, & detraxiſſe, & adjeciſſe; quod ſuum fuiſſe interpretandi inſtitutum ipſe ſupra profitebatur. Supereſt, vt expendamus, an id æque verum ſit, quod ille ibidem affirmabat ſe in Ioſuam ſingula ſic expreſſiſſe, vt apud Origenem invenerat. Extat enim in Philocalia * vt diximus, locus, vnde hac de re judicium fieri poteſt, luculentiſſimus, ex homilia XX. decerptus. Locum, qui prolixior eſt, non deſcribam totum; ſed ejus tantum particulam cum Latina interpretatione, & noſtra, & Ruffini, & quæ apud hunc ſuperſunt, diverſo charactere notabo.

* Philoc. c.8. p.102.

Orige-

CAPUT XLI.

Origenes.

Ὥσπερ τίνων αἱ ἐπῳδαὶ δύναμίν τινα ἔχουσι φυσικὴν, καὶ μὴ νοῶν ὁ κατεπᾳδόμενος λαμβάνει τι ἐκ τῆς ἐπῳδῆς κατὰ τὴν φύσιν τῶν φθόγγων τῆς ἐπῳδῆς, εἴτε εἰς βλάβην εἴτε εἰς ἴασιν σώματος ἢ ψυχῆς ἑαυτοῦ· οὕτω μοι νόει πάσης ἐπῳδῆς δυνατωτέραν εἶναι τὴν σημασίαν τῶν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς ὀνομάτων. εἰσὶ γὰρ τινες δυνάμεις ἐν ἡμῖν, ὧν αἱ μὲν κρείττονες διὰ τούτων τῶν οἱονεὶ ἐπῳδῶν τρέφονται συγγενεῖς οὖσαι αὐταῖς καὶ ἡμῶν μὴ νοούντων ἐκείνας τὰς δυνάμεις νοούσας τὰ λεγόμενα, δυνατωτέρας ἐν ἡμῖν γίνεσθαι πρὸς τὸ συνεργεῖν τῷ ἡμετέρῳ βίῳ· ὅτι γὰρ ἐστί τινα ἐν ἡμῖν ἀόρατα, καὶ πολλά γε ταῦτα, δηλώσει ὁ εἰπὼν ψαλμὸς, Εὐλόγει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον, καὶ πάντα τὰ ἐντός μου τὸ ὄνομα τὸ ἅγιον αὐτοῦ.

Quemadmodum igitur carmina vim quandam habent *inſitã* (naturalem) & qui incantatur imprudens (non intelligens) aliquid a carmine accipit ſecundum naturam ſonorũ, quibus conſtat carmẽ, ſive ad damnum, (noxam); ſive ad ſanitatem (medelã) corporis, vel animæ ſuæ; ſic tu mihi cogita omni carmine potentiorem eſſe ſignificationem nominum, quæ in divinis Scripturis inſunt. Sunt enim quædam in nobis virtutes (poteſtates) quarũ quidem quæ meliores ſunt per hęc veluti carmina aluntur, quorum ſcilicet congeneres, atque affines ſunt; illaſq; virtutes, ea quę dicũtur intelligẽtes) nobis licet minime intelligẽtibus) fieri, in nobis potẽtiores ad hoc, vt vitæ noſtræ opitulẽtur. Eſſe enim in nobis quædã inviſibilia & quidẽ multa, docebit Pſalmus, dicens; Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

Ruffinus, Ham. 20. in Ieſ. Nave. Orig. T. 1. p. 325.

Sic enim *creditum eſt a gentibus*, *quod quædam* carmina; *quas præcantationes appellant*, *quibus iſtud artis eſt inſuſurrantes*, *nominibus quibuſdam compellatis*, *quæ ne illi quidem, qui invocant, norunt*, ex ſolo vocis ſono, *vel ſopiantur ſerpentes, vel etiam de cavernis protrahantur abſtruſi; ſæpe autem & in corporibus humanis tumores, aut alia huiuſcemodi voce ſola reprimere dicũtur, interdũ etiam animæ ſtuporem quemdam ſenſus infligere, vbi tamẽ Chriſti non reſtiterit fides; quanto magis totius præcantationis & carminis* validiorem & potentiorem *ducendam credimus quamcumque illam* Scripturæ Sanctæ vel ſermonem, vel nominũ appellationẽ? *Sicut enim apud infideles contrariæ virtutes audientes illa, vel illa nomina in carminibus, vel præcantationibus, adſunt & exhibent famulatum, & dant operam in hoc ad quod invocari ſe ex illo, vel ex illo nomine ſenſerint, officij ſui rẽ quodammodo ac miniſterij, cui ſemetipſos mancipaverint, dependẽtes; eo magis vtique cœleſtes virtutes & Angeli Dei, qui nobiſcum ſunt, ſicut & Dominus de parvulis Eccleſiæ dicit, Quia Angeli eorum ſemper aſſiſtunt in conſpectu Domini, videntes faciem eius; libenter & grate accipiunt, ſi ſemper verba Scripturæ, & horum nominum appellationes, velut carmina quædam & præcantationes ex noſtro ore promamus.* Quia etſi nos

nom-

CAPVT XLI.

non intelligimus,quæ de ore proferimus, illæ tamen virtutes,quæ nobis *adſunt, pro* inſunt intelligunt , & velut carmine quodam invitatæ, adeſſe nobis,& ferre auxilium delectantur. Quia autem ſunt *non ſolum circa nos* multæ divinæ virtutes, *ſed etiam* intra nos indicat Propheta cum dicit in Pſalmis,Benedic anima mea Dominum,& omnia interiora mea nomen ſanctum ejus,hoc eſt omnia,quæ intra me ſunt.

Ipſa, vt vides, pręter auctoris modum enormis interpretationis prolixitas oſtendit Ruffinum multo plura *expreſſiſſe*, quam inveniſſe. Tum hoc ipſum docet propius inſpecta & inter ſe collata vtriuſque, id eſt & auctoris,& interpretis oratio.In hoc enim prælongas paſſim deprehendis lacinias, quæ in illo nullæ ſunt; & illius verbis ac ſententiis multam ab hoc aggeſtam rerum alienarum colluviem. Oratio apud auctorem ſimplex & expedita decurrit ; Apud interpretem, plane vt Aſſyrium Callimachi flumen,

πολλὰ

Λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδασι συρφετὸν ἕλκει.

Sed & hic, perinde ac in aliis, Origenem Ruffinus non tam *interpretatur*, quam *explanat*. Nam quæ de ſuo adjecit, ea vt liquet, plæraque ad explananda auctoris verba dictaque pertinent; vt illud quod initio ſtatim occurrit, *carmina* eſſe *quas præcantationes appellant*. Denique quod ille in aliis libris ſe feciſſe confitetur, id hic quoque facere videtur,Origenem ſuum interpolare,& alium ab eo qui revera eſt, effingere,ne Latinis ſuis vel offenſionem, vel faſtidium pareret. Eo pertinet, quod non dicit ſimpliciter cum ſuo auctore *carmina ſive præcantationes vim quandam habere phyſicam* ſive *naturalem*,ſed, *id a gentibus creditum eſſe*;quod metueret ſcilicet ne illa de phyſica verborum vi opinio (quam eſſe Origenis & hinc, & ex opere contra Celſum patet) Latinis lectoribus abſurda ac peregrina videretur.Ideo rem mollivit,& ſic expreſſit, vt hoc credidiſſe, non ipſe Origenes, ſed Gentiles intelligerentur.Ejuſdem artis fuiſſe videtur,quod *Angelos nobiſcum eſſe,& nobis adeſſe* dicit, pro eo quod apud auctorem invenerat *virtutes* (id eſt Angelos) *in nobis* eſſe *& validiores in nobis fieri*. Verebatur forſitan ne ſuos Latinos illud de pluribus Angelis in nobis reſidentibus, & viſcera noſtra (vt ſic dicam) incolentibus primo aſpectu moveret ac turbaret.Itaque vt hoc facilius concoquerent præmuniendos putavit; Eo illud primo dixit,quod in Eccleſia notum & receptum eſt, *nobis adeſſe, & nobiſcum eſſe Angelos*; idque ex allata Domini Chriſti ſententia comprobavit;quorum nihil eſt apud auctorem. Hæc præfatus tum demum illud aliud non æque vulgare Origenis ſui ſcitum promit , vna cum Prophetæ teſtimonio,quod id Origenis mirifice,ac ſi vera licet dicere, parum valide,parumque fœliciter confirmare conatus eſt. Cætera non deſcribo; in quibus Ruffini par vbique licentia cernitur; vt cum paulo poſt,

Orig.L.1.contr. Celſ.p.20. init.

poſt, in medias Origenis de eodem argumento diſſerere pergentis voces hæc de ſuo inferre, ac inſulcire non dubitavit. *Quid dico quia divinæ virtutes paſcantur & epulentur in nobis, ſi nos verba divinæ ſcripturæ proferamus ex ore? Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi nos inveniat his vacantes, & hujuſcemodi ſtudijs & exertitijs operam dantes, non ſolum paſci & refici dignatur in nobis, verum etiam ſi has epulas apud nos viderit apparatas, Patrem ſecum dignatur adducere. Sed hæc quia ſatis magna & ſupra hominem videntur, non meis tibi. ſed ipſius Domini & Salvatoris ſermonibus comprobentur dicentis; Amen dico vobis, quia ego & pater veniemus, & manſionem faciemus, & cœnabimus apud eum Quem? Illum profecto, qui ſua mandata cuſtodit.* Hæc ibi Ruffinus; de quibus ne vnum quidem μῦ in Græcis Origenis extare comperies, ſi ea, vt in Philocalia habentur, inſpexeris. Ex hoc brevi ſpecimine apparet Ruffinum ſui vbique ſimilem, ne in Ioſuam quidem fidum fuiſſe Origenis interpretem. Vnde porro argumentari licet, ſi ab auctore in his ipſis tam longe diſcedit, in quibus ſe ſingula aiebat expreſſiſſe, vt invenerat; quid eum in cæteris feciſſe putandum ſit, vbi ſe ipſe quædam Origeni vel adjecturum vel detracturum pro ſuo neſcioque inſtituto profeſſus eſt?

CAPVT XLI.

Origen. in Ioſ. hom. 20. T. 1. p. 325. inf. med.

Philoc. c. 12. p. 104. init.

CAPVT XLII.

Argumentum Ruffinianæ in Origenicis fidei III. inde ductum quod plurima in ijs immiſcuerit, quæ ab auctoris 1. *traditione*. 2. *eruditione*. 3. *more*. 4. *lenitate ac verecundia*. 5. *ævo*. 6. *lingua evidenter aliena ſunt.*

ITa Ruffini fides & ſuo ipſius teſtimonio, & Græcis Origenis quæ ſuperſunt, locis abunde arguitur ac convincitur. Cæterum tanta fuit hominis in hoc ſcribendi genere audacia, protervia, atque ſecuritas, vt etiamſi deeſſet vtrumque illud argumentum; opera certe vel ſola ſatis futura ſint ad fraudem deprehendendam. Hæc enim ipſa per ſe loquuntur ac pæne clamant alium eſſe ab Origene, quem in iis ſcriptorem expreſſit Ruffinus. Quod nunc ad hanc profligandam cauſam demonſtrare aggredior.

Id vero clare liquidoque ex iis intelligitur, quæ plurima in his a Ruffino interpretatis occurrunt ab Origenis vel traditione, vel eruditione, vel more ac ſtylo, vel gravitate & verecundia, vel ævo, vel ipſa denique lingua aliena. Ac Origenis quidem traditioni illa inprimis non videntur conſentanea, quæ in his crebro ac paſſim inſperſa leguntur de ὁμουσίῳ Filii & Spiritus Sancti cum Patre; qualia ſunt, præter ea quæ jam ſupra attigimus, alia non pauca; vt quæ in Leviticum de profitenda, & contra hæreticos aſſerenda Patris, & Filii, & Spiritus

Sancti

CAPUT XLII. Sancti vnitate ac æternitate ſcriptor pluribus differit; & quæ in Numeros diſerte ponit, trium *eſſe diſtinctionem perſonarum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*; ſic tamen vt *Trinitatis vna ſit ſubſtantia, & natura*; & ibidem, *Ieſum Chriſtum Filium Dei propria quidem ſubſtantia ſubſiſtere, vno tamen cum Patre & Spiritu Sancto Deitatis fonte nominari*. Et hæc in Geneſin, *Filium eſſe æqualem Patri*; Et homilia ſequente, Chriſtianos *vnum Deum confiteri*, ſic tamen, *vt eadem confeſſione Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum aſſerunt vnum Deum*; & in alio rurſum opere (*Eum credere dicimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; qui integrum, plenam, perfectam ſubſtantiam credit; qui nihil diſcrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur.* Et rurſum in alio ejuſdem operis libro; *Si Filius Dei* (inquit) *ſuper omnes dicitur, & Spiritus Sanctus continere omnia memoratur, Deus autem Pater eſt, ex quo omnia, evidenter oſtenditur natura Trinitatis; & ſubſtantia vna, quæ eſt ſuper omnia.* Denique quod in eodem opere contra Arianos & Sabellianos diſertiſſimum habetur; *Aut male ſeparant Filium a Patre, vt alterius naturæ Patrem, alterius Filium dicant; aut male confundunt, vt ex tribus compoſitum Deum, vel trinæ tantum modo appellationis in eo eſſe vocabulum putent. Qui autem bene annuntiat bona, proprietates quidem Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ſuas cuique dabit, nihil autem diverſitatis eſſe confitebitur in natura, vel in ſubſtantia.* Hæc, & ſiqua ſint alia ejuſdem ſenſus, non eſſe vere Origenis, ſed ei affiicta a Ruffino fuiſſe facile ni fallor, concesſerit eruditiſſimus Petavius, qui contendit, ac fuſe diſputat Origenem de æterna Filii, & Spiritus Sancti divinitate male ſenſiſſe, & in ea, quæ Arius poſtea defendit, non obſcure ptopendiſſe. Sed & noſ tametſi Halloixio & alijs, ſiqui ſint, qui illum virum etiam hac in parte orthodoxum fuiſſe & ab Arianorum blaſphemijs alienum malunt, faveamus; & quatenus rerum veritas patitur, aſſentiamur; non ideo tamen adducimur, vt credamus hæc ab Origene tam ſæpe, tam denique dilucide atque enucleate de ſanctiſſima Trinitate illis temporibus dicta eſſe, quibus, quod nondum exorta eſſet Arianorum hæreſis, multa de hoc argumento ſimplicius, parcius, obſcurius, & (quod negari non poteſt) etiam aliquando incautius loquutos eſſe conſtat, tum cæteros Patres illius ævi, tum ipſum etiam in operibus Græcis Origenem. Vt hunc vera de Filio & Spiritu Sancto ſenſiſſe concedam, illud quidem non dabo tam eſſe perſpicue, ac commode de de his myſteriis philoſophatum, quam illum Ruffinus noſter facit in ijs locis philoſophari, quorum nuper ſpecimen attulimus. Iſta profecto poſt Nicænam Synodum, multoque adeo magis poſt Origenem ſcripta ſunt; vt facile intelliget, quiſquis ea cum Origenis ſinceris hac de re ſententiis diligenter contenderit, quæ & in ope contra Celſum, & alibi non paucæ ſuperſunt. Collegit Petavius, apud quem videat eas, qui volet. Neque enim noſtri inſtituti eſt iſta nunc perſequi accuratius.

Orig. in Levit. hom. 13. T. 1. 168. extr. 169. init.
Id. in Num. hom. 12. p. 216. init.
ibid. p. 216. extr.
Id. in Gen. hom. 4. p. 13. init.
ibid. hom. 5. p. 74. ante med.
Id. in Rom. L. 4.
Id. id ep. ad Rom. L. 7. T. 2. p. 578. init.
Id. ibid. L. 9. p. 588. med.
Petav. T. 2. Theol. Dogm. l. 1. c. 4 toto.
Petav. vb. ſup. § 4. 5.

Orige-

CAPVT XLII.

Origenes (vt ex veris & indubitatis ejus operibus conſtat , & vt omnes pæne veteris ac recentis memoriæ , conſentiunt) credidit ac docuit , pœnas omnes , etiam alterius ſæculi a Deo decerni ac infligi ad purgandos peccatores; adeoque filios gehennæ , imo & ipſos quoque dæmones , poſt expiata diuturnis per multa ſæcula cruciatibus crimina , aliquando , alios maturius , alios ſerius ſalvatum iri. At in libris Ruffinianis loca occurrunt huic errori adverſantia ; Vt in Leviticum , vbi ſcriptor pro certo affirmat pœnas , quæ *differuntur* , id eſt quæ de peccatoribus , non in hac vita , ſed poſt mortem exiguntur, *æternas fore , & cum ſæculis extenſum iri* ; cui dicto illud quoque congruit , quod ſupra in eumdem librum conſtituebat *ex peccatis , quæ poſt hanc vitam nobiſcum tranſeunt quædam eſſe ita animabus infra , vt nequeant aboleri* ; quas *animarum* vocat *maculas inexpiabiles*. Huc etiam id pertinet , quod in epiſtolam ad Romanos legimus ; illos qui reſurgent *in confuſionem & opprobrium ſempiternum habituros quidem vitam æternam, ſed in confuſione & opprobrio æterno*.

Orig. in Levit. hom. 14. extr. p. 173. *ibid. hom. 8. p. 146. init.* *id. L. 6. in ep. ad Rom. T. 2. p. 551. med.*

Eſt & ab Origenis doctrina (vt videtur) alienum, quod in his Ruffinianis libris legitur *neminem fere inveniri, in quo non fuerit immunditia*. Ille vero ſolet plane id atque ita negare, vt ex hoc immundorum cenſu neminem excipiat, præter Dominum.

id. in Levitic. hom. p. 130. ini.

Origenis vero eruditione (quæ ſumma fuit) neſcio an ſatis digna ſit illa vocabuli Græci ἅγιος etymologia, quæ in his libris occurrit, quod id *quaſi extra terram eſſe ſignificet*, ἅγιος ſcilicet, quaſi ἄγειος dici quod ſane puerile eſt.

ibid. hom. 11. p. 160. infr. med.

Ab ea quoque lenitate, quæ maxima vbique in hoc viro elucet, illud abhorrere videtur , quod ibidem Chiliaſtæ vna cum hæreticis *Deum mundi conditorem eſſe* negantibus , adeoque parricidis , & in Patrem Chriſti & noſtrum contumelioſis cenſentur , ac eodem ordine collocantur. Ab ejuſdem verecundia neſcio annon illud alienum ſit , quod tam acriter alicubi ſcriptor vrget , vt ſacerdotibus omnium fructuum primitiæ offerantur; indignans *fructus terræ* quemquam guſtare , quos *ſacerdos neſciat , & Levites ignoret* , temereque ac falſo definiens & aſſerens Leviticum *de primitijs frugem , vel pecorum mandatum , debere etiam ſecundum litteram ſtare* ; ſub novo ſcilicet teſtamento.

ibid. p. 162 inf. med. *id in Num. hom. 11. p. 210. infr. med.*

Sed in his præcipue notanda ſunt , quæ ab Origenis , cui tribuuntur , ævo ſunt aliena , vt quod ſcriptor ſuo tempore *martyres fieri deſiiſſe* dicit. *Non meremur* (inquit) *perſecutionem pati propter Chriſtum , nec mori propter nomen Filij Dei. Ideo etiam* (inquit) *Diabolus ſciens per paſſionem martyrij remiſſionem fieri peccatorem non vult nobis publicas Gentilium perſecutiones movere.* Scio ſub Philippo & Alexandro Mammææ breves fuiſſe Paganicæ perſecutionis inducias; Sed cum eadẽ illa bella, quæ Origenes in juventute viderat, paulo poſt redintegrata ſint , non puto eum de pace Eccleſiæ hæc ita fuiſſe ſcripturum,

Id. in Num. hom. 10. p. 207.

Capvt XLII.

quæ Conſtantini & Theodoſii temporibus magis congruunt. Huc quoque illa pertinent, quæ in his libris de Eccleſiarum & altarium ornatu obiter dicta reperiuntur, Ruffini magis, quam Origenis temporibus congruentia. *Siqui tales ſunt in nobis, quorum fides hoc tantummodo habet, vt ad Eccleſiam veniant, & inclinent caput ſuum ſacerdotibus, officia exhibeant, ſervos Dei honorent, ad ornatum quoque altaris, vel Eccleſiæ aliquid conferant*, &c. Eoſdem jam ante notaverat, *qui erga ſervos Dei religioſi ſunt, & ſervire eis cupiunt, ſed & ad ornatum Eccleſiæ, vel miniſterium ſatis prompti paratique ſunt*; & mox iterum, qui *erga ſervos Dei vel Eccleſiæ cultum videntur eſſe devoti, Eccleſias*, id eſt ædes ſacras, vel *altaria ornare*, non erat (vt ego quidem arbitror) Origenicorum temporum; quibus ne altaria quidem conſecrare & in titulum erigere adhuc inventum erat; vt docet Breviarum Romanum, in quo hujus inventi laudem Sylveſtro P.R. tribui legimus. Ejuſdem eſt cenſus, quod in homilijs auditores objurgari videmus, quod vix *feſtis diebus ad Eccleſiam procedunt*; *Annon eſt Eccleſiæ triſtitia & gemitus, cum vos non convenitis ad audiendum Dei verbum, & vix feſtis diebus ad Eccleſiam procedit?* & iterum ibidem; *Dicite mihi vos, qui tantummodo feſtis diebus ad Eccleſiam convenitis; cæteri dies non ſunt feſti? Non ſunt dies Domini?* Scio Origenis ævo jam certos fuiſſe ſacrorum conventuum ſolennes apud noſtros dies; Locutionem denoto, *feſtis diebus procedere ad Eccleſiam*; & ſimile ejus exemplum vel ex Origenis Græcis, vel ex alterius æqualis ſcriptoris libris requiro.

id. in Ioſ. hom. 11. p. 309. init. — *ibid. p. 308. ini. hom.* — *Brev. Rom. d. 9 Nov. Lect. 4.* — *Orig. in Geneſ. hom. 9. init.* — *ibid. p. 37. init.*

Huc quoque pertinet nuſquam neque Origeni in ſinceris libris, neque alijs Origenis æqualibus ſcriptoribus vſurpatum *quadrageſimæ* nomen, quod apud Homiliarum interpretem ſemel occurrit; *Habemus* (inquit) *quadrageſimæ dies, jejunijs conſecratos.* Ne dubites, quin hæc vna ſit ex illis Ruffini, quas ipſe ſupra memorabat, *explanationibus*, quæ auctori ſpecie exponendi ea verba affingunt, quæ apud ipſum nulla erant. Ad hunc denique ordinem illud etiam pertinet, quod homiliarum interpres ſic interdum loquitur, veluti jam ſuo tempore noſtris ſolenne eſſet ſacramenta occultare, neque de eorum materia & ritu aperte loqui; *Noſtris* (inquit) *qui divinis myſterijs intereſſe conſueſtis, quomodo cum ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid delabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, ſiquid inde per negligentiam decidat.* Iſtum primo vides ſollicite cavere ne rem ipſam proprio nomine eloquatur. *Corpus Domini* dicit, *& conſecratum munus. Panem* nuſquam dicit. Tum illum ad eos ſolos vides ſermonem repente convertere, qui erant initiati, adeoque *myſterijs intereſſe conſueverant*; quia cæteris, id eſt catechumenis, hęc ignota erant; quaſi ea nefas eſſe putet, alijs quam initiatis prodere; Plane vt Chryſoſtomo, & Auguſtino, & alijs ejuſdem ævi mos eſt, cum de his in concione ſermonem inſtituunt; ſua illa vſurpare; *Norunt fideles*, ἴσασιν οἱ

id. in Levitic. hom. 10. p. 159 — *Id. in Exod. hom. 13. p. 162. inf. med.*

μεμυη-

μεμυημένοι. Quin & hac ipſa formula noſter alibi vſus eſt, *Novit* (in- CAPVT
quit) *qui myſterijs imbutus eſt* (οἶδεν ὁ μυηθεὶς , quod ſæpe occurrit a- XLII.
pud quarti quintique ſæculi Græcos Theologos) *& carnem, & ſangui-* *Id.in Levit. p.*
nem verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & ſcientibus nota ſunt, *157.med.*
& ignorantibus PATERE NON POSSVNT. Sic etiam ali- *Id.in Ioſ. hom.*
bi de baptiſmo ; *Si vero* (inquit) *ad myſticum baptiſmi veneris fontem,* *4.paulo poſt*
& conſiſtente ſacerdotali & Levitico ordine initiatus fueris venerandis *init.p.292.ext.*
illis, magnificiſque ſacramentis, quæ norunt illi, quibus NOSSE FAS
eſt, tunc etiam ſacerdotum miniſterijs Iordane digreſſo terram repromiſſio-
nis intrabis, In his, & ſiqua ſint ejuſdem generis alia apertiſſime ſigni-
ficat hanc fuiſſe tum in Eccleſia, cum hæc ſcriberet, legem ne iſta apud
non initiatos efferrentur; quam Ruffini ſæculo jam fuiſſe, & ſcimus, &
fatemur; Origenis ęvo fuiſſe, neſcimus, imo nondum fuiſſe ex illius ſæ-
culi ſcriptoribus, ſcimus ; quibus videmus nullam eſſe religionem de
his apud quoſvis palam, libere, aperte, abſque iſtis myſticarum formu-
larum ambagibus & ſcribere & loqui. Ipſe Origenes (vt cæteros nunc
mittam) ne adverſus Paganos quidem diſputans panem Euchariſtiæ
diſſimulat ; τοὺς (inquit) μετ᾽ εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσα- *Id.contr.Celſ.*
γομένους ἄρτους ἐσθίομεν σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι καὶ ἁγιάζον τοὺς *L.8.p.411*
μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους. *Nos cum precibus & gratiarum pro*
beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, corpus per precationem
factos, ſanctum quoddam & ſanctificans vtentes eo cum ſano propoſito.
Alibi æque aperte nominat *cibum, per verbum Dei, perque obſecratio-* *Id.in Matth.*
nem ſanctificatum, τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, vt eſt *15.T.2.p.27.*
in ms. codice; & ibidem diſertius. *non materiam panis, ſed dictum ſuper*
illum ſermonem eſſe , qui prodeſt non indigne Domino comedenti illum,
οὐχ ἡ ὕλη τοῦ ἄρτου (inquit) ἀλλ᾽ ὁ ἐπ᾽ αὐτῷ εἰρημένος λόγος ἐστὶν ὁ ὠφελῶν τὸν μὴ
ἀναξίως τοῦ Κυρίου ἐσθίοντα αὐτόν.

Superſunt annotanda , quæ ab ipſa Origenis lingua abhorrere dixi-
mus. Is enim Græcus erat Alexandriæ natus , & quæcumque edidit, ea
patrio ſermone conſcripſit ; neque Latine eum ſciviſſe veriſimile eſt;
nullum certe ſermonis Latini veſtigium in ſinceris ac indubitatis ejus
operibus extat. At in Ruffinianis multa ſunt de Latino ſermone obſer-
vata, quæque non alium, quam Latinum hominem decent. Quale illud
eſt, quod locum Pauli ad Coloſſenſes, tractans in quo Látine ſcriptum *Col.2.15.*
eſt *Chriſtum principatus & peteſtates traduxiſſe*, verbum *traduxit*, vrget, *Orig.in Levit*
noſter ; *Quo* (inquit) *traduxit ? niſi ad eremum ? ad loca deſerta ?* Iſta *hom.9.p.155.*
vero Græci auctoris non ſunt , qui in Pauli codice ἐδειγμάτισε , lege-
bat , quod nullum ſignificat de loco ad locum motum. Tale eſt & *id. in Num.*
quod alibi memorat litteras apud Latinos eſſe XXIII. *Omnes, qui lit-* *hom.2.p.185.*
teras (inquit) *norunt , certum eſt ; quod XXIV. ſi Græca, XXIII. ſi La-* *med.*
tina litterarum elementa didicerint , & ex his omnia quæcumque ſcriben- *ibid.hom.12.p.*
da ſunt , ſcribunt. Item, quod idem obſervat vocem *excuderunt ab ex-* *217.med.*
cudendo, non excidendo dictam eſſe. Excudi enim (inquit) *dicitur , quod*

CAPVT XLII.

in ſaxo vel cæditur, vel formatur. Quæ apparet non modo non Græce; ſed etiam inepte, ac fruſtra dicta eſſe; quaſi ſcilicet quiſquam tam craſſus ſit, qui *excuderat* ab *excidendo* dictum eſſe ſuſpicetur. Ejuſdem farinæ eſt, quod alibi de verbo *excolare* obſervat, *Excolat autem* (inquit) dicitur hic (Numeror. 33. 31.) *non a colendo.* Sic & paulo ante hæc verba; *Non poſſumus* (inquit) *in Latina lingua vno ſermone exprimere verbum Græcum, quod illi ἐκςάσιν vocant; id eſt cum pro alicuius magnæ rei admiratione obſtupeſcit animus.* Sed & Latinarum vocum origenem ac etymon idem ſcriptor aliquando venatur; vt cum monet *Reges a regendo* dictos; quod apud Latinos quidem verum eſt; de Græcis liquido falſum, qui *Regem* eo vt notum eſt nomine vocant, quod nullam habet cum regendo affinitatem. *Si Reges* (inquit) *a regendo dicuntur, omnes vtique, qui Eccleſias Dei regunt, Reges meriro appellabuntur.* Non vexo manifeſtam argumenti ſtultitiam; quod ſi ſequimur, & ovium, & equorum, & bovum rectores, totidem Reges cenſebimus *Divinationis* quoque Latinum vocabulum alibi ſcrutatur, & ejus etymon nos docet; *Divinatio, non* (*vt quidam putant*) divinitus (inquit) *datur; ſed magis* (*vt mihi videtur*) *per antiphraſin, id eſt ex contrario nomen accepit, quaſi quæ per homines dæmonibus repletos fiat.* Ex his vides, quam bellus ſit noſter Etymologus, quamque Origenis eruditione & nomine dignus. Sed & Latinum; qui illa ſcripſit, fuiſſe alia arguunt. Nam quædam Latinorum propria interdum memorat; interdum etiam a Græcis diſtinguit. *Quamvis* (inquit) *in nonnullis exemplaribus Latinorum,* Ad obſervandum, *ſcriptum ſit, verius tamen eſt,* Ad conſeruandum. Item; *Audita voce tubæ dicitur vniverſus populus vlulaſſe, vlulatu magno, vel ſicut in aliis exemplaribus habetur jubilaſſe jubilo magno.* Item; *fœmineo* (inquit) *genere apud nos declinatur lex, cum maſculinum genus ſervet in Græco.* Rurſum in alio opere; *Liber qui apud nos* (inquit) *inter Salomonis volumina haberi ſolet, & Eccleſiaſticus dici, apud Græcos ſapientia Ieſu, filij Sirach, appellatur.* Liquido ſe Latinum ait; Græcum negat. Ejuſdem ſunt generis, eandemque vim habent, quæ toties annotat de lectionis vtriuſque, Græcæ inquam, & Latinæ diverſitate. Vt in Levitici 7. 30. *In hoc loco* (inquit) *vbi nos habemus,* Manus ejus offerent hoſtiam Domino, *in Græcis habetur pro hoſtia,* ὁλοκαρπώματα. Item ad Levitici 11. 44. *Sermo hic in Græco* (inquit) *vbi nos habemus,* Sancti eſtote, *hoc magis ſonat,* Sancti efficimini. *Sed noſtri interpretes indifferenter eſtote pro* efficimini *poſuerunt.* Item; *Quas hic Paulus paternitates dicit, ibi familias poſuit Latinus interpres; ſed vnus atque idem ſermo habetur in Græco.* Et alibi, de Numer. 23. 7. *In Latinis* (inquit) *ſermonibus pene ſuperflua videtur eſſe repetitio, quæ ait;* Maledic mihi Iacob, & maledic mihi Iſrael. *Sed eſt in litteris Græcis ſub nomine Iſrael in* Maledictio *præpoſitionis adiectio, quam noſtri vel minus decenter dici credentes, vel nullam vim dictionis addi ex hoc poſſe exiſtimantes, omiſerunt. Nos autem ſermonem licet contra conſuetudinem fingimus,*

ibid. hom. 27. p. 280.
ibid.
ibid. hom. 12. p. 217.
ibid. hom. 16. p. 235. aut. med.
id. in Nom. hom. 11 p. 213.
id. hom. 7. in Ioſ. init. p. 298.
id. hom. 5. in Gen. p. 25. infr. med.
id. in Nom. hom. 18. p. 242.
id. in Levit. hom. 5. p. 131. init.
id. in Num. 12. p. 214. ant. med.
id. in Nom. hom. 2 p. 185. extr.

fingimus, vt ſenſum ex integro colligamus. Poteſt ergo dici; Veni maledic mihi Iacob, & veni, ſupermaledic mihi Iſrael. Et mox de verſu octavo ejuſdem capitis; Quid ſupermaledicam] *Supermaledicit, nos* (inquit) *præſumimus ſecundum Græci ſermonis rationem.* Item; Pariter (inquit) *Græcus ſermo pro* ſtatim *ponit.* Sic etiam in eodem opere, *Iam enim ego immolor, & tempus reſolutionis, vel vt in Græcis codicibus legimus) reverſionis meæ inſtat.* Rurſum in alio opere cum obſervaſſet apud Ioſuam Latinorum quoſdam codices legere *vlulatu magno*, alios *jubilo magno*; ἀλαλαγμὸς (inquit) *in Græco ſcriptum eſt, quod neque jubilum, neque vlulatum proprie ſignificat; ſed illam magis oſtendit vocem, qua belli tempore exercitus clamorem conſonum tollens vnanimiter ſe ſe cohortari ad prælium ſolet.* Denique (neque enim plura deſcribere vel placet, vel neceſſe eſt) de verbis Pauli ad Coloſſenſes, *triumphans eas in cruce*, *Licet* (inquit) *in aliis exemplaribus* (Latinis ſcilicet) *habeatur, triumphans in ſemetipſo; ſed apud Græcos habetur, in ligno.* Quæ obſervatio ſcriptorem arguit hominem fuiſſe non modo Latinum, ſed etiam valde aut rudem, aut negligentem, qui hic apud Græcos ſcriptum fuiſſe dicat *in ligno* Id enim plane in nullis Græcis codicibus, neque veteribus, neque recentioribus, neque excuſis, neque mſſis. habetur; omnes conſtanter legunt, θριαμβεύσας ἐν αὐτῷ. quidam, ſed pauci, θριαμβεύσας αὐτοὺς; nullus, quod noſter vult, ἐν ξύλῳ. Sic, vt cæteros taceam, legit codex Theclæ; vel Ruffini temporibus, vel etiam ante ea ſcriptus.

CAPVT XLII. — *id. ibid. Hom. 15 p. 228. extr.* — *ibid. p. 229. med.* — *ibid. Hom. 19. p. 247. infr. med.* — *ibid. hom. 24. p. 263. init.* — *id. in Ioſ. Hom. 7. p. 298. extr.* — *Col. 2. 15.* — *id. in Ioſ. Hom. 8. p. 302. init.*

CAPVT XLIII.

Concluſio; Ex iis, quæ in Ruffinianis leguntur certo non colligi Origenis ſenſum, non ideo tamen abjicienda Ruffiniana; ſed in iis quæ Ruffini ſunt ab Origenis ſecernenda. Qui id fieri poſſit?

ATque ita & res ipſæ, & quæ Græca Origenis ſuperſunt Latine a Ruffino interpretata, & Ruffini de ſe ipſius voces ac teſtimonia apertiſſime nos docent iſtum ſic in his transferendis eſſe verſatum, vt iis paſſim ac pæne vbique multa non ſolum propria veraque Origenis detraxerit, ſed etiam aliena de ſuo adjecerit. Quæ cum ita ſe habeant, inde evidentiſſime illud quoque conſequitur quæcumque ſunt a Ruffino ex Origene Latine tranſlata, ea nullam ſola ac per ſe habere vim, vt quod in iis ſcriptum legitur, id vere Origenis, vel ejus, quo ipſe vixit, temporis fuiſſe probent. Atque hinc porro apparet, quanta ſit & Halloixii, & cæterorum fere Latinorum vanitas; illius quidem dum Origenis orthodoxiam; horum vero dum a nobis repudiatas traditiones ex his Ruffinianis libris confirmare ac conſtituere moliuntur. Cum enim in iſtis libris aliena cum proprijs, ſincera cum ſpuriis, Ruffiniana deniq; cũ Origenicis ita permixta atque concreta ſint, vt alia ab *Hall. in Apol. Orig.*

 aliis ſe-

Caput XLIII. aliis ſecerni ac diſtingui plæraque vel plane non poſſint, vel certe vix poſſint, nemo non videt eo, quod quid iſtic legitur minime effici, vt id vere ab Origene ſcriptum fuerit, quod ſcilicet an vt plurima alia a Ruffino additum ſit tamdiu incertum eſt, donec aſſumpta aliunde ratione de veritate cõſtet. Ex libris in epiſtolam ad Romanos Latini non pauca colligunt atque advocant, ut quaſdam e ſuis traditionibus Origenis ævo jam apud Chriſtianos extitiſſe probent. Atqui in Origenicis illius expoſitionis codicibus *aliquanta volumina defuiſſe*, eaque ſe de ſuo ſuppleviſſe narrat ipſe Ruffinus, neque docet, quæ quotque fuerint illa quæ deerant volumina. Quis ergo vel ſcit, vel ſcire poteſt, vtrum ii operis libri, vnde Latini ſuarum traditionum argumenta ducunt, ex illis tomis fuerint, quos ſuperſtites habuit Ruffinus, an ex iis, quos in ſuis codicibus defuiſſe, ideoque a ſe de ſuo ſuppletos eſſe teſtatur? Profecto cum hujuſmodi argumenta vim omnem a dicentis teſtimonio habeant, quorum incertus eſt auctor, eorum incertam quoque eſſe vim neceſſe eſt. Quæ autem incerta ſunt, ea ad fidem faciendam plane penituſque inepta, ac invalida ſunt. Sed neque aliorum, quorum Ruffinus ſana ac integra exemplaria habebat, melior aut certior eſt fides, quod ea ſcilicet, vt ex ſuperioribus conſtat, ita Latine verterit, vt iis multa paſſim vel de ſuo, vel aliunde immiſcuerit. Neque tamen hæc ita a me dicuntur, ac ſi libros illos a Ruffino Latine interpretatos plane penituſque abjiciendos cenſeam. Si Græca auctoris, vnde ducti ſunt, haberemus, fateor ſperni eos poſſe ac debere; quamquam ne ſic quidem omnino abjiciendos putarem; quorum nonnullus fortaſſe ad intelligendum Origenem vſus eſſe poteſt; vt in Euſebianis ejuſdem Ruffini accidiſſe cernimus, quæ tametſi omnes confiteantur erratis, & παρερμηνείαις ſcatere, experiuntur tamen eruditi non exiguo in multis locis eſſe vſui. Quanto minus Origenica Ruffini contemnenda vel abjicienda eſſe cenſenda ſunt, quorum nihil fere habemus Græce? Profecto ea fuit Origenis ætas, ea eruditio, ac in omni litterarum genere excellentia; ad hæc ea ingenii vis atque præſtantia; ea virtus, ea denique de re Chriſtiana merita, vt tanti viri quæcumque fuerunt, ea exquirere, indagare, ac nanſciſci opera pretium eſſe putem; eo impenſius, quod ſive poſterorum livor, atque malignitas, ſive temporis injuria pauca nobis ex immenſis ejus monumentis ac laboribus reliqua fecerit. Vt ergo gemmas nemo ideo ſpernendas putat, quod eæ in luto, vel etiam in ſterquilinio, multis ſordibus obſitæ, ac contaminatæ jaceant; ita neque Origenica eo abjicienda ac repudianda exiſtimaverim, quod ea nobis Ruffinus ſuis & fœcibus inquinata, & quiſquilijs permixta porrexerit. Nam demptis, quæ Ruffinus de ſuo vel male adjecit, vel vitavit, cætera, quæ neque pauca ſunt, neque levia aut contemnenda, Origenis ſunt.

Hoc

CAPVT XLIII.

Hoc confiteor; & hic libens cum Eraſmo dixerim; *Debemus illi, quod aliqua nobis Origenis fragmenta ſuperſunt; ſed longe plus debituri ſi, qua decuit, fide, rem geſſiſſet.* Sed vt qui roſas ex ſenticeto legunt, ii flores carpunt, a ſpinis cavent; & aurum qui ex fodinis eruunt, terram & cęteras fæces, quibus id obruitur, diligenter purgant atque eluunt; ita nobis in Ruffinianis illis operibus verſandum eſt. Cavendum ne fallamur; ne quicquid in iis occurrit, ſtatim pro Origenico habeamus. Auctoris gemmæ ab interpretis colluvie, & quiſquiliis ſecernendæ; & quod in alio argumento elegantiſſime dixit Nazianzenus, id ego in hoc cuivis Chriſtianæ antiquitatis ſtudioſo dixerim, ὥσπερ ἐξ ἑνὸς φυτοῦ.

Eraſm. Cenſ. Expoſit. in ep. ad Rom.

Greg. Naz. Iamb. 3. p. 191.

Καὶ τὰς ἀκάνθας φεῦγε, καὶ ῥόδων δρέπου.

velut ab vna planta & ſpinas fuge, & roſas lege. Fateor magni rem eſſe & difficilis operis; tanti nego, vt non poſſint, ſi non omnia, certe quædam vera a falſis diſcerni. Quod vt fœliciter cedat, illa inprimis pauca, quæ Græce in Philocalia extant, cum Ruffinianis diligenter conferri, accurateque contendi velim; & ex ea collatione noſtri in hoc opere ſtudii ac laboris regulam peti. Tum alia Origenis quæcumque Græce extant, vt cætera Philocaliæ capita, & aureum adverſus Celſum opus; quin & quæ Latine habemus, modo ab alia; quam a Ruffini manu, vt in Ioannem tomos, & quæ in Matthæum, tum ab Eraſmo, tum a multo vetuſtiori, ſed Anonymo, interprete tranſlata ſunt; vt hæc inquam omnia, & Græca quidem, præcipua cura, evolvantur, ac expendantur; & quæ ab Euſebio in ſexto Hiſtoriæ libro de Origene prodita ſunt, his adjungantur. Ita enim quandam Origenicæ doctrinę formam atque ideam mente aſſequi, ac colligere licebat, qua veluti certiſſimo canone, in dijudicandis Ruffinianis vtamur. Quæ in his reperiuntur, iis conſentanea, quæ vere ſenſiſſe Origenem ex certis ac indubitatis documentis didicerimus, illa ab Origene ſcripta fuiſſe, non a Ruffino adjecta, nihil nos ſtatuere prohibet; alia, ſiqua ſint, quæ an Origenes ſenſerit, merito dubitamus, ea in medio relinquere ſatius eſt ac conſultius. Sed & in his verſantem neceſſe eſt præ oculis ſemper habere Eccleſiaſticæ & fidei & diſciplinæ, quæ qualiſque tertio Chriſtianiſmi jam adulto ſæculo fuit, imaginem ex certis illius ævi libris quam accuratiſſime fieri potuerit, hauſtam & effictam; vt ſiquid ab ea in Ruffinianis libris alienum inveneris, id ab interprete aſſutum eſſe judices; neque quicquam, niſi quod cum ille adamuſſim congruat, vere ab auctore ſcriptum fuiſſe tibi perſuadeas. Denique & illud apprime ad hoc opus erit vtile, meminiſſe quod Ruffini in Origenicis immutandis atque interpolandis conſilium fuerit. In ipſe nobis ſupra aperuit, dum ſui hujus in interpretando Origene inſtituti auctorem laudans Hieronymum, diceret eum Origenica transferentem *offendicula, quæ in Græco inveniebantur, elimaviſſe* omnia, atque *purgaviſſe*; vt La-

Capvt XLIII.

Ruffin. Præf. in Libr. περὶ ἀρχ

Id. Perorat. in ep. ad Rom.

vt Latinus lector nihil in illis inveniret *quod a fide noſtra*, inquit, (id eſt Latinæ quæ tum erat Eccleſiæ) *diſcreparet*. Hoc ſe exemplum ſecutum eſſe ait; & alibi teſtatur ſe quædam Origenicis adjeciſſe *ne* illa ſimpliciter poſita ſuo illi *Latino lectori faſtidium generarunt*. Id ipſum illa quoque confirmant, quę iſtum de Trinitate ex Nicænę Synodi mente ac definitione multis Origenis locis adjeciſſe demonſtravimus; ne quid nimirum diverſa ab his oratio Latinos lectores offenderet. Hunc ergo Ruffino ſuarum vt loquitur, *explanationum*, vt ego ſentio, corruptelarum ac impoſturarum finem ac ſcopum fuiſſe clarum eſt; primo nequid Latini lectores in Origene reperirent, quod ab ea fide ac diſciplina diſcreparet, quæ quinto ſęculo ineunte apud Latinos obtinebat; ſecundo vt iidem omnia, quoad quidem ab eo fieri poterat, fidei illi ac diſciplinę ſuæ congrua ac conſentanea invenirent. Itaque ſiqua quinto in illo ineunte ſęculo præter Origenici temporis fidem ac diſciplinam apud Latinos obtinebant, ſecutis exinde temporibus novata, ac inſtituta (multa autem hujuſmodi fuiſſe ex vtriuſque ævi inter ſe inſtituta ex libris comparatione conſtat) ea omnia diligenter obſervanda ſunt; & animus ad ea in legendo attendendus. Ac quoties in Ruffinianis aliquid offendes ab Origenici ævi fide, vſu, ac moribus alienum, vel ſaltem hujuſmodi, quod Ruffiniano quidem ſęculo receptum apud Latinos fuiſſe conſtet; Origenico vero apud Gręcos notum, vel vſitatum fuiſſe non conſtet; id tu ſi ſapis, vel tanquam auctori ab interprete aſſutum & affictum repudiabis; vel certe tanquam dubium & incertum dimittes. Rem, vt clarior ſit, vno, utque altero exemplo illuſtrabo.

Capvt XLIV.

Superior de diſcernendis Ruffinianis ab Origenicis regula duobus exemplis illuſtratur; priori de quadrageſima, altero de ſanctorum convocatione quæ a Ruffino Origenicis inſerta vtraque eſt.

Orig. Hom. 10. in Levic. T. 1. p. 159.

1. Cor. 5.

Occurrunt hęc in Ruffiniano homiliarum libro ad ſolenne Iudæorum in die propitiationis jejunium Levitici capite XVI. inſtitutum dicta. *Noſtra, id eſt quæ non vmbræ & exemplari ſervimus, ſed veritati, hæc eſt propitiationis dies, in qua data eſt nobis remiſſio peccatorum, cum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Quomodo ergo cognita veritate convertimur iterum ad infirma, & egena elementa huius mundi, quibus rurſus a capite ſervire vultis, dies obſervantes, & menſes, & tempora, & annos? Audi quomodo etiam Propheta huiuſmodi jejunium reſpuit, & dicit; Non hoc jejunium elegi, dicit Dominus, neque diem, vt humiliet homo animam ſuam. Tu ſi vis jejunare ſecundum Chriſtum, & humiliare animam tuam, omne tibi tempus aptum eſt totius*

Gal. 5.

Eſ. 58.

vitæ tuæ

vitæ tuæ dies habeto ad humiliandam animam tuam, ſi tamen didiciſti a Domino Salvatore noſtro, quia mitis eſt, & humilis corde. Quando ergo non eſt tibi humiliationis dies, qui Chriſtum ſequeris, qui eſt humilis corde, & humilitatis magiſter? Tu itaque ſi vis jejunare, jejuna ſecundum præceptum Evangelii, & obſerva in jejuniis Evangelicas leges, in quibus hoc modo Salvator de jejuniis mandat; Tu autem ſi jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava. Quod ſi requiris, quomodo laves faciem tuam, Paulus Apoſtolus docet quemadmodum revelata facie gloriam Domini contempleris, ad eandem imaginem formatus a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu. Vnge etiam caput tuum, ſed obſerva ne oleo peccati. Oleum enim peccatoris non impinguet caput meum. Sed unge caput oleo exultationis, oleo lætitiæ, oleo miſericordiæ, ita ut ſecundum mandatum ſapientiæ, miſericordia & fides non deſerant te. Propterea enim & Apoſtolus volens abſtrahere nos ab his viſibilibus & terrenis; & erigere animos, ſenſuſque noſtros ad cœleſtia, clamat & dicit; Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram. Nonne aperte tibi dicit, Noli quærere in terris Ieruſalem, nec obſervantias legis, nec jejunium Iudæorum, ſed jejunium Chriſti? Iejunans enim debes adire Pontificem tuum Chriſtum, qui utique non in terris requirendus eſt, ſed in cœlis, & per ipſum debes offerre hoſtiam Deo. Vis tibi adhuc oſtendam, quale te oportet jejunare jejunium? Iejuna ab omni peccato; nullum cibum ſumas malitiæ; nullas capias epulas voluptatis; nullo vino luxuriæ concaleſcas. Iejuna a malis actibus; abſtine a malis ſermonibus; contine te a cogitationibus peſſimis. Noli contingere panes furtivos perverſæ doctrinæ. Non concupiſcas fallaces philoſophiæ cibos, qui te a veritate ſeducant. Tale jejunium Deo placet. Abſtinere vero a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum his, qui Chriſtum crucifixerunt, acceptum eſſe non poteſt Deo. Indignati ſunt aliquando & Phariſæi Domino, cur non jejunarent diſcipuli ejus, quibus ille reſpondit, quia non poſſunt filii ſponſi jejunare, quandiu cum ipſis eſt ſponſus. Illi ergo jejunent, qui perdiderunt ſponſum; Nos habentes nobiſcum Sponſum jejunare non poſſumus. Hæc ibi hactenus; omnia & veteris, quæ primis Chriſtianiſmi pæne totis tribus ſæculis floruit, Eccleſiæ dogmati atque uſui congrua, adeoque Origene digna. Quæ ſequuntur, non dubito quin ſint a Ruffino addita; ut ſuorum Latinorum auribus conſuleret; quorum iſta eſuriales diſciplinas atque abſtinentias non obſcure pulſant. Nam quarto jam & quinto ſæculo apud Chriſtianos certis ſtatiſque & quidem non paucis diebus affixæ erant præter vetuſtiorum morem jejuniorum & abſtinentiarum diſciplinæ; quas & illa prima Origenis verba refigebant, *dies obſervare*, apud Chriſtianos vetantia, *& menſes & tempora*; His enim menſis Quadrageſimariorum Martius a ſtata jejunandi lege non minus excluditur, quam Iudæorum September. Huc accedit, quod poſtea hoc in loco legimus *acceptum Deo eſſe non poſſe*

CAPVT XLIV.

Matth. 11.

Matth. 6.

2. Cor. 3.

Pſ. 141.

Col. 3.

Matth. 9.

Caput XLIV. *abſtinere a certis cibis*; & illa poſtremo, *Iejunent qui perdiderunt Sponſum ; Nos habentes nobiſcum Sponſum jejunare non poſſumus.* Ne hæc ergo ſuis Quadrageſimariis moleſta eſſent, Ruffinus de ſuo illa, quæ ſequuntur, adjicit; *Nec hoc tamen ideo dicimus, vt abſtinentiæ Chriſtianæ fræna laxemus. Habemus enim quadrageſimæ dies jejuniis conſecratos.* Hæc eſſe ſubdititia, & ab alia quam ab Origenis manu oſtendit primo manifeſta eorum cum ſuperioribus pugna ; Dies enim quadrageſimæ quotannis recurrentes in jejuniis & abſtinentiis tranſigere (quod vltima verba præcipiunt) id profecto eſt dies & *menſes ſervare* ; quod prima, velut Iudaicum & puerile rudimentum, prohibebant. Mitto cætera; his poſtremis, non minus adverſantia; vt Origenem Ruffinus quem vtraque pariter ſancientem inducit, aperte faciat vno eodemque ore & calidum & frigidum flare. Idem quoque oſtendit hic imprudenter vſurpatum *quadrageſimæ* vocabulum; quod nuſpiam reperitur apud quantumcumque ſcriptorum eſt vel Origenis æqualium, vel eo vetuſtiorum. Neque id Ruffinum Origeni adjeciſſe, magis mirandum eſt, quam alia tam multa de quibus ſupra diximus.

Sunt in homiliis tria loca de eo, quo a mortuis fidelibus ſuperſtites juvantur, auxilio. In vno ita ſcriptum eſt ; *Vide mihi hodie laboranti in agone vitæ huius, & habenti certamen adverſus inimicos, id eſt contrarias poteſtates, quomodo in auxilium veniunt illi, qui ante adventum Ieſu Chriſti Domini mei, in lege iuſtificati ſunt. Vide quomodo Eſaias mihi præſtat auxilium, cum me ſermonibus ſuæ lectionis illuminat. Vide accinctum, & expeditum venientem Hieremiam ad auxilium noſtrum, & voluminis ſui iaculis hoſtes acerrimos, & cordis mei tenebras effugantem. Accingitur & Daniel ad auxilium noſtrum, cum nos de Chriſti præſentia ac regno, & de Antichriſti futura fraude inſtruit, & præmonet. Adeſt & Ezechiel ſacramenta nobis cœleſtia in quadriformibus rotarum circulis ſignans, & rotam concludens in rota. Ducit & Oſée biſſenas Prophetici agminis turmas, & procedunt omnes ſuccincti lumbos in veritate, quam prædicant ad auxilium fratrum ſuorum, vt eorum voluminibus inſtructi diabolicas non ignoremus aſtutias. Iſti ergo, qui viri fortes ſunt, armati & præcincti lumbos in veritate exeunt in auxilium noſtrum, & pugnant nobiſcum.* Atque hæc quidem ibi ſcripta ſunt ; præclara ſane, & Origenis tum ævo tum calamo digna. Itaque minime dubitaverim, quin eorum verus ſit auctor Origenes. Hæc autem docent nos a ſanctis, qui ante nos in Domino dormierunt, juvari ; tum vera illa doctrina, quam de Deo, deque Chriſto ejus, ac de rebus ad ſalutem noſtram pertinentibus, litteris mandatam nobis tradiderunt, quod ea nos ad prælium contra inimicas poteſtates inſtruimur, & accingimur; tum etiam iis, quæ paulo poſt memorantur, præclaris pietatis ac virtutum exemplis, quæ ad *imitandum* nobis reliquerunt. Recta ſane omnia, & divinis Sicrpturis, & Eccleſiaſticæ, quæ ad Origenem, & vltra fuit, fidei ac doctrinæ conſentanea. Sed quarto adulto, quintoque Chriſtianiſmi ſæculo credi doc erique apud Chriſtia-

Orig. in Ioſ. Hom. 3. p. 290 ant. med.

CAPVT XLIV.

Chriſtianos cœptum eſt nos alia quadam præterea ratione a Sanctis apud Deum quieſcentibus juvari; orationibus ſcilicet, quas apud Deum pro nobis in cœlis fundere dicuntur. Ruffinus veritus ne huic novitiæ traditioni aſſueti ſui illi Latini lectores turbarentur, ſi nulla eius apud Origenem mentio fieret; vt hanc iſtorum offenſionem præcaveret, quod auctori deerat, id de ſuo vt opinor, pro ſuo inſtituto adjecit; non hoc quidem in loco, ſed in duobus aliis, in quibus Origenes idem argumentum tractabat; Primo in hoc ipſo volumine homilia vltima, ubi de iiſdem illis Sanctis loquens, qui olim ſub lege mortui, nobis hic pugnantibus auxiliati erant, dicit *eos nobis in certamine poſitis auxilia orationibus & precibus detuliſſe.* Origenes ſimpliciter ſcripſerat eos auxilia nobis detuliſſe; ea ſcilicet ratione, quam in verbis proxime deſcriptis docuerat, doctrina & libris ſuis. Interpres ad ſui ſæculi guſtum duò illa interjecit, *orationibus & precibus.* Sed & alibi idem quoque adjecit; *Quis* (inquit) *dubitat, quod Sancti quique Patrum, & orationibus nos iuvent & geſtorum ſuorum confirment, atque hortentur exemplis, ſed & voluminibus ſuis per ea, quæ nobis ad memoriam ſcripta reliquerunt docentes nos & inſtruentes, quomodo adverſum inimicos poteſtates dimicandum ſit & quomodo agonum toleranda certamina?* Tria hæc loca, cætera ſimilia, hoc vno differunt, quod primus quidem locus libris tantum & exemplis; duo vero ſequentia, etiam orationibus a ſanctis mortuis pios ſuperſtites juvari dicunt. Hoc autem de tertio orationum auxilio non ſcripſiſſe Origenem patet; primo quia ſi in poſterioribus duobus locis id revera ſcripſiſſet, idem quoque ſcripturus erat in primo loco; in quo rem ipſam multo plenius ac fuſius tractat, quam in duobus aliis. Atqui in primo loco nulla plane fit iſtius per Sanctorum mortuorum preces auxilii mentio. Secundo; quia hoc tertium orationum auxilium Origenes in primo loco non tantum prætermittit, ſed etiam apertiſſime refutat & excludit. Illic enim allegoricam hiſtoriæ ſacræ, in quam concionatur, expoſitionem pertexens, poſt verba paulo ante a nobis deſcripta, cōtinenter addit; *Infantes autem & mulieres non exeunt ad prælium noſtrum; Nec mirum. Infans enim dicitur, qui non loquitur, Quid me ergo adiuvare potuit ille, qui nihil locutus eſt? cuius nihil invenio, quod legam? cuius ſermo non inſtruit? Mulierem vero dicit Apoſtolus infirmum vas eſſe. Vnde & conſequenter infirmum vas ad conflictum non venit, ne confringatur & pereat. Sic namque & de Ieſu Domino in Evangelijs dicitur, Quia calamum quaſſatum non confregit. Quia ergo mulieres a viris ſuis domi doceri iubentur, & magis in diſcipulorum, quam docentium perſona ponuntur, ad auxilium meum non venit, qui docere me non poteſt, & cuius nihil invenio, quod imitari debeam, vel tenere.* Ecce diſertiſſime negat *ad auxilium noſtrum venire*, vel *nos adiuvare* eos *poſſe*, quorum nihil vel quod *legamus*, vel quod *imitemur invenimus.* At hoc falſo & abſurde negaret, ſi Sanctos cœlites etiam ſuis orationibus juvare nos in terris adhuc poſitos putaret. Imo Latini ſe ſuorum divorum oratio-

Id. ibid Hom. 26. p. 336. ante med.

Id. in Num. Hom. 26. p. 272 extr.

Id. in Ioſ. Hom. 3. p. 290. poſt med.

CAPUT XLIV.

nibus multo magis, quam eorum vel libris, vel exemplis juvari credunt. Quotuſquiſque enim eſt Latinorum Divorum, qui libros ſcripſerit? Pietatis vero edita ab iis exempla pauci ſciunt; quorumdam fortaſſe nulli; & qui ſciunt, plærique negligunt; etiam, qui imitantur, eos ipſos Divorum orationibus longe efficacius ac potentius, quam exemplis juvari exiſtimant. Qui ergo ab eo ſe ſancto *juvari poſſe* negat Origenes, cujus nullum habet vel *librum, quem legat,* vel *exemplum quod imitetur*; ille profecto putavit nullum nos a Sanctis in Domino quieſcentibus aliud auxilium accipere, niſi id quod illi nobis doctrinæ ſuæ monumentis, vel ſanctæ vitæ exemplis præſtant; eoſque adeo ſenſit nullum nobis ſuis orationibus præſidium, vel auxilium ferre. Qui autem ita ſenſit, eum plane alia, & quidem in eodem etiam volumine, ſcripſiſſe abhorret ab omni veri ſpecie. Tertio hoc ipſum etiam eo confirmatur, quod cum poſt verba quæ ex tertio loco recitavimus, continenter addidiſſet; *Pugnant ergo pro nobis & ipſi; incedunt primi ante nos armati*; ad hoc confirmandum, eorum quidem exempla & documenta affert; de orationibus, nihil dicit; *Ipſos enim* (inquit) *nos habentes ad exemplum & videntes eorum per ſpiritum fortia facta armamur ad prælium ſpiritale, & adverſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus dimicamus.* Hæc ille; non plura. At neque hic orationum auxilium tacendum erat, ſiqua ejus in ſuperioribus facta fuiſſet ab Origene mentio. Ergo nullam revera factam fuiſſe confitendum eſt. Quarto, Plane abſurda ineptaque Origenicis quidem temporibus fuiſſet hæc interrogatio; *Quis dubitat, quod Sancti quique Patrum orationibus nos juvent?* Nam nemo ſapiens ſic quærit, niſi de re, quæ apud eos, quos alloquitur homines, & apud ſui ſæculi Eccleſiam nota, confeſſaque & indubitata eſt, ſaltem apud plæroſque ejus doctores. At Divorum (vt Latini loquuntur) pro piis viventibus interceſſio toto illo tempore, quod a Chriſtianiſmi primordiis ad Origenis mortem fluxit, adeo nota, celebris, aut confeſſa apud Eccleſiam non fuit, vt eam; ne vnus quidem omni illa memoria Theologus affirmaſſe, vel de ea diſputaſſe reperiatur, ipſo fatente Pereſio, qui eam negat apud illorum quemquam ſe inveniſſe, ante Cornelium Romæ Epiſcopum; quamquam & falſo hunc excipiat. Neque enim Cornelii eſt ſtraminea illa epiſtola, in qua Petri & Pauli apud Deum pro ſuis poſteris interceſſiones legerat. Illis ergo temporibus nemo, niſi ſtultus aut mente captus, quæſiviſſet; *Quis dubitat, quod Sancti quique Patrum orationibus nos juvent?* Quidni enim, non vnus modo quiſpiam, ſed omnes omnino Eccleſiæ filii de ea re dubitarent, quam nemo adhuc neque divinus, neque Eccleſiaſticus ſcriptor docuerat? Ergo Origenem, ſcriptorem in paucis ſapientem & eruditum, hęc ita interrogaſſe abſurdum ac falſum eſt. Sed alios illius ævi mittamus. Origenes quidem iſta ſcribere non potuit; quem hoc ipſo auctore & interprete Ruffino ſcimus, non modo *dubitaſſe*, an *Sancti extra corpus poſiti agant aliquid & laborent pro nobis*, ſed etiam *hoc juſſiſſe*

Pereſ. de Trad. Part. 3. Conſid. 7 p. 397.

Cornel. Ep. l. de qua vid. B. tr. a. D. 221. §. 6.

Orig. in Rom. L. 2. T. 2. p. 472. extr.

haberi inter occulta Dei, nec chartulæ committenda myſteria; nequid de eo dicam, quod nuper demonſtravi, Origenẽ in his ipſis homiliis nulla alia Sanctorum apud Dominum quieſcentium in nos officia agnoſcere, niſi hæc duo; quod nos vel libris, ſiquos reliquerint, vel certe Sanctis vitæ exemplis juvent. Cum ergo Origenem iſta de piorum mortuorum pro nobis orationibus ſcribere non potuiſſe nunc conſtet, apparet ea merito a nobis inter illa cenſeri, quæ Ruffinus ipſe dicit ſe Origenicis adjeciſſe. Cauſam adjiciendi manifeſtam habuit eam, quam ipſe edit; nequid ſcilicet Latini lectores in his libris reperirent, quod a fide ſua diſcreparet, vt in iis omnia ſui ſæculi decretis, inſtitutis & moribus conſentanea inuenirent. CAPVT XLIV.

Sed ex his exemplis ſatis jam ni fallor, patet, quænam in Origenicis a Ruffino interpretatis ſuſpecta eſſe debeant; quæcumque ſcilicet a notis vel auctoris ipſius, vel ejus, quo ille vixit, ſæculi placitis, atque moribus abludunt. Siqua iis congruere aliunde conſtet, ea vero fas erit pro auctoris genuinis admittere; præſertim quæ cum Ruffini, vel Ruffiniani ſæculi ſcitis atque inſtitutis vel pugnant, vel certe non vſquequaque congruunt. Talia enim Ruffinus, cur Origenicis de ſuo aſſueret, nullam cauſam habuit; habebat potius, cur detraheret. Sed ne callidiſſimi quidem impoſtores omnia pro conſilio & voto, quæ cupiunt, efficiunt. Eos ſæpe memoria, etiam aliquando judicium vel deficit, vel fallit; idque Ruffino non ſemel in his accidiſſe videmus, qui cum Origenem ita *elimare ac purgare* conſtituiſſet, vt Latinis lectoribus gratus, acceptuſque eſſet, multa tamen in eo reliquit a ſæculi ſui fide & moribus diverſa, quod etiam eſt a Petavio notatum, dum hunc negat *errata Origenis emendaviſſe* omnia; Latinis enim *errata* ſunt, quæcumque homines non ad ipſorum normam, ac palatum ſapiunt. Atque hæc quidem de Origenis libris a Ruffino tranſlatis ſatis ſunt. Neque enim de cæteris Latinis opuſculis, quæ ſub ejus nomine ſatis multa ſeu vere, ſeu falſo circumferuntur, dicere inſtitueramus.

FINIS.

ADDENDA.

Ad finem Cap. XXXIX, *L.* II, *Pag.* 474, *lin.* 10. *Poſt hæc Verba* nongentis natum, *Adde*, Idque vel tui nunc Symmyſtæ manus tandem dare videantur, poſtquam a noſtris, quos illi pro ſolenni maledicentia *hæreticos* falſo vocant, ex certis documentis veritas abunde patefacta eſt. Hanc iſtorum confeſſionem hic deſcribere placuit, eoque veluti corollario totum hoc caput concludere, quod ea plæraque paucis complectatur, quæ nos ſupra latius exſecuti ſumus. Sic ergo illi in Chronologica ſcriptorum tabula, quam ſuo *Euchariſtiæ*, ut opus inſcribunt, *Officio* ſubjiciendam putarunt (quo loco de Cypriano verba faciunt; *Nil ex libro de Cœna Domini adductum fuit, tametſi is antehac, pro genuino Cypriani opere, etiam a nonnullis adverſariorum, habitus ſit & laudatus. Poſtquam enim ex libris mſſis. partim Oxonienſibus, partim Gallicanis, demonſtratum eſt verum operis auctorẽ fuiſſe Arnaldum Carnotenſem, Bonævallenſem Benedictini ordinis Abbatem, amicum Divi Bernardi ſingularem, qui hunc ſuum de XII. Chriſti operibus Cardinalibus tractatum Hadriano P. R. IV. inſcripſit, aliaque ejuſdem genii ac ſtili opuſcula edidit, quæ in Patrum Bibliotheca extant; ſatius conſultiuſque duximus bona fide agere, iſta omittere, neque alia in huius Officii lectionibus Cypriani nomine uſurpare, quam quæ in iis Martyris libris leguntur, quos ejus veros germanoſque ac indubitatos fœtus eſſe abſque controverſia conſtaret.* Atque hæc quidem illi hactenus.

Offic. du S. Sacrement, &c. edit. de Par. 1659. avec Priv. Tabl. Chronol. p. 456.

EMENDANDA.

L. I. *c.* XXV. *p.* 202. *lin.* ante finem paginæ, vbi occurrit lacuna, ad eam implendam, dele primo hæc verba, quæ iſtic excuſa ſunt; *Roffenſis eadem eſt de libris dubitatio*, & ſequentia lege & reſcribe; ad ſequentem §. *Thomas de Vio.*

Ioannem Fiſcherum, Roffenſem Epiſcopum ac Cardinalem, ab Eraſmi de Areopagiticis ſententia non valde abhorruiſſe, ex iis probabile eſt, quæ in quodam loco ſuæ adverſus Vlricum Velenum diſputationis dicit. Velenus objectum ab Areopagitæ auctoritate argumentum refellens, ita ſcripſerat; *Probant* (inquit) *& Laurentius Valla, & Eraſmus Roterodamus in Annotationibus, libros qui ſub Dionyſii nomine circumferuntur, falſo ei attributos.* Quid ad hæc Roffenſis? *Atqui*, (inquit) *ſi Dionyſii non fuerint, non propterea quicquid in eis contineatur, illico damnari debeat? Plurimum utique Laurentii, ſed multo magis Eraſmi judicio tribuendum puto, qui nec rejicit tamen, quæ in ipſis libris tradita ſunt.* Hæc Roffenſis; & molliter de Areopagiticorum auctore pugnans, & eorum, qui illa Dionyſii eſſe negant, judicio plurimum tribuendum confitetur; hoc vnum duntaxat contendens quod nemo ei ſanus negaverit, ſi falſus ſit libri ſcriptor, eo nequaquam fieri, ut quicquid libro contineatur, ſtatim damnari debeat.

Ioann. Roff. in convulſ. calumn. Vel. Part. 2. ad reſp. 4. Vel. in v. 3. verſo. init. edit. Pariſ. apud Conrad. Reſch.

ERRA-

ERRATA.

Pag.	Lin.	Corrige.
2.	8.	perſpicue
	9.	Launoyus Sorb-
	14. a. f.	quo novem
	7. a. f.	illum ſcil.
	vlt.	mittam
3.	2.	plagiarius
	6.	excuſis
	10. a f.	materia
4.	23.	indole
6.	2. marg.	Martyr. d. V.
7.	12. a.f.	rexit
8.	12.	congregans
	16.	ut ex
	12. a. f.	Sed hoc max-
9	11.	ut Milt-
	29.	Apoſtolici
10.	4. a. f.	Dionyſiana , *neque Patrem eſſe*
11.	12. a. f.	laudatiſſima
12.	12.	ſingularum
	5. a. f.	nominarit
17.	4. a. f.	decuiſſe nemo
18.	12.	Iſtic
19.	10. a. f.	exulantem
20.	15. a. f.	Deitatis
21.	1.	invocat
22.	3.	invento
	4.	*vulgato & celebrato*
	24.	Tu-ne Dion-
26.	6. a. f.	& earum
27.	12. a. f.	accedit
28.	13.	Ac hos quidem
	4. a. f.	neſciviſſe
32.	pen.	habeamus
35.	14.	aliquanto plus
38.	6. a. f.	eum omnes
40.	18. a. f.	cuiquam auct
	pen.	homine ; ad hæc
43.	13. a. f.	Diaconus ſumens To.
	5. a.f.	Neſtorii
46.	14.	Dionyſius
	17. a. f.	quod tum nul-
48.	9. a. f.	inquiet perſ-
51.	10. a. f.	relicta ; quod
53.	15.	officia
54.	pen.	mandati ſemel fuer-
55.	11.	Theclæ
	6. a. f	hos libros
	5 a. f.	ubi nullæ
56.	12.	ſic, ut
	18.	ſupereſſet
	7. a. f.	uſquam
57.	19.	Theclæ
	29.	hac, vel
58.	22.	gnaviter
60.	22.	eſſet Eleuſ-
	27.	indicare
	pen.	inexorabilem
62	4.	conſentanee
64.	3.	& indictus

Pag.	Lin.	Corrige.
65.	28.	Facile erat , inquit
66.	19.	MCXXVIII.
	28.	fauctoribus
67.	15. a. f.	Domitiano
	5. a. f.	his veluti
68.	20. a f.	ſit iſtos.
69.	13.	Hadriano
70.	9.	Petro Romam proficiſcente
	ult.	ſua, ſuor.
71.	15. a. f.	Domitiano
72.	8.	una hic
	30.	alterum , quod
73.	16.	Apologetico
	20.	noſtros fuiſſe ex
	31.	Ado homo Gall-
75.	20.	vetuſtiſſimæ , ei trib-
	7. a. f.	rejiciunt
76	9. a. f.	eos auctorem
77.	20.	centeſimum. Neq-
	5. a.f.	obſervarit
79.	6. 7.	Octobris
	6. a. f.	enim Si Rat-
80.	16.	rexiſſe Dion-
	17.	publium ; ſub Publio
	22.	& rerum in
	30.	ex quadam
81.	18.	ἀναζωπύρησιν
84.	1.	in Atticam
85.	11.	animadverterent
	19.	tuam diram , ac
87.	4.	venit , eum Greg.
	pen.	hos ſuæ
88.	3. a.f.	quod vos
89.	ult.	præſtruximus
90.	23.	imitatione
	25.	quod res eſt
	29.	tranſcripſiſſe narrat
	30.	adjutum fuiſſe
91.	14.	quid ex interp
92.	9.	paſſionis tempus
93.	15.	munus ſuum
94.	4. a f.	auſcultabit
96.	14. a. f.	extremo nat-
97.	16 a. f.	vixiſſe
98.	4.	una cum
99.	7.	idque uſque adeo
	19.	Areopagiticus
100.	10.	vero ei ex
	3. a. f.	quidem , & Suid.
104.	7.	iſta ſcripſiſſe
	pen.	ex nupero
105.	6.	raptantium
	12.	neque ante tertium
106.	2.	præfracte
107.	9.	Latinius
	17.	cogant a
109.	3.	ἀποθανεῖν
	4.	illa ſola , quæ
	19.	videatur
	8. a. f.	alteram

ERRATA.

Pag.	Lin.	Corrige.
110.	5.	movetur
111.	12. a. f.	*dicta erant*
	10. a. f.	exhibenda ſunt.
112.	1.	-nyſiana v. 1. cœperant
	12. a. f.	At cum
113.	8. a. f.	eum non
114.	4.	mutuiſque alios terrigenas
	15.	ſi utrique quod
117.	1.	Epiſcopos Epiſc-
	12. a. f.	illo
	pen.	edictum
118.	2.	ad Pauli
	3.	a Paulo
	6.	Theſſalonicæ
	7.	Athen. inde iter
120.	2.	Galliis
	10.	ſerius ani-
121.	vlt.	tota minimum
122.	8. a f.	Baptiſtæ, id nomin-
123.	18.	ſpecta
	19.	veterem
124.	14.	inſtitui
	16.	nos novitatem
	20.	nihili
125.	24.	Apoſtolicorum
126.	13.	Syrus--tantaque
127.	4. 5.	ad hoc Neron-
130.	4.	jam tum notos, &
	22.	Huic iſtius
131.	23.	contigerunt
	29.	exhibent
	30.	tamen dignitate
133.	18. a. f.	a philoſophica
	3. a. f.	Euſebius
134.	6. a. f.	arreptum
	3. a. f.	aggere ſua
136.	14.	de ſecutis
	30.	epiſtolis vſurpat
	31.	vellet, is ſe aut
137.	20. a. f.	qui hunc mundum
	8. a. f.	que & antiq.
138.	21.	humanæ mentis
140.	3.	requiro, & illud
142.	15.	eſſe, quia ſcilicet
143.	13.	fuiſſe eam, quam
	14.	diſtinctionem ſolennem di- miſſionem
145.	1.	indutos fuiſſe
	21.	conſecratione
	28.	inſtitutam
	29.	XXVI.
	31.	XXVII.
	32.	ſcriptoris
146.	19. a. f.	Ergo qui thura
	4. a. f.	remittant
147.	13.	quod hæc; qui
	7. a. f.	ignotos
149.	3.	ne ſemel
	14.	oſtendit hunc
	30.	Epiſcopis
150.	6.	intentum
	9.	cenſu, eos
150.	16.	, & vero
	18.	afferenda

Pag.	Lin.	Corrige.
	29.	præceptores noſtri
152.	6.	ex Synodi
153.	15. a. f.	ἐκ τῶν
	3. a. f.	hujuſmodi, qui ab omnibus, a
154.	vlt.	ad hæc, qui
	17. a. f.	ullum extet apud
155.	12. 13. a. f.	κλεινότατον nullum
156.	pen.	ac revincendum
157.	3. a. f.	præferebant
158.	5. a. f.	Chriſtianis
159.	7.	vt conſentiunt Int.
161.	15. a. f.	in Apoſtolicis
162.	8.	dicit, quæ veriſſimum
	9.	fuiſſe iis Eccl-
165.	25.	ſimillimum fit, cum
166.	5.	recentiores reperiſſet bon
167.	19. 20.	a, D. 430.
174.	12. a. f.	αὐτοσειρήνη
175.	8.	hic paulo
	26.	ab α privat-
178.	12.	διακοσμήσιν; ita & hor-
	24.	ἀποκάλυψιν
180.	12. a. f.	hæc ait vel
181.	11. a. f.	certo conſtat non
183.	6. a. f.	hæc apud
186.	19. a. f.	dilute
	14. a. f.	*dicere*, non quod eſt
187.	8.	Catholicorum partibus
	28.	Annon vero
190.	21.	Areopagitica
191.	7.	tam turpe
	15.	Maximus
192.	7.	ediderat
	29.	ſæculum neque den-
	4. a. f.	eum hujus
193.	9.	*Patrum qui poſt*
194.	7.	hic iſte ſcribere
	14.	ſit vanitatis
	20.	numero fuiſſe vid-
196.	1.	ibidem eſt his
	marg 7. 8.	Auctar.
197.	5. 4. a f.	in qua ait
198.	14.	& cæteras
200.	13.	Nicolaum, quam Al
	21. 22.	vel nullius, vel certe
201.	18.	ego hunc vnum
202.	13.	Marc. Antonio
	7. a. f.	*Dionyſius, quem Areopagitam vocant,*
		Quorſum Areopagitam
203.	2.	eſt, tum quia
	9.	ſcriptoris, cui ſe neg-
204.	8.	non dubito
	9. a. f.	hunc non *Dionyſium*
205.	5.	quid vir ille
	14. 13. a. f.	audiendus vir
	11. a. f.	Vencienſis Epiſcopus, qui
206.	2. 3.	explicarit
	15.	ingenui
	19.	ſuis quæque locis
207.	1.	-tæ tribuendos
	7.	*docti* eſſe *nihil de*
	7. a. f.	etiam Jeſuitas

E R R A T A.

Pag.	Lin.	Corrige.
208.	6. a. f.	inanes
	4.	operæ poſuerunt
209.	16.	famæ favere
	pen.	deleat ergo
210.	10.	lædit ut vere
	14.	Apoſtolicis extitiſſe,&
	4. a f.	ſit reliquus
212.	6.	a mille
214.	19.	Nam hæc, quæ
	vlt.	jejuniorum ven-
216.	16. a. f.	Vivem
217.	2.	exigenda
	7.	erant ac
218.	16. a f.	verum eſt;quod
219.	3.	fabulis, & ad
	18.	effingere
220.	18. a. f.	ad hæc puritate
228.	7.	in tabula
	27.	ſit vanitas
	11. a. f.	Gelaſio ex his
232.	11.	catalogo
	20.	hæcex epiſtolis
	25.	ex ea , quæ
233.	1.	cenſus ex epiſt-
	6.	inſutos
	24.	ſignata legantur
	3. a. f.	a pſeud-Apoſtolicis
238.	7. a. f.	melioris, & ad
239.	marg. 5.	*Cortonenſi*
	27.	tutius meo judicio
241.	15. a. f.	libris erutas
243.	16. a. f.	demonſtrat
245.	12. a. f.	judicatam
246.	5. a. f.	auctoritatem iis den-
247.	3.	hæreticorum , falſorum
	3. a. f.	illi Atqui
248.	11.	ſed eandem
	12.	qui ei honores
	25.	*adulteram* dicit
	26.	& ab omni
	5. a. f.	orthodoxi , probati
249.	8.	texuerat
	15.	exorſus
251.	26.	confeſſu
252.	21.	imo & Macarii
	6. a. f.	aſperſas hic
254.	9. a. f.	aliquam, imo
256.	18. a. f.	ad ipſos his
257.	6.	litterariæ
258.	10.	apud Vulgatum ; tum apud
	11.	-num , ſiue Voſſianum
260.	18. a. f.	Neque eum Phil-
269.	12.	proprius
271.	9.	pariter tacere
272.	11.	contempſiſſe
	14.	Non ego
	19.	ignota, neque adeo
	3. a. f.	Chriſto , ſi non
274.	2.	diaconatum
276.	5.	πρεσβυτέρων καὶ διακόνων τὰ ἐκκλησιαστικὰ
277.	18 a. f.	Vbi tres
279.	13. a f.	conficeret noſter
280.	27.	ψιλὸς

Pag.	Lin.	Corrige.
281.	11.	concelebrant
	24.	Stromateon
285.	13.	teſtimonii
288.	1.	mortem everſus
	18.	ſervavit
	7. a. f.	a vetuſtiſſimis
291.	19.	Ignatii
	pen.	Trajani 7. vel 9.
292.	10.	incuſat, quod
	11.	decernat,ore &c. ſcilicet
	23.	genus perverſitatis
294.	6. a. f.	Bytho , & ſic etiam infra
	p. 295.	lin.pen. & 296. l. 8.
295.	pen.	Proarchen
296.	7.	dualitas
	9.	cum Nu. ſic & p. 297. 14.
297.	2.	hunc verum
298.	28.	clariſſime
299.	20.	choatum
	21.	Borbor-
300.	1.	inducerent
301.	23.	*opinionis ſemini*
	6. a. f.	Gnoſticus
302.	21.	cœlos ; Angelorum,
303.	7.	συνθέσει
304.	19.	a Valentin.
	22.	λόγον α Σιγῇ
307.	25.	id eſt Deam
	27.	præditam , quam
316.	3.	ſollicitare
	16. a. f.	enim Oneſimum F.
317.	8.	cæteris Ignatii
318.	11. a. f.	etiam cum
319.	12.	nomen eripit
320.	19.	Iuſtinus exemplo
	26.	λέγω ὅτι
	34.	Ille vero
321.	8.	eos offenderent
	24.	Xyſtus
322.	22	Ecce huic
	9. a. f.	agnum edere
	pen.	eſitantes A-
323.	11.	auctorem
	12.	Eccleſiaſticum
	21.	Huc præter
324.	11.	τῆς ἑορτῆς τῶν
325.	13.	jejunantes
	14.	novis ſcitis
326.	1.	ſed per
	9. a. f.	ſcriptor eadem
327.	27.	hic quidem
	30.	pridianis
328.	5. a. f.	hic utramque
331.	15. a. f.	fuit, hos
332.	21.	Chriſtianæ
335.	15.	vel *natam*
336.	15.	eſſe DEVM
	16.	eum ipſe
337.	5. a. f.	adjectivum
339.	9.	cur hic
340.	20.	compararet
345.	13. a. f.	placidam in his
344.	21	qui fideles
	29.	permittere

E R R A T A.

Pag.	Lin.	Corrige.
345.	1.	habete
	5.	arbitrandum
	6. a. f.	ut videbatur
	5. a. f.	neque ulla
	pen.	aut perſpectum
346	15.	*hic*] ut
348.	pen.	qui nequid
349.	5.	vel officula
350.	5.	Reverendiſſimi
	24.	Patrem diligere
351.	11. a. f.	ſemper eum
352.	8.	Mediatoris
	29 a. f.	hęc ex vitio-
355.	3. a. f.	cœlibum
357.	13.	exaratum
359.	5.	& tui Ign-
	6.	epiſtolas falſas
	17.	Novatores
	16. 17. a f.	non licet; quod denique
360.	19.	eam inde tam
366.	5.	totum hunc
	14.	recedunt
	18.	πωθοῦσαν ὧν τῇ
367.	12. a. f.	ἢ τάχος
	9. a. f	συγκρότημα
370.	9. 8. a. f.	dignum quod idem
371.	17. a f.	ridendum ſe
	7. a. f.	libello, quem
372.	15.	obſequio
	9. a f.	afferam
375.	6. 7.	veluti ἃ μὴ
	12.	de præclaris
	7. a. f.	modeſtiæ Chriſtianæ
376.	pen.	decebat. Neque
377.	27.	Priſcę Loxiæ
381.	5.	non nudis
384.	13.	dici. Quidni
385.	3.	vel epiſcopatum, vel
386	17.	is ſit, qui
388.	ult.	Apoſtolos
393.	22.	συνεδρεύσας
395.	15.	quem vetuſtiſſimum
	26.	Xyſtum
	11. a. f.	ὠφίλειν κατέχειν
	8. a f.	ἔτι
396.	pen. vlt.	pauciores
397	8.	memorans
398.	5. 6.	Presbyterum
399.	12. a f.	doctiſſimus
	5. a. f.	ſive epiſcopis
400.	19	Syriæ dignificavit
	29.	ex iſta
	34.	Oneſimo
401.	10. a f.	non *presbyteris* in
403.	17.	ut veriſſimum eſt
	32.	ſuos ſedulo
404.	1.	*ſubditi eſte*
	16.	ad hunc locum
405.	19.	quod hoc, ſi
	3. a. f.	ſiquid judico
407.	16.	obruere debuerit?
408.	16.	Fortaſſe id ſcriptor
	21.	ἐφαίνοντο ἄν
	10. a. f.	homo non ſui

Pag.	Lin	Corrige.
409.	21.	affectatur, ὄγκον
410.	2.	alienum
	12.	Chriſti, & carne
411.	4.	Hæc audita Panorm
	3. a. f.	captus
414.	1.	ultimus
	8.	dignus, cum nouiſſ.
415.	13.	inſcriptiones
	16.	Cornelii
	7. a. f.	has, quas dix-
	3. a. f.	inſcriptiones
416	in marg.	l. 7. χριστόνομος
	11. a. f.	Hunc ego
417.	6.	hoc Symeon
	10.	quo illæ
418.	24.	*Eccleſiæ Dei*
	in mar. 8.	Acta Smyrn.
420.	vlt.	neque quicquam
421.	19.	*iiſdem verbis pec-*
	6. a. f.	*perſonis, quas*
423.	7.	*decere eos*
		verſiculos; *ſimiliter-*
424,	13. a. f.	addititiis
425.	13.	plurimus
	pen.	aliquam multas
426.	11.	utimur
427.	11. a. f.	abruptum
428.	9.	*cui & ..., abierunt*
	22.	meridiana
429.	marg. 5.	elocutionis
	6.	Proleg.
430.	16.	objectus
431.	4.	doctiſſimi Hammondi ex.
	7.	multas, ab ipſo
	17.	demonſtraſti
	19.	articulo
	31.	juxta illud
	34.	vel iturum
	7. a. f.	vel aliæ
432.	9.	multa valde
	13. a. f.	accommodarit
439,	marg. 8.	Rob. Cocus
442.	7.	quod hi om-
445.	12.	etiam unus
	13.	ſectæ primipilis fuerit
	6. a. f.	crediderit
	10. a. f.	ne doctiſſ. quidem
448.	marg.	Prologo
449.	2.	judicatam
451.	9	a plano aliquo
453.	12. a. f.	alia, non
	3. a. f.	ineptum
454.	24.	Cæteras,
455	10. a. f.	utraque
	4 a. f.	doctiſſimus
456.	13.	maximas
	18.	cenſus ſent.
	8. a. f.	detracta, quę
457.	6.	Gelaſium
	10.	hujus lucis ope
	6. a. f.	dixerim
458.	15.	imprudentes
459.	3.	indicem
	26.	parachroniſmis

ERRATA.

Pag.	Lin.	Corrige.
463	12.	quin &
	13. a. f.	ſubtexuit
464.	10. a.f.	quadringentos
	8. a. f.	augmento
465.	11.	ſtylo & dicendi
466.	17. a. f.	novitius hic
	pen.	infantilibus
467.	13.	Cypriano
	15.	notavi
	18.	ejuſdem ſæculi
	20.	fæce nata
	25.	myſteriis
	32.	aſſultus
	33.	ſpiſſitudo,
	7.a. f.	diſtrictio.
	pen.	diffinibilis
471.	5 6.	*flammeus*
	6. a. f.	*incompacta eſt ſtrues*
472.	ult.	dicit, &
473.	5.	non ineleganti
	7.	attrectante
475.	16.	ſæcula ex Orig.
	22.	& quindecim
476.	marg. 17.	*lege* diſciplinæ
478.	3.	vertendis
	ult.	minimo indicio

Pag.	Lin.	Corrige.
479.	14.	*in hac*
480.	11.	Atque hæc
	16.	caveamus;
	22.	certo diſcere
	31.	collatione
	33.	impoſturæ
481.	3. a f.	offenderent
482,	4.	Origenis umbram
	7.	qui ex gentibus
	3. a. f.	Origenes
483.	10.	ea, qua
484.	19.	*Interjicit* R.
486.	3. a. f.	quo id Origenes
488.	4. a.f.	in opere contra
489.	5. a. f.	*peccatorum*
490.	18.	*proceditis?* &
393.	16.	ab Origenicis
494.	10 a,f,	operæ pretium
	pen.	vitiavit
495.	18.a.f.	licebit, qua
	7. a. f.	cum illa
	4. a. f.	Jd ipſe
496.	4.	*generarent.* Jd
	13.a.f.	*invocatione, quæ*
	9.a.f.	*ideſt qui non*

FINIS.

B.b Fict

This binding has been treated with potassium
lactate solution (potassium lactate 7.00%,
paranitrophenol 0.25%, distilled water), and
oiled with a mixture of neatsfoot oil (60%)
and lanolin, anhydrous (40%). JUN 10 1977